Morales

augere pœnas, vel diminuere: vt docet Balsamon in Canon. 4. Synod. Ancyranæ, sic quoque valebat secundum contritum, & humiliatum pœnitentis cor, aliqua graduũ transcursione remmittere, & plenam pœnitentiam pronunciare. Inde singulari quoque beneficio aliquibus laborem extremum passis Eucharistiam decernebat, vt docet eruditus Episcopus in notis ad Concilium Carthaginense 4. Canon. 78. ubi pœnitentes degentes in 3. gradu timoris metu perterriti, atque ideo Eucharistiam accipientes, absolutionem ex eo prætendere non possunt: nisi ad tertium gradum regressi caput publicè pœnitentiæ subdant, ex quà doctrinà facilis aditus ad dictum Canonem, qui, *Pœnitentes* (inqu[illegible] *Viaticum Eucharistiæ accepe*[illegible] *olutos, sine manus impositio*[illegible] eque Episcopalis tantu[illegible] ce pœnitentes supra di[illegible] plenam communionem Ecclesiasticam reuocare, sed vel respuere, aut accipere munera ipsorum, vt cõstat ex Concil. Illiberrit. Can. 28. cum aliis, quę supra adduximus, & intẽpestiua repetitione non inculcamus, etiam hac vita exceden-

395

1.502

dentiũ. Oblationibus enim pœnitentes casu aduerso decedẽtes, & morte pręocupati ante felix accipiendæ Eucharistię ad impletũ votum in Ecclesiasticam communionem reuocabãtur huius rei testimonium exhibet, Conc. Carthagin. 4. Can. 74. aliàs 79. relatum in capit. Sacerdos 6. 26. quęst. 7. ibi: *Memoria eorum, & oblationibus, & orationibus commendetur.* Ex qua Ecclesiæ consuetudine arbitratur Franciscus Bosquetus in notis ad epistolas Innocentij Tertij, lib. 4. Regest. 16. epist. 49. originem, & primordium sumpsisse morem illũ porrigendi Eucharistiam illis, qui pænitentię legibus obtẽperantes, huius vitæ fabulã impleuère, inde ori ipsorum post mortẽ infundebatur, vt cõstat ex Conc. Cathagi. 4. Can 76. relato indict. cap. 8. 26. quæst. 6. ibi: *Et infundatur ori eius Eucharistia,* quod àn Ecclesię vsus, & eius disciplina comprobauerint, magnis concertationibus agitatum video, certè aliquibus Canonicis sanctionibus improbatur, vt constat ex Concil. Carthaginensi 3. Canon. 6. Canon. 18. Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ Synodo 6. in Trullo Cano. 84. Concil. Altisiodorensi Cano. 12. illustrant D. Ferdinandus de Mendo-

augere pœnas, vel diminuere: vt docet Balsamon in Canon. 4. Synod. Ancyranæ, sic quoque valebat secundum contritum, & humiliatum pœnitentis cor, aliqua graduũ transcursione remittere, & plenam pœnitentiam pronunciare. Inde singulari quoque beneficio aliquibus laborem extremum passis Eucharistiam decernebat, vt docet erudi tus Episcopus in notis ad Concilium Carthaginense 4. Canon. 78. vbi pœnitentes degentes in 3. gradu timoris metu perterriti, atque ideo Eucharistiam accipientes, absolutionem ex eo prætendere non possunt: nisi ad tertium gradum regressi caput publicè pœnitentiæ subdant, ex quà doctrinà facilis aditus ad dictum Canonem, qui, *Pœnitentes* (inquit) *qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si superuixerint*; Neque Episcopalis tantum muneris fuit, hosce pœnitentes supra dicto moderamine in plenam communionem Ecclesiasticam reuocare, sed vel resp uere, aut accipere munera ipsorum, vt cõstat ex Concil. Illiberrit. Can. 28, cum alijs, quç supra adduximus, & intẽpestiua repetitione non inculcamus, etiam hac vita exce-

den-

dentiũ. Oblationibus enim pœnitentes casu aduerso decedẽtes, & morte pręocupati ante felix accipiendæ Eucharistię ad impletũ votum in Ecclesiasticam communionem re nocabãtur huius rei testimonium exhibet, Conc. Carthagin. 4. Can. 74. aliàs 79. relatum in capit. Sacerdos 6. 26. quęst. 7. ibi: *Memoria eorum, & oblationibus, & orationibus commendetur.* Ex qua Ecclesiæ consuetudine arbitratur Franciscus Bosquetus in notis ad epistolas Innocentij Tertij, lib. 4. Regest. 16 epist. 49. originem, & primordium sumpsisse morem illũ porrigendi Eucharistiam illis, qui pœnitentię legibus obtẽperantes, huius vitæ fabulã impleuère, inde ori ipsorum post mortẽ infundebatur, vt cõstat ex Conc. Cathagi. 4. Can. 76. relato indict. cap. 8. 26. quæst. 6. ibi: *Et infundatur ori eius Eucharistia*, quod àn Ecclesię vsus, & eius disciplina comprobauerint, magnis concertationibus agitatum video, certè aliquibus Canonicis sanctionibus improbatur, vt constat ex Concil. Carthaginensi 3. Canon. 6. Canon. 18. Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ Synodo 6. in Trullo Cano. 84. Concil. Altisiodorensi Cano. 12. illustrant D. Ferdinandus de Mendo-

DE IVRE ACADEMICO,

SELECTAE QVESTIONES

THEOLOGICÆ MORALES, IVRIDICÆ, HISTORICÆ, ET POLITICÆ.

De Academiis, Magistratibvs, Collegiis, Professoribvs, Candtis, et Scholasticis.

CVM APPENDICE DE ACADEMIARVM, AC STVDIOSORVM IVRAM defendendi Immaculatam Conceptionem DEIPARÆ.

Authore Patre ANDREA MENDO Locrunienſi è Societate IESV in P Caſtellana, apud Supremum Sanctæ Fidei Senatum Cenſore, ac in Salmant Collegio Theologiæ Scholaſticæ, & Sacræ Scripturæ Profeſſore.



SALMANTICÆ. CVM PRIVILEGIO;
In Typographia Iosephi Gomez de los Cvbos. Anno 1655.

DE IVRE ACADEMICO.

SELECTAE QVESTIONES THEOLOGICÆ MORALES, IVRIDICÆ, HISTORICÆ, ET POLITICÆ.

De Academiis, Magistratibus, Collegiis, Professoribus, Candidatis, et Scholasticis.

CVM APPENDICE DE ACADEMIARVM, AC STVDIOSORVM IVRAMENTO defendendi Immaculatam Conceptionem DEIPARÆ.

Authore Patre ANDREA MENDO Locumtenente Societate IESV in Prouincia Castellana, apud Supremum Sanctæ Fidei Senatum Censore, ac in Salmanticensi Collegio Theologiæ Scholasticæ, & Sacræ Scripturæ Professore



SALMANTICÆ, CVM PRIVILEGIO;
In Typographia Iosephi Gomez de los Cebos, Anno 1655.

CLARISSIMO, ET SAPIENTISSIMO

VIRO

DOMINO DON

IOANNI DE SOLORZANO

PEREIRA,

EQVITI IACOBAEO, PHILILPPI IV. HISPANIARVM

MONARCHAE A CONSILIIS

IN CASTELLÆ, ET INDIARVM SVPREMIS

SENATIBVS.

ACADEMICVM opus, Vir Clarisime, in tuum sinum spontè dilabitur, & quasi publica voce tibi defertur. Quidquid enim in eo disseritur, Tibi, vt communi omnium Magistro, publico olim Professori, Cathedras moderanti, Doctoratus laurea insignito, scientiarum alumno iugiter & educatori, venustissimè congruit, opportunè conniuet: Vt ergo Academias cogitaui, tibi Litterariũ destinaui laborem, quasi viuidæ cuidam imagini, in qua omnes illæ resplendent: Salmantina præcipuè, cui, & Illustribus eiusdem Collegijs Maioribus non paucæ huius Voluminis paginæ militant. Quippè in illa Iuris vtriusque latices ebibisti, quos postmodùm pleno ore limpidissimos propinares, dum Doctoris ibidem honorem adeptus, Cathedrarum Anteceſſor, Vespertinam tandem Iuris Cæsarei ad miraculum vsque fuisti moderatus, eos tuis institutis discipulos vbertim erudiens, qui Ecclesiarum, atque Regnorum clauum deindè tenerent. Vnde in te, vt in nobiliori alumno, Salmantinam prosequor Acdemiam; Quin & pars magna tui Togatorum numero inuiscerator, cum Filius tuus, id est, alius ipse, nomine, sanguine, ingenio, &

ſcientia iam iam tuæ præludente, D. Ioannes de Solorzano Paniagua, Calatrauenſis Eques, in Maiori Archiepiſcopi Collegio purpurea trabea decoretur. Hinc in te vno vtrumque complector; Et ſub Principe Academiarũ Salmantina cæteris omnibus, eorũque præclariſſimis Alumnis ex voto, ex animo indulgeo cultum, impertior obſequium. Felicitas fuit, eum Operi adſciuiſſe Patronum, in quo vno cunctis debitum perſolueretur officium; & meus etiã animus tibi addictiſſimus, tuæque beneficentiæ obæratus per hoc qualecumque gratitudinis ſymbolum reſpiraret, venerationiſque hoc proderet monimentũ, dum Te, veluti Academicorum, ſeu potiùs Academiarũ prototypon meis diſſertationibus præfigo, vt vel ex tanto nomine mutuentur ſplendorem. Nulli profectò non probabitur Mœcenas, ſi non Author arrideat; indè ſaltem aderit plauſus, commendabitur Opus. Quippe tuum nomen gratiſſimè omnium excipitur auribus, inſinuatur pectoribus; Nec aliud frequentiùs Academiæ cũctæ, & noſtri præcipuè Salmantini Profeſſores, & Candidati in ſuis Relectionibus inſonant, ex tuis eruditiſsimis Operibus venuſtum ſibi, ac ſolidũ ornatũ comparantes; & te bono cõmuni natum, Hiſpaniæ decus, ſcientiarũ omnium encyclopediã ſynceris vocibus ingeminant. Nec tuum vnquam nomen nuda verba pronuntiant, cum ea cognomina propria iam tibi, ingentia, & veluti natiua iudicentur, & meritò; nam tua ſunt amplius ea, quæ merueris, quàm illa quæ à progenitoribus comparaueris. *Quod ego titulis omnibus* (vt aiebat in panegyri Plinius) *ſpecioſius reor, quando non trabibus, aut ſaxis nomen tuum, ſed monumẽtis æternæ laudis inciditur.* Et quæ glorioſiora monumenta, quàm ea, quæ ex tuis aureis Scriptis poſteritatem ſuperabunt? In his enim fęcundiſsimo, ac viuaci ingenio, quæcumque diſceptas, euincis: mira eruditione amænas, & ornas: totum Ius Pontificium, Cæſareum, & Regium ad calamum eſt, illudque vbertim in ſingula aſſerta diſpenſas: Authorum, Antiquitatum, Gentium, Morũ defæcata notitia præſtò eſt ſcribenti, vt inſtar miraculi cenſeatur ſelecta vbique cõgeries: Euoluantur tuus *de Parricidio* liber, Vtrumq; *de Iure Indiarum* Volumẽ, *Politica Indorum*, Opuſculum *de Muneribus honorarijs*, *Emblemata Regio Politica*, aliaque ſimilia, quibus diſciplinas omnes tuo irriguo ſudore creuiſſe conſtabit. Etenim non vna incluſus meta Iuriſprudentiam dumtaxàt illuſtras, ſed florida quęque, Politica, Philoſophica, Vrbana, adeò emunctè expendis, diſceptas, exornas, vt ſingula ſolùm profiteri videaris. Diceret tibi Auernorũ Epiſcopus *lib. 4. epiſt. 3. Cui moris eſt, de ſingulis artibus cum ſingulis artificibus philoſophari; quique, ſi ſors exigit, tenere non abnuit cum Orpheo plectrum, cum Æſculapio baculum, cũ Archimæde radium, cum Euphrate horoſcopum, cum Perdice cincinnum, cum Vitruuio perpendiculum; Quique nunquam inueſtigare deſiterit cum Talete tempora, cum Atlante ſydera, cum Zetho pondera, cum Chryſippo numeros, cum Euclyde menſuras. Ad extremum nemo ſæculo meo, quæ voluit affirmare, ſic valuit; ſentit vt Pythagoras: diuidit vt Socrates: explicat vt Plato: implicat vt Ariſtoteles: vt Æſchines blanditur: vt Demoſthenes iraſcitur: vernat vt Hortenſius: æſtuat vt Cethegus: incitat vt Curio: moratur vt Fabius: ſimulat vt Craſſus: diſſimulat vt Cæſar: ſuadet vt Appius: perſuadet vt Tullius.* O monſtrum ſine labe decens! O quàm in te nihil natura, nihil ſollertia peccauit! Hoc eximiæ tuæ ſapientiæ lumen, quo cæteros perfundis, nobile à Salmanticenſi Academia deſumpſit exordium; Et, ſicut elaborata chryſtallus, aut æmuli generoſitas vitri, obiecta Soli conceptos in ſe radios inflammat, quos deindè tanto feruore tranſmittit, vt quondam integra claſsis hoc exarſerit Archimedis incendio; ſic, dum Salmanticenſe Lycæum, inſtar Solis, ſuo te penitùs ſplendore luſtrauit, in ardentiſsimum tu lumen igneſcens, ac eruditę opulentiæ contemplationis exæſtuans, Orbi præluxiſti, & in aliorum ingenia tranſmiſiſti inſtituta præclara, indeque non abſimilibus

ſcien-

Scientiarum radijs exardent. Ergo ex Salmantino Theatro olim Limenſis Senatus te Iudicem amauit, vt vtraque Solis meta ſtuperet ad tuæ doctrinæ ingeminata prodigia, & ouans Aſtræa de tanto ſibi gratularetur Alumno. *Aſſumptus es* (verba ſunt dicta Traiano) *in laborum, curarumque conſortium; Nec te læta, & proſpera ſtationis iſtius, ſed aſpera, & dura ad capeſſendam eam compulerunt.* Ibi vel liuor ipſe fatebitur, enituiſſe nullum, qui publicis vtilitatibus impenſiùs ſtuduerit, quàm tu ipſe immemor omnino tuarum. Nec enim aliud ardebas enixiùs, quàm vt Hiſpanum Imperium iuſtitia vallatum perpetuò floreret: ampliſsima indefeſsi laboris præmia ratus, per omnes ingenij curas, mentem, & animum, teque totum communi felicitati conſumere. Quanta in Indico Orbe peregeris, quàm ſyncera in illo encomia te maneant, nequeunt breui pagina claudi. Fallor, niſi ibi te delineauit Ennodius; *Fecit magnitudo veſtra, vt ſui memoria nuſquam ſilentij torpore langueſcat. A vobis radicem ſumunt inſtituta ſapientiæ, per vos informata feruntur. Vos ingenui teſtimonium ſanguinis: vos materia pudoris. Per vos, quod benè cor dictauerit, lingua proloquitur. Ad inueſtigandum iter iuſtitiam præbetis, dum oppreſſum dumetis callem purgatis. Deo proxima res eſt, veſtro infuſa beneficio; dum gratia cunctis, ſalua ſtemmatum veritate præſtatur. Vos inſtrumenta memoriæ. Vos cauſa pietatis. Vobis ducibus, quæ per vſum ſubripiuntur, dediſcuntur ſcelera, vt bona diſcantur.* Dolebat tamen Hiſpania noſtra, Te, cui vnus illuſtrandus non ſuffecerat Orbis, à ſe genitum ſibi ipſi tandem non vindicari; & tot ſuffragia, quot capita in tui amorem conſpirauere certantia. Cunctorum ſpes auida temporum ſortes increpabat inertes, nec tibi vlteriùs libertatem faciebat cunctandi; &, dum integerrima ſumma tuæ mentis vulgaretur ſpecimẽ, Te eximiæ felicitatis exambibat compendium. Votis communibus fuit indultum, dum ad Conſilium Indiarum Supremum primò Fiſcalis, deinde Senator aſſumptus, demùm in Regium Caſtellę adſcitus Tribunal, omnem de te expectationem expleuiſti; cum omnium oculi cuncta in te maxima fuerint iucundè mirati, Genium, Indolem, Expeditionem, Iudicium, Experimentum, & quidquid in optimo Conſiliario optamus homines, & Superis placet. Ardua plura à noſtro Monarcha Philippo IV. conſuleris: ab alijs etiam doctiſſimis, velut Delphicum oraculum, adiris, vt in ſecuritatẽ, & lucem prodeant, quæ ancipiti caligine obtenebrantur. Sed (proh dolor!) infirma aurium valetudine præpeditus in Emeritorum exoraſti claſſem adſcribi. At hæc velut comunis infauſta ſors ferè fuit fortunata, cum non exigua felicitate compenſetur; Quippe à publicis, & foreſibus Tibi negotijs vacat, vt totũ Te libris aſſiduo inſumas conatu, nouaque Commentaria, præter alia Opera, Hiſpanis Legibus pares, quæ, vt ſunt cunctorum in votis, ſic ad publicam vtilitatem ingenti plauſu excipientur. *Ad tuas aures* (vt affatur Panegyriſtes) *obſtructus eſt aditus; quo euenit, vt tibi cum plurimum pro tuis, tum pro noſtris moribus debeamus.* Et quem tuæ indolis candidi mores non alliciant vltroneũ? Nullus in te efformis pullulat næuus: nulla labis tumet audacia: ambitioſa cupiditas nulla ſuperbit: nullus ſuperbiæ fætus effruticat; nec tuos conatus ignauiæ rubigo deflorat. Te dotum animi inundat Occeanus, qui diſperſus in alios gratanter irrorat. Totum pectus virtutum occupauit amor: diuinis imperijs ſedulus præſtas obſequia, & ad diuina intentus id agis, vt ſuprema dies te deprehendat vita plenum, & abire paratũ. Tuæ domus penetralium amator, ſi humanitatis officia non adigant, te ipſum contines, & quod ſtudia tibi tempus permittunt, altioribus miniſterijs impendis. In egenos propenſus cogis diuitias non faſtui inſeruire, nõ ambitioni famulari: ditior ſanè, quia alios ditare aſſueuiſti. Hoc filo tuę vitæ ſtamẽ texitur: nec dignaris, aliquid felicitati tribui, cũ poſſint dari cũcta virtuti. Hæc te nobilitate eximia donaſſent, quamuis nõ reddidiſſent natalia præclarũ, & viuida

ea ſtemmata poſteris ſęculis longiſsimè ſufficerent, nihilque ſibi à ſuccedente rerum ſerie timerent; Sed adhuc tibi plurima certauit Nobilitas, & ab illuſtri familiæ propagine demiſſus tibi ſanguis generoſiſsimè feruet. Solorzanorum in Burgenſibus montanis inſignem, claram, & antiquam originem, Principum olim reuerenti familiaritate, Diplomatum, ac priuilegiorum Regiorum ſubſcriptione, & confirmatione: Nobilium affeclarum, ac ad nutum obſequentium multitudine illuſtrem, (de quo plura extant aperta monumenta, & teſtimonia inconcuſſa,) ſilentio meliùs extulerim, ne gloriæ ſubſtraham, quod verbis inuidero; Nec enim ampliùs ſerena cęli facies ſyderibus vibrat, quando liquida noctis tempeſtas aſtrorum explicat acies, quàm omnibus affulgent Tuorum toga, & Marte ſtrenua monumenta, quoties pulcherrima euoluuntur Inſignia Gentis. Numeros ſuperant, qui ex illis nomen dedere Militijs Equeſtribus, ac intra tuos domeſticos Penates quinque fuerunt eis ipſis adſcripti; &, cæteris ſuperſtitibus, vnus dumtaxàt deſideratur, chariſsimus tuus Gnatus Don Gabriel de Solorzano Paniagua, Almæ Eccleſiæ Placentinæ Decanus, qui (fas ſit dicere) cœlum ſyderibus auxit, fato præcoci raptus. In dè tua generoſa Domus cum nobiliſsimis Hiſpanię Familijs per alternos Hymenæos inuicem maritata ad ęternitatem conſpirat. Verùm hæc meum rudem, & incomptum non emendicant ſtylum. Ad Te redeo. Tibi opus ſacro. Et quia à tua modeſtia, quæ fatigatur encomijs, non licet panegyridis ire per campos, hic ſiſtam, licèt non fecerim ſatis oficio, & affectui. At Statij verbis epiſtolam claudam.

Quare age, ſi Cereri ſua dona, merumque Lycæo
Reddimus: & diues prædæ, tamen accipit omni
Exuuias Diana tholo; captiuaque tela
Bellipotens: Nec tu (quando tibi maius inhæret
Eloquium, fandique opibus ſublimis abundas,)
Sperne coli tenuiore lyra. Vaga cingitur aſtris
Luna, & in Occeanum riui cecidere minores.

Viue: Vale, Tuis, Hiſpaniæ, Orbi. Salmanticæ. Die 31. Iulij, anno Salutis 1654.

ANDREAS MENDO.

DOMINI

DOMINI DON CAROLI REMIREZ de Arellano Tellez Giron, Equitis Iacobæi, in Maiori Ouetenſi Collegio Togati, Iuris Pontificij Veſpertinæ Cathedræ in Academia Salmanticenſi Anteceſſoris, Cenſura, & iudicium huius Operis, ex Decreto Ordinarij Salmantini.

DELEGATIONE D.D. Ioſephi de la Serna, Maioris Archiepiſcopi Toletani Collegij Rectoris, Salmanticenſiſque Diœceſis Vicarij Generalis, libenti, auidoque animo perluſtraui Librum *de Iure Academico*, dextro rei litterario auſpicio productum à R.P.M. Andrea Mendo, è Societate Ieſu, Supremi Sanctę Inquiſitionis Senatus Cenſore, & iam olim in Collegio Salmanticenſi Cathedrarum Theologiæ Scholaſticę, & Scripturæ ſacræ digniſſimo Anteceſſore. Opus ſanè omnigena doctrinarum maturitate probatum, & vel ab Authoris nomine probatiſſimum; cuique parta per Libros magno glorię cenſu nuper editos, fama, celebritatem, & plauſus tum huius inclytæ Academiæ, tum Orbis propemodùm vniuerſi deſpondent. Quin & principem ſibi laudem, ac publicas Hiſpaniæ grates ab vniuerſitate Tractationis inter tot Academici Iuris Scriptores ideò promeretur, quòd nullus ex veteris, aut nouioris ſapientię penu eam hactenùs abſoluerit pro dignitate, vel perduxerit ad phaſim. Vni, aut alteri illuſtrando membro ſinguli impenduntur; integrum verò corpus nullibi iuſto circulo complexum, niſi in huius Libri lacertis animaduertitur. In Libros, & Quęſtiones dimembratum ita ſapienter, & venuſtè reducitur ad congeriem, vt ex ordine per Authoris dexteritatē idē, quod in alijs libris ex improbo labore, conſequaris. Scita, & vulgata, prout res poſtulat, ex præcipuis Doctorum, Iuriumvè fontibus facilè deriuat, & expedit faciliùs. Dubia verò altiorem indaginem emerita, ſollerti primùm, & ſedula diſputationis lance perpēdit: deindè matura iudicij deliberatione doctè reſoluit. Inuium, & inacceſſum Interpretibus plurimarū diſceptationum iter ſæpè fœliciter ingreſſus inoffenſo pede progreditur: & nondum hucuſque exagitata, fortè nec excogitata, viuida, & vegeta mentis acie circumſpicit, acrimonia ingenij ſagaciter perſequitur, &, qua pollet, vberi doctrinæ facundia redigit in quadrum. Denique Opus publica luce digniſſimum, & Academicæ expectationi debitum iudico, cum nihil in eo bonis moribus, Orthodoxæque Fidei non ex aſſe congruum, pluraque ſub vmbra hactenùs delitentia nouis ſplendoribus ad Forum, & Polum (ita ſpero) profuturis illuſtrata, & omnia tā Eccleſiæ, quàm Reipublicæ vtilia liceat reperire. Sic ex animi ſententia cenſeo. Salmanticæ. In noſtro Maiori Sancti Saluatoris Ouetenſi Collegio, die 13. Iulij; Anno Chriſtianæ ſalutis 1654.

Don Carolus Remirez de Arellano Tellez Giron.

LICEN-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado Don Ioſeph Antonio de la Serna Rector del Collegio Mayor del Arzobiſpo de Toledo, de la Vniuerſidad de eſta Ciudad de Salamanca, Prouiſor, y Vicario General en ella, y ſu Obiſpado por ſu Señoria el Señor Don Pedro Carrillo de Acuña por la gracia de Dios, y de la ſanta Sede Apoſtolica Obiſpo de eſta dicha Ciudad, y Obiſpado, del Conſejo de ſu Mageſtad; &c. Por el tenor de la preſente, por lo que à Nos toca, damos licencia, para que ſe pueda imprimir el Libro intitulado *de Iure Academico*, compueſto por el Padre Andres Mendo de la Cõpañia de IESVS Rector del Colegio Irlandes de eſta dicha Ciudad; atento, q̃ de la cenſura del Licenciado Don Carlos Remirez de Arellano Cauallero del Orden de Santiago, Colegial Hueſped del Colegio Mayor de Ouiedo de eſta Vniuerſidad, y Cathedratico de Viſperas de Canones della, Nos conſta, no tiene coſa contra nueſtra Santa Fe Catholica, y buenas coſtumbres, antes ſerà de mucha vtilidad, y prouecho, el que ſe imprima. Dada en Salamanca à trece dias del mes de Iulio de mil y ſeiſcientos y cinquenta y quatro años.

Licenciado D. Ioſeph Antonio de la Serna.

Por mandado del Señor Prouiſor de Salamanca.
Bartolome Fernandez Montojo.

FACVLTAS R. PATRIS MICHAELIS DE ARBIZV Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Caſtellana.

EGO Michael de Arbizu Prouincialis Societatis IESV in Caſtellana Prouincia, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodùm Patre noſtro Goſvvino Nikel Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Tomus, qui inſcribitur *De Iure Academico* à Patre Andrea Mendo noſtræ Societatis Theologiæ Profeſſore compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. In Collegio noſtræ Societatis Pontebedrenſi die 23. Octobris; Anno 1654.

Locus ſigilli. *Michael de Arbizu.*

CEN-

CENSVRA D. DON PETRI DE VELASCO, PROTONO tarij Apoſtolici, à Sacris priuatis Potentiſsimi Regis noſtri Catholici, & Regiæ Capellæ Iudicis Ordinarij. Ex commiſſione Supremi Caſtellæ Senatus.

IVSSV Supremi Senatus Librum, cui R. admodùm P. Andreas Mendo è Societate IESV titulum fecit *De Iure Academico*, qua potui diligentia, perlegi. Neque in eo quidquam vel bonis moribus aduerſum, vel à rectæ Fidei tramite deuium, offendi; quinimò omnia adeò pietati, & veræ, ſolidæque doctrinæ reſpondẽt, vt nefas fuerit, hoc in dubium quoquo modo reuocare; ſatiſque celebris Scriptor, editis nunquam intermorituris in Bullam Cruciatæ Commentarijs, doctis pariter, & laborioſis, illuſtrior magis, magiſque fiat hoc viuidæ mentis fœtu; quo ſparſa longè, latèque ſui nominis gloria Litteratorum omnium nouum plauſum in dies adipiſcatur. Quotus quiſque enim ex illis, queis meliore luto finxit præcordia Titan, ſtatim ac veſtibulum Operis conſpexerit, auidè non arripiet tanti Doctoris nouas, & ſecundas curas, certus, nihil ab eo elucubratum iri, quod ſummo ſtudio, & doctrina expolitum non ſit? Eriguntur animi, quibus lux aliqua litterarum affulſit, quoties vno in Volumine, nec mole graui, etſi rerum vbertate, & copia pleniſſimo, totius Scholaſticæ doctrinæ penus promitur, & Academiarum Politica, Iuridica, Theologica, & abſoluta diſquiſitio exhibetur. Opus votis omnium concupitum, & à nemine tentatum; tantum abeſt, vt à quoquam fœliciter perfectum fuerit; Nam ex oraculo Plinij, quidquid non eſt peractum, pro non inchoato habetur. Et nec ſpe, aut expectatione ſua excidet, quiſquis Scriptoris, & Operis amplitudine excitatus penitùs hunc eloquentiæ, & doctrinæ theſaurum introſpexerit. Non enim ſolùm Salmãticenſem publicam Scholam, toto Orbe decantatam, omnium Artium, & Scientiarum diuitijs exornat floriferis, vt apes in ſaltibus omnia libant, verùm & curſim hiſtoricam facem prælucet illuſtrandis cæteris per Europam celebratiſſimis Academijs, quarum originem, progreſſum, & ſtatum breuioribus lineis depingit, vt hac veluti libatione deindè nobiliſſimo huic noſtro Scientiarum Theatro totus inſiſtat, quod iure vocare poſſit Athenas Hiſpanas; nam quod de Græcia Athenæ, rectiùs de Academia Salmãtina vſurpes, quam maiorum gentium Politici agnoſcunt Hiſpaniæ noſtrę præſidium; decus Muſarum: Mineruæ ſedem: Eccleſię ſeminarium: ſtatus publici columen: & demùm omnigenæ ſapientiæ, & pietatis Officinam; ex qua tanquam ex ſorte, publica, & priuata fœlicitas, non ſecùs ac ab Apollinis capillis, diſtillat, ſaporq; virtutis in omnes Reipublicæ partes diffunditur. Habẽt igitur iam omnium Artium Profeſſores, & Magiſtri, quod tot retrò ſæculis expetiuerunt, nec vnquam omnino ex parte illis frui datum eſt, Iuris Academici omnimodam ſuppellectilem, quam hoc Libro in publicum commodum emittit Theologus, Iuris peritiſſimus, inter Azorios, Sanchezios, Molinas, & alia magna Societatis IESV Nomina cenſendus; pari enim cum illis dexteritate referat, & quæ ad efformandos mores, ac ſacratioris Theologiæ arcana educenda cõferunt, & myſteria, quæ in penetralibus Iuris publici, & priuati, tàm ſacri, quàm profani abdita iacent, ſolùmque Iuriſprudentiæ Myſtis patent; vt in poſterum & qui in Fori ſtrepitu verſantur, & quî in puluere Scholaſtico decurrunt, diſecandis huiuſmodi nodis non alio gladio opus habeant; cum hic non tam Liber, quàm Bibliotheca, omnia cumulatiſſimè ſuggerat, quæ implicatiſſimis in re Scholaſtica ſoluendis quæſtionibus, & quæ hucuſque doctiſſimorum ingenia exacuerunt, abundè ſufficiant. Sic cenſeo. Madriti, die 20. Septembris, anno 1654.

Licenciatus Don Petrus à Velaſco.

SVMA

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIENE priuilegio el Padre Andrés Mendo de la Compañia de IESVS, ò quien ſu poder tuuiere, para imprimir eſte Libro intitulado *De Iure Academico* por tiẽpo de diez años, con prohibicion, que nadie lo pueda imprimir ſò las penas contenidas en el dicho Priuilegio, como mas largamente conſta de ſu original, deſpachado en el Oficio de D. Ioſeph de Arteaga Cañizares Secretario de ſu Mageſtad; ſu fecha à quince dias del mes de Octubre, de mil y ſeiſcientos y cinquenta y quatro años.

ERRATA.

PAG. 11. *col.* 1. *lin. vlt.* prorrexit, *dic* perrexit, *p.* 13. *c.* 1. *l.* 37. renuntias, *dic*, renuntiãs, *ibi col.* 2. *l.* 53. pro, *dic* per, *p.* 16. *col.* 2. *l.* 13. Santillana, *dic* Santaella, *p.* 17. *col.* 1. *l.* 27 Oſſenſis, *dic* Oſcẽſis, *ibi l.* 37. ſolet, *dic* ſoleat, *p.* 23. *c.* 2. *l.* 14. *dele* ciuſdẽ, *p.* 32. *col.* 2. *l.* 24. nim *dic* enim, *p.* 37. *col.* 1. *l.* 7. aliqua, *dic* aliquo, *p.* 39. *col.* 1. *l.* 39. doſtremo, *dic* poſtremo, *p.* 40. *col.* 1. *l.* 29. obij, *dic* obijt, *p.* 41. *col.* 1. *l.* 45. qutuaor, *dic* quatuor, *p.* 42. *col.* 1. *l.* 1. ſunt, *dic* eſt, *p.* 53. *col.* 1. *l.* 32. prẽcctum, *dic* præclectum. *p.* 55. *col.* 2. *l.* 41. Collegijs, *dic* Collegis, *pag.* 63. *col.* 2. *l.* 52. nequent, *dic* nequeunt, *p.* 74. *col.* 2. *l.* 50. praxim, *dic* praxis, *p.* 81. *col.* 1. *l.* 42. Romane, *dic* Romani, *p.* 85. *col.* 2. *l.* 16. aliquem, *dic* aliquos, *p.* 89. *col.* 1. *l.* 14. Gradum, *dic* Graduum, *ibi l.* 25. pauperate, *dic* paupertate, *p.* 90. *col.* 1. *l.* 39. dimanant, *dic* dimanat, *ibi col.* 2. *l.* 52. nuila, *dic* nulla, *p.* 100. *col.* 1. *l.* 18. Cardiles, *dic* Cardinales, *p.* 101. *col.* 2. *l.* 34. animadto, *dic* animaduerto, *p.* 102. *col.* 1. *l.* 5. acceptione, *dic* acceptatione, *p.* 104. *col.* 2. *l.* 54. omnipotẽti ins, *dic* omnipotentis in; *p.* 109. *col.* 2. *l.* 4. obſeraut, *dic* obſeruat, *p.* 114. *col.* 2. *l.* 48 territo tribus, *dic* terroribus, *p.* 120. *col.* 2. *l.* 49. Aduocatus, *dic* Aduocatos, *ibi l.* 52. Illas, *dic* illas, *p.* 128. *col.* 1. *l.* 52. conuocentur, *dic* conuocari, *p.* 144. *col.* 2. *l.* 34. ff. *dic* §. *p.* 57. *col.* 1. *l.* 8. alia, *dic* aliæ, *ibi l.* 9. aliæ, *dic* alia, *ibi l.* 32. illa, *dic* vlla, *ibi col.* 2. *l.* 2. ſoliorem, *dic* ſolidiorem, *pag.* 164. *col.* 2. *l. vlt.* poſtmod inũ, *dic* poſtmodũ in, *p.* 189. *col.* 1. *l.* 5. ipſorum, *dic* ipſarum, *pag.* 194. *col.* 2. *l.* 47. quis, *dic* qui, *p.* 195. *col.* 1. *l.* 17. edictum, *dic* dictum, *p.* 208. *c.* 1. *l.* 21. *dele* huic, *ibi l.* 22. detrimanto, *dic* detrimento, *p.* 224. *col.* 2. *l.* 3. ipſa, *dic* ipſe, *p.* 227. *col.* 1. *l.* 1. prohibetus, *dic* prohibitus, *p.* 231. *col.* 2. *l.* 50. hi, *dic* his, *p.* 249. *col.* 2. *l.* 14. mutione, *dic* mutatione, *ibi l.* 23. nque, *dic* neque, *p.* 272. *col.* 2. 45. ſuppliei, *dic* ſupplicij, *p.* 274. *col.* 2. *l. penult* Preditum, *dic* Peditum, *p.* 276. *col.* 1. *l.* 25. hunc, *dic* huc, *p.* 278. *col.* 2. *l.* 13. ſerminario, *dic* ſeminario, *p.* 281. *col.* 2. *l.* 50. præſtitit, *dic* præſtiti, *p.* 282. *col.* 1. *l.* 23. *dele* uis, *p.* 288. *col.* 2. *l.* 5. ſubi, *dic* ſub, *p.* 294. *col.* 2. *l.* 30. & ſi, *dic* ſi, *p.* 299. *col.* 2. *l.* 46. Etenim, *dele*, *& dic* Alia in Cathedra Philoſophiæ naturalis. Etiam, *p.* 312. *col.* 2. *l.* 52. inſtare, *dic* inſtaret, *p.* 327. *col.* 1. *l.* 34. alo, *dic* alio. *p.* 343. *col.* 2. *l.* 2. communionem, *dic* communiorem, *p.* 348. *col.* 2. *l.* 25. ſi, *dic* ſic, *p.* 367. *col.* 1. *l.* 45. Athneæo, *dic* Athenæo; *p.* 376. *col.* 2. *l.* 55. incantatione, *dic* incantatio, *p.* 379. *col.* 2. *lin.* 42. ab es, *dic* ab eo, *p.* 384. *col.* 1. *l.* 20. eitam, *dic* etiam, *p.* 395. *col.* 2. *l.* 37. docat, *dic* doceat, *p.* 505. *col.* 2. *l.* 1 Epiſcopus, *dic* Epiſcopos, *ibi* Marians, *dic* Mariana, *p.* 426. *col.* 1. *l.* 45. Conceptionis, *dic* Conceptioni, *p.* 427. *col.* 1. *l.* 9. opera, *dic* opere, *p.* 421. *col.* 2. *l.* 17. dhuc, *dic* adhuc, *p.* 436. *col.* 1. *l.* 1. reſeert, *dic* refert.

Liber hic inſcriptus *De Iure Academico*, demptis his erratis, reſpondet ſuo originali. Datum Matriti die 29. Maij, anno 1655.

Doct. D. Franciſcus Murcia de la Llana

SVMA DE LA TASSA.

TASSARON los Señores del Conſejo Real eſte Libro intitulado *De Iure Academico* compueſto por el Padre Andres Mendo de la Compañia de IESVS à cinco marauedis cada pliego, y à eſte precio mandaron, ſe vendieſe, y no à mas, como conſta de la certificacion, que dello dio Don Ioſeph de Arteaga Cañizares Secretario de ſu Mageſtad, ſu fecha à 15. de Iunio, de mil y ſeiſcientos y cinquenta y cinco.

DOCTORIS

DOCTORIS DON ANTONII GRAÑA, ET NIETO, in Salmanticenſi Academia Primariæ Iuris Pontificij Cathedræ Moderatoris, ac in Collegio Doctorum Sacrorum Canonum Decani, Regis à Conſilijs in Gallæciæ Senatu. Sponta-neum de hoc opere iudicium.

NOBILISSIMAM Operis de Iure Academico Tractationem vidi, ſuſcepi, non inuitus toto mentis conatu perluſtraui, ſed ſuauiſsimâ quæſtionum aura allatus, velut totam Arabiam ſpirantem, ſum odoratus. Hunc ſanè omnigenæ eruditionis faſciculum emunctæ naris Proceres odorentur, cernant, euoluant; eòque gratiùs, quò eis Authorem lubet proferre R. Patrem Andream Mendo è Societate Ieſu, Theologiæ, & ſacræ Paginæ per plures annos Profeſſorem, & pro Supremo Sanctæ Fidei Tribunali Cenſorem; Virum optimum, ſapientia, nitidum cultu inſignem, in noſtra Academia procreatum, quem noſter animus indicat, & viuidiùs hoc Opus magnum, & rarum demonſtrat. In opere, & Authore vidiſſe dicam totam Academiam. Verius, & vberius teſtimonium hoc eſt, quàm illius Antiphanis, qui Philoſophum illuſtrem plurimo verborum ornatu commendans, addidit; *Sed quid neceſſe eſt plura dicere? Ipſam video Academiam.* Gratulationis officium omnes Academici tanti Operis Scriptori tenemur perſoluere pro eximio in publicam rem collato beneficio. Nec ſolùm ei è Muſarum penetralibus, ex ſede Mineruæ laurus deducta adaptatur, ſed pro hoc & alijs eximijs laboribus, pro moribus caſtis, pro actibus ſtrenuis, celſioris loci præmium debetur. Triumphalia ſerta quis negauerit? Nullus. Nec Cæſares, nec Pontifices: quorum reſcripta, & decreta miro ordine theſaurizat, exponit, & cõponit. Nec Academiarum Theatra, quarum mores, & honores, vt æternùm glorientur, recti cuſtos, imitator honeſti, ad viuum obſeruat. Princeps ergo in orbe, Salmantina noſtra, ſtrenuiſsimo Oratore, ac Scriptore, vtpotè dilectiſsimo alũno cõgaudeat, Dijs, hominibuſq; plaudentibus, id eſt, Magiſtris in ſacra Sophia, & in vtroque Iure Doctoribus. Vos ſcientiæ Principes, & altores ſapientiæ *Laudabile Heraclyti dictum monet; Introite, nam & hic Dij ſunt, id eſt, quæſtiones, ex quibus omnia arcana myſteria Vniuerſitatum licebit haurire.* Tu carpe lauream, & ad Hiſpaniæ decus, ſuſceptum perfice munus; Tecum Martialis alloquitur. *lib.* 1. *Epigram* 7o.

Ede tuos tandem populo, fauſtoſque libellos,
Et cultum docto pectore profer opus.
Quod nec Cecropiæ damnent Pandionis arces,
Nec ſileant noſtri, prætereantque ſenes.
Ante fores ſtantem dubitas admittere famam,
Teque piget curæ præmia ferre tuæ?
Poſt te victuræ, per te quoque viuere chartæ
Incipiant.

Salmanticæ, in Muſæo noſtro, firma manu hæc fœdera faxo. Die 20. Iulij, anno ſalutis 1654.

Doctor D. Antonius Graña & Nieto.

¶ DOCTO

DOCTORIS DON PETRI VIRTO DE LEZAMA, Primariæ Cathedræ Iuris Cæsarei in Salmantina Academia Anteceſſoris, de hoc Opere familiaris, ac vltronea epiſtolaris cenſura.

PERLEGI lubens Tractationis huius non ſumma dumtaxàt Capitum faſtigia: (vt eſt Cenſoribus familiare, qui ſine delectu cẽſent;) minutiora perlegi, ſi quæ grandia non ſunt in hac ſparta litteraria, pellectus rei ſeria, & venuſta varietate, quæ nuncupari meritò debet illicium oculi, delicium ingenij. Ius Academicum ſollerti, & erudita ſpeculatione luſtratur, imò perlucido illuſtratur hocce Commentario. Opus ſanè à nullo antè pro dignitate diſcuſſum, etſi ab aliquo, perfunctoriè; vnde iam obſcuris præfulget lux ab vnico Sole. Miratus ſum, fateor, doctrinam tuam, proprio ſemper amne perfuſam, neque alio genere aquarum ſolitam clareſcere, quàm quas ipſe proprius, & domeſticus aduexit labor, ſecurus Poli, nec indigus venti, externæve mercis, aut Iouis, vt de Nilo ſentiunt Plinius *in Panegyric. ad Traianum*, & Claudianus *in Epigrammat.* Stillarunt interdum in caſum, roris inſtar, Interpretes Academiarum Iura, ſed tam leuiter, vt vix ad fructum ſufficeret; omia tamen irriganti orationis tuæ debentur fluuio. Deſiderabat Academia noſtra, aliarum omnium conſenſu Princeps, de Iure ſuo Diſſertatorem, & iure optimo deſiderabat; verecundum enim erat, à nullo ei ſuũ rependi ius, quæ omnibus Iura dat, & Leges; alto fuerat inuoluta ſilentio debita Salmantinis Profeſſoribus gratitudo; quouſque fati beneuolentia ex aſſe debitũ eleganti Muſarum fœnore perſoluit. Lector, quiſquis es, nihil Author reliquit intactum, quod quadantenus valeat Academiam, & eius Scholares concernere, ſiuè ad Forum, ſiuè ad Polum. Omnia iudicij pondere librat: emunctè examinat: dextrè, & doctè reſoluit: Scholarem depingit perfectum, ſcholaſticæ diſputationis ideam ad virtutis reuocans praxim. Nec calamus Religioſi Viri, effrænandis prauis iuuentutis moribus dediti, inter acriora ingenij certamina deſtitit ab inſtituto. Magnus es vir. *Sed vnde ſcio?* dicebat Seneca *de Prouidentia*) *ſi tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis.* Ad exhibendum ſi tecum agamus, excipies de recondita Theologiæ Scholaſticæ, & Moralis ſcrutatione, de ſacræ Paginæ notitia, de exquiſita Patrum lectione, de Iuris elimata ſcientia; nec exceptio vlla replicatione elidetur. Vir tandem ad omnia, raro ſyderum influxu, natus; quem effigiauit Claudianus *in Conſulatu Manlij Theodori;*

Et vitæ pars nulla perit; quodcumque recedit
Officio, incumbit ſtudijs, animuſque viciſſim,
Aut curam imponit populis, aut otia Muſis.

Vale, Salmanticæ, die 18. Octobris, anno ſalutis 1654.

Doctor Don Petrus Virto de Lezama.

LECTO-

LECTORI.

Operis ratio, & methodus.



ER plures verſatus annos in Academijs, præcipuè in Salmanticenſi, cæterarũ Principe,& toto terrarum Orbe celeberrima, varia,ac frequẽtia dubia occurrere notaui,tum circa Academias, & earum Senatum,Magiſtratuumque iurisdictionem,ac eius vſum,tum circa Profeſſores,Candidatos,& Studioſos litterarum, quorũ plura, etſi diſperſa apud Authores reperiantur,tamen nec in vnum collecta,nec pro dignitate diſcuſſa,nec ea omnia,adhuc diuiſim agitata,inueniuntur. Decreui ergo hunc elucubrare Tractatum,in quo Hiſtoricè, Politicè,Moraliter,& Iuridicè,cuncta compleetor;Rem,credo,totam exhauſi,quin aliquid non libatum omittam; Etenim quæſtiones omnes,de quibus eſſe ſolet controuerſia,& cæteras alias,quæ incidere poſſunt,pluresq;à me excogitatas,congeſsi,vt facilè dein ceps præ manibus habeatur,quidquid & pro conſcientiarum exoneratione,ac medela,& pro foro externo deſideretur. Opus,quà potui,claritate,ac breuitate confeci, vt nec volumine moleſtũ, nec obſcuritate euaderet iniucundum. In tres libros diuiſi materiem;In primo ea dirimũtur,quæ ad ipſas Academiarum Cõmunitates,ſeu Senatus,eorumque Superiores,ac Iudices, & Collegia attinent;In ſecundo,quæ ad Magiſtros, Doctores, Togatos, Profeſſores,ac Candidatos;In tertio,quæ ad Scholaſticos, litterarum Studioſos,ſpectant. Labor quidem Confeſſarijs, Theologis,ac Iuriſprudentibus valdè vtilis;nec dumtaxàt his,qui in Academijs verſantur,ſed & quibuſvis alijs,qui litteras docent,vel ediſcunt. Improba ſollertia, accurata meditatione, ac Authorum lectione quæſtionibus ſatisfacere curaui; Viroſque Sapientiſsimos in vtraque litteratura frequenter conſului. Optarem, vt ea benignitate,qua meus ſuper Bullam Cruciatæ tomus ab omnibus fuit exceptus,& hoc etiam exciperetur opus,in quo mei iudicij minimè tenax à quoque doctiori gaudebo emendari. Id pro Indice rerum aduertas,vt facilius euoluatur tractatus, ſolùm ap

poni librum,& numerum ; nam ſub vnoquoq; libro omnes quæſtiones vno numerorum cõtinuo filio texuntur. Duplicem præfigo Indicem: alium Quæſtionum;alium Rerum;hic ad Operis finem,ille ſtatim nunc in exordio reperietur;vt quiſquis eum prælegat,vno quaſi ictu totam huius Tractationis materiem per cõpendium calleat. Deinde quia ab Academijs Hiſpanis, & à pluribus etiam externis, emiſſum fuit iuramentum defendendi piam opinionem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ,idemque emittitur ab Studioſis Gradus litterarios accipientibus,id iuramentũ in Appẽdice poſt tres libros relatos appoſito,explano,& opportunè pro re nata Epilogum fundamẽtorum,quæ pium adeò Myſterium manifeſtè conuincunt,eiuſque proximam ſuadent definibilitatem,annecto;quod nulli,ſpero,fore videndũ ingratũ, quin potiùs & pro reipſa,& pro dilucida amœnitate gratiſsimũ. Deinde,dum quæſtionem elaborarem de Collegijs Maioribus Salmãtinis,vtrùm Eccleſiaſtica,an ſæcularia eſſent, de eaque Viros doctiſsimos conſulerem,ex eis vnus clariſsimus D. Alfonſus Vazquez de Prada,tunc Maioris Collegij Sancti Saluatoris Oueten ſis Rector,viuidè,acriter,& eruditè contendens, ſuum prædictũ Collegium eſſe Eccleſiaſticum,eſto cætera non eſſent,epiſtolarẽ Anæreſim iuridicã mihi conſcripſit,quã poſt eiuſmodi Appendicem præfixi;tum quia,dum eam quæſtionem *in libro primo* exagito,à deciſione *illius* circa Collegium Maius Ouetenſe abſtineo, rem totam ad Doctiſsimum Virum deferens;tum quia eius Nomine,& Diſſertatione Tomus hic redderetur illuſtrior. Demùm id animaduerſum exopto,me fuſiùs de Academia Salmanticenſi, & de ipſius quatuor Collegijs Maioribus,quàm de cæteris, agere(quod mei muneris,& officij fuiſſe,ſuis locis oſtendam)ſed nihil ferè,dum hiſtorica demas,de eis diſcutitur, quod alijs nõ poſſit aptari,ſi quæſtionum deciſionem dumtaxàt attendas. Attamẽ præter ea,quæ ad Salmantinos ſpeciatim ſpectant, cætera cũctis Academijs,& Studioſis omnino congruũt. Si verò quidquã hiſtoricum de externis Vniuerſitatibus à vero diſcrepet, id non mihi imputandum fuerit,cum Authorum melioris notæ de ipſis diſſe
rentium veſtigijs inhæſerim, nec vlla alia inueſtigatione
Academiarum in tota Europa vigentium extructio,
& claritudo valuerit explorari.

INDEX QVAESTIONVM.

Liber primus Selectarũ quæstionum ad Academias, earumq; Senatum, Superiores, ac Iudices, & ad Collegia spectantiũ.

QVÆST. 1. Quid sint Academiæ? quæ earum diuersitas? quæ vtilitas?

Quæst. 2. Quæ sint Academiæ in Italia, & Sicilia? Vbi aliqua de illis libantur.

Quæst. 3. Quæ Academia sint in Gallia? Vbi non pauca de illis attinguntur.

Quæst. 4. Quæ Academiæ sint in Germania, Bohemia, Polonia, & Dania? Vbi plura de eis præstringuntur.

Quæst. 5. Quæ Academiæ sint in Anglia, Scotia, & Hybernia? Vbi nonnulla de eis breuiter annotantur.

Quæst. 6. Quę Academiæ sint in Hispania, & America? Vbi celebriora de illis proponuntur.

Quæst. 7. De Academia Salmanticensi, eius institutione, ac priuilegijs.

§. 1. Academiæ huius commendatio, & erectio.

§. 2. De priuilegijs, ac immunitatibus Academiæ Salmanticensi concessis.

§. 3. De Cathedris in Academia Salmãticensi institutis ad Scientias docendas.

§. 4. De regimine Academiæ Salmanticensis, eiusque Magistratibus, ac speciatim de Rectore.

§. 5. De Scholastico, seu Magistro Scholæ Academiæ Salmãticẽsis. Vbi de Iure Patronatus Regũ Hispaniæ circa Ecclesias.

§. 6. Alia de Scholastico, seu Magistro Scholæ Salmantino traduntur. Vbi de munere Cancellarij.

§. 7. De Vice Cãcellario Academiæ Salmãticẽsis. Vbi aliqua attingũtur de redditibus, ac sũptibus, & de Ministris Academiæ.

§. 8. De Iudice studij, seu Vicario Magistri Scholæ Salmantini. Vbi, an Magistratus Academiarum possint mutare sedẽ Tribunalijs?

§. 9. De Communitatibus, quæ sunt sub Academia Salmanticensi.

De quatuor Collegijs Maioribus Salmantinis.

De cæteris Communitatibus Salmanticensibus.

§. 10. De Collegio Regio Societatis Iesu Salmanticensi.

Quæst. 8. An Academię sint Ecclesiasticæ, vel sæculares, & Iudices earũ gaudeãt iurisdictione Ecclesiastica, vel sæculari?

§. 1. Proponitur quæstio.

§. 2. Deciditur quæstio de iurisdictione, & qualitate Academiarum, an sæcularis sit, an Ecclesiastica?

§. 3. De Collegijs, an sæcularia sint, an Ecclesiastica? Vbi aliæ quęstiones diluũtur.

§. 4. De censuris prolatis à Iudicibus Academiarum, & de appellatione ab eorum sententia ad alios Iudices.

§. 5. An Reges suam iurisdictionem in fauorem Ecclesiasticæ iurisdictionis erga Academias donauerint?

Quæst. 9. Qui actus pertineant ad iurisdictionem Ecclesiasticam, & qui ad sæculare respectu Academiæ? Vbi de suffragijs Scholasticorum ad Cathedram prouisionem.

Quæst. 10. De Gradibus, seu honoribus Scholasticis, qui in Academijs cõferuntur.

Quæst. 11. De dignitate, et potestate Bachalaurei, Licẽtiati, Magistri, seu Doctoris.

Quæst. 12. Quid sint Doctores Bullati, seu ex priuilegio, et quid circa illos statutũ?

Quæst. 13. Quę priuilegia, et immunitates cõcessæ fuerint Magistris, et Doctoribus?

§. 1. Aliqua priuilegia recensentur.

§. 2. Alia priuilegia Doctoribus concessa circa dignitatem, et nobilitatem examinantur.

§. 3. Alia priuilegia cõcessa Doctoribus, et Magistris exponuntur. Vbi de Insignibus, et toga Doctorum.

§. 4. An, et quibus cõpetãt priuilegia cõcessa Doctoribus, Magistris, ac Studiosis?

§. 5. An ad vxores, filios, ac nepotes extendantur priuilegia concessa Doctoribus, ac Studiosis?

§. 6. Ad quos alios extendantur priuilegia Academicorum?

Quæst. 14. An expediat assumere Gradus Doctorũ, aut Magistrorũ? Vbi aliqua de illis exornantur circa nuncupationem, et originem.

Quæst. 15. Quàm rigorosè debeant examinari, qui ad Gradus Doctoratus, et Magisterij assumuntur? Et quid præstare debeãt? Vbi de Doctoribus à Supremo Principe creatis, & de ætate ad Gradus requisita.

Quæst. 16. An accipere Gradus Licentiatus, & Magisterij Religiosos Societatis Iesu in Academia Salmanticensi, Cõplutẽsi, seu qualibet alia, sit contra Institutum, aut aliquã Cõstitutionem, seu præceptũ ipsius Societatis?

§. 1. Statuitur aſſertum.

§. 2. Pius IV. in Bulla *Exponi nobis, &c* non contradicit ſuſcipiendis Gradibus in Academia Salmantina, Complutenſi, & qualibet alia, à Religioſis Societatis Ieſu.

§. 3. S. Parens Ignatius commendans paupertatem ſeruandam in Gradibus non prohibet, eos ſuſcipi in Academia Salmantina, & in qualibet alia.

§. 4. S. Parens Ignatius non prohibet Gradus in Academia Salmantina, nec in vlla alia, dum negat ſuis determinatas ſedes in Academijs.

§. 5. Conſtitutiones prohibentes Religioſis Societatis Ieſu accipere ſtipēdia pro Miniſterijs non opponuntur promotioni ad Gradus in Salmantina Academia.

§. 6. Conſtitutiones Societatis Ieſu prohibentes ſuſcipere ſæcularia negotia non aduerſantur promotioni ad Gradus in Salmantina Academia.

§. 7. Non impugnatur ius accipiendi Gradus in Salmantina Academia ex eo, quòd Roligioſi Societatis Ieſu per plurimos annos non acceperint illos.

Quæſt. 17. An Religioſi Societatis Ieſu poſſint eſſe Oppoſitores ad Cathedras in Academijs?

Quæſt. 18. Quæ Gradus inſignia ſint allaturi in Actibus publicis Religioſi Societatis Ieſu promoti in Academia Salmantina, & in qualibet alia?

Quæſt. 19. An Religioſi è Societate Ieſu in Academia Salmantina Magiſterij laurea donati poſſint in ea habere munus ViceCancellarij?

Quæſt. 20. An in Magiſtratibus Academiæ detur merum Imperium? Et quàm mites eſſe debeant in puniendis Studioſis.

Quæſt. 21. An, & in quibus caſibus Iudices Academiarum iuriſdictionem exercere valeant in Clericos Studioſos, etiam vbi Epiſcopus, eorum Prælatus, adeſt, & itē in alios exemptos?

Quæſt. 22. An in Tribunalibus Academiarum Regnorum Hiſpaniæ ad inſtrumēta conficienda vtendum ſit papyro ſignata?

Quæſt. 23. An Magiſtratus Eccleſiaſtici Academiarum fungantur aliqua poteſtate circa relaxationem votorum, & abſolutionem à caſibus reſeruatis erga ſuos ſubditos?

Quæſt. 24. An Iudices Academiarum ſint Ordinarij, an delegati?

Quæſt. 25. Ad quid teneantur Iudices Academiarum ratione ſui muneris, & ratione iuramenti præſtiti initio ſui officij? Vbi etiam etiam de obligatione Notariorum, Tabellionum, aliorumque Officialium.

Quæſt. 26. Quid ſint, & quam iuriſdictionem habeāt Cōſeruatores Academiarum? Vbi de Conſeruatore Academiæ Salmanticenſis.

Quæſt. 27. An Iudices Academiarum priuatiuam, vel cumulatiuam iuriſdictionem habeant; & an ſint mixti, vel ſolùm meri ſtatutorum Executores?

Quæſt. 28. An Ius Canonicum, & Ciuile, quod in Academijs traditur, habeat vim legis obligantis, & an Iudices teneantur illud ſcire?

Quæſt. 29. An Vniuerſitas, eiuſque Superior, Collegia, ac Rectores Collegiorū poſſint à litigantibus recuſari? Et an Examinatores ab Examinandis ad Grudus?

Quæſt. 30. An, & ad quem à Iudicibus Academiarum poſſit appellari?

Quæſt. 31. Qua authoritate poſſint erigi Collegia? Vbi aliqua de illis obſeruātur

Quæſt. 32. Quo pacto Academiæ, & Collegia in ſuis cauſis munus, Actoris, & Rei obeāt? Vbi aliqua de Actibus Iudicialibus ad eas pertinentibus libantur.

Quæſt. 33. Quæ bona poſſint habere Academiæ, & Collegia, & quos contractus facere?

Quæſt. 34. An Academiæ, & Collegia poſſint ex delicto, vel quaſi delicto obligari? Vbi aliqua Iura luce donantur.

Quæſt. 35. Quæ bonorum ſucceſſiones Academijs, & Collegijs competant?

Quæſt. 36. An Academiæ poſſint inducere conſuetudinem, & ſtatuta condere?

Quæſt. 37. An Academiæ, & Collegia in Regnis Hiſpaniæ debeant ſoluere Eccleſiaſticum ſubſidium, vulgò, *ſubſidio, y eſcuſado.*

Quæſt. 38. An Academiæ, & Collegia teneantur ſoluere gabellas ex contractibus, quos celebrant?

Quæſt. 39. An Academiæ poſſint imponere collectam ſoluendam à ſingulis Academicis?

Quæſt. 40. An Academiæ, & Collegia, quæ habent Ius patronatus, poſſint poſt primam præſentationem variare, & alium præſentare?

Quæſt. 41. An Academiæ gaudeant beneficio reſtitutionis in integrum?

Quæſt. 42. Quæ præcedentiæ in ordine ſedendi debeant obſeruari in Academijs, & Collegijs? Vbi de Academia Salmanticenſi,

censi, eius Rectore, ac Scholæ Magistro.

Quæst. 43. An Academicus Senatus possit mulctas, & pœnas infligere? Vbi de Rectore Salmanticensi; Deauocatione causarum, & de inhibitione Iudicum Academiæ.

Liber Secũdus, Selectarum, quæstionum, ad Professores scientiarum, Candidatos, & Togatos Academicos pertinentium.

QVÆSTIO 1. De vtilitate, munenere, & obligatione in communi edocentium Scientias.

Quæst. 2 Quę doctrina à Professoribus Scientiarum sit in Academijs edocenda?

Quæst. 3. An minus sufficiens, si accipiat Gradum Licẽtiati, Doctoris, aut Magistri, mortaliter peccet, ac pariter, qui eũ approbant?

Quæst. 4. An habiles sint ad Canonicatus obtinendos in Hispania, qui accipiunt Gradus in Academijs externis, si in Academijs Hispaniæ incorporentur?

Quæsti. 5 An qui Gradum Licentiati, Doctoris, aut Magistri suscepit, postquam subscripsit Oppositioni ad Canonicatum, sit habilis ad eum obtinendum? Item ad Cathedram?

Quæst. 6. Quis censendus sit præ cæteris benemeritus ad Cathedram obtinendam, vt pro illo suffragium, aut testimonium ferri debeat? Vbi plura concernentia attinguntur.

Quæst. 7. An Doctores, & Magistri in Theologia, seu in Iure Canonico sint ipso iure approbati ad audiendas Confessiones, vel possint ab Ordinario examinari?

Quæst. 8. Attingitur, & alium ad locũ remittitur, An Professores scientiarum deobligentur à recitatione Officij Canonici, aut auditione Missæ, cum Actus litterarios exercent? Vbi de auditione Missæ aliqua prælibantur.

Quæst. 9. Quibus in casibus Professores Scientiarum deobligentur à ieiunijs præceptis ab Ecclesia?

Quæstio 10. An Professores Scientiarum possint licitè verbo, & scripto, publicè, & priuatim eas docere Festis diebus etiam lucri gratia? &, an sit vsura, mutuare, vt audiantur?

Quæstio 11. An præstare, & accipere pretium pro Gradibus sit simonia?

Quæst. 12. An docere Scientias, & specialiter Theologiam, sit simonia, si pretio fiat?

Quæst. 13. Quomodo obligentur Licentiati, Magistri, & Doctores iuramento seruandi Statuta Academica?

Quæst. 14. An Candidatus Cathedræ, qui in lectione Oppositionis defecit, quin expleret horam, vel qui non legit eam lectionem, sit habilis ad Cathedram obtinẽdam?

Quæst. 15. Quæ conditiones, & qualitates requirantur in Candidatis? Vbi de nomenclatura Candidatorum.

Quæst. 16. Quid circa libros, & Commentaria hæreticorum Iurisprudentũ debeant obseruare Academici?

Quæst. 17. Qua obligatione seruandi secretum obstringantur Academici in Cõmunitatibus degentes, seu Togati?

Quæst. 18. Quo pacto admittendi in Collegia debeant esse oriundi ex determinato loco, diœcesi, aut Regno? Vbi de Rectore, & Scholastico Academiæ Salmantinæ Regnigena eligendo; & de Nomenclatura Scholastici.

Quæst. 19. Quæ statuta obligent Togatos ad culpam, & quæ solùm ad pœnã?

Quæst. 20. An erga Togatos cuiusuis Collegij habeat iurisdictionem ipsius Collegij Rector?

Quæst. 21. An Togati, quibus tempore ingressus in Collegia deerat aliqua conditio requisita in Constitutionibus, nempè ætas, paupertas, aut alia similis, teneantur restituere ipsis Collegijs alimenta, quæ percipiunt?

Quæst. 22. An Togati hospites teneãtur alimenta soluere Collegijs; & possint licitè, quandiu velint, in hospitio versari? Vbi aliqua de illis attinguntur.

Quæst. 23. An qui titulo falso Baccalaureatus ad Cathedras opponitur, vel aliud præmium ambit, ad quod ille Gradus est requisitus, peccet mortaliter, & teneatur, si obtineat, ad restitutionem? Vbi alia dubia deciduntur de Recitantibus extemporanee.

Quæst. 24. Quid concedatur per Bullã Eugenij VI. quæ vulgò vocatur *Eugeniana*, habentibus Præbendas, aut Beneficia Ecclesiastica circa perceptionem fructuum, & excusationem à residentia, dum in Salmanticensi Academia versantur; & quid sit necessum præstare ad fruẽdã eius Bul-

Bullæ priuilegio?

Quæſt.25. Quantum temporis debeant aſſiſtere Doctores, Magiſtri, & Licentiati Aſſertionibus litteratijs, aut quibus libet alijs Actibus, vt poſſint adquirere diſtributionem, vulgò *Propina*, quæ ſingulis eſt deſtinata? Vbi etiã de Magiſtratibus Academiæ idem deciditur.

Quæſt. 26. An Magiſtri, & Doctores vocati ad Conſeſſum, ſeu Clauſtrum peccẽt, ſi ei non aſſiſtant, quamuis excuſationis cauſa non detur?

Quæſt.27. Quantum temporis teneantur Lectionibus edocẽdis aſſiſtere ſingulis annis, qui Cathedras in Academijs moderantur; & vtrùm per ſubſtitutos muneri ſuo ſatisfacere queant? Et an materias dictare ab alio elaboratas?

Quæſt. 28. An Magiſtri, ſeu Doctores Academiæ, qui Religioſi ſunt, poſſint aſſiſtere publicè ſpectaculis agitationis Taurorum, cum Senatus Academicus ei ſpectando aſſiſtit?

Quæſt.29. An Religioſi, qui ſunt Magiſtri, aut Doctores in Academia, vel in ea Cathedram moderantur, ſi à ſuo Prælato Regulari à loco Academiæ extrahantur, poſſint à Senatu Academico, ſiuè à Magiſtratu ipſius Academiæ detineri, & impediri, ne exeant?

Quæſt. 30. An Religioſi poſſint regere Cathedras Medicinæ, aut Chirurgiæ, & artem Medicam, vel Chirurgicam exercere? Et an poſſint Artem Aſtrologiæ iudiciariæ, & alia diuinationũ genera exequi, aut docere?

Quæſt. 31. An Religioſi poſſint opponi ad Cathedras Iuris Pontificij, ſeu Canonici, necnon & Iuris Ciuilis; & vtrùm poſſint Iuri Ciuili addiſcendo in *Academijs* operam dare? Vbi alia dubia de Magiſtris Regularibus deciduntur maximè circa eſſemptiones.

Quæſt.32. An cauſa Studij ſit ſufficiens in his, qui tenentur ad recitandum Officium Canonicum, vt commutent vnum Officium pro alio?

Quæſt.33. An excommunicatus, licitè, & validè poſſit promoueri ad Gradum Magiſterij, aut Doctoratus, & ad Cathedram moderandam, ac ad Collegij Togam?

Quæſt.34. An Regulares, Magiſterij, aut Doctoratus Gradu inſigniti teneãtur poſcere licẽtiam à Superiore, quoties domo exeunt ad *Actus* proprios *Academiæ*, aut ab eo poſſint compelli ad illam poſcendã?

Quæſt.35. Qua pompa funerali, & quo habitu ornati ad ſepulchrum ſint efferendi Magiſtri, Doctores, & Togati, qui è viuis decedunt.

Liber tertius. Selectarum quæſtionum ad Scholaſticos pertinẽtium.

QVÆSTIO 1. Quàm digni commendatione, honore, & patrocinio ſint Scholaſtici, & in communi quãtis priuilegijs gaudeant?

Quæſt. 2. De priuilegio fori Studioſorum. Vbi aliqua dubia circa illud decidun tur, & de diætis agitur.

Quæſt. 3. Alia dubia circa forum Studioſorum deciduntur: & circa iuriſdictionem Magiſtri Scholæ Salmantinæ erga Religioſos.

Quæſt. 4. Quinam non Studioſi fori priuilegio gaudeant? Vbi etiam de fideijuſſoribus Studioſorum.

Quæſt.5. Quę aliæ perſonæ foro Studioſorum gaudeant?

Quæſt.6. Quando, & in quibus caſibus amittatur forus Studioſorum?

Quæſt.7. De alijs priuilegijs, quæ conceſſa ſunt Scholaſticis.

Quæſt.8. Qui ſint Studioſi, & quæ conditiones requirantur, vt priuilegio fori, et cæteris immunitatibus gaudeant? Vbi de nomenclatura Scholaſticorum, et Scholarium.

Quæſt.9. Quæ ſint obligationes in cõmuni Scholarium?

Quæſt. 10. Ad quid obliget Scholares, et alios Academicos pœna præſtiti iuramenti de obediendo Rectori?

Quæſt.11. An Scholaſticus promoueatur validè, et licitè ad Gradum Bacchalaureatus afferens litterarios aliquos Curſus falſos, aut deficiente ei aliquo requiſito ſecundùm Academiæ ſtatuta?

Quæſt.12. An in *Academijs*, vbi ius ſuffragij ad Cathedras habent Scholaſtici, poſſint illud præbere, ſi ſolùm habeant aliquem Curſum falſum, aut eis deſit aliud requiſitum ab *Academiæ* Statutis; et an reſtituere teneãtur, ſi cauſa ſint, vt aliquis Cathedram amittat?

Quæſtio 13. Quantum temporis, et in quibus lectionibus et quomodo, Scholaſtici inſumere debeant, vt eorũ annui Curſus poſſint probari?

Quæſt. 14. An Scholaris, qui bona fide alias lectiones audiuit ab his, quæ in Statutis ſunt deſignatæ, poſſit licitè Curſum litterarium probare?

Quæſt. 15. Quæ lectiones in quauis Facultate debeant in vnoquoque Curſu litterario ab Scholaribus audiri in Academia Salmantina, vt Curſus annus licitè poſſit probari?

Quæſt. 16. An Scholaſtici poſſint diebus Feſtis tranſcribere lectiones, & codices, tum ad diſcendum, tum lucri gratia?

Quæſt. 17. Quos contractus facere queant validè Scholaſtici?

Quæſt. 18. An, & quomodo liceant Scholaſticis ſponſiones circa eum, qui obtenturus eſt Cathedrã: Hiſpanè *las apueſtas*: & circa alia ad ingenium ſpectantia?

Quæſt. 19. Quam quantitatem poſſint exponere ludo Schnlaſtici, & quam lucrari abſq; onere reſtitutionis, & à quibus?

Quæſt. 20. An Scholaſtici, & Academici habentes Beneficia Eccleſiaſtica, aut Præbendas excuſentur à reſidentia, & faciant fructus ſuos?

Quæſt. 21. An, Scholaſticus iter faciens à loco Academiæ ad ſuam patriam, ſi præuideat, non poſſe in ea adimplere præceptum Communionis tempore Paſchatis, debeat eam anticipare in loco, vnde exit?

Quæſt. 22. An Scholaſtici exiſtentes in Academijs teneantur obſeruare leges, & præcepta etiam ſub cẽſuris impoſita, quæ in ipſorum patria ſeruantur?

Quæſt. 23. An Scholaſtici, & Academici teneantur obſeruare leges ſpeciales eius loci, in quo ſtudent, quæ in ipſorum patria non obſeruantur?

Quæſt. 24. An Scholaſtici, & Academici, dum veniunt ad Academiam, & redeũt ad patriam, teneantur obſeruare leges ſpeciales locorum, per quæ tranſeunt?

Quæſt. 25. An Scholaſtici, & Academici teneantur audire Sacrum in Feſtis inſtitutis ab Vniuerſitatibus, quæ ab Eccleſia non obſeruantur?

Quæſt. 26. An Scholaſticus, qui tenetur ad recitandum Horas Canonicas, aut Officium paruum, excuſetur à recitatione eo die, quo Concluſiones publicè defendit: & item ab auditione Miſſæ, ſi ſit dies Feſtus?

Quæſt. 27. Qui Scholaſtici, & quando excuſentur à ieiunio?

Quæſt. 28. An & quomodo obligent Scholaſticos iuramenta, quæ emittere ſolent, non ludendi, & non mutuandi?

Quæſt. 29. Quando incurrant Scholaſtici irregularitatem ex iurgijs? Vbi de duellis.

Quæſt. 30. Quomodo incurratur irregularitas in dubio homicidij? Vbi fit interpretatio ad aliquos Textus Iuris Canonici.

Quæſt. 31. An, & qui Scholaſtici, & Academici delinquentes gaudeant aſylo, ſeu iure immunitatis Eccleſijs conceſſo?

Quæſt. 32. An Scholaſtici, & Academicij priuilegio fori Eccleſiaſtici gaudentes poſſint in criminalibus, & in ciuilibus cauſis à Iudice ſæculari trahi ad iudicium, ſi Academiæ Iudex ſit ſolum ſæcularis?

Quæſt. 33. Quæ obſeruari debeant, ſi Scholaſtici extra patriam ſuam in loco, vbi ſtudent, matrimonium contrahant?

Quæſt. 34. An Scholaſtici, quibus ſub pœna excommunicationis prohibentur aliqua arma, veſtium genera, & eiuſmodi alia, eam incurrant, ſi ea arma, aut veſtes afferant, aut habeant?

Quæſt. 35. Quis poſſit abſoluere à cenſuris, quarum abſolutionem ſibi reſeruat Iudex Academiæ?

Quæſt. 36. Secluſa prohibitione Iudicis Academiæ, an, & quod peccatum ſit, ornari Scholaſticos veſtibus pretioſis, aut profanis?

Quæſt. 37. An Schelaſtici teneãtur impedire amicis, aut famulis, ne iniuriam alicui quam irrogent, ſub obligatione iuſtitiæ, & reſtitutionis?

Quæſt. 38. An Scholaſtici teneantur reſtituere, quæ à Tyronibus accipiunt titulo donatiui, vulgò *Patentes*, *y barbas*?

Quæſt. 39. An Scholaſtici poſſint pro libito alienare, quæ ſibi ipſis ex alimentis ſubtrahunt; & quas valeant eleemoſynas erogare?

Quæſt. 40. An Scholaſtici degentes in loco Academiæ teſtamentũ condere poſſint, & donare cauſa mortis? Vbi de ingredientibus Religionem.

Quæſt. 41. An, & quod peccatum ſit, impedire Scholaſticos, ne Religionem ingrediantur, aut obſtacula opponere, quibus ingreſſus retardetur, & quæ inde obligatio impedientibus, & diſſuadentibus oriatur? Idem quæritur de impedientibus, ne alia opera pietatis frequentent, aut exequantur.

Quæſt. 42. An Scholaſtici contrahant domicilium, aut quaſi domicilium in loco Academiæ; & quod tempus in eo ſint verſa-

verſatur ad illud contrahendum?

Quæſt. 43. Quibus pœnis poſſint Studioſi puniri ob ſua delicta à Magiſtratibus Academiæ?

Quæſt. 44. An, & quod peccatum ſit, Scholaſticos publicè per locum, in quo eſt Academia, acclamare ſuam Nationē, aut aliquem ex illa, vel ex alia, Hiſpanè *ſalir à Victor*? aut in ipſa Academia armatos ei plauſus facere, vulgo *Corro*?

Quæſt. 45. An, & quod peccatum ſit, Scholaſticos impedire lectiones aliquibus diebus ante Feſtum Natiuitatis Domini, & ante Bacchanalia?

§. Vnicus Qui ludi, & recreationes deceant Scholares?

Quæſt. 46. Quantum temporis teneantur Studio vacare Scholaſtici, vt ſuo muneri ſatisfaciant; & vtrùm peccatum lethale ſit, Studium priuatum omitttere?

Quæſt. 47. An Studioſi, ſi in loco Academiæ detur interdictum, aut ceſſatio à diuinis, & in aliqua Eccleſia nō detur, teneantur audire Sacrum in illa diebus Feſtis? Vbi de priuilegijs conceſſis Academiæ Salmantinæ tempore interdicti.

Quæſt. 48. An ſola Studij cauſa ſit ſufficiens, vt Studioſi diebus Quadrageſimalibus abſque priuilegio Bullæ Cruciatæ veſcantur ouis, & lacticinijs; Et vtrùm poſſint eis veſci, atque alijs Bullæ priuilegijs vti, cum probabilitate, quòd in ipſorum patria Bulla pro ipſis fuerit accepta?

Quæſt. 49. An Studioſi, ſi aliquem filiū extra matrimonium habeant, teneantur ei alimenta præſtare, & à quo tempore? Vbi de caſtitate ab Studioſis ſeruanda.

Quæſt. 50. Vbi debeant, aut poſſint ſepelari Scholaſtici extra patriam in loco Academiæ decedentes è viuis?

Quæſt. 51. An Fœminæ poſſint Studijs literatū publicè incumbere, eaſq; docere?

Quæſt. 52. Remiſſiones Authorum, qui de materia totius huius tractatus diſperſim agunt.

Appendix de voto, ſeu iuramento, quod ab Academijs, & ab Studioſis emitti ſolet defendēdi piā Opinionē de Immaculata Conceptione Deiparæ VIRGINIS.

§. Vnicus. Huius iuramenti materia obligatio, neceſſitas iuſtitia, & veritas.

Epilogus fundamentorum, & rationum, quæ ſolidè, & efficaciter ſuadent Immaculatam Virginis Conceptionem, eiuſq; proximam definibilitatem.

§ I. SVPPONITVR, & declaratur quæſtio.

§ Conceptio Immaculata Deiparæ ſuadetur fundamentis, quæ ſuggerit ratio à Fide inſtructa.

§ 3. Immaculata Virginis Conceptio ſtabilitur celebritate, & approbatione Eccleſiæ Vniuerſalis.

§. 4. Deiparæ Conceptio Immaculata firmatur authoritate, & teſtimonijs Summorum Pontificum.

§. 5. Virginis Conceptio Immaculata roboratur teſtimonijs, ac authoritate Conciliorum. Et ſpecialiter pro ea expenditur Tridentinum.

§. 6. Immaculata Conceptio Mariæ Virginis probatur communi ſuffragio Sanctorum Patrum, ac Eccleſiæ Doctorum

§. 7. Conceptio Immaculata Virginis firmatur traditione, & antiquitate, ac approbatione Sanctæ Fidei Tribunalium.

§. 8. Deiparæ Immaculata Conceptio roboratur Reuelationibus, & Miraculis.

§. 9 Immaculata Conceptio Virginis firma redditur voce populi, iuramento Communitatum, ac Academiarū, & Authorum conſenſu.

§. 10. Diuum Thomam non eſſe cōtrarium opinioni piæ de Immaculata Cōceptione Deiparæ, in ipſius Angelici Præceptoris obſequium probatur.

§. 11. Nec Patres, aut Eccleſiæ Doctores aduerſantur piæ opinioni de Immacula Conceptione Beatæ Mariæ Virginis.

§. 12. Nec omnes è Sacro Ordine Prædicatorum diſſentiunt opinioni piæ de Immaculata Conceptione Deiparæ. Nec id definitioni huius veritatis obſtare videtur.

§. 13. Nec eneruatur opinio pia de Immaculata Cōceptione Virginis ex eo, quòd alijs retrò ſæculis illam aliqui Authores impugnauerint, cum ſemper fuerint reiecti.

§. 14 Nec Summi Pontifices opi-

nioni

nioni impugnanti Conceptionem Immaculatam Virginis vnquam fauerunt, nec pro illa Decreta expedierunt.

§. 15. Nec Diuus Paulus vllo modo contrariatur opinioni piæ de Immaculata Deiparæ Conceptione.

§. 16. Opinio pia de Immaculata Virginis Conceptione habet omnem certitudinem necessariam, vt ab Apostolica Sede definiatur.

§. 17. Pia opinio de Immaculata Deiparæ Conceptione habet cætera omnia requisita necessaria, vt ab Appstolica Sede definiatur.

§. 18. Authoritate roboratur, opinionem piam de Immaculata Virginis Cõceptione esse proximè ab Apostolica Sede definibilem. Et diluitur, quidquid cõtra id potest opponi.

Academiarum, & Studiosorum proclamatio ad Summum Pontificem pro definiendo Mysterio Immaculatæ Conceptionis Deiparæ

Anæresis epistolaris domestico iuridica de Iure Ecclesiastico Salmantini Collegij Maioris Sãcti Saluatoris Ouetensis, ad huius Operis Authorem.

LIBER PRIMVS

DE IVRE ACADEMICO SELECTARVM QVAESTIONVM AD ACADEMIAS, EARVMQVE SENATVM, SVPERIORES, AC IVDICES, ET AD COLLEGIA SPECTANTIVM.

Tribus libris opus hoc de Iure Academico clauditur. Primus continet quæstiones, quæ ad ipsas Academias in communi, atque ad earum Superiores, ac Iudices, & Collegia spectant. Secundus eas, quæ ad Professores scientiarum, & Candidatos Cathedrarum concernunt. Tertius demum illas, quæ ad Scholasticos pertinent. Sic ordo doctrinæ seruatur, totaque materia exhauritur.

Quæstio I. Quid sint Academiæ? quæ earum diuersitas? quę vtilitas?

1 LITTERARVM studia apud Græcos in primis olim effloruisse nulla non Scriptorum pagina declamat. Philosophorum nomen ibi primum auditum celebritatem sibi per orbem comparauit. Illi diuersa cognomina fuere sortiti: vel à Magistro, & doctrina, quam sequebantur; vel à ciuitatibus, in quibus disciplina addiscebatur; vel à locis, vbi sita erant gymnasia; vel demum ab aliquo eueniu, aut etiam ab habitu, fastu, seu ignominia. Hinc cognominati sunt Philosophi Elienses, Megarenses, Cyrenayci, Academici, Stoici, Peripatetici, Cynici, Socratici, Epicurei, & huiusmodi alij, ab aliquo ex præfixis capitibus nuncupatione desumpta.

2 Inter reliquas Græciæ vrbes vigebant Athenæ, ibique frequentior erat disciplinarum inuestigatio. Quare & nunc Athenæum vocare solemus ipsam Vniuersitatem; aut etiam gymnasium; quin & Bibliothecam propriam suum vocat quisque Athenæum. Extra ipsam vrbem Athenas locus iacebat nemorosus, in quo scholam instituit Ecademus; & ab institutore denominatione tracta, primaque littera mutata, dicta fuit *Academia*, &, qui in illa disciplinis litterarum incumbebant, *Academici* sunt appellati. Inde ad nostra vsque sæcula nomen idem est deriuatum, quo celebriores scholas nominamus. Et cur potius ab ea Ecademi schola, quam ab alijs Græcorum, vox fuerit emendicata, quæstio est nullius momenti; cum in applicatione primæ vocum, qualibet conuenientia apparente, pro libito potuerit illa designari; nec incongruè quidem, cum illa schola Ecademi iuxta Athenas litteris celeberrimas extiterit, & absque dubio inter primas Græcorum valeat annumerari.

3 Vocantur etiam scholæ publicæ, celebres, *Vniuersitates;* vel nuncupatione desumpta ab vniuersis scientijs, quæ in eis edocentur; vel, si non omnes scientiæ legantur, ab vniuersis tamen audiendæ, &

addiscendæ, aliquę traduntur. Apud alias nationes, vt apud Syros, Babylonios, Sinenses, Hæbreos, Ægyptios, Indos, & alios, publica etiam fuere gymnasia, in quibus, iuxta indolem, propensionem, & vtilitatem, litteræ edocebantur, diuersis vbique traditis institutis, & diuerso nomine Scholis indito. Nullibi autem, nec olim intra Romam, dum Orbi dominabatur, litteræ, ac studia effloruere, ac in Academijs, quæ nunc per totam Europā, & Americam vigent, tum docentium eruditione, ac numero; tum discentium frequentia, & qualitate; tum demum scientiarum multitudine, & veritate.

4 Academia ergo est Schola ad litteras publicè edocendas instituta, authoritate Pontificis, aut Principis Supremi erecta, aut confirmata, priuilegijsque munita, in qua gradus in scientijs dispensantur; de quibus gradibus agendum est inferius. Itaque non à quopiam licet erigi Academias, ne priuata authoritate instituantur, indeque occasio detur, vt non ad conseruandam veram religionem, & iustitiam, ac virtutes propagandas, sed potius ad labefactandam Ecclesiam, & vltia disseminanda, gymnasia fundentur. Itaque erigendæ Academiæ ius est penes Pontificem, & Supremos Principes, vt tradunt D.D. *in leg. Deo Authore, Cod. de veter. iur. enucl.* ac Interpretes communiter. Et quidem Iurisperitis celebre est, gradum Doctoris non posse alicui cōcedi, nisi authoritate Pōtificis, aut Principis Supremi, & cum hic gradus in Academijs præstetur, fit, eas, prædicta debere authoritate fulciri.

5 Quod equidem supponit, vt certum, Concilium Tridentinum *Sess. 5. de reformation. capit. 1. ad fin.* Vbi iubet institui, aut restaurari lectionem Scripturæ Sacræ in gymnasijs publicis, *Religiosissimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate, & charitate;* quasi non alij, nisi prædicti, & ipse Pontifex queant Cathedrarum regimina publica in Academijs instituere. Imo Athenis lege Sophoclis cautum erat, vt, neque scholæ erigerentur, nec Philosophus quisquam præesset disciplinis, absque authoritate Senatus. Videantur Glossa *in clementin. Dudum, de sepultur. capit. 2. de priuileg. in 6.* Tholos. *libr. 18. de Republica, cap. 1. 5. & 6.* Mandosius *Iur. reg. 13. quæstion. 7. & reg. 16. quæst. 20.* Azo *capit. de professorib. libr. 12. §. primo* Petrus Anchoranus *ad capit. cum de diuersis, de priuileg. libr. 6.* Socinus *capit. Quanto, extra de Magistris* Paulus Citadinus *de Iur. part. 1.* Alexander *consil. 74.* Iacobus Middemdorpius *tom. 1. Academiarum totius Orbis, libr. 1. capit. 1.* & alij decursu referendi, qui de Academijs, Professoribus, & Scholaribus scripserunt, vt Antonius Possevinus, Rebuffus, Antonius Perezius, Ioannes Iacobus Frischen, Horatius Lucius, Christophorus Besoldus, & Expositores *Authenticæ Habitæ, Cod. Ne filius pro patre, &c.*

6 Hinc constat, aliqua esse gymnasia publica, in quibus plures scientiæ edocentur, quàm in alijs scholis, & tamen has esse Academias, non verò illa; eo quod in illis nō detur facultas ad creandum Bacchalaureos, Licentiatos, Doctores, ac Magistros, sic vero in his, & præterea hę sint erectę, aut confirmatæ, priuilegijsque specialibus munitæ, à Pontifice, aut à Principe Supremo, non autē illa.

7 Et quidem non in omnibus Academijs omnes scientiæ edocentur; in aliquibus enim, vt in Salmanticensi, id præstatur; in ea namque Theologia, Scriptura Sacra, vtrumque Ius, Artes, & linguarum notitia traduntur ab omnibus addiscenda; in alijs verò aliquæ dumtaxat scientiæ determinatę præfiguntur. Vnde non omnes Academiæ possunt æquo iure nuncupari studia generalia, si ad scientiarum generalitatem attendatur; sed illę, in quibus omnium scientiarum documenta præstantur; Poterunt tamen minus rigorosè cæteræ etiam vocari studia generalia, quia scientię ibi traditæ omnibus generaliter dispensantur; sicut propter eandem rationem Vniuersitates vocari diximus. Cæterum non eisdem omnino immunitatibus, ac priuilegijs cunctæ Academiæ potiuntur, sed nonnullæ pluribus, ac maioribus, quàm aliæ, iuxta benignitatem Pontificum, & Principum, & iuxta ipsarum merita excellentiora. De quo decursu operis sępius agemus.

8 Vtilitates autem, quæ ex Academijs deriuantur, integer hic tomus recensere non posset, nec vllus adeò hebes, aut barbarus est, qui eas non cognoscat. Et in primis Fides Catholica, & Ecclesiæ suas habent in Academijs arces, ac munimēta, quibus se abhæresibus debacchātibus, ab erroribus, à doctrinis à veritate deuijs, protegūt, ac tuētur.

In-

Inde Sapientissimi prodeunt viri, qui per totum terrarum orbem sanam, ac veram disciplinam, quam didicerunt, & docuerunt, promulgent; hæreticos redarguant, & conuincant; idololatriam extirpent; Catholicos ad virtutes, ac salutem promoueant. Inde emittuntur, qui suis libris, & scriptis illustrent vniuersum; qui in Concilijs Prouincialibus, & Œcumenicis grauiora fidei, & morum momenta pertractent; qui ad insulas, ad purpuram, ad Sedem supremam euehantur, Ecclesiamque recto, ac sapienti moderamine gubernent.

9 Rursus, cum regna, & Principes, nisi legum, & iustitiæ mœnibus vallati, nequeant subsistere, ex Academiarum disciplinis iura populis, gubernatio Regnis, consilia Senatibus hauriuntur. Tota moles Reipublicæ his fundamentis incumbit; In se ipsa omnia ruerent, nisi iustitiæ leges ea in suo officio continerent. Vita, honor, & diuitiæ hominum sunt inuisceratæ cordibus; ast sine iure, sine legibus, sine iudicibus, nec vita esset in tuto, nec honor in plausu, nec diuitiæ in vsu. Quæ delicta non grassarentur? quod esset præmium virtutibus? quomodo se innocentes defenderent? quæ lites, quæ iurgia possent sedari? Cuncta sanè extremam paterentur ruinam, & miserrima sorte obuoluerentur.

10 Litteras, & arma esse Regnorum columen, munimen, & propugnaculum, nemo vnquam iuit inficias, & litteras adhuc magis interesse, quàm arma, plures declamationes à varijs Authoribus editæ demonstrant; & *Sapientiæ* 6. asseueratur. *Melior est sapientia, quam vires, & vir prudens, quàm fortis.* Nihil adeò decantatur in Scripturis sacris, quàm sapientia, & doctrina; hæc ergo in Academijs edocetur, & discitur. Nihil magis in honore prudentum est: nihil magis negotijs peragendis opportunum. Si litterarum documenta non essent, ò quàm bruteſcerent homines? quanta imminerent Fidei, Ecclesiæ, Reipublicæ, & priuatis quibusque damna, ac pericula! quantus deesset splendor humanæ vitæ, & ipsimet orbi!

11 Noscitur à fructibus arbor; & Academiæ à viris, quos procrearunt, dignoscuntur. Dederunt Academiæ insignes sapientiæ Viros, qui summi essent Ecclesiæ Pastores; qui purpuram decorarent; qui Ecclesiarum essent Præsules; qui Fidei Quęsitores, qui Senatus omnes moderarentur; qui præessent Regnis, Prouincijs, & vrbibus; qui causas defenderent; qui Ecclesiasticas obtinerent Præbendas; qui Commentis, Expositionibus, & omni litteratura publicè edita, Bibliothecas impleant, fatigent præla, scientias illustrent, instruant intellectum, & ad virtutis normam animos componant. Insignium Virorum ab Academijs prodeuntium, & qui in eis hausere disciplinam, frequentia, & multitudo ferè superat numeros, & plurimorum profectò commendatio nunquam obliuione damnabitur.

12 Cum ergo litterarum vsus, & exercitia semper Reipublicæ, tempore pacis, & belli, adeò profuerint, & sint deinde profutura, bonumque commune ab eis deriuetur, ac pendeat; cernitur, quantum debeant Principes, & Respublicæ incumbere, vt Academias foueant, diuitijs augeant, honoribus, ac immunitatibus ornent; Et quàm curare tum ipsi Principes, tum Supremi Magistratus teneantur, vt viros in Academijs illustres doctrina admunera, ac dignitates promoueant, tum vt præmium benemerentes adipiscantur; tum vt reliqui ad laborem litterarium sedulò suscipiendum excitentur; tum demùm vt eorum doctrina Senatibus, & Populis affulgeat. Nec minori sollicitudine studiosorum Scholarium bono est consulendum, eorumque suscipiendum patrocinium, vt litterarum incrementa percipiant, & idoneos se vtilitati publicæ reddant.

13 Inde etiam intropiscitur, quàm sedulo conatu Professores scientiarum profectum discentium sollicitare debeant, nihil omittentes, quod eorum valeat promouere documenta; & pariter quantum Scholastici ipsi debeant insistere litterarum studio, vt in dies proficiant. Et equidem illi valdè laudandi, qui operam egregiam studijs nauant; sicut vituperandi alij, qui generis nobilitate, aut paternis facultatibus fisi, aut voluptatibus detenti, scientias contemnunt, à litteris abhorrent, vel si Scholasticorum gremio immiscentur, Scholasticorum nomine contenti, suo muneri non faciunt satis.

14 Sed plura ex his stylum exornatorium desiderant à nostro instituto alienũ. Consulãtur Authores supra relati, & itidem Middemdorpius *in tractatu Officio*

rum Scholasticorum; Diuus Augustinus *lib.* 18. *de Ciuitate Dei, cap.t.* 52. Nicephorus *libr.7.capit.*20.& *libr.* 10. *cap.t.* 52.& *lib.* 14. *cap.t.* 2. Valerius Maximus *libr.* 3. *capit.* 3. & *al. bi sæpè* Fabius *libr.* 1. *institution. capit.* 18. Plinius Secundus *de Viris Illustr.* Volater. *lib.*16.& 21. Cicer. *lib.*1 *Officior.* & 13. *Philipp.* & *orat. pro Archia.* Strabo *libr.* 14. *geograph.* Eusebius *libr.* 10. *præparation. Euangel. capit.* 2. Rhodog. *libr.* 30. *capit.* 19. Aulus Gellius *Noctium Atticar. capit.* 20. Flauius Vopiscus *in Probo;* Horatius *libr.* 3. *carm. ode.* 13. & *vltim.* & *libr.*4. *ode.* 8. *ac sæpè alibi.* Iuuenalis *Satyr.* 3. Diuu. Iustinus Mart. *quæstion.* 126. Diuu. Chrysostomus *homil.* 79. *in Math.* Diu. Clemens *libr.*1 *stromat.* Beda *in libr. Reg.* Lactantius *in præfat. libr.* 5. *ad Constantinum Imperator.* & *libr.* 2. *institution. capit.* 25. Diuus Hieronymus *super Ezechiel.* Q. Mandosius *ad regulas Cancellariæ,regul.* 20. *q.*1. & 10. D. Isidor. *libr.* 3. *capit.* 13. Laertius *libr.* 2. 5. & 6. Laurentius Landmeter *de vetere Clericorum, & Monachorum victu, libro* 2. *capit.* 107. & in numeri alij, quos referre longissimum esset, tum ex Oratoribus, Historicis, & Poetis antiquis, tum ex nouioribus,& ex Sanctis Ecclesiæ Patribus, apud quos omnes plura dispersa reperies circa scientiarum vtilitatem,addiscendi,ac docendi modum, sapientum honorem, & plausum, studiosorum educationem,& sollicitudinem,& totius huius instituti commendationem.

Quæstio 2. Quæ sint Academiæ in Italia, & Sicilia? Vbi aliqua deillis libantur.

15 NON erit inopportunum in breuẽ quasi catalogum Academias Europæ, & Americę redigere, tum vt earum celebris multitudo hoc opus cõmendet, cum ad earum vsum præcipuè elaboretur; tum vt ipsarum breuis saltem commendatio in omnium dilabatur notitiam,non absque vtilitate, quæ inde potest decerpi. Duos edidit tomos de hac materia Iacobus Middendorpius; Alij libarunt rem summis labris; nos eam & præstingemus,& ad institutum sufficienti luce donabimus, vt nec ieiunus, nec item fatigatus Lector euadat. Sunt ergo Academiæ,quæ sequuntur.

16 *Romana:* de qua in fine quæstionis huius agemus, quia longiuscule de ea sunt aliqua libanda. *Bononiensis* in Italia,antiquissima,ac celeberrima, quã Theodosius Imperator erexit; & cum duo fuerint Theodosij, certum videtur, Theodosium maiorem fuisse erectorem; quippe Theodosius minor cępit Imperium anno 425. Extat autem priuilegium Theodosij, quo plures immunitates Academicis Bononiensibus elargitur, datum anno 423. die nono Maij; quare hoc priuilegium non potuit à Theodosio minore expediri non adhuc eo anno Imperante. Quod non aduertit Middendorpius *tomo* 2. *de Academijs,à fol.*3. Cum hoc priuilegium à Theodosio minore concessum affirmat. Maximis encomijs hæc Academia celebratur *in Glossa proœmia. libr. Decretalium; & in Glossa in leg. final. Codic.de testament.* & à Petro Anchoran. *in proœm. lib.6. Decret.* Hiero. Osorio *libr.* 1. *de Gloria.* Papiro Massono *lib.*5. *de gestis Roman.Pontific.in Honorio VI.& libro* 3. *in Vrbano V.*

17 Plures Pontifices hanc Bononiensem Academiam priuilegijs exornarunt, & redditibus auxerunt. Carolus V. Imperator,& Hispaniarum Rex, cum Bononiæ à Pontifice coronaretur, eamdem Academiam pluribus priuilegijs, ac immunitatibus decorauit. Effloruere semper in ea omnia litterarum studia, ibique plurimi insignes Viri eis operam nauarunt, postea ad Pontificatum assumpti, & ad dignitatum culmina euecti. Huius Academiæ alumni, inter alios, extitere Ioannes Andreas, Azo, Bartolus, Iason, Accursius, Marius Socinus, & Salicetus, de vtroque Iure benemeriti, & insignes Commentatores. Huius Vniuersitatis magnitudinem id ostendere sufficeret, quòd ei inscripserunt Gregorius IX. suos Decretalium quinque libros, & Bonifacius VIII. librum sextum Decretalium, & Ioannes XXIII. Clementinarum librum.

18 Referta est Academia hæc Bononiensis, & Bibliothecis publicis ad vsum studiorum destinatis,& variarum Nationum clarissimis Collegijs, inter quæ extat Collegium Hispanorum, cuius Rector secundus est ab Vniuersitatis Rectore: ab eo plurimi prodiere grauissimi Viri, muneribus, & dignitatibus publicis decorati; ab Hispaniaque illuc mittuntur ab Ecclesijs Matricibus

ius

ius præsentandi ibi Collegas habentibus, qui in eo togati litteratum studijs se tradant. De hoc Collegio scribunt Couarrubias *libr. 3. variar. capit. 1.* Hieronymus Gigas *de pens. quæstion. 23. & alij.*

19 *Ferrarienſis* in Italia, quam instituit Albertus Ferrariæ Princeps, anno 1316. confirmauit Bonifacius VIII. & Principes Estenses auxerunt. Eam commendant Raphael Volaterranus *libr. 21. anthrop.* Angelius Aretinus *in proæmio Institut. Imperat.* Sapientissimos habuit hæc Academia Professores, suis scriptis insignes, nempè nuper relatum Aretinum, Felinum Sandeum, Andream Alciatum, Guarinum Veronensem, Theodorum Gaza, Cælium Calcagninum, Nicolaum Leonicenum, Baptistam Guauinum, Rodulphum Agricolam, & Ioannem Cochleum.

20 *Florentina* in Italia, cepta fuit à Cosmo Medices, aucta à nepote Laurentio Medices; ibique insignem Bibliothecam Medicæam instruxit ad Diui Marci Cœnobium, & Clemens VII. eiusdem Familiæ, mirificè auxit; & anno 1571. Cosmus Medices Dux Magnus Tuscorum perfecit. Celebres alumnos hæc Academia habuit, Paulum Iouium, Marsilium Ficinum, Ioannem Picum Mirandulanum, & Petrum de Imola. Eam laudant Ioannes Reuchlin *libr. 1. de arte cabalistica*; Volatterranus *libr. 21. antrop. & libr. 5. geograph* Iouianus Pontanus *libr. 1. de Ferdinando primo Rege Neap.*

21 *Mediolanenſis* in Italia. A primis temporibus litteræ Mediolani viguere. Ibi Virgilius Poetarum Princeps litteris dedit operam; ibi Diuus Augustinus eloquentię fuit Professor; deinceps nobilissimum scientiarum theatrum ibi est perfectum, ita vt Pius IV. qui è Collegio fuerat Doctorum Mediolanensium, concesserit, vt ex eo Collegio semper vnus esse Sacræ Rotæ Auditor, & Aduocatus Consistorialis. Promouit, ac restituit scientiarum disciplinam in hac Academia Mag. Antonius Maioragius, vt testatur Petrus Ayroldus Marcellinus *in præfat. ad Commentarium ipsius Maioragij ad partitiones oratorias Ciceronis.* Floruerunt in ea præstantissimi Viri Hermolaus Barbarus, Franciscus Philelphus, Georgius Merula, Cælius Rhodoginus, Hieronymus Cardanus, & alij. Videantur de hac Academia præter Ayroldum nuper relatum Middendorpius *tom. 2. de Academ. fol.* 34 Volaterranus *libr. 15. & 21.* Fere extincta est hæc Academia.

22 *Neapolitana* in Italia; quam Fredericus II. fundauit; & Robertus Rex post centum annos instauratit; ac post alios ferè centum Alphonsus Aragoniæ Rex nonnihil collapsam restituit. Neapoli olim etiam valde eminebant litteræ; Ibi vitam degisse traditur Virgilium, T. Liuium Patauinum, Horatium, Claudianum; & deinde Franciscum Petrarcham, Laurentium Vallam, Porcellium Romanum, Blondum Soroliuiensem, Bartholomęum Facium, Ioannem Arisgam, Nicolaum Saguntinum, Lucilium, aliosque quam plures, & vnus pro extollendis Scholis Neapolitanis suffecerit Angelicus Doctor Diuus Thomas Aquinas, sanctitatis prodigium, sapiētiæ miraculum.

23 *Papienſis, seu Ticinenſis.* Eam Carolus Magnus non multum post Parisiensem erexit. Eius meminere Rochus de Curte *Epistol. ad Ioannem Syluanum*; & Curtius *epistol. ad Iafredum Præsidem Mediolanensem.* Professores Iurisprudentiæ in hac Academia extitere Baldus, Menochius, & Præpositus Mediolanensis, præter alios scientia conspicuos. Hanc Academiam Carolus V. restaurauit.

24 *Patauina*, Caroli Magni liberalitate extructa circa annum Domini 791 Esto alij asserant, à Frederico II. fundatam. De ea scribunt Sabarellus *ad Clementin. Dudum, de sepultur.* Heningus Goden *consilio* 13. Blondus *in descriptione Marchiæ Tarusinæ.* Iisdem priuilegijs hæc Academia gaudet, quibus Bononiensis, vt testatur Anchoranus *in capit. cum diuersis, de priuilegijs in 6.* Præclaros scientiarum Professores habuit, Bartholomæum Salicetum, Paulum Castrensem, Ioannem Campegium, Marsilium, Galeatium, aliosque, quorum Blondus meminit. Eas illustrasse scholas Sanctum Antonium de Padua, insigne quidem est ipsarum monumentum. Peculiarem de hac Academia tractatum Antonius Ricobonus edidit; vbi Pontificum confirmationes, & priuilegia affert. Eius Cācellarius est Episcopus Patauinus

25 *Peruſina*, quæ florere cæpit anno 1290. eiſdem priuilegijs ornata, quæ conceduntur Academiæ Conſtantinopolitanæ *in leg.vnica.Cod.de Profeſſoribus, qui in vrbe Conſtantinopolit. &c. lib.* 12. vt ad eam legem docet Bartolus, adhuc Peruſinę alia priuilegia addens. In hac Academia eminuerunt Petrus de Aſſiſio, Benedictus Capra, Philippus Francus, Cynus Piſtorienſis, Præceptor Bartoli, & ipſe Bartolus ibi poſtremum diem obijt, & in D. Franciſci Cœnobio eſt ſepultus. Legatur ipſe *in leg.quidam cum filium,ff.de verb. obligat.& in 30.quæſtionibus,quæſtion.3.&* 7. Iacob. Benius *libr.3.de priuilegijs Iuriſperitorum, in præfat.* Middemdorpius *vbi ſupra fol.* 71.

26 *Piſana*, quam Radanus, Alcuinus, & Claudius inſtituerunt anno 1339. & collapſam renouauit Coſmus Medices Dux Florentinus, anno 1542. In ea verſati ſunt Eugenius III. & Reynerus; Profeſſoreſq; extitere Philipus Decius, Franciſcus Aretinus, & Felinus Sandæus. Memoria illud dignum eſt, quòd Aldus Manutius legauit teſtamẽto octoginta mille libros huic Academiæ; cuius meminere Franciſcus Scotus *in Itinerario Italiæ*, Menochius *libr.2.de arbitrarijs*, Iaſon *in leg. quidam cum filium,ff.de verbor.obligat.* Anchoran *ad Clementin.de Magiſtris.*

37 *Salernitana*, quæ iam propè obſcurata eſt. In ſtudijs Medicinæ olim floruit, & deinde omnes edocuit ſcientias. In ea celebritatem nominis obtinuerunt Robertus Maranta, Bernardinus Triuiſanus, & Conſtantinus Afer. Agit de illa Ioannes Caius *l.b.1.de antiquitate Cantabrigenſis Academiæ*

28 *Senenſis*, Antiquitus erecta, & à Ciuibus renouata fuit anno 1387. Nauarunt in ea ſtudijs operam Pius II. Iulius III. & Marcellus II. Docuere ibi Nicolaus V. ante Pontificatum, Dinus, Abbas Panormitanus, Paulus Caſtrenſis, Socinus, Decius, Hugo, Senenſis, Auguſtinus Dathus, & Franciſcus Philelphus. Eam commendant Bartholomæus Facius *lib.9.de geſtis Alphonſi I.* Cacciolopus *documento 8.ſtudio ſorum;* Munſterus *lib.2.Coſmograph.* Anchoranus *cap.fin.extra. Ne Clerici,vel Monachi &c.& ad Clementin. Dudum de ſepult.* & ibi etiam Sabarellus, qui Cardinalis vocatur, & Senenſis fuit Profeſſor.

29 *Veneta*, ex qua prodierunt Aldus, Hermolaus Barbarus, Andreas Aſſulanus, Ioannes Reuennas, Antonius Mancinellus, Paulus Manutius, Sabellicus, Ioannes Baptiſta Egnatius, Petrus Bembus, Secundus Curio, alijq; plurimi. Cardinalis Beſſarion extruxit Venetijs Bibliothecam triginta millibus aureis emptam, & adhuc eam Veneti adauxerunt. De hac Academia videat, qui velit, Petrum Moſellanum *orat.de trium linguarum cognitione.*

30 *Bergamenſis*, quæ anno 1355. iam erat orbe celebris ob litterarum ſtudia. Edocuit ibi Albericus de Roſato, & eam laudat Leander apud Middemdorpium *vbi ſupra fol.86.*

31 *Mantuana*, vbi litteras tradiderũt Marius Philelphus, & Victorinus. Eius mẽtionem faciunt Blondus, & Volaterranus apud eundem Middemdorpium, *pag.* 88.

32 *Mutinenſis*, in qua Azo Iuriſprudentiam edocuit, eamque extollit *ad leg. vnic.Cod.de ſtudijs liber.vrbis Romæ,& Conſtantinop.lib.*11.

33 *Parmenſis*, quam litterarum copia celebrem nuncupat Middẽdorpius, *vbi ſupr.fol.90.*

34 *Placentina*, quam idem Author *pagin.91.* ait, viris doctiſsimis, litterarumq; & artium ſtudijs florere.

35 *Taurinenſis*. In ea ſcientias tradiderunt Eraſmus Roterodamus, vir, qui hæreſi ſuam ſcientiam fœdauit, Ioannes de Craſſis, & Iacobinus de S. Georgio, qui videndus eſt *in tractatu de Feudis, in proœmio.*

36 *Montis-Regalis*, vbi profeſſor fuit Menochius, qui videndus eſt *quodlib.2. caſu 315.de arbit.iudic.* & Riccobonus *libr.2. de gymnaſio Patauino.*

37 *Anconitana, Maceratenſis, & Carnotenſis*, parum nunc florent. In Maceratenſi edocuit Franciſcus Piccolomineus; in Carnotenſi Adelinus. Videantur Riccobonus *vbi nuper cap.32.* Papirius Maſſonius *lib.4.de geſtis Romanorum Pontificum, in Nicolao II.*

38 *Syracuſana*, in Sicilia; Syracuſis à tempore Caij Cæſaris litteræ exercebantur, imò & antiquiùs ibi Platonem edocuiſſe Philoſophiam ſuam, teſtatur Volaterranus *lib.*18. Ibidem ſuas artes docuerunt Dędalus, Archimedes, Corax, Sophrõ & Philemon Conſulantur Alexander Sardus *lib.1.de moribus gentium;* Panormitan. *lib.1.de geſtis Alphonſi Regis.*

39 *Meſſana*, in Sicilia. Iam diu viguerũt Meſſanę præſtantes litteris viri, Ariſtocles, Ibicus, Ioannes Gatius, Franciſ-

cus

cus Maurolycus, & Bembus iunior, ac Dicæarchus. Eam magnam Siciliæ Scholam appellat Volaterranus,

40 *Panormitana*, Regum Siciliæ, & Archiepiſcoporum Panormi liberalitate, & priuilegijs ornata eſt. Eius mentionem facit Middendorpius *tom.2.de Academ.lib.* 4. *pag.* 110.

41 *Catinenſis*; Vnde prodijt Charondas legiſlator inſignis; ibiq; Abbas Panormitanus Archiepiſcopatum geſſit; vt idē Middendorpius *pag.* 111. *vbi nuper*, affirmat.

42 Ad *Romanam* pro coronide huius quæſtionis redimus. Quis ignoret, Romam, ſicut dominam gentium, ita olim fuiſſe ampliſſimum litterarum theatrum? Ibi Rethorici, Oratores, Poetæ, Philoſophi, & Religionis vanæ, ſuperſtitioſæque Magiſtri maximè floruerunt, & ſuis ſcriptis, ac libris, quos prę manibus habemus, æternum ſibi nomen comparārunt. Redigi nequeunt in numerum, cum ſit eorum penè innumerabilis multitudo. Latè diſſerit Middendorpius *tom.*1. *de Academ. lib.* 3. in qua orbis regione priùs ſcientiæ fuerint traditę? & probat, primùm in Iudæa, deinde in Græcia, & poſtmodum in Italia, Rurſùs Theologiam Romanorum, ſeu commenta, quæ de ſuis Dijs fingebāt, exponit; de miniſtris ſacrorum, horumq; diuerſitate pertractat; Romanorum Iuriſprudentiam explicat; quomodo quælibet ſcientia in vrbem Romanam fuerit introducta, diſputat; ac viros celebres antiquos in vnaquaque commemorat. Quæ omnia, qui velit, apud ipſum lectitet, non enim fas eſt, in hiſce nos immorari.

43 Septemcentis annis ante Chriſti natiuitatem, reperitur, fuiſſe Romæ celebrem Academiam, ad quam ſæpè ipſi Imperatores concurrebant, vt Oratores, Hiſtoriographos, & Poetas audirent, & diſceptationibus ſuper diuerſis materijs intereſſent. Ante D. Hieronymi tempora conſiſtebant adhuc inſignia gymnaſia, vt ipſe teſtatur *cap* 11. *Regulæ Monachorum*. Poſtmodum, cum Diuus Gregorius Magnus Eccleſiam gubernaret, & per Nuntios, ac Prędicatores ab ipſo miſſos Anglia veram Chriſti fidem ſuſcepiſſet, ſchola publica pro Anglis Romæ fuit inſtituta, ad quam non modo priuati viri ex Anglis, ſed Reges ipſi, religionis veræ colendæ, & perfectiùs addiſcendæ cauſa ventitabant, vt videre eſt apud Boſium *lib.*3. *de ſtatu*, *cap.* 3. & Polidorum Virgilium *lib.* 4. *hiſtor. Anglican.*

44 Cęterum Academiam, & litterarum exercitia Romæ inſtaurarunt Eugenius IIII. qui alias etiam in orbe fouit, & reſtituit Academias; Nicolaus V. & Leo X. vt affirmant Onuphrius *in vita Leonis* X. Platina *ibidem*, & *in vita Eugenij IV.* nec non Mart. Eiſengr. Procancellarius Ingolſtadiēſis *in oratione ibi habita anno* 1531 Demum Alexander VI. iterum inſtauranit, & dotauit prædictam Academiam, vt Profeſſores ſcientiarum poſſent ex redditibus victitare. In ea omnes Scholaſtici gradus, & honores conferuntur, & Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Artibus, ac linguis Cathedræ ſunt deſtinatæ.

45 Vocatur *Sapientia* Academia Romana, quod nomen inde deſumptum crediderim, quia Claudius Imperator gymnaſium inſtituit, teſte Volaterrano *lib.*12. *geograph.* in quo hiſtoriæ ab ipſo editę quotannis recitarentur; & id poſtmodum vocatum fuit Collegium Sapientiæ, vnde nomen *Sapientiæ* inditum fuiſſe Academiæ Romanæ congruens videtur. Attamen hæc Academia non multum ab Scholaſticis hac ætate frequentatur, Etenim Romæ apud Sacros Ordines, præcipuè Patrum Prædicatorum, & noſtræ Societatis Ieſu publica ſunt gymnaſia, in quibus Theologia, Philoſophia, Mathematica, Artes omnes, & linguæ edocentur, excepta Medicina, ibique Studiorum eſt frequens concurſus; maximè ad Collegium Romanum Societatis; in quo quidem inſignes litteris viri eminuerunt, & eminent; ſed à domeſticis laudibus abſtineo. Vide Middendorpium *tom.* 1. *de Academ.lib.* 3. *pag.* 607. & plures alios recentes Scriptores. Sat opera ipſa in lucem edita commendant Profeſſores litterarum in eo Collegio. Hoc vnum non omiſerim, Middendorpium Procancellarium Colonienſem, dum de Academijs agit, paſſim repetere, quantum Magiſtri Societatis Ieſu in illis laborent, & floreāt; atq; ad finem operis prefigere Catalogum omnium Prouinciarum, & Collegiorum Societatis Ieſu, ac numerum eorum, qui in vnaquaque Prouincia ſunt; ante cuius deſcriptionem hæc habet; *Quā doquidem Patres de Societate Ieſu in hac litteraria palæſtra ſtrenuè, viriliterque verſantur, & bonarum diſciplinarum ſtudia in remotiſſimas Prouincias important; propterea Catalogum nuper typis excuſſum de Collegijs, & Domibus, Seminarijſque illorum, hic adijcere debui.* Scribebat hæc ille anno 1602. Quid

nunc

nunc assereret, cum quinquaginta annis sequentibus alia Regna, Academiæ, & litteræ omnes à Professoribus, & Authoribus Societatis, doctrina, & innumeris libris sint illustratæ, de quibus videndus est P. Philipus de Allegambe *in Bibliotheca Societatis*; & adhuc postmodum plura alia opera in lucem prodierunt.

46 Ad Iurisprudentiam addiscendam pauci Romanam Academiam frequentant, sed ad alias Italiæ celebres Academias concurrunt. Priuilegia concessa Romanæ Academię (præter specialia, quæ habet à summis Pontificibus indulta) inserta sunt iuri, adeòque omnibus Academiis communia; quare illa attingemus inferiùs decursu operis; esto plura per negligentiam, aut per non vsum, seu per cõtrariam consuetudinem iam sint abolita. Videatur *cap.* 1. *de priuileg. in 6.* in quo priuilegia studiorum Generalium concedun tur Academię Romanę.

Quæstio III. Quæ Academiæ sint in Gallia? Vbi non pauca de illis attinguntur.

47 NON est animus agere de tempore, quo Gallijs scientiarum exercitamenta sunt introducta, sicut nec id egimus de locis, vbi Italiæ, & Siciliæ Academiæ sitæ sunt nec item agemus, cum ad alia Regna deueniamus; sicut nec tractamus de Academijs, seu gymnasijs, & scientijs infidelium antiquorum, tum eorum, qui nunc Asiam, Africamq; habitant. Hæc enim nostro instituto non sunt opportuna, ad illudque nihil conducit earum notitia. Proponimus ergo nostræ Europę, & Regnorum Hispaniæ, etiam extra Europam Vniuersitates, quarum cognitio virorumq; illustrium ex eis prodeuntium, valdè cõgruit ad scopum huius operis. Igitur in Gallia sunt sequentes Academiæ.

48 *Parisiensis* erecta à Carolo Magno circa annum salutis 791. de consilio Alcuini, & Venerabilis Bedæ; ex Romana Academia adducti fuerunt Professores, vt in ea primùm scientias traderent. Instauravit hanc Vniuersitatem Sanctus Ludouicus Rex Gallię; eiusq; frater Robertus ibi insigne Collegium Sorbonicum instituit anno 1253. Adeo celebris fuit hæc Academia, vt quadringentis annis nõ alij Sapientiores, quàm eius alumni, inuenirentur; ideòq; à Pontificibus pluribus priuilegij fuit donata. Professi sunt in ea scientias Alcuinus, Petrus Lombardus sententiarum Magister, Albertus Magnus Doctor Angelicus S. Thomas, Rabanus, Ioannes Gualensis, Gerson, Budæus, Balduinus, ac plurimi alij celebratissimi viri. Comendant hanc Academiam Arnoldus Vuion *in ligno vitæ, lib.* 5. *cap.* 92. & 95. Zabarella, & Anchoranus *in Clement. in.* 1. *de Magist.* Vincentius *in specul. lib.* 24. Possu'nus *lib.* 1. *Bibliothecæ selectæ c.* 1. & *lib.* 3. *c.* 5. Balduin. *ad leg. si pacta. C. de pact.* Papirius Massonus *de gestis Romanorum Põ-Pontific. in Innocentio IV.* & *in Nicolao III.* & alibi. Iacobus Meierus *lib.* 14. *Annalium Flandriæ*, & *lib.* 15 & P. Sheriogus *tom.* 3. *in Cantica vestigat.* 35. *num.* 54. Plurimum etiam commendationis hæc Academia habet ex eo, quòd in illa Sanctus Ignatius de Loyola, Societatis Iesu Fundator, & Sanctus Franciscus Xauerius Apostolus Indiarum, cum alijs nouem primis Socijs, qui nomen suum eidem Societati ad scripserunt, in ea litterarum incubuere studijs, omnesque ipsi gradum Magisterij ab illa acceperunt. Videatur P. Ioannes Maffeus, P. Petrus Ribadeneira *in vita Sancti Ignatij*, & historia Societatis *tomo* 1.

49 *Andegauensis* instituta à Ludouico XI. Duce Andegauensium circa ann. 1346. & instaurata ab Henrico Valesio Duce etiam Andegauensium. Scholasticus Ecclesiæ Andegauensis est Cancellarius huius Academię. In ea Balduinus edocuit Iurisprudentiam, vt affirmat ipse *ad leg. si pacto, Cod. de pactis.* Videatur de ea Papirius Massonus *lib.* 3. *Annalium Franciæ in Philippo Rege.*

50 *Auinionensis*, olim florentissima, & pluribus priuilegijs donata, eo quòd ibi multi Pontifices Sedem suam habuerint, Professores habuit Paulum Castrensem, & Andream Alciatum. Legito Middendorpium *tom.* 1. *de Academ. lib.* 6. *pag.* 378.

51 *Aurelianensis*, extructa à Philippo Pulchro Gallorum Rege anno 1312. Ibi Sanctus Iuo, pauperum aduocatus, scientias didicit. Videantur Baldus *in leg. omnia priuilegia, Cod. de Episcop. & Cleric.* Vbi huius Academiæ priuilegia attingit, & Zacharias *in epitome Surij, in vita Iuonis, die* 19. *Maij.*

52 *Biturigensis*, à Regibus Galliæ instaurata, & ornata. Floruerunt in ea Rebuffus, Alciatus, & Duarenus; meminitq;

illius

illius Munsterus *lib. 2. Cosmograph.*

53 *Burdegalensis: Cadomensis,& Dolana.* Prima est vnica in Aquitania. Secunda in Normandia, erecta anno 1418. ab Henrico V. Angliæ Rege. Tertia in Burgundia, vetus quidem, sed instaurata anno 1418. in qua Carolus Molinæus fuit publicus Professor. Legatur Middendorpius *de Academ. lib. 6. pag. 390.*

54 *Lugdunensis*, nunc penè collapsa, effloruit circa annum Domini 830. habuitque Præceptores Nicolaum Leonicenum, Gersonem, Iodocum Badium, Petrum Toletum,& Bartholomæum Argēterium doctissimos Medicos. De illa idem Middendorpius *pag. 391.*

55 *Montispessulana*, erecta anno 1196. & ab Vrbano V. qui in ea liberales artes didicit, egregiè exornata. Rebuffus in ea etiam iuri operam dedit. Agit de illa Papirius Massonus *lib. 6. de gestis Romanor. Pontific. in Vrbano V.*

56 *Nantes: Nimecensis; Pictauiensis, & Rhemensis.* Prima extat in Ducatu Britonum Secunda in Gallia Narbonensi, seu in Delphinatu,& hoc seculo fuit erecta. Tertia à Munstero valdè extollitur. Quarta in Campania, extructa à Carolo Guisio Cardinali Lotharingo, Archiepiscopo, & Duce Rhemensi, Eorum mentio fit apud Middendorpium *vbi nuper, pag. 396.*

57 *Tolosana*, vetus,& celebris Academia, non diu post Parisiensem erecta. Eius priuilegia recenset Baldus *ad leg. omnia priuilegia, Cod. de Episcop. & Cleric.* Iason *ad leg. 1. de legat. 1.* Abbas *in cap. fin. extra. Ne Clerici, vel Monachi.* Professorum in legendo obseruantiam, etiam festis diebus, aliquibus exceptis, commendat Rebuffus. In ea Vrbanus V.& Duarenus ius ciuile didicere.

58 *Caturcensis*, olim florens, cum Rebuffus,& Petrus Gregorius Tholosanus in ea Professores extirere. Middendorpius *vbi supra pag. 399.* de ea agit.

59 *Massilienses.* Vrbs Massilienses etiam antiquis temporibus scientias excolunt vt videre est apud Cornelium Tacitum *in vita C. Iulij Agricolæ;* Ciceronem *in orat. pro Flaco, & Philippica octaua.* Strabonem *lib. 4.* Valerium Maximum, & alios. Videatur de hac Academia relatus Middendorpius *à pag. 399.*

Quæstio IIII. Quæ Academiæ sint in Germania, Bohemia, Polonia, & Dania? Vbi plura de eis præstringuntur.

60 COLONIENSIS, anno 1388. authoritate Vrbani VI. stabilita est, & eisdem, ac Parisiensis Academia, priuilegijs ornata. Præpositus Coloniensis est illius Cancellarius. Pluribus Collegijs ornatur, eximiosque ac innumeros viros dedit omni scientiarum genere pollentes. Eius Procancellarius Iacobus Middendorpius latè eius priuilegia, gubernationis ordinem, Collegiorum, ac Virorum excellentiam proponit, *tom. 2. de Academ. lib. 5. à pag. 126.*

61 *Basileensis* fundata,& plurimis priuilegijs ornata à Pio II. anno 1459. Episcopus est eius Cancellarius. Agit de ea Christianus Vrstisius *in epitome historiæ Basileensis.*

62 *Dilingana, & Duacensis.* Illam erexit Truchsessius Cardinalis Augustanus Germaniæ protector. Hanc simul & Collegium, quod vocatur Regium, Philipus II. Hispaniarum Rex anno 1562. extruxit: ne Belgica inuentus studiorum causa ad exteros proficisci cogeretur, & hæresim per Germaniam grassantem ebiberet. Eam commendant Iacobus Marchātius *in descriptione Flandriæ lib. 1.* Arnoldus Vuion *in ligno vitæ in præfat.* Boetius Epo. Professor huius Academiæ, ipsius nomine orationem funebrem habuit in laudem Philippi II. die tertia Nouembris, anno 1598. In qua (liceat in nostræ Societatis cōmendationem eius verba trāscribere) hæc habet; *Pijssimi, liberalissimique Præsules duo, rei litterariæ studiosissimi, Marchianensis, & Aquisgranensis, alia duo condiderunt gymnasia; quorum hic suum Patribus Societatis Iesu tradidit excolendum, Sacræ Cathol cæ Maiestati commendatissimum semper, ac vnicè dilectum, sæpiusq; pro re nata adiutum, propter ingentia, singularia que eorumdem, & in Scholas, & in Ecclesiam, & in Rempublicam, & in omne mortalium genus merita.*

63 *Erphordiensis* in Thuringia, instituta fuit à Dagoberto Francorum Rege anno 1391. & confirmata, ac priuilegijs munita à Bonifacio IX. & Pio II. Habuit egregios scientiarum Professores Nicolaum

laum de Bibera, Henricum de Erphordia, Conradum de Montepuellarum, Godschalum de Meschede, & Ioanem de Mylbach. Eius meminerunt Trithemius, & Iacobus Meierus apud Middemdorpium *vbi supra à pag.* 200.

64 *Francfordiensis* erecta anno 1506. à Ioachimo, & Alberto fratribus, Marchionibus Brandenburgensibus; priuilegijs stabilita à Pontificibus Alexandro VI. & Iulio II. ac ab Imperatore Maximiliano Primo. Eius Cancellarius, & Conseruator est Episcopus Lubecensis. Ita Conradus Vuimpina *in oratione habita anno* 1560. *die* 26. *Februarij.*

65 *Friburgensis* in Brisgoia, fundata ab Alberto Austriaco anno 1450. instaurata, & aucta sub Federico Imperatore anno 1472. Floruit in ea, & statuta disposuit Vdalricus Zasius. Videatur Middemdorpius *vbi supra pag.* 209. Dantur etiam in Germania Academia *Fuldensis*, & *Sangallensis* quarum meminere Authores decursu relati, & referendi.

66 *Gripsuualdensis* in Pomerania, inchoata anno 1456. ab Vratislao IX. Duce Pomeraniæ. Et si Munsterus *lib.* 1. *Cosmograph.* asserat, à quodam Procõsule eius loci fundatam ea anno fuisse hanc Academiam, & anno 1547. à Philippo Pomeraniæ Duce instauratam.

67 *Afrinensis, siue Koppenhagensis* in Dania, incepta ab Erico Rege authoritate Martini V. & perfecta anno 1478. à Christiano Oldemburgico; confirmata, stabilita, & aucta à Ioanne Rege anno 1493. à Christiano III. ann. 1539 à Federico II. anno 1569. De quibus Middẽdorpius *vbi supra pag.* 210. Habet eadem priuilegia, quæ Academia Bononiensis.

68 *Heydelbergensis*, in Comitatu Palatino Rheni, instituta anno 1346. à Ruperto II. Duce Bauariæ, & Comite Palatino; atque ab Vrbano VI. donata priuilegijs, quibus Vniuersitas Parisiensis gaudet. Præstantes Professores habuit Munsterum, Marsilium de Inghen, & Ioannẽ Hernestum. Eam laudant Abbas Spanheimensis *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, loquens de Marsilio; Petrus Antonius Finariensis *orat. de institutione vrbis, & gymnasij Heydelbergensis.*

69 *Herbipolensis*, erecta anno 1403. à Ioanne Eglofsetein, authoritate Bonifacij IX. & Regis Ruperti II. Postmodum bellis collapsa est; donec anno 1582. feliciter fuit instaurata à Principe Iulio, authoritate Gregorij XIII. & Imperatoris Maximiliani II. ita vt vndique ad eam studiosi confluxerint, cum litterarum officina sit reddita; ædificijque Academiæ structura ea est, vt nulli in Europa, nisi Diuo Laurentio in nostra Hispania cedat. Ipse Princeps Iulius fuit primus Academiæ Rector, à Doctoribus, ac Magistris electus, penes quos stat ius eligendi Rectorem. Professus est ibi Iurisprudentiam Antonius Salicetus. Huius Academiæ fit mentio à Munstero *lib.* 3. *Cosmograph.* Nec ante Academiæ restitutionem cessatum fuit à litterarum exercitio, nam (verba sunt Middemdorpij *vbi supra pag.* 222.) *Herbipolensis Episcopus, & Princeps Fridericus, vrbem, & Prouinciam instauraturus, à religione, & litteris, quæ vnà fere interierãt, exordium duxit; & anno* 1564. *dum adhuc fluctuabat, Societatis Iesu Patres euocauit, illi; iuuentutem tam in bonis litteris, quàm pietate, & moribus erudiendam, instituendaq; commisit.*

70 *Ingolstadiensis* in Bauaria, erecta à Ludouico Diuite Duce Bauariæ, qui obijt anno 1479. authoritate Pij II. & Pauli II. & à sequentibus Ducibus aucta, & exornata redditibus annuis, & Studiosorum Collegijs; inter quæ Collegiũ Georgianum à Duce Georgio institutum Albertus Dux sub Societatis Iesu, quam ipse in eam vrbem intulerat, disciplina collocauit. Cancellarius huius Academiæ est Episcopus Aichstetensis, eiusdem loci Ordinarius. Floruit in ea Fredericus Staphilius; cui tamen, quia vxoratus erat, nec hæc Academia, nec vlla alia Germaniæ gradum Doctoratus in Iure Canonico, & Theologia voluit concedere; ita vt Pontifex rubrum pileum transmiserit, vt Archiepiscopus Saltzburgensis eum ipsi imponeret, & Doctorem authoritate Põtificia crearet. Latè de huius Academiæ statutis tractat citatus Middemdorpius *à pag.* 232.

71 *Lipsensis* in Misnia, initium habuit anno Domini 1408. & ex Pragensi desumpta est, ac confirmata à Pio II. & Alexandro V. restitutaq; à Georgio Saxoniæ Duce. Eam commendant Æneas Syluius *ad librum* 1. *Panormitani de gestis Alfonsi Regis*, & Conradus Vuimpinas *in orationibus Lipsiæ habitis.*

72 *Louaniensis* in Brabantia, celeberrima quidem splẽdidissimis Collegijs, ac innumeris priuilegijs ab Imperatoribus, & Regibus, atq; etiam à Pontificibus exor-

exornata. Erecta fuit à Ioanne Duce Brabantiæ anno 1426. & confirmata à Martino V. & Eugenio IV. Rector, & Cancellarius huius Academiæ fuit ante Pontificatũ Adrian. VI. Docuerũt in ea Ioan. Molinæus Erasmus Roterodamus, & plurimi alij, qui suum nomen posteritati dedere, esto Erasmus dederit damnatum. Eam laudant Molanus *in Natalibus Sanctorum Belgij*. Iacobus Meierus *lib.* 16. *Annalium Flandriæ*. Hanc Academiam adauxit Philipus II. Hispaniarum Rex, & eam in animo, & veneratione habuit: voluitque, Benedictum Arias Mõtanum ope huius Academiæ vti, vt Bibliam Regiam quatri linguem in lucem ederet.

75 *Maspurgensis* in Hassia, & *Mechliniensis*. Illa erecta fuit anno 1526. & instaurata à Philippo Principe anno 1535. Hæc olim adeò celebris fuit, vt in ea vno, eodemque anno studuerint nouem filij Regum; vingintiquatuor filij Principum; viginti nouem filij Comitum; testante Middemdorpio *de Academ. lib.* 5. *pag.* 280. Vbi id refert memoratu dignum, rexisse hanc Academiã Nicasium de Voerda, qui à tertio anno cæcus, in omni scientia eruditissimus euasit, audiens dumtaxat alios; Iura Louani, ac Coloniæ docuit, creatus ibidem Doctor Iuris Canonici, & plures tractatus in Cathedra dictauit; obijt autem anno 1491.

+ v lib. 3. n° 137

76 *Moguntina* instituta anno 1482. à Diethero Isenburgio Archiepiscopo Moguntino. Patribus nostræ Societatis Iesu iam diu tradita est, in eaque Philosophiam, linguarum notitiam, & Theologiam edocent. Vide præfatum Middemdorpium *pag.* 281.

77 *Pragensis in Bohemia*, instituta à Carolo IV. Imperatore, ac Bohemiæ Rege anno 1360. quamuis Martinus Cromerus, antiquiorem esse, affirmet. Oppressa aliquando propter bella, & non exiguum passa sunt detrimentum Collegia illustria ibi erecta; sed Academia aucta, aut restituta fuit à Ferdinando I. & Maximiliano II. Imperatoribus; hisceq; temporibus, & scientijs, & studiosorũ numero egregiè floret. Cãcellarius per plures annos huius Academiæ extitit P. Rodericus de Arriaga è nostra Societate Iesu Hispanus, ac Locrunẽsis, meus ex duobus fratribus vtriusque parentibus cõsobrinus; qui Imperatoris iussu illuc ex Prouincia Castellana professurus in hac Academia Theologiam prorrexit, quod per plures annos, Imperatori charus, præstitit; ediditq; summa cum laude in lucem Cursum Philosophicũ, & octo integros Tomos in vniuersam Theologiam Scholasticam; iamq; alios in Theologiam moralem parat. Licuerit sanguinis affectui indulgere, & obiter hæc in Societatis commendationem, & patriæ gloriam retulisse. Postmodum hęc Academia à Ferdinando erecta vnita est nuper Academię antiquiori à Carolo fundatæ, quæ *Carolina* vocabatur, & munus Cancellarij traditum, aut restitutum est Archiepiscopo Pragensi, & munus Rectoris Academię ita dispositum, vt Rector Collegij Societatis Iesu sit etiam Academiæ Rector duplici anno, & alternat iuè alio duplici anno ipsa Academia eligat Rectorem. De Academia Pragensi agit Cromerus *in historia Polonica lib.* 12.

78 *Rostochiensis* in Ducatu Megapolitano, instituta à Ducibus. Megapolitanis, & ciuibus Rosthochiensibus; confirmata fuit à Pontifice anno 1451. Videantur Munsterus *lib.* 3. *cosmograph.* & Matthias Quadus *lib.* 4. *Geograph. cap.* 9.

79 *Treuirensis*, antiquissima Germanię, collapsa ob mutationes temporum, sed ab Archiepiscopis Treuirensibus postmodum est restituta. Tempore Gratiani Impereratoris Treuiris iam studia florebant. In ea vrbe D. Hieronymum fuisse commoratum, & etiam D. Athanasium, planis, argumentis deducitur. Consulantur Middemdropius *vbi supra pag.* 288. & historiæ Ecclesiasticæ.

80 *Tubigensis* in Ducatu Vuittembergensi, incepta anno 1477. ab Eberhardo Barbito Comite Vuitembergiæ; & Monpelgardię; à Pontifice, & ab Imperatore Friderico confirmata, & priuilegijs stabilita. Professores insignes habuit Ioannem Nauclerum, Gabrielem Biel, ac Ioannem de Lapide. De ea scribunt Reineccius *in methodo legendi, cognoscendiq; historias*, Martinus Crusius *Annalium Sueuicorum lib.* 7. *part.* 3. *cap.* 13.

81 *Viennensis*, instituta à Friderico II. Imperatore anno 1237. & instaurata, ac priuilegijs pluribus ornata à Rodulpho IV. Alberto III. & Leopoldo II. fratribus. Singulis annis Senatus, Populusq; Viennensis, cum Consulem eligit, admoneteum, ne quidquam aduersus Academicos moliatur, sed eos omnino protegat; Ita decreto suo sanciuit Albertus III. Detrimentum hęc Academia cepit anno 1526. in obsidione Turcarum; sed instaurata

rata fuit à Ferdinando I. & Maximiliano II. Pluribus ornatur Collegijs, & Bibliothecis inſignibus. Iuriſprudentiam in ea docuerunt ex Italia euocati Ioannes Syluius, Aurelius Siculus, & Hieronymus Baldus. Viri plurimi illuſtres ex hac Academia prodierunt; omnesq; Imperatores eam honoribus, & redditibus auget. Agit de illa P. Carolus Muſart. *in lib. Academicus adoleſcens; proœmio 2.*

82 Vniuerſitatis Viennenſis Rector annum durabat, nunc verò ſex ſolùm mẽſes; In omnibus actibus publicis habet locum primum ab Imperatore, aut eius Viceſgerente; & omnibus Academię membris ex ęquo, & bono ius dicit in ciuilibus, & criminalibus. Aliquando Rector creatus eſt laicus, & tunc per clericũ in perſonas Eccleſiaſticas iuriſdictionem exercet. Scribit etiam de hac Academia Vuolfgangus Lazius *in commentar. de rebus Viennenſibus, lib. 2. cap. 6.*

83 *Vuittembergenſis* in Saxonia, anno 1502. erecta à Federico I. Saxoniæ Duce, à Mauritio inſtaurata, & ab Auguſto ampliſicata. Iuriſconſulti celebres in ea fuerunt Heningus, Schurfius, Clingius, Vueſembechius, & Oldemdorpius. In ea ſua venena euomuerunt Martinus Lutherus, & Philippus Melanthon. Videndus Middemdorpius *vbi ſupra pag.* 309.

84 *Viſontina*, & *Argentoratenſis*. Illa in Burgundia ab Antonio Peronnoto Cardinali, Meclinienſi Archiepiſcopo eſt fundata. Hæc inter Germaniæ Academias recenſetur, ſed publicum gymnaſium eſt dicendum, à Senatu, & populo erectum poſt pacatam diſcordiam inter Carolũ V. Imperatorem, & Regem Galliæ. Sicut etiam illuſtres quidem Scholæ ſunt *Soranæ* in Dania; *Dantiſci*. & *Herbonæ*, *ac Tekemburgi*, ſed non ſunt Academijs annumerandę. Conſule Middemdorpium iam relatum, *ubi pag.* 310.

85 *Iuliana*, ſeu *Helmſtadina*, in Ducatu Brunſuicenſi; quæ nomen ſecundum à loco, vbi extat, deſumpſit: primum verò à Iulio Duce, Fundatore, circa annũ 1580. eademque ſtatuta, ac leges, ac Academia Colonienſis, à qua accepit, habet. Eam laudat Ioannes Caſius *in Orat. de bono Academiæ, habita anno* 1598.

Regio Montana in Pruſsia, erecta anno 1598. ab Alberto Brandemburgico. Agit de ea Middemdorpius *vbi ſupra pagina* 332.

Græcenſis, aliæque nouiores Societatis Ieſu Patribus ſunt traditæ ab Imperatoribus, & Principibus, vt eas moderentur, omneſque artes, linguas, & Theologiam edocent.

85 *Lugduni Batauorum*, inter celebres annumeratur. *Cluenſis* in Galliæ Belgicæ finibus; vbi etiam tempore Romanorum Orbi dominantium ſcientias in gymnaſijs publicis efflorniſſe, affirmat Stephanus Vinandus Pighius *in Hercule ſuo*. Plures aliæ ſunt in Germania Scholæ florentes litteris, quæ Academiæ non ſunt nuncupandæ, vt *Oſnaburgi* in Vueſtphalia; *Suollæ*, *Monaſterij*, *Suſati*: *Padeborn*æ; *Tremoniæ*; *Dulſſeldorpij*; *Embricæ*; *Attrebati*, *Numurci*, *Vltraiecti*, & alijs in vrbibus. Videatur Iacobus Meierus *lib. 4. Annalium Flandriæ*. Reineccius *in Methodo legendi hiſtorias*; Thomas Bocius *de ſignis Eccleſ. lib. 22.*

87 *Cracouienſis*, in Polonia, erecta à Caſimiro Rege anno 1361. anno autem 1400. inſtaurata fuit, vocatis clariſsimis Profeſſoribus ex Academia Pragenſi. Collegia habet inſignia. In ea Iuriſprudentiam edocuit Petrus Roizius, ſcriptor deciſionum Lituanicarũ. Olim in vrbe Cracouienſi ſcientias, maximè Aſtrologiam viguiſſe, affirmat Iouius, *lib. 13. hiſtor.*

Quæſtio V. Quæ Academiæ ſint in Anglia, Scotia, & Hybernia? Vbi nonulla de eis breuiter annotantur.

88 CANTABRIGIENSIS. In vrbe Cantabrigienſi Scholam erexiſſe fertur Cantabrum Regem Hiſpanorum, ob ſeditionem patria pulſum anno ante Chriſtum natum 375. poſt modũm inſtauratã fuiſſe anno Domini 630. à Sigeberto Angliæ Rege; & deinde confirmãte Pontifice factam eſſe Academiam regnante Eduardo I. Pluribus fuit Collegijs ornata, auctaque à Regibus, præcipuè ab Henrico VIII. Ibi efflorucrunt olim Venerabilis Beda, Alcuinus, Ioannes Roſſenſis Epiſcopus, Thomas Morus; Thomas Lianerus, & innumeri alij. Nũc vero maius ornamentum amiſit, ſiquidẽ à Fidei Catholicę puritate defecit. Videatur de ea Gulielmus Cãdenus. *in deſcriptione Britanniæ*; Arnoldus Vnion *in ligno vitæ lib. 5. c. 94.* Adrianus Romanus *in Theatro Vrbium.*

89. *Ex o-*

89 *Oxonienſis*, fundata à Rege Alphredo, ſiue Aluredo, anno 863. vel iuxta aliquos Authores, anno 895. Ab Anglorum Regibus, aliiſque primoribus viris egregiè eſt exornata Collegiis, opibus, ac priuilegiis. Celebertima ſanè fuit, & ſtudioſorum numero frequentiſsima. Eam cõmendant Adrianus Romanus *in Theatro Vrbium*; Gregorius Lilius *in Chronicis Britanniæ*; Gulielmus Candenus *in deſcriptione Britanniæ*; Arnaldus Vuion *in ligno vitæ, lib. 5. cap. 94.* Ioannes Caſus *in ſpeculo moralium quæſt. in præfat.* Eraſmus *epiſt. ad Ioannem Claimodum*; refertur hæc Academia inter celebriores orbis *in Clementin. 1. de Magiſtris.* Plurimi Sapientiſsimi viri Sacrę Benedictinę familiæ in hac Academia, ſicut & in cæteris Angliæ, ſcientias illuſtrarunt. Sed hæreſi, & bello graſſante, nulla iam Academia floret in Anglia, Scotia, & Hybernia.

90 Collapſa iam diu eſt in Anglia Academia *Bangorienſis* à Lucio Rege erecta, & deinde in Monachorum cœnobiũ mutata. Scholæ alię publicæ olim eo in Regno celebratæ ſunt, vt Legionenſis, Carleonenſis, Salernitana, Glatmorgantiæ, Tathei, Thetfordię, Londinenſis, Lindiſſorenſis, & Malmerburienſis. Conſulantur Ioannes Caſus *in præfatione Specul. moral. quæſt.* Ioannes Caius *libr. 1. de antiquitate Cantabrigẽſis Academiæ* Georgius Lilius. *vbi ſupra.*

In Hybernia ſex recenſentur Academiæ; *Armachana*, & *Dunenſis* in Vltonia: *Liſmonenſis*, & *Caſſelenſis* in Momonia; *Mayonenſis* in Connacia; & *Dublinenſis* in Lagenia: nunc quidem iniuria temporum deſtitutę, ſed tamen olim florentiſsimæ, vt teſtantur P. Paulus Sherlogus *tom. 3. in Cantic. veſtigat 35. à num. 54.* Magneſius *in Apolog. pro Scoto, pag. 122.* Analecta de rebus Catholicis in Hybernia *Sect. 2. art. 9.* Nec patrias tantùm habuit Academias Hybernia, ſed & Exteris Lyceis non paucis dedit exordium; *Lindiſſornenſi, Oxonenſi, & Malmeſburienſi* in Anglia; *Fuldenſi, Herbipolenſi, & Sangallenſi* in Germania, ac *Patauinæ* in Italia; vt præter Authores nuper adductos, tradit Candenus, natione Britannus *in Hybernia.* Quin etiam, licet Carolus Magnus, poſt erectam à ſe Academiam Pariſienſem, acciuerit ab Vrbe Roma Profeſſores, qui in ea publicè docerent, eamq; Romanæ Academiæ conformarent, vt ſuperius libauimus, at primi Præceptores Pariſienſis Lycæi duo fuerunt Monachi Hyberni, nempe Clemens, & Albinus, longè alius ab Alcuino Anglo, qui & Albinus à nonnullis eſt appellatus; vt referũt Fr. Ioannes Marquez *de Origine Eremitarum S. Auguſtini, cap. 15.* Yepes *tom. 3. Annalium S. Benedicti an. 791.* Et ex antiquioribus D. Antoninus, Vincentius Belluacenſis, Ludolphus Bebengergius, & alii paſsim. Nec miror, tot floruiſſe Academiis Hyberniam, tot eam apud exteras gentes inſtituiſſe, cum ex ipſa ſemper clariſsima prodierint ingenia, vt Venerabilis Sedulius: Scotus, Scotiſtarum Princeps: Petrus Hybernicus, *Angelici* Præceptoris D. Thomæ in Philoſophia Magiſter: Mauritius à Portu aliique complures; vt merito dixerit Alcuinus *de Vuilibrordo in eius vita, lib. 1. cap. 4. Quia in Hybernia Scholaſticam eruditionem viguiſſe audiuit &c.* Ac præterea *libr. 2.*

Doctaq; nutriuit ſtudijs ſed Hybernia Sacris.

Necnon Author vitæ S. Sulgeni, antiquiſsimus certè, & non exiguæ authoritatis, cecinit;

At creſcente ſimul ardore, & tempore multo.
Exemplo Patrum commotus amore legendi
Iuit ad Hybernos Sophia mirabile claros

Quę omnia tum apud præfatos Authores, tum apud alios plures, ac probatiſsimos lubens comperi pro meo erga Hybernos affectu, quorum Collegii Salmantini Rector exiſto, cum hæc exaro.

91 *S. Andreæ; & Aberdonenſis, ac Glaſcouienſis*, in Scotia; Prima cæteris celebrior, erecta fuit anno 1411. à Iacobo Rege. Secunda anno 1480 à Guilhelmo Elphinſtonio, Aberdonenſi Epiſcopo; Tertia parùm dotata, minùſque celebris à Iurubullo, Epiſcopo Gaſquenſi. Nunc omnes. Academiæ illius regni ab hęreticis reguntur, deperdita celebritate Conſulantur Iacobus Middẽdorpius de Academiis *lib. 8. à p. 482.* Adrianus Romanus *in Theatro Vrbium.*

Quæſt. VI. Quæ Academiæ ſint in Hiſpania, & America? Vbi celebriora de illis proponuntur.

92 DE Academiis Hiſpanis loquens Pater Antonius Poſſeuinus *libr. 1. Bibliothecæ ſelectæ, capit. 1.* ſic fatur; *Cumque eruditiſsimis hominibus, ac liberalibus ſtudijs affluant, ſtabiliſsimum Fidei, ac diſciplinarum non ſolùm*

ijs Regnis, verum etiam disiunctissimis ab Orbe Christiano Prouincijs lumen accenderunt. Toti sunt *Authores*, etiam externi, in commendandis *Academiis* Hispaniæ, & meritò; si quidem ædificiorum structura magnifica, redditumm annuorum copia, Collegiorum splendidissimo ornamento, Priuilegiorum multitudine, Professorum eruditione, Studiosorum frequentia, nullam non laudem, & gloriam merentur. Non licet (quod maxime cuperem) pro nostri Instituti ratione, in singularum debitis encomijs immorari, sed eas dumtaxat recensebo. Sunt ergo sequentes.

93 *Salmanticensis*. De qua latiùs nobis est agendum inferius *à num.* 126. Quæ enim inter cæteras caput attollit, non cum cæteris eadem styli breuitate est cõnumeranda.

94 *Complutensis*, in Regnis Castellæ, celeberima sanè, & florentissima; Erecta fuit ab Eminentissimo Cardinali Don Fr. Francisco Ximenez de Cisneros, Archiepiscopo Toletano, anno 1500. Hoc scilicet anno fuit eius exordium; nec rectè Middemdorpius *de Academijs totius orbis tom.* 2. *lib.* 7. erectionem huius Academię appossuit anno 1517. cum hoc anno obierit Fundator, postquam iam eam constructam erat. Vir hic eximius ortum habuit in oppido Tordelaguna, Iurisprudentiæ studuit, ac Vicarii Generalis diœcesis Siguntinæ munus exercuit, Dignitatemque in ea Alma Ecclesia obtinuit. Sed sæculo renuntias in Sacrum Minorum Ordinem confugit, in quo mirum virtutis, & doctrinę specimen dedit, ardentique desiderio subeundi inter Infideles martyrio flagrauit. Prouinciam suam gubernabat, & simul erat à Confessionibus Reginę Catholicę Elisabethę, cum ad Archiepiscopatum Toletanum fuit electus mense Februario, anno 1495. & renuens ab Alexandro V. fuit compulsus, vt acceptaret. Egregia eius gesta libros occupant. Cardinalis S. R. E. Iulio Secundo fuit creatus anno 1506. & prœterea Quæsitoris Generalis Fidei in Hispania munus susceptit; Cumque à Regibus Catholicis vrbs Granatensis ex Maurorum tyrannide fuisset redempta, strenuè insudauit in horum ad Fidem Conuersione. Semel totius Hispaniæ clauum, & gubernationem tenuit, dum Rex Catholicus Ferdinandus inde abesset; & iterum eam est moderatus pro Regina Ioanna, eiusque Filio Carolo V. Prœterea plurimo labore, & sollicitudine Bibliam Complutensem in lucem edi curauit, & præstitit; In Alma Ecclesia Toletana Capellam, in qua Officium Ecclesiasticum vulgò nuncupatum *Mozarabe* persolueretur, instituit. Belli Imperator obtinuit à Mauris oppidum *de Oran* in Regno Tremecen in Berberia. Septemdecim Canonicatus dotauit in Ecclesia Collegiata Complutensi Sanctorum Iusti, & Pastoris, quos iuxta Magisterij antiquitatem obtinẽt Ecclesiastici, qui in ipsa Academia Complutensi ad Magisterii Gradum sunt promoti; inde que cernitur, quam referta Sapientibus illa Alma Ecclesia floreat. Plurima alia insignia opera Eminentissimus hic Cardinalis edidit.

95 Sed, vt optimè asserit Illustrissimus Don Didacus de Castejon Episcopus Tarazonensis in Volumine Hispano *de Primatia Archiepiscopi, & Ecclesiæ Toletanæ 3. part. à pag* 872. quãuis cætera deessent, gloriossimum rederent Cardinalem Academia, & Collegium Maius Sancti Ildephonsi Complutense intra eãdem Academiam ab ipso erectum; Id enim opus reliqua superare, absq; inuidia valet enũtiari. Quippe hæc Academia, idq; Collegium dederunt Ecclesiis Præsules, & Canonicos: Senatibus Iudices; Vrbibus Præfectos: Sciẽtijs Commentatores, & Magistros, quibus Hispania, & Orbis gloriantur. Fundatoris in plausum eximia hæc reciprocantur monumenta; Obijt autem ille die octaua Nouembris, anno 1517. in Oppido *de Roa*; & eius corpus iacet in Capella præfati Collegij Maioris Sancti Ildephonsi.

96 Plurima habet hęc Academia à Pontificibus, & Regibus concessa priuilegia, necnon ipsius Rector, qui simul est eius Cancellarius; ac itidem Rector prædicti Maioris Collegij, amplissimaque iurisdictione potitur. Quotannis à Togatis eligitur, & specialibus Insignibus supra Togam ornatur. Eius authoritas, & maiestas in Actibus publicis elucet, & in eximio, ac numeroso comitatu, quo extra Collegium pro Oppidum stipatus incedit. Hispaniarum Reges ingenti honore Rectorem Collegij, & Academię decorarunt, vt in cunctorum ore, & memoria versatur.

Hæc

Hęc Academia, & Collegium, licèt in alijs Scientijs semper viguerit, attamen in Theologia,& Philosophia valdè eminuit, quę ibi frequentibus, & peritissimis Professoribus, ac discipulis, edocentur. In ea publicè Scientias tradidere, viri præclari, quorum nomen nunquam posteritas obliuione damnabit; &, vt alios plurimos omittam, doctissima Commentaria, & libros in lucem publicam ediderunt Theologi, non Regulares, Ludouicus Tena; Ludouicus Montesinos; Gaspar de Villalpando: Ioannes de Medina: Bartholomæus de Torres: Ioannes Canterus: Christophorus de Plaza: Murcia de la Llana: Ioannes Gonsalius de Castilla: Petrus Ferdinandez de Torrejon: Franciscus Ignatius de Porres: Ferdinandus de Velloſillo: Benedictus Arias Montanus: Aluarus Gomez: Antonius Nebrissensis: Beatus Thomas de Villanueua, qui ex Collegio Maiori S. Ildephonsi ad Augustinianum Sacrum Ordinem se recepit; & præterea Authores Biliæ Complutensis.

Theologi Scriptores Complutenses ex Sacra Familia Cisterciensi, Cyprianus Huergensis: Petrus Lorca: Chrysostomus de Cabero: Laurentius de Zamora. Ex Ordine Prædicatorum, Hieronymus Almonacid: Ioannes Gonzalez de Albelda: Ioannes à Sancto Thoma: Ioannes Martinez de Prado. Ex Familia Minorum, Michael de Medina: Illustrissimus D.D. Ioannes Merinero Episcopus Vallisoletanus: Gaspar de la Fuente: Franciscus del Castillo: Christophorus Delgadillo: Franciscus Felix. Ex Ordine Carmelitarum, Ioannes Baptista Lezana: Didacus de Benauides. Præterea Leander de Sanctissimo Sacramento, ex Ordine Sanctissimæ Trinitatis excalceatus. Carmelitani discalceati Cursum Philosophicum,& Theologicum ediderunt. Ex Familia Augustiniana, Alfonsus de Cordoua; Alfonsus à Vera-Cruce: Ferdinandus de Zarate: Ioannes Marquez, & Basilius Legionensis, (qui Compluti publici fuerunt Professores, & postmodum Salmantinam Academiam illustrarunt:) Thomas de Herrera: Martinus de Aluiz: Bartholomæus de los Rios: Paius de Ribera: vt alios celeberrimos ex omnibus Sacris Ordinibus, vt consulam breuitati, prætermittam.

Iurisperiti Scriptores Complutenses, Ignatius Lopez de Salzedo: Felicianus de Solis: Ioannes del Castillo: Christophorus de Anguiano Sedano: Ferdinandus de Mendoza: Ludouicus Velazquez de Auendaño: Gregorius Lopez Madera: Didacus de Cuellar Velazquez: Petrus de Antequera Arteaga: Michael Moez Iturbide.

Medici Scriptores Complutenses, Christophorus, à Vega: Ferdinandus de Mena: Franciscus Valles: Petrus Garcia Carrero: Emanuel Martinez: Ioannes Alfonsus à Fontecha: Ioannes Gutierrez Godoi: Ioanes de Villareal: Ioanes Bustamante: Benedictus Matamoros: Antonius Cartagena: Christophorus Nuñez: Franciscus Diaz: Alfonsus à Burgos; Bermexo.

Sunt in hac Academia Complutensi, præter Collegium Maius Sancti Ildephonsi, viginti Collegia, & quidem valde illustria, quorum alumni extiterunt non pauci ex Scriptoribus relatis; indeque passim ad Cathedras, ad Collegia Maiora, ad Munera Ecclesiastica,& Sæcularia meritò euehuntur. Communitates autem Religiosę plurimæ ibidem florent, cunctis retro temporibus Viris insignibus refertæ, quorum plures ad Infulas Sacras sunt euecti, & nunc etiam Ecclesijs Almis præficiuntur.

Liceat id etiam asserere, nostram Societatem Iesu non parum splendoris huic Academiæ contulisse: In primis enim in ea Sanctus Parens Ignatius de Loyola Philosophica, & Theologica Studia degustauit; Deinde Collegium nostrum Viros fouit,& educauit, supra inuidiã insignes. Inter eos, Scriptores, qui ibidé Theologiam sunt professi, viguerunt P P. Ioannes Azor: Gabriel Vazquez: Franciscus Suarez: Petrus de Arrubal: Ludouicus de Torres: Gaspar Hurtado, priùs in Collegio Maiori S. Ildephonsi togatus: Antonius Rubio: Hieronymus de Florencia: Regius Concionator, & Infantum Confessarius: Ioannes Perlin: Ioannes de Dicastillo: Ambrosius de Peñalosa Concionator Regius: Didacus de Alarcon: Franciscus Alonso: Franciscus de Ouiedo: Gaspar de Ribadeneyra. Scriptores verò, qui in eodem Collegio Sacram Scripturam edocuerunt, Beatus Franciscus de Borja: Christophorus de Castro: Gaspar

Sanchez: Ferdinandus de Salazar Supremi Senatus Fidei Quæſitor, electus Archiepiſcopus de las Charcas: Ioannes Baptiſta Poza: Didacus de Zelada: Emanuel de Najera. Scriptores autem, qui in hoc Collegio Studijs incubuerunt, P P. Gregorius de Valencia; Ioannes de Piña: Ioannes Euſebius Nieremberg. Et demum annumerandus eſt cæteris P. Alfonſus Salmeron, qui in hac Academia Complutenſi litteris incubuit, antequam inter primos Societatis Ieſu alumnos recenſeretur. Nec quiſquam iam ibit inficias, à præfatis Scriptoribus Academiam hanc, & Scientias, ingenti fuiſſe ornamento donatas.

De Academia Complutenſi, ac de Illuſtribus eius Viris, & inſtitutione, ſparſim agunt Illuſtriſsimus Don Didacus Caſtejon *vbi ſupra*: Middendorpius *vbi ſupra*: Alfonſus Garcia *de Academiis Hiſpaniæ*: Adrianus Rom. *in Theatro Vrbium*: P. Antonius Poſſeuinus *libr.* 1. *Bibliothecæ Selectæ*: Alnarus Gomez *in vita Fundatoris huius Academiæ*. Thomas Herrera *in Alphabeto Virorum Illuſtrium, paſsim.*

Valliſ-Oletana, in regno Caſtellę, quam Alfonſus XI. Rex Caſtellæ fundauit, anno 1346. & Clemens VI. confirmauit, eſto ante confirmationem Studia Generalia in ea effloruerint. Nequit ad breues periodos redigi huius Academiæ commendatio, cum ſemper in ea inſignes Profeſſores Scientiarum omnium extiterint, eximiique viri eam frequentauerint; quare per retroacta ſæcula vſque in præſens inde ad Dignitatum, & Munerum faſtigia innumeri ſunt promoti. Illuſtrat hanc Academiam celebratiſsimum Collegium Sanctæ Crucis, vnum ex Maioribus Hiſpaniæ, erectum anno 1480. ab Eminentiſsimo Cardinali Don Petro Gonzalez de Mendoza Archiepiſcopo Toletano: ob ſua egregia opera æternùm perennaturo: & ante primum Collegij lapidem iactum Pontifex illud confirmauit; & die Sancti Matthię anno 1484. fælici ſorte, Togatorum iam conſluxit Communitas. Nullus profectò ignorat, quanto ornamento ac ſplendori fuerit hoc Illuſtriſsimum Collegium Hiſpaniæ, & Orbi; Quot genuerit alumnos præclaros, quos ſibi ambierunt Cathedræ, Senatus, Infulę, Eccleſiæ, & Suprema honorum culmina; Non ſufficeret liber integer ad eos recenſendos; Ipſi ſe, inſtar fulgentium ſyderum, ſua luce produnt, & poſteritatis memoriæ cõmendant. Fundatoris inſignia numera, & geſta recenſet (quæ ad miraculum ſunt) Ægidius Gonzalez Dauila *tom.* 1. *in Theatro Eccleſiaſtico Eccleſiæ Siguntinæ pag.* 179.

98 *Hiſpalenſis* in Prouincia Bætica, tempore Regum Catholicorum Ferdinandi, & Eliſabethæ erecta à Don Roderico Ferdinandez de Santillana, qui eiſdem Regibus fuit à confeſsionibus, Regni Siciliæ Viſitator Generalis, electuſque Archiepiſcopus Cæſaraugustanus. Vocatur hæc Academia vulgo *Maeſe Rodrigo*, ſumpta denominatione à Magiſtro Roderico eius Fundatore. In ipſamet incluſum eſt inſigne Collegium eadem nomenclatura nuncupatum, quod pluribus Regum reſcriptis, & priuilegijs eſt inſtructum; & Rex noſter Philippus IV. Hiſpaniarum Monarcha, illud inter Collegia Maiora recenſeri conceſsit, eorumque gaudere priuilegijs. Ex illo plures ad Dignitates, & Senatus meritò ſunt euecti. In Hiſpalenſibus Studijs olim efflоruere D. Iſidorus Hiſpalenſis, Diuus Leander, Syluester Secundus Pontifex, Auicena, & alij quam plurimi, vt videre eſt apud Nauclerum Volaterranum, & Platinam; ac Ioannem Sixtum *lib.* 2. *Bibliothecæ ſanctæ.*

99 *Oſcenſis* in regno Aragoniæ, ſita in vrbe *Hueſca*. Si ad eius primam erectionem attendamus, antiquiſsima eſt inter omnes Hiſpaniæ. Quippe eam erexiſſe Quintum Sertorium, Romanum ducem, coætuum Syllę, & Marij, ſuadent, tum illam adhuc vocari Sertorianam, tum plurimi Authores id affirmantes; Plutarchus *in vita Q. Sertorij* Sabelicus *lib.* 3. *Ænead.* 2. *fol.* 71. Tarcañota *lib* 3. *fol.* 616. *volumin.* 2. Zurita *lib.* 8. *cap.* 54. Ioannes Gerundẽſis, *in Paralipomen. lib.* *. *tit. de morte Sertorij*. Loayſa *in Concil. Hiſpaniæ pag.* 160. *num.* 8. Et innumeri alii. Iuſſu Sertorij Oſcæ primum lingua latina diſci cępit in Hiſpania, & quia ea erat lingua Romana, exinde dicta eſt *Romance*; quæ temporis tractu tum Romæ, tum in Hiſpania, in qua valde iam frequens erat, corrupta fuit. Ita tradit Alexius Venegas *in prologo ad librũ Hiſpanũ Franciſci Ceruantes, qui inſcribitur, Apologo de la ocioſidad, y del trabajo.*

Tem-

100 Tempore deuaſtationis Hiſpanię collapſa fuit hæc Academia, eſto Authores bonæ notæ affirment, eam ſimul cum Fide Catholica etiam tunc fuiſſe conſeruatam in eadem Vrbe intra Parochiam Sancti Petri, ibique deinceps permãſiſſe, donec Petrus IIII. Rex Aragoniæ anno 1354. eam inſtaurauit, ſuumque Palatium ad ædificium donauit: ac plura priuilegia conceſsit, eaque confirmauit Ioannes II. Rex, ad cuius inſtantiam Pontifex Paulus II. anno 1464. ei indulſit omnes immunitates præſtitas Academię Bononienſi, & Toloſanæ: idque etiam confirmatum fuit à Iulio II. anno 1503. Gaudet hæc Academia pluribus alijs priuilegijs conceſsis à Rege Aragoniæ Martino, à Ferdinando Catholico Rege Hiſpaniæ, Carolo V. Imperatore, & ab eius Genitore Philippo I. Illius demum priuilegia confirmauit Paulus III. anno 1535.

101 Aliqua in hac Academia extant Collegia, & quidem illuſtria. Efloruerunt in ea ſemper viri doctiſsimi. Conſulat, qui velit, Didacum de Ainſa *in libro de Excellentijs vrbis Oſſenſis*, *lib.* 5. Solum obiter obſerua, Ambroſium Bondia *in Cythara Apollinis*, & alios nonnullos aſſerere, Pontium Pilatum, è Gallia, vbi Academia tunc non fuerat inſtituta, ad Vrbem Oſcenſem aduentaſſe & in hac Academia, quæ centum, & ſex annis antè fuerat erecta, Studijs incubuiſſe.

102 *Ilerdenſis* in Catalaunia, adeo quidem vetuſta, vt de ea ſolet exponi illud Horatij Flaci carmen; *Aut fugiens Vticam, aut vnctus mitteris Ilerdam.* Illam reſtaurauit, ſeu de nouo erexit Don Iacobus, ſeu Iayme Secundus Rex Aragoniæ iuxta annum 1300. In ea, teſte Platina, Calixtus III. Pontifex vtriuſque Iuris Doctor fuit creatus, & publicè Iuriſprudentiam edocuit. Ibi etiam S. Vincentius Ferrer Magiſterij Gradum ſuſcepit. Plures Viros celebres hæc Academia produxit; inter quos Petrus Roirius, qui de Lituanicis deciſionibus ſcripſit, aſſerit *deciſione* 3. ſe in hac Vniuerſitate Iuriſprudentiæ operam dediſſe.

103 *Valentina* in regno Valentię; Quã etiam ante Chriſtum natum effloruiſſe, affirmant bonę notæ Authores, extinctamque fuiſſe in generali Hiſpanię deuaſtatione. Poſtmodum fuit extructa anno 1411. eamque ſuis priuilegijs, ac diplomate in Academiam erexit Alexander Sextus Pontifex anno 1499. & in ſuper Rex Catholicus Don Ferdinandus pluribus indultis muniuit. Similigaudet priuilegio, ac Salmanticenſis Academia ex Bulla Eugeniana, reſpectu eorum, qui habent Beneficia Eccleſiaſtica, ne reſidere teneantur, & faciant fructus ſuos; de qua latè in inferioribus agemus. In hac Academia, vt aſſerunt Volaterranus, & alii, Artibus, & Theologiæ ſtuduit S. Dominicus, illuſtris Prædicatorum Ordinis Fundator; In ea etiam S. Vincentius Ferrer Sacras Litteras docuit, inſigneſque inde litteris Viri prodierunt.

104 *Toletana*, in Regno Toletano. Eam erexit Doctor Don Franciſcus Aluarez de Toledo, Canonicus, & Magiſter Scholę Almæ Eccleſiæ, Protonotarius Apoſtolicus, Datarius Pontificis Alexandri Sexti, & à Conſilijs Regum Catholicorum Ferdinandi, & Eliſabethę. In eadem Academia dotauit Collegium Sanctæ Catharinæ. Confirmarunt hanc *Academiam*, priuilegiiſque ornarunt Leo Decimus anno 1520. in quo fuit erecta; Paulus Tertius anno 1535. Carolus V. Imperator, & Ioanna eius Genitrix anno 1529. Inter alia Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex huic *Academiæ* conceſsit priuilegium Magnatis Hiſpaniæ; vulgò *de Grande de Eſpaña*. Eius eſt Cancellarius Toletanæ Eccleſiæ Magiſter Scholę, & abſente eo ab *Academia*, præſidet Rector Collegii. Patronus eſt Comes de Cedillo. Obiit Fundator die quinta Septembris anno 1523. & ſepultus eſt in Sacello eiuſdem Collegii Sanctæ Catharinæ. Olim Toleti litteras didicit S. Ildephonſus, eiuſdem Eccleſiæ *Archipræſul*. Videatur de hac Vniuerſitate Franciſcus Piſa *in hiſtoria Toletana libr.* 1. *capite* 26.

105 *Oñatenſis* in Prouincia Guipuzcoæ. Eam extruxit, & ſimul in ipſa Collegium inſigne Sancti Spiritus, Don Rodericus de Mercado, & Zuazola, Præſes Granatenſis, Prorex Nauarræ, Epiſcopus *Abulenſis*, & electus *Archiepiſcopus* Compoſtellanus, anno 1548. ſub Pontifice Iulio Tertio, & Imperatore Carolo V. Rege Hiſpaniarum. Rector Collegij eſt Archygimnaſter, Cancellarius, & Conſeruator Academię, quæ

ingentibus potitur priuilegijs. Ex hoc Sancti Spiritus Collegio præclarissimi Alumni prodierunt, & inter eos tredecim ad Infulas Archiepiscopatuum, & Episcopatuum sunt euecti. Aliud ibidem extat Collegium Sancti Stephani Rectori præfecto subiectũ. Huius Academiæ, ac Collegij in ipsa siti, Patroni sunt Catholici Hispaniarum Reges. Ipsius vero Fundator obijt die 29. Ianuarij, anno 1548.

105 *Cæsarauguſtana* in Regno Aragoniæ. Eam erexit Imperator Carolus V. Rex Hispaniarum anno 1543. Renouauit autem eam, & redditibus annuis adauxit Don Petrus Cerbuna, Episcopus Tarazonensis, indeque fuit in Patronum adscitus. Postmodum anno 1641. Archiepiscopus Don Petrus Paulaza Moderatoribus Artium, & Theologiæ stipendia annua addidit, & constituit. Fœcunda fuit hæc Vniuersitas Virorum illustrium, cum Aragoniæ Regnum eos Marte, & toga insignes omnibus sæculis produxerit.

106 *Barcinonenſis* in Catalaunia. Quam Aragoniæ Reges erexerunt, & pluribus priuilegijs ornarunt, post Petrum Aragoniæ Regem; summique Pontifices ipsam confirmarunt. Non facile recenserentur Sapientes Viri, qui in hac Academia efflorverunt, cum acre, & viuidũ Catalaunorũ ingeniũ nulli non sit litteraturæ paratissimum.

107 *Oſſunenſis*, in Prouincia Bætica; Erecta fuit authoritate Pauli Tertij, & Caroli V. anno 1548. ab Excellentissimo Domino Ioanne Tellez Girõ, Comite de Vreña, cuius Successores inclyti Ossunenses Duces ipsam, vt Patroni, fouerunt. Ius Academiæ penes Rectorem est, eamque semper doctrina, & Alumnis insignem fuisse, testatur Adrianus Romanus *in Theatro Vrbium*, & nostra idipsum sæcula proclamant. Eam esse secundam in Bætica Prouincia, ait Ægidius Gonzalez de Auila *in Theatro Ecclesiastico, Hispalensis Ecclesiæ*. In eadem Academia insigne est Collegium sub titulo Immaculatæ Conceptionis Virginis.

108 *Conimbricenſis* in Regno Lusitaniæ. Eam extruxit Ioannes Tertius Rex Portugalliæ simul cum vxore Catharina Caroli V. Imperatoris sorore, vt affert prædictus Adrianus Romanus *in Theatro Vrbium*. Celebris hæc Academia Viros semper fouit illustres. In ea Ius Canonicum docuit Martinus Nauarro Alpizcueta, vt affirmat Præses Couarrub. *in Epitome Decretalium*. In ipsa Hyeronymus Osorius, aliique innumeri viguerunt; Ac ex nostra Societate Iesu ibi Theologiam edocuit eximius Doctor (quo nomine cum Apostolica Sedes donauit) P. Franciscus Suarez; & Philosophicum Cursum Patres Conimbricenses ediderunt; vt plures alios omittam, qui Scientias illustrarunt. De hac Academia agitur *in tom. 2. Hispaniæ illustratæ, pag.* 815. Elogiumque illius ab Andrea Resendio in publica Oratione acclamatum affertur à Iacobo Middemdorpio *tom. 2. Academiarum Vniuersi Orbis, lib. 7. pag.* 416. Plura de ea videantur apud Alfonsum Garcia de Academijs Hispaniæ *tit. Conimbricensis Academia*, & apud Antonium de Sousa Macedo *in lib. de Excellentijs Lusitaniæ prima part. cap. 8. excellent. 7.*

109 *Gandienſis* In Regno Valentino. Erecta fuit à B. Francisco de Borja, Duce Gandiensi, & deinde tertio Præposito Generali nostræ Societatis Iesu, qui in eadem Theologiæ studit, & Magisterij Gradum accepit. Academiæ titulo, & honore illam decorauit Pontifex Paulus Tertius anno 1547. eademque ei priuilegia impertiuit, quoad eos, qui ibi Gradus suscipiunt, ac impertita sunt Academijs Salmantinę, Parisiensi, Complutensi, ac Valentinæ; quę priuilegia Carolus V. Imperator etiam ei concessit. Hęc Academia sub Societatis Iesu regimine versatur. De illa videri queũt P. Ribadeneyra *in vita B. Francisci de Borjà c. 13.* P. Nicol. Orlandinus, *tom. 1. historiæ Societatis Iesu, lib. 7. a n. 55.* & Gaspar Escolanus *in historia Regni Valentiæ, tom. 2. lib. 6. cap. 21.* Gradus in omnibus Facultatibus accipiuntur in hac Academia, rigoroso examine præcedente.

110 *Perpiñanenſis* in Catalaunia. Eam erexit, ac confirmauit, pluribusque priuilegiis stabiliuit Petrus Aragoniæ Rex, diplomate suo confecto die 20. Martij, anno 1349. Et simul Vniuersitatis Generalis titulum, ac honorem ei concesserunt Pontifices Clemens VI. & Benedictus XIII. Gaudet hęc Academia vtraque potestate, nempè Pontificia à præfatis Pontificibus præstita, & Regia à prædicto Rege indulta, necnon & à Successoribus.

Gra-

111 *Granatensis* in Bætica Prouincia. Postquam Vrbs Granata, quæ Regni Granatensis est caput, per Reges Catholicos Hispaniarum Ferdinandum, & Elisaberham fuit à Maurorum tyrannide liberata, Fideique restituta, primus eius Vrbis Antistes fuit Ferdinandus Talabricensis Hieronymianus. Hic iuxta aliquos Academiam hanc erexit, quam Pontifices, & Reges confirmarunt, priuilegijsque munierunt. Successor Fundatoris in Sede Archiepiscopali Illustrissimus D. Gaspar Danalos ipsam Vniuersitatem adauxit; Cuius meminere P. Antonius Possevinus *lib.* 1. *Bibliothecæ selectæ*, *cap.* 1. Middemdorpius *tom.* 2. *Academiarum vniuersi Orbis, libr.* 7. *pag.* 421. & alij. Cæterum verius Franciscus Bermudez *lib. de antiquitate, & excellent. Granatæ lib.* 3. *à cap.* 19. affirmat, Carolum V. Imperatorem fundasse hãc Academiam anno 1531. & confirmatam fuisse à Clemente VII. Sunt etiam ibi aliqua insignia Collegia, quorum duo, Regium nempè, & S. Catharinæ Carolo V. Fundatore meritò gloriantur. Illustrissimi, & Sapientissimi Viri ex hac Academia, & Ciuitate prodierunt, quos refert Bermudez *vbi supra*.

112 *Tarraconensis* in Catalaunia. Erecta fuit ab Eminentissimo Cardinali Gaspare Ceruantes Gaetes, Archiepisco po Tarraconẽsi, anno 1572. Qui stipẽdia, ac redditus annuos Professoribus publicis è suis facultatibus erogauit; quippe ipsum Academiæ ædificium ab ipsa Ciuitate Tarraconensi proprijs sumptibus fuit extructum. Videatur Matomorus allatus *in tomo* 2. *Hispaniæ illustratæ, pag.* 872.

113 *Eborensis* in Regno Lusitaniæ. De qua L. Andreas Resendius *lib. de antiquitatibus Eboræ*, sic fatur. *Henricus autem, qui Sebastiano successit in Regno, cum Eborensi Ecclesiæ præesset, Collegium insigne Patribus Societatis Iesu, vnà cum magnificẽtissimo Templo, extruxit, vbi celebrem instituit Academiam, in qua Humaniores litteræ, Philosophia, ac sacræ Theologiæ studia cũ pia morum disciplina maximè florent; vnde non tantum huic Vrbi, sed etiam cæteris vicinis oppidis, & vniuersæ Lusitaniæ ingens vtilitas, ornamentumque accessit.* Fuit autem Henricus primùm S. R. E. Cardinalis, deinde extincto in Africa Rege Sebastiano, ei in Regno successit. Hanc Academiam celebrant Didacus Payua apud Middemdorpium *tomo* 2. *Academiarum, lib.* 7. *pag.* 418. P. Possevinus *relato lib.* 1. *Bibliothecæ*. Et Vrbem Eborensem, eiusque antiquam nobilitatẽ eleganter suis carminibus illustrat Iacobus Mænetius Vasconcellus, Iurisperitus Lusitanus *in Commentario de Eborensi Municipio*.

114 *Compostellana* in Gallęcia, quam nec æqua, nec vera censura nuncupat obscuram Iacobus Middemdorpius *vbi supra pag.* 418. Sed externo Authori res Hispaniæ non calluisse licuerit vtcumque; Inde namque & plures Hispanas Academias prætermittit, cum tamen omnes totius Orbis recensere, eius fuerit instituti; alias vero leuissimo calamo, & perfunctorie libat. Compostellana igitur Academia & disciplinarum studijs, & Professoribus Scientiarum, & Scholariũ ex eodem Galæciæ Regno frequentia, necnõ & priuilegijs, quibus fungitur, splendore, & claritate gaudet. Præterquã quòd Fundatorem habet eximium, nempè Illustrissimum Dominum Don Alphonsum de Fõseca, & Azebedo, Regum Catholicorum Proto-Sacerdotem, Aragoniæ Protonotarium, Archiepiscopum Compostellanũ, ac postmodum Toletanum, et Comitatus de Fuentes Fundatorem; Qui sui præclara monumenta reliquit, cum Salmanticę à primo lapide erexerit insigne Collegiũ Maius, quod Archiepiscopi nuncupatur, et Vrbem Salmantinam suis expensis à gabellis Plebeiorum redemerit; quod idem præstitit respectu Ciuitatis Compostellanæ, in qua Academiã, et in ea illustre Collegium erexit, et ditauit; eaque Academia approbata fuit, et confirmata Pontificum, et Regum rescriptis. Huius Academiæ inter alios meminit Ægidius Gonçalez de Auila *in Theatro Ecclesiastico Ecclesiæ Compostellanæ*.

115 *Beacienſis*, in Ciuitate Baeza in Prouincia Bætica, quam inter Hispaniæ Academias illustres fore annumerãdam, affimat prędictus Ægidius Gonçalez de Auila *in Theatro Ecclesiastico Hispalensis Ecclesiæ*, eamque fuisse erectam à Magistro Ioanne de Auila, qui Apostolicè Dei verbum per eam Prouinciam euangelizauit, et suis litteris, scriptis, ac Discipulis, quos educauit, fructus vbertimos animarum produxit. Florent in hac Academia studia disciplinarum, et inde prodeũtes non pauci recensentur insignes alumni.

116 *Siguntina* in Regnis Castellæ, quæ in Collegio Sacri Ordinis Sancti Hieronymi est sita, eiusque sunt Patroni Epis

copus

cõpus Siguntinus, ac eiusdem Collegij Rector, nec non Dignitas quædam Almæ Ecclesiæ Siguntinæ, seu vt alij eam vocant, Siguenzanæ Hanc Academiam erexit D. Ioannes Lopez de Medina, à Cõsilijs Hẽrici Quarti Regis, & pro illo Romę apud Summum Pontificem Legatus, Archidiaconus de Almazan in prædicta Alma Ecclesia, ac Canonicus Toletanę. Duo alia præclara Collegia hanc Academiam illustrant, nempe S. Antonij, & S. Martini, quorum erectionem attigit relatus Ægidius Gonçalez de Auila *in Theatro Ecclesiastico Siguenzanæ Ecclesiæ*: Et huius Academiæ leuiter meminit Middemdorpius *tom. 2. de Academijs Orbis lib. 7. pag. 436.*

117 *Hirachensis* in Regno Nauarræ, sita in Monasterio insigni Sãctæ Mariæ de Hirache Sacri Ordinis Benedictinorum prope ciuitatem *Estella*. Hoc Monasterium asseritur ab aliquibus, fundatum fuisse à Rege Don Garsia, filio Regis Don Sanctij; Eos refellit Fr. Antonius de Yepes *tom. 3. Chronicæ S. Benedicti, centuria 4. cap. 2. à pag. 387.* & ostendit, erectum fuisse à Regibus Gothis, multo ante præfatum Regem tempore, quin designari valeat Fundator: Et addit, adhuc illud stetisse, dum Mauri in Generali Hispaniæ deuastatione vicinum ei territorium occupabant. Recenset ibi priuilegia à Regibus huic Monasterio concessa, necnon Abbates illus, quorum extat memoria. Igitur in illo sita est Academia approbata, & confirmata à Summis Pontificibus, litterarijque Gradus in ea conceduntur; Abbates autem sunt Rectores illius. Videatur Fr. Antonius de Yepes *supra*.

118 *Oxomensis* in Regnis Castellæ. Eam construxit Don Petrus de Acosta Episcopus Oxomensis, quem nondũ vigesimum secundum annum natum Iulius Secundus ad Episcopatum de Oporto in Lusitania euexit; deinde Legionensis Antistes fuit creatus, ad extremum Oxomẽsis, & Proto Sacerdos Dominæ Ioãnæ Principis Hispaniæ. Hic Academiam, ac in ea nobile Sanctæ Catharinæ Collegium erexit, dum hunc gereret Episcopatum, quem susceptit anno 1539. Liberauit oppidum ipsum à plebeiorum gabella; quare in gratitudinis tesseram Cõsessus oppidi simul cum Almæ Ecclesiæ Capitulo adit Collegium prælictum quotannis, die S. Catharinæ. Obiit Fundator die prima Martij, anno 1563. Et iacet sepultum in Cœnobio Sancti Spiritus in Oppido *de Aranda de Duero*; quod etiam ipse fundauit. Videatur Ægidius Gonçalez de Auila *in Theatro Ecclesiastico Oxomensis Ecclesiæ, tom. lib. 4. cap. 3. pag. 69.*

119 *Ouetensis* in Principatu Asturico. Eam extruxit, & large ditauit Don Ferdinandus de Valdes, primum in Collegio Maiori D. Bartholomæi Salmãtino Togatus, deinde Præses Vallisoletanus, ac etiam Supremi Senatus Castellæ, Episcopus de Helna, Aurensis, Ouetensis, Legionensis, Siguençanus, & demum Archiepiscopus Hispalensis, ac Generalis Sacræ Fidei Quesitor. Hic inter alia præclara monumenta erexit insigne Collegium Sancti Pelagij Salmantinum; necnon & prędictam Academiam, & Collegium S. Gregorij Ouetense. Obijt Madridij die nona Decembris, anno 1568. iacetque eius corpus in Oppido de Salas in eodem Principatu Asturico non longe ab Ouetensi vrbe, in quo Oppido nobilia suæ gentis sunt stemmata. In hac Academia septemdecim sunt Cathedræ, prędarique Professores eas sunt moderati ab anno 1608. in quo publicè ibi cæpit doceri. Rector quotannis eligitur à consessu Academico, penes quem est Academiæ moderamen. Gaudet innumeris priuilegijs, quæ à Pontificibus, ac Regibus obtinuit, & instar Academiæ Salmantinæ suas constitutiones, & regimen sibi adaptauit. De hac Academia, & eius Fundatore agit Ægidius Gonçalez de Auila *in Theatro Ecclesiastico Ouetensis Ecclesiæ tom. 3. pag. 106. & pag. 150. & in Theatro Ecclesiæ Hispalensis.* Dum ille Ecclesiæ Ouetensis esset Præsul accidit ibi, quod, vt certum, & celebratissimum, obiter attingam. Innumeri mures territoriũ quoddam, velut agmine facto, deuastabant; Incolæ ad Vicarium Generalem diœcesis Didacum Perez de Villauicioſa rem deferunt, grauiter de nocumento conqueruntur, & exposcunt syncerè, vt censuris ea animalcula compellat ad fugam. Illius iussu Procurator, & Aduocatus Murium designatur; lis iuridice agitatur: sententia profertur, quod censuris cogantur deserere territorium, & ad Montanorum culmina progredi, quin illinc possint descendere. Intimata est Procuratori murium sententia, qui postulauit, vt in fluuijs, qui inter territorium prædictum, & Montana intercedebant, pontes disponerẽtur, per quos Mures valerent commeare. Idei concessum est: ligna superponuntur à ripa ad ripam in fluuijs; sententia, ac censuræ

surę publicè in eo territorio leguntur Mira res. Illico Mures omnes conglomerati recto tramite incedētes ad fluuios properant, per ligna, seu pontes transgrediūtur, ad Montanorum ardendunt fastigia, nec vlterius inde sunt reuersi. Extat adhuc processus Iudicialis peractus, quem se vidisse testatur præfatus Ægidius Gonçalez de Auila *vbi supra*.

130 *Abulensis* in Regno Castellæ. Inclusa est hæc Academia in illustri Cœnobio Sancti Thomæ, Ordinis Sacri Prædicatorum. Huius Cœnobij designatur Fundator Fr. Thomas de Torquemada Fidei Sacræ Generalis in Hispania Quæsitor; esto alij Fundatores assignent Reges Catholicos Ferdinandum, & Elisabetham, à predicto Fr. Thoma de Torquemada ad id insigne opus excitatos. Quin & Ægidius Gonçalez de Auila *in Theatro Ecclesiastico Ouetensis Ecclesiæ, pag.* 148. affirmat, Fundationi huius Cœnobij subsidium etiam suppeditasse Virum illū egregium litteris, ac libris, quos in lucem edidit contra Lutherum, scilicet Don Didacum de Muros Episcopum Ouetensem, & Fundatorem illustris Collegij Maioris S. Saluatoris, vulgo *de Ouiedo*, Salmantini. Igitur prædicta Academia est approbata, ac confirmata à Pontificibus, & Regibus, in illaque gradus litterarij in omnibus Facultatibus dispensantur. Videātur relatus Ægidius Gonçalez de Auila *in Theatro Ecclesiastico Abulensis Ecclesiæ lib. 3. cap. 3. pagi.* 117. Fr. Ioannes Lopez Episcopus Monopolensis *3. part. historiæ S. Dominici lib. 2. cap. 35.* Fr. Ludouicus de Ariz *in historia Ciuitatis Abulensis 1. part. §. 13. fol. 47.*

121 *Limensis* in America, in ciuitate *de Lima*, seu vulgo *de los Reyes*. Hāc Academiam erexit inuictus noster Imperator Carolus V. anno 1551. & confirmauit Pius V. die 8. Iulij, anno 1571. Regesque Hispaniæ reparārunt, ornarunt, & auxerunt. Sexdecim millibus nummorum argenti in singulos annos ad suos sumptus & stipendia potitur. Supra viginti Cathedræ sunt sitę, in quibus omnes facultates edocentur, quarum quædam est linguæ *Quichua*; alia verò Theologiæ moralis erecta, ac dotata fuit à D. Feliciano de Vega Episcopo Popaiensi, & tradita fuit sacræ Dominicanæ Familiæ. Doctores sunt ferè centum in hac Academia, & eximia est pompa triumphalis Doctoratus. Caput Academię est Rector, qui singulis annis eligitur Sabbatho ante Dominicam in Albis, alternatis vicibus inter Ecclesiasticos & Sæculares Doctores. Studia cursus litterarij semestris, non à die D. Lucæ incipiunt, vt in Hispanię Academijs, sed à prima die post Dominicam in Albis.

122 Hanc Limensem Academiam tria Togatorum exornant Collegia Duo quidem Regia; aliud S. Philippi, cuius Rectorem iure Regij Patronatus Proreges eligunt; Domesticam habet Digesti veteris Cathedram, & eius Moderator sedem in stallo Doctorum. Aliud sancti Martini, quod à Regibus traditum est regimini Societatis Iesu; Ducentum habet Collegas; quorum duodecim Regio stipendio; duodecim alij censu impositio ab ipsa Societate aluntur; Cęteri parentum sumptibus viuunt; De eo ait D. Didacus de Leō Pinelo, *pro Academia Limensi, cap. 14. fol. 16 Sublime hoc est iuuentutis scientificæ emporiū.* Tertium Collegium erectum fuit ab Illustrissimo D. Toribio de Mogrouejo Archiepiscopo Limensi olim in illustri Collegio Maiori sancti Saluatoris Salmantino, Togato; Viro quidem vitæ sanctimonia insigni, indeque apud Sedem Apostolicam iustè, sollicitè, & piè peragitur, vt Sāctorum adscribatur fastis. Hoc Collegium inseruit Metropoli, eiusque Rectores designantur ab Archiepiscopo Limensi, hique semper sunt Almæ Ecclesiæ Portionarij. Innumeri sūt viri egrēgij, qui in hac Academia litteris, & sapiētia efloruerūt, indeque ad Dignitatum, & honorum fasti gia sunt assumpti. Videantur relatus Don Didacus de Leon Pinelo, qui facetè, & eruditè inuehitur in Lipsium, eo quòd *in descriptione Oppidi, & Academiæ Louanensis*, dum de scientijs agit, asseruerit, in Nouo Orbe esse barbariem. Videri etiam potest Fr. Bonauentura de Salinas *in historia noui Orbis, cap. 7.* & Fr. Didacus de Cordoua *in vita Fr. Francisci Solano lib. 2. cap. 6. pagin.* 289.

123 *Mexicana* in America, in Orbe Nouo, seu in Noua Hispania. Erecta fuit anno 1553. regnante in Hispanijs Carolo V. Imperatore; & ab eius Successoribus, Hispaniarum Regibus promota, & aucta, ac à Summis Pontificibus confirmata, ac pluribus priuilegijs munita, præcipuè à Clemente Octauo anno 1595. Opulentis annuis redditibus gaudet, & Viris sapientissimis in omnibus scientijs floret, qui & Academiam, & Munerum culmina illustrant. Ornatur etiam insignibus Collegijs, quorum vnum Societatis Iesu

regi-

regimini ſubeſt. Huius Academiæ meminerunt eruditiſsimus,ac clariſsimus Don Laurentius Ramirez de Prado *in Notis ad Luitprandum,pag.* 424. Don Didacus de Leon Pinelo *in Hypomnemate Apologetico pro Academia Limenſi,cap.* 20.*numer.* 84. & doctiſsimus Don Ioannes de Solorzano *tom.*2.*de Iure Indiarum,lib.*3.*cap.* 14.

124 In Indijs Occidentalibus ſunt etiam alia Studia Generalia,quorum aliqua ſolent Academiæ nuncupari; ſicut etiam in Indijs Orientalibus, quæ Hiſpaniarum Monarchæ ſubijciuntur; atque in Inſulis Philippinis in Vrbe Manila,in noſtro Collegio Societatis Ieſu Gradus litterarij ab externis accipiuntur, ſicut in cæteris Academijs,adeòque Academiæ nuncupantur.

125 Sunt etiam in Hiſpania aliæ Academiæ Viris Sapientibus refertæ, ſed celebritate,& plauſu non adeò vigentes,ac ſuperius relatæ; Scilicet in Ciuitate Origuela,in Regno Valentiæ; necnon in Vrbe Tortoſa in Principatu Catalauniæ. Recenſet etiam inter Hiſpaniæ Academias Middemdorpius *vbi ſupra, pagin.* 423. Maioricanam,ſitam in vrbe Metropoli Inſulæ,ſeu Regni Maioricæ, quam, ait, vocari Lullianam, eo quòd in illa Lullij doctrina ſpecialiter tradatur. Præterea in Regno Luſitaniæ ſunt aliqua Studia Generalia,quorum nonnulla communi voce Academiarum aliquando circumferũtur, nempe in ciuitate Vlyſſiponenſi, in Braccharenſi, Berganzæ,& Algaruijs; Quæ ſtudia refert,& cõmendat Antonius de Souſa Macedo *in libro Hiſpano de excellentijs Luſitaniæ,* i.*part.cap.*8.*numer.* 13. Et demum noſtro æuo Philippus Quartus Hiſpaniarum Monarcha Regia magnificentia inſtituit ſtudia in Collegio Imperiali Societatis Ieſu Madridienſi,in quibus Profeſſores noſtri vndique vocati, & ſelecti, edocent Theologiam Scholaſticã,& Moralem, Scripturam ſacram, Politicã, Ethicam, Mathematicam, Aſtrologiam, Artẽ militarem, linguarum notitiam,& Rethoricam,ac litteras Humaniores. Optaſſem ſanè in *A*cademijs Hiſpanis,pro earũ dignitate,fuſius immorari,ſed id ſolum poſſet explere volumina; quare notitiam earum breuem dumtaxat libaui. Qui latiorem deſiderat,adeat *A*uthores *tota hac quæſtione* relatos,& *A*lfonſum Garcia *de Academijs Hſpaniæ.* Cum florentes adeò *A*cademiæ in Hiſpania ſint, meritò *in leg.* 25.*lib.* 1.*tit.*7.*Recopilat.* prohibitum fuit, ne quis ſtudiorum cauſa extra Hiſpaniam pergeret; & pergentibus pœnæ deſignantur, & declaratur, inualidos fore eorum Curſus litterarios; exceptis his, qui Romæ, Neapoli, aut in Collegio Hiſpano Bononienſi commorantur.

Quæſtio VII. de Academia Salmanticenſi,eius inſtitutione, ac priuilegijs.

§. 1. Acedemię huius commẽdatio,& creatio.

12- Liceat in *A*cademia Salmanticenſi fuſius immorari; tum ob affectum: tum ob eius claritudinem. *A*ffectus quidem eſt filij in matrem: alumni in nutricem; quippe iunior in ea Iuriſprudentiæ operã nauaui; admiſſuſque fœlici omine in Societatem Ieſu in Salmantino Collegio, iterum rediens in ipſa per quadriennium Theologiam didici; & in publico gymnaſio *A*ſſertiones Theologicas pro Vniuerſitate tum dimidiato die, tum integro defendi. Demum non paucis annis Theologiæ Scholaſticæ,& Sacræ Scripturæ Profeſſor in eodem Collegio,in *A*cademia etiam per aliqua temporis interualla noſtrorum Profeſſorum vices gerens Theologiam edocui. Vnde merito me tantę matris filium nuncupauerim. Nec communis parens immeritum etiam reijciet alũnum.

117 Eius autem claritudo, & in toto terrarum Orbe celebritas neminẽ latet. Exteri ipſi *A*cademici ei palmam inter omnes Orbis Vniuerſitates concedũt. Goropius Beccanus apud Middemdorpiũ *libr.*5.*de Academijs,pag.*277. laudans *A*cademiam Louanienſem,addit; *Et ſi Salmantica in Hiſpanijs Scholarum magnificentia omnibus Europæ gymnaſijs præſtet.* Idem Middemdorpius eam eximiè commendat *à pag.* 424. & ait; *Quare Adrianus VI. nobiles quoſdam adoleſcentes,quàm optimos,quàm ornatiſsimos, quàm doctiſsimos redditurus, ad Salmanticenſem Academiam ſtudiorum gratia mittebat.* Sed quid in tranſcribendis huius *A*cademię laudibus immorer, cum referti ſint eis paſsim innumeri *A*uthores; & dicenda à nobis ſatis ab vngue leonem oſtendant. Legat, qui velit, Benium *de pri-*

mi-

*uileg. Iurisperitorum,priuileg.*13. *& præfat. in* 3.*part.priuileg.* P. Antonium Possevinum *lib.*1. *Bibliothecæ selectæ cap.*8. qui ait, se velle Ideam Academijs præstare in descriptione Salmanticensis Vniuersitatis; Couarrubias *lib.*1.*variar.resolut.cap.* 11.*& in proœm.ad cap. Possessor,de regul. iur. in* 6. *& in Epitom.Decret.part.*2.*cap.* . §. 4. P. Scotum,& alios decursu referendos.

128 Vnicum sacrę Rotæ testimonium referam,in decisione coram Frā cisco Penna die 5.Iunij,anno 1591. in qua agitur de exemptione Magistri Scholæ Salmanticensis in causis, super quibus lis fuerat orta,& hac verba initio decisionis prefiguntur; *In Ciuitate Salmantina vna est celebris,& antiqua Vniuersitas multis Romanorum Pontificum donata priuilegijs, & innumeris Regum Hispaniæ munita præsidijs,quia in ea speciali quadam prærogatiua litterarum omnium videtur considere domicilium, litterarium Musæum, & quasi commune liberalium artium,& scientiarum emporium, ac linguarum Hebraicæ, Arabicæ, Chaldææ florere peritia;vt non immerito Leo Papa X.rescripto quodam studio Salmantino priuilegia tribuente enuntiauerit,prædictam Vniuersitatem inter alias totius Orbis Vniuersitates,peritissimis cuiusque professionis,linguarum,& Iuris Doctoribus,quos in notabili numero in dies producit, eximio splendore nitescere, & per eam Fidem orthodoxam non solum conseruari,verum illius vndique diffusa doctrina amplius extolli, & amplificari,&c.* Pulchra,grauis,ac vera attestatio,& Pontificis Summi authoritate suffulta.

129 Igitur Vniuersitas Salmanticensis fundata,& creata fuit ab Alfonso IX. Legionis Rege prope annum 1200. Et quia eodem tempore Alfonsus VIII,Castellę Rex aliam Academiā(quæ postmodum fuit collapsa)instituit in Ciuitate Palentiæ,vndique conuocatis Magistris,&amplis designatis stipendijs,in eius generosam æmulationem id ipsum præstitit Salmanticæ Alfonsus Legionensis,pluraque,& insignia priuilegia Magistris, & studiosis Regia munificentia concessit.Alphonsi Filius Ferdinandus III.qui *Sanctus* nuncupatur, priuilegia donata confirmauit,pluraque auxit anno 1243. Et cum in Castellæ Regnum succeſſisset,obeunte Alfonso VIII.eius auo materno, Palentinā Academiam nō fouit,indeque illa fuit destituta stipendijs, Professoribus,& Scholaribus;quippe præposuit Vniuersitatem à Parente fundatam ei, quam maternus auus erexerat.Deinde Ferdinandi filius Alfonsus X.*Sapiens* vocatus (quem alij vocant Alfonsum IX.non enumerantes Alfonsum eius auum Paternum,qui non Castellæ,sed Legionis Rex fuit) fuit maximè Academię Salmantinæ,ex qua eius iussu tunc prodierunt sapientissimi illi Viri, qui leges septem Partitarum condiderūt. Tunc etiam Medicinæ facultas, quæ in tota ferè Europa fuerat collapsa, à Magistris Salmanticensibus fuit restituta , qui ex lingua Arabica verterunt in Latinam opera Auicenæ, Auerrois Commentatoris eiusdem, aliosque Authores, & exinde libri Auicenæ in Cathedra Primaria Medicinę Salmanticæ edocentur. Hinc etiā tūc prodiere insignes Astrologi,qui Tabulas Astronomicas, quas appellamus, Regis Don Alfonsi,composuerunt,emendantes, quæ Astrologi vetusti scripserant.

130 Innumeros Viros mirabiles eruditione,& doctrina tunc Salmanticensis Academia educauit,quā ideo præfatus Alphonsus Rex decorauit priuilegijs & redditibus auxit ; necnon confirmationem Academiæ ab Alexandro IV. Pontifice impetrauit,qui ad id Bullam expediuit Neapoli,mēse Aprili,anno 1255.&primo sui Pontificatus, in qua constituit hāc Academiam vnā ex quatuor Academijs, seu studijs Generalibus Orbis. Post illum omnes Pontifices gratijs,ac priuilegijs eā sunt prosecuti; Concessitque ipsi Clemēs V.anno 1313.tertiam partem decimarum Diœcesis Salmantinę; confirmauit id ipsum Benedictus XIII.anno 1415.& tertiarum partem in certis locis Diœcesis auxit in redditus; Quam etiam Martinus V. nouo incremento confirmauit;& constitutiones condidit,quibus Academia gubernaretur;quas postea sua confirmatione stabiliuit Eugenius IV.reijciens alias, quas condiderant Petrus, Episcopus deinceps Oxomensis, & Don Franciscus de Campo Archidiaconus Zamorensis Ecclesiæ ex delegatione Episcoporum Salmantini, & Placentini,ac F.Ioannis Serrano Prioris de Guadalupe,quos ipse Eugenius IV. elegerat,vt statuta *Academię* reformarēt, Reformatio autem ab eis stabilita displicuit eidē *Academiæ*, quæ suum Scholastū *Antoniū* Ruyz de Segouia misit Romā, vt Eugenio IV. rem proponeret,& hic quidem hæc noua statuta reiecit, anteriora; confirmauit.

13. Solebant Pontifices mittere Visitatores,qui *Academiam* reformarent.

rent. Et deinde Regina Ioanna, Regum Catholicorum filia, vt protectrix, & Patrona vnica illius, deſignauit Viſitatorem Magnum Virum Don Didacum Remirez de Haro, tunc temporis Epiſcopum Malacenſem; (de quo redibit ſermo inferiùs, cum de inſigni Collegio Maiori Salmantino, quod vocant *Conchenſe*, ab ipſo fundatum, agamus) Hic anno 1512. *Academiam* viſitauit, & ſanctiones diſpoſuit. In dubijs autem *Academia* Pontifices conſulebat, qui ea declarabāt, vt præſtitit Leo X. anno 1518. circa primam conſtitutionem Martini V. Quin & ipſa *Academia* pro varietate euentuum aliquas ſolebat condere ſanctiones, & confirmationē earum à Pontifice, aut eius Nuntio *Apoſtolico* depoſcere; ſic anno 1551. nonnullas ſtabiliuit circa lecturas diſciplinæ Canonicæ, ac Ciuilis, quas Nuntius Iulij Tertij confirmauit. Rurſus Carolus V. Imperator Romanorum, & Hiſpaniæ Rex plura diſpoſuit circa Rectorem, & Magiſtrum Scholæ, et circa electiones, Gradus, et Cathedras; annoque 1529 Viſitatores deſignauit *Academiæ* Don Petrum Pacheco Decanum Eccleſiæ Compoſtellanæ, et Alfonſum Mexia Canonicum Toletanæ Eccleſiæ; & deinde anno 1538. Dō Ioannem de Cordoua Decanum Eccleſiæ Cordubenſis; qui nouas ordinationes ſtatuerunt.

132 At Paulus III. in Bulla expedita anno 1543. indulſit, quòd, ſi aliquid ex ſtatutis, ac conſtitutionibus mutādum occurreret, id fieri poſſet in conſeſſu pleno *Academiæ*, dum duæ ex tribus partibus ſuffragium in id ferrent; quod ita ſtabilitum eadem vi roboratum maneret, ac ſi Apoſtolica Sedes condidiſſet decretum. Ipſius præterea priuilegia Philipus II. firmauit, & auxit; Viſitatoremque miſit ſapientiſsimum Don Didacum de Couarrubias, tunc Ciuitatenſem Præſulē, & prius in Collegio Maiori ſancti Saluatoris, vulgò *Ouetenſi*, Togatum, & ſtatuta ab eo cōdita approbauit Rex die 15. Octobris, anno 1561. Poſtmodum Viſitatorem alium miſit anno 1594. Don Ioannem de Zuñiga, tunc Supremi Fidei Senatus Quæſitorem, eiuſdem poſtea Præſidem, & Antiſtitem Carthaginenſem; ac ſtatuta ab eo peracta Rex ipſe ſtabiliuit die 29. Octobris eiuſdem anni.

133 Philippus III. *Academiæ* deſtinauit Viſitatorem Don Ioannē Aluarez de Caldas, tunc etiam Supremi Fidei Senatus Iudicem, deindeque Epiſcopum Ouetenſem, ac Abulēſem, qui Collegij Maioris, Archiepiſcopi, Salmantina hic in Vrbe florentis, fuerat alumnus; eiuſque ſanctiones in viſitatione cōfectas Rex ipſe cōfirmauit anno 1604. die 28. Februarij. Rex ipſe alium etiam *Viſitatorem* elegit anno 1618 Don Baltaſarem Gilimō de la Mota, Senatus Supremi Caſtellæ Iudicem, cuius ſanctionibus firmitatem dedit die 20. Octobris eiuſdem anni. Demū Rex noſter Philippus IV. re, & cognomento Magnus Viſitatorem eiuſdem *Academiæ* deſignauit Don Didacum de Ribera Ibañez, in Conſilio Supremo Caſtellę Senatorem, olim in Collegio Maiori Ouetē ſi Togatum, qui ad viſitandam Academiam, & Collegia Salmanticam venit anno 1653. priuſque Rex ipſe ad viſitanda Collegia maiora miſerat anno 1635. Don Mendum de Benauides tunc Segouiēſem Antiſtitem, poſtea Carthaginenſem. Huius Academię inſignia, ſeu Stemmata propria ſunt; Magiſter, ſeu Doctor in Cathedra ſpeciem docentis præferens, & inferiùs ſcholares audientes, & in extremo circuli apponuntur hęc verba; *Omnium ſcientiarum Princeps Salmantica docet.*

§. 2. *De priuilegijs, ac immunitatibus Academiæ Salmanticenſi conceſſis.*

134 PLurima in Academiam Salmantinam Summi Pontifices, & Hiſpani Reges beneficia, ac priuilegia contulerunt. Alfonſus IX. Legionis Rex Fundator omnes Profeſſores, ac ſtudioſos vndequaque venientes ſub ſuo Regio patrocinio ſuſcepit, & immunitatem ab omnibus gabellis in itinere, quæ vocātur *portazgos, & peage*, conceſsit; ſeuereq; præcepit, vt in Salmantina Vrbe domus locarentur omnibus; ita vt commodum haberent hoſpitium, nec vlli ciui poſſet locari domus, antequā *Academici* cūcti apta habitatione potirentur. Id confirmauerunt filius Ferdinandus III. & nepos *Alphonſus Sapiens*, qui ſuo diplomate anno 1252. die 9. Nouembris, deſignauit aliquos Equites Salmantinos Nobiliſſimos, qui *Academiæ* eſſent Conſeruatores, eāque protegerent, ac defenſarent. Ioannes primus anno 1388. & Henricus III. Reges, anno 1391. conceſſerunt, vt omnes

Aca-

Academici poſſent, vnde vellent, vinum ſi bi aſportare, quin ab vllo Magiſtratu Regio valeant impediri; ſuper quo etiam ſententia prima, & vltima, lite mota, fuit pronuntiata anno 1624. Rex ipſe Ioannes I. die 23. Octobris, anno 1387. indulſit, ne apud vllum Academicum hoſpitaretur, quiſquam ex domo, & familia Regia, quãdocumque Reges Salmanticam venirent, nec ab vllo poſceretur quidquam ſuppellectilis ad hoſpitandos Regum famulos, miniſtros, ac ſequaces.

135 Ipſe etiam Rex Henricus III. anno 1391. conceſſit, vt nullus Magiſter, ac Doctor in quacumque Facultate, nec Bedelli, ac cæteri Academiæ Miniſtri cogerentur noctu per Vrbem excubias agere, nec quidquam præſtare his, qui id onus ſubirent. Quæ omnia priuilegia prudens Philippus II. confirmauit diplomate Regio expedito Toleti die 19. Auguſti, anno 1560. Cęterũ à Regibus ingentes facultates in hanc Academiam fuerunt expenſæ; & ab illa, continuato annorum, & temporum filo ſibi aſciuerunt Sapientiſſimos Viros in Conſilium, in Senatus, in Purpuram Cardinalitiam, in Præſulum Eccleſiarum Infulas, in Conciones Sacras in ſuo Regio Sacello habendas, & in cuncta Dignitatum faſtigia. Ab illa etiam prodierunt inſignes Theologi, qui Eccleſiaſticas Præbendas in omnibus Hiſpaniæ Almis Eccleſijs obtinerunt; qui ſacros Ordines Religionum gubernarunt; qui ſuis ſcriptis lucem Scientijs omnibus indiderunt; qui in alijs Ciuitatibus Academias, & Collegia fundarunt. Nulla hic Scientia non effloruit; nunquam non Profeſſores celebres cuiuſque Facultatis præmium non ſunt conſecuti, niſi morte præuenti. Quippè hæc Vniuerſitas, & cordi Regum ſemper fuit inuiſcerata, & eos Viros genuit, quos munerum culmina ambiebant, amabant.

136 A Pontificibus pariter ingentibus fuit Academia ditata priuilegijs. Alexander IIII. qui primus Academiam hanc confirmauit, & inter quatuor Studia Generalia Orbis adſcripſit, plura priuilegia impertiuit, inter quæ illud, vt quicũque in ea examinatus, ac approbatus eſſet in qualibet Facultate, habilis cenſeretur ad moderandas Cathedras in omnibus alijs Studijs Generalibus abſque nouo examine, & approbatione. Quod confirmauit Ioannes XXII. anno 1323. ad inſtantiam Regis Alphonſi XI. Deinde Clemens V. priuilegium obtinendi Tertias indulſit in Bulla, quæ incipit *Dudum nobis*. Rurſus Benedictus XIII. anno 1401. ſeptimo Kalendas Auguſti, & Martinus V. in conſtitutionibus, quas pro Academia ſtabiliuit *conſtitutione* 33. Litteras Conſeruatorias Scholaſtico Salmantino impertierunt, quibus ampliſſimam iuriſdictionem priuatiuam, immediatè Apoſtolicæ Sedi ſubiectam conceſſere; & inſuper Archiepiſcopo Toletano, & Epiſcopo Legionẽſi. Eaſdem Eugenius IV. repetiuit, necnon Innocentius VIII. Leo X. Clemens VII.

137 Maximum etiam eſt priuilegium Eugenianæ. Nempè Eugenius IV. in Bulla, quæ incipit *Qui creditum*, expedita ſexto Kalendas Martij anno 1431. conceſsit, vt omnes Eccleſiaſtici, quamcumque Præbendam habentes (de quo inferius quęſtionem concinnabimus) in Academia hac ſtudiorum ratione verſantes, integrè fruerentur redditibus ſuorum beneficiorum, ac Præbendarũ. Idem Eugenius in alia Bulla, quæ incipit, *Inter alia; quæ frequenter*, eodem die, ac anno expedita, ac præcedens, indulſit, vt omnes, qui in hac Academiæ Cathedras proprietatis obtinerent, & poſtquam Doctores, ſeu Magiſtri creati ſunt, viginti annos, aut octo menſes in ſingulis annis cõtinuè, vel interpolatim eas rexerint, ſtipendijs deinceps fruantur, emeriti à lectura, & eorum loco alijs appoſitis idoneis Profeſſoribus, qui laborem ſubeant docendi.

138 Iulius II. priuilegia ſuorum prædeceſſorum confirmatione muniuit, & litteras conſeruatorias ſimiles præcedẽtibus elargitus eſt in Bulla, quæ incipit *Ex Apoſtolica Sedis*, expedita ann. 1505, pridie Kalendas Februarias. Paulus III. id priuilegium conceſsit, quod *ſuperiori* §. attulimus, de conſtitutionibus ab ipſa Academia mutandis. Extant præterea alia priuilegia, & Bullæ Pontificum, quarum aliquæ tranſcriptæ referuntur *in Conſtitutionibus, & ſtatutis Academiæ Salmanticenſis*, omneſq; in ipſius Academiæ ſecretis Scrinijs aſſeruantur.

139 Quantum Summi Pontifices hanc Academiam amauerint, quantaque apud ipſos in æſtimatione fuerit, ex dictis euincitur, & ex eo quòd aliqui Pontifices, ſtatim ac in Pontificatum aſſumebãtur, eam de ſua electione, ac aſſumptione certiorem reddebant; Ita præſtitit Innocentius VIII. anno 1434. Alexander VI. anno 1432. Clemens VII. anno 152?.

Multiſq; retro annis Bonifacius VIII. miſit Academiæ librum Sextum Decretaliũ, quem ipſe compoſuerat, vt publice doceretur; Id accidit anno 1298. Negotia item Eccleſiæ grauiſſima Academiæ commiſit Apoſtolica Sedes, vt poſt eorum examen ſuum iudicium proferret; ſic Academia interrogata ſuum dedit reſponſum die 20. Maij anno 1382. circa ſchiſma inter Vrbanum VI. & Clementem, quod triginta ſex annis fuit protractum, vt refert Gilbertus Genebrardus *in Chronologia, anno* 1378. Illudque ſummum negotium ſuper matrimonio Enrici VIII. Angliæ Regis, & Catharinæ filiæ Regum Catholicorum ad Academiam hanc fuit delatum, in cuius ſcrinijs extant ſententiæ Magiſtrorum, ac Doctorum tunc prolatæ. Indè etiam, quãdo Pontifices deſignabant Viſitatores huius Academiæ, eos eligebant viros, qui manifeſtarent, quantum hæc ab illis in honore eſſet; ſic ad inſtantiam Regis Ioannis I. miſit Clemens VI. Viſitatorem Don Petrum de Luna, Cardinalem S. R. E. & poſteà electum Pontificem, qui ſuis ſanctionibus, pluribuſque beneficijs, & redditibus adeo hanc Academiã obærauit, vt in ſymbolum gratitudinis eius Inſignia Lapide ſculpta pro foribus Academiæ fuerint infixa, quę Lunæ ſemiplenæ figuram præferunt. Quantum etiam detulerint huic Academiæ Põtifices, ex eo etiam liquet, quòd Academico conſeſſui poteſtatem conceſſerint reuocandi quaſcumque Pontificias conſtitutiones circa ipſam; vt videre eſt apud Eſcobar *de Pontificia iuriſdiction. c. 32. num.* 41.

140 Extant adhuc plures Schedulæ, ſeu Prouiſiones Regum in Academicorum fauorem expeditę. Ioannes Rex anno 1400. die 14. Februarij, præcepit, vt Prętor, & Magiſtratus Sæculares auxiliũ præbeant Scholaſtico Salmantino, aut eius Iudici, quoties illud implorauerint; ſtudioſoſque in ſuo carcere ab eis requiſiti, ſi conueniat, detineant; nullumque nocumẽtũ illis, aut eorum inferant bonis, eo quòd ſub Regio ſint patrocinio, & fide. Ioanna Regina Die 15. Nouembris anno 1509. confirmauit ordinationem, quam prius Eliſabetha Regina Catholica condiderat die 31. Maij, anno 1485. ſcilicet, quòd Notarijs, aut Miniſtris à Salmantinæ Academiæ Iudicibus, deſignatis ad notificãdum, aut exequendum in quocumque loco ea, quæ ad iuriſdictionem ſpectant, nullus obex opponatur, eo quòd ſub Regia fide, ac patrocinio operentur.

141 Philippus II. Die 8. Septembris anno 1567. indulſit, vt ſtudioſi, ipſorumque parentes, ſi conueniendi eſſent ſuper debitis contractis ratione librorum, veſtium, aut alimentorum, etiam ſi vltra dioetas cõmorentur, poſſint ab Scholaſtico Salmantino ad ſuum Tribunal citari. Ipſe Philipus, abſente genitore ſuo Carolo V. ſanctionem edidit, quam poſtea Carolus V. ſtabiliuit die 16. Februarij, anno 1553. ne Magiſtratus Sęculares auferant ab Scholaſticis noctu per ciuitatem ambulantibus ea arma, quæ Ciuibus ſunt permiſſa. Ipſe item Carolus V, die 24. Septembris, anno 1532. decreuit, vt quotieſcumque ſtudioſus cum alio quolibet ad conducendam pro ſe domum concurreret, alteri præferretur; & locationis domuum pretia taxarentur à Viris ad id deſtinatis. Habet etiam Academia priuilegium à Regibus, vt poſſit publicam habere carnificinam, in qua carnes vendantur; & plura alia huiuſmodi; Quorum omnium ſingula, fas eſt, ad amuſſim obſeruari; nec debet permitti, vt vllum in deſuetudinem abeat; ſicut abijt illud indultum Alphonſi Regis, qui conceſſit, vt omnes, qui per viginti annos Cathedram Legum, vel Decreti rexiſſẽt, Comites cognominarẽtur. Et indultum Iulij II. Pontificis, qui conceſſit, vt deobligaretur à ieiunijs moderator Cathedræ Decreti; alia que ſimilia. De his, & de Inſignibus Doctorum, & de eorum toga, infra redibit ſermo, *num.* 337.

§. 3. *De Cathedris in Academia Salmanticenſi inſtitutis ad ſcientias docendas.*

142 VT Theologia Scholaſtica edoceatur, ſunt duę Cathedræ primariæ, duæ veſpertinæ; Quarum vna primaria, alia veſpertina ſemper à Magiſtris Ordinis Prędicatorum, cui fuerunt à Rege Philippo III. conceſſæ, obtinẽtur, ac reguntur. Hæ quatuor ſunt Cathedræ proprietatis; ſicut etiam & Cathedra Bibliæ, in qua Sacra Scriptura exponitur. Sunt etiã Cathedræ tres, Durãdi, S. Thomæ, & Scoti, triennio ſpatio moderandæ.

143 Ad ius Canonicum tradendum ſex Cathedræ proprietatis ſũt erectæ, duæ primariæ, duæ veſpertinę, alia De-

creti, alia Sexti Decretalium. Præterea quatuor aliæ triennales; Clementinarum; maior Decretalium;& duæ minores Decretalium.

144 Vt vero Ius Ciuile doceatur, florent quatuor Cathedrę proprietatis, duæ primariæ matutinæ, duæ vespertinæ;&sex insuper triennales, Digesti veteris, Voluminis, duæ Codicis, ac duæ Institutionum Imperialium.

145 Ad Medicinam tradendam extant tres Cathedræ proprietatis, Primaria, Vespertina,& Pronosticorum. Præterea quatuor sunt triennales, Methodi, Simplicium, Anatomiæ,& Chirurgiæ.

146 Vt autem studiosi Artes addiscant,& vtramque Philosophiam, moralem, ac naturalem, quatuor proprietatis Cathedræ sunt designatæ; Sūmularū, Logicæ magnæ, Philosopię naturalis,& Philosophię Moralis; ac prętera septem triēnales, sex nimirum Regentiæ Artium, quibus integer cursus Philosophicus edocetur,& alia solius Physicæ.

147 Sunt prætereà aliarum Facultatum Cathedræ proprietatis, nempè Linguarum, ad docendam linguam Hebræā; Mathematicæ; Rethoricæ, Musicæ;&duæ Cathedræ Grāmaticæ; quæ in Academiæ gymnasio docetur, aliquo Authore latino exposito. Quippè Grāmatica à fundamentis traditur in Scholis, quas vocant Minimas, vbi Academia cōstituit Præceptores, qui in singulis Classibus pueros instruant.

148 Cæterum in statutis Vniuersitatis stabilitum est, quid quotannis in singulis Cathedris prædictis sit legendum;& quibus debeant cursibus litterarijs Scholastici assistere; (de quo redibit in inferioribus sermo) designata etiam sunt stipendia pro singulis, quæ recensentur *in constitutionibus Academiæ pagin.*404. O verè sciētiarū Vniuersitas, quæ quinquaginta duas Cathedras in omnibus Facultatibus fouet! Tempus etiam in lectura insumendū ita est designatum, vt, qui Cathedras proprietatis obtinent, à die Diui Lucæ vsque ad Natiuitatem Sancti Ioannis Baptistæ legant; cæteri vero vsque ad Natiuitatem Immaculatæ Virginis, quæ in diem octauum Septembris incidit. Dies præterea feriati sunt præscripti, in quibus à lectionibus vacatur,& pręter communes dies festos, alios etiā Academia habet proprios,& in eis à lectura cessatur,& communiter Assertiones publicæ ex Theologia, ex Iure,& ex Medicina pro Vniuersitate defenduntur, assistentibus proprijs Magistris, ac Doctoribus, quibus pro assistentia stipendium rependitur; vixque est vllus festiuus dies, in quo Assertiones non defendantur; Sabbatisque conclusiones ex tota Philosophia defensantur, tempore vespertino. Et demum præter lectiones, quę in prædictis Cathedris habentur, plurimi spontaneè tū sola voce, tum etiam scriptis omnes edocent Facultates.

§.4. *De regimine Academiæ Salmanticensis, eiusq; Magistratibus, ac speciatim de Rectore.*

149 REctor quotannis eligitur, & simul octo Consiliarij, suffragiaq; ad electionem ferunt Rector, ac Consiliarij actu extantes. Ij Consiliarij debent esse ex Diœcesibus, quas designat Martinus V. *Constitutione prima*, in sua Bulla, quæ incipit, *Sedis Apostolicæ clementia*. Ad Rectorem pertinet, omnibus publicis Academię actionibus præsidere; conuocare Magistros, Doctores, Deputatos, ac Cōsiliarios ad consessus, seu (vt vocant) Claustra plena, vel Deputatorum, aut Consiliariorum; Omnesque Academici siue Gradu insigniti, siue non, quotannis præstant iuramentum de obediendo Rectori; inde ipse sub pœna prędicti iuramenti prędicit, quæ iudicat expedire. De quo,& de eius præcedentia (præterquam in Gradibus Licentiatus, Magisterij, seu Doctoratus conferendis) agemus in inferioribus;& etiam de requisito, quod præfigitur in constitutione prædicta, quòd sit Regnigena, seu ex Regnis Castellæ, aut Legionis. Et ex dicendis ibi constabit etiam, quid sufficiat vt Consiliarij dicantur esse ex Diœcesibus assignatis. Conditiones autem aliæ, quæ exiguntur, nempè quòd habeant Rector,& Consiliarij annuum cursum litterarium in Salmantina Academia; quòd non sint oriūdi, aut pro ciuibus habiti ratione longissimæ mansionis in Salmanticensi Vrbe, quòd iuramenta quędam fidelitatis respectu Romani Pōtificis,& Academiæ prę stēt, et huiusmodi alia stabilita sunt in prædictis constitutionibus Martini V. In quibus etiam, et in statutis, ac in sanctionibus Regum plures extant ordinationes circa modum, quo se Rector gerere debeat in omnibus, quæ ad ipsum attinēt; quæ referre, et esset prolixum, et supernacaneum.

150 Ipſe etiam Scholaſticus, ſeu Scholæ Magiſter Salmanticenſis, Conſeruatores, Notarius, Bedelli, Stationarius, Syndicus, & alij omnes Officiales tenentur in manibus noui Rectoris infra decem dies electionis coram Academiæ Notario iuramentum fidelitatis emittere, & ſimul de obediendo ei in licitis, & honeſtis; aliter ſua officia non valent exercere, cum Martinus V. *in conſtitut.* 6. Bullæ præfatæ præcipiat, vt id iuramentū omnes illi præſtent infra decem dies, & præmiſerat, fore id iuramentum præſtituros, quādo de nouo ad Academiam accedunt, *antequam admittantur ad eorum officia;* Tunc ergo non valent admitti, niſi iuramentum præſtent; cum ergo, vt officia proſequantur, eadem conditio, tamquam neceſſaria, & eſſentialis apponatur, vt id ipſum iuramentum emittant, nequibunt ante illud officia proſequi, ſicut nequibant ante illud incipere. De qualitatibus in Rectore eligēdo requiſitis, ætate, clericatu, reſidentia, cælibatu, alijſq; ſimilibus videatur Don Alfonſus de Eſcobar *tractatu de Pontificia, & Regia iuriſdictione in Studijs Generalibus, à capit.* 1. *vſque ad* 5. & nos infra non pauca dicemus.

151 Solùm aduerte, Academiam ſeu illius Conſeſſum, facultate ad id ipſi facta à Pontificibus, de qua §. 2. poſſe diſpenſare in aliquibus requiſitis circa Rectorē, & Conſiliarios eligendos, quando vtilitati, & commodo Academiæ expedire iudicauerit, vel iuſta cauſa interceſſerit, quòd de facto præſtare ſolet, vel expreſſam, vel tacitam ratihabitionem habens eorū, quæ geruntur, & de quibus eſt notitia manifeſta. Sic non ſemel Rector electus eſt, antequam curſum annuum litterarium peregerit, quod & olim aliquando contigit, & nouiſsimè etiam anno 1651. quo electus fuit Don Antonius de Calatayu, & Toledo; & anno 1652. quo fuit nominatus Rector D. Vincētius de Calatayu, & Toledo vterque Comitis del Real, Reginæ noſtræ Æconomi digna proles, & Academię, morum, & indolis ſuauitate, gratiſſima. Sic etiam, quia è Luſitania, nunc ſuo, & noſtro Regi, rebelli, Scholares non aduentant, in Conſiliarium Luſitanū non ſemel electus eſt ſtudioſus in Vrbe Salmantina genitus, & manſionem, ac incolatum in ea habēs. Quæ, & alia ſimilia ritè, rectèque ſunt peracta.

152 In cauſis ad Rectorem pertinētibus, ſcilicet conuocatione conſeſſuū propoſitione lecturarum, & Cathedrarum, probatione curſuum annuorum, electione ſucceſſoris in officio, & Cōſiliariorū, ac cognitione idoneitatis ad hæc omnia, aliiſq; quæ extant in Bulla Martini V. *à conſti.* 11. *vſq; ad* 16. quorū aliqua ſolus, alia ſimul cū cōcilio Academico expedire poteſt, in his, inquam, Rector eſt Iudex ordinarius, vt tenent Iulius Pacius *in Authentica Habita, Cod. ne filius pro patre, c. 9. n.* 13. Eſcobar *vbi ſupra c.* 6. *à n.* 23. & alij relati ab Oſſualdo *lib.* 17. *commen. c.* 20. *lit. M.* Sufficit enim habere Vniuerſitatem cauſarū in his, quę ad Academiam ſpectant ratione ſui muneris, et officii, eſto in aliis cauſis Academicorum iuriſdictione non gaudeat, vt ex doctrina Bartoli, Socini, Abbatis, Silueſtri, et aliorū tradit prædictus D. Alfonſus de Eſcobar. Et id ſupponitur in Bulla Martini V. *conſtit.* 22. & 23. et præterea *Tit.* 6. *ſtatuto* 5. & 41. commendantur ei cauſarū cognitio, pœnarum executio, et in caſu negligentiæ Scholaſtici Salmantini in aliquibus cauſis ad eum iuriſdictio deuoluitur. Quare non ablata eſt ab illo iuriſdictio, quam Scholaſticus exerçet, quia ea nunquam ipſi conceſſa fuit, ſed alia in cauſis diuerſis. Quod ex eo cōfirmo, quia de his cauſis aliquis Iudex ordinarius debet cognoſcere, cum nulla ſit cauſa, quæ ad Iudicem ordinarium non ſpectet; at nullus poteſt, niſi Rector, vt eſt conſtans, ergo eſt Iudex ordinarius.

153 Hinc Rector poteſt cognoſcere tum de cauſis prædictis, tum de omnibus criminibus contra ſuā iuriſdictionem patratis, et de iniurijs illatis ipſi, ſicut cæteri Iudices ordinarij poſſunt; de quo videndi ſunt Menochius, Pariſius, Iaſſon, Decius, Maſtrillo, Caballus, alijq; plures relati ab Eſcobar *ſup. à n.* 41. Conſequenter poterit pœnam quamlibet, etiam corporalem, infligere, cum Iudices Ordinarij habeāt merū Imperiū, & gladij generalem poteſtatē, vt ex Cuiacio, Oſſualdo, Bodino, Cabedo, Donello, Iulio Pacio, alijſq; innumeris docet ipſe Eſcobar *à num.* 54. et latiſſime Friſchen *in Authentica Habita.* Quòd ſi Rector ſit Clericus, circa pœnam mortis, aut abſciſſionis membri, id obſeruare debebit, quod cōmune eſt Iudicibus Eccleſiaſticis, ne irregularitatē, aut etiā excōmunicationem incurrant. Inde etiā poteſt Rector implorare auxilium Scholaſtici Salmantini, et Magiſtratuū ſeculariū ad reos capiēdos, et incarcerandos. Et quāuis *in Concordia c.* 10. *fol.* 389. per Regē approbata, iuriſdictio

Re-

Rectoris in cauſis criminalibus eſt reſtricta, & ad Scholaſticum deuoluta; attamen id non eſt præſtitum reſpectu omnium cauſarum criminalium, ſed in illis, de quibus eſt ſermo in ea concordia, ſcilicet in rixis, tumultibus, & ambitu, ſi in prouiſione Cathedrarum, ſeu inter ipſos ſcholares hæc contingant. Vnde ea limitatio extendēda non eſt, vtpotè odioſa, vt docet Eſcobar *ſupra n.* 82. Imò, cum exceptio firmet regulā in contrarium, & in cauſis prædictis Rectori iuriſdictio denegetur, firmatur eadem iuriſdictio circa alias cauſas criminales, quæ ad Rectoris iuriſdictionem tuendam ſpectant. Hæc ſecūdum ſe vera ſunt; ſed quia Rector cōmuniter eſt ætatis iuuenilis, inexpertus, & breui annuo tempore perfuncturus officio, indeque iuriſdictionis propriæ defenſionem parum curans, factū eſt, de his omnibus cauſis, quæ coercitionem, aut contentioſam iuriſdictionem ſapiunt, Scholaſticum Salmantinum cognoſcere; expeditque vtilitati Academiæ, has cauſas à Viro ſemper litteris, moribus, ætate, ac dotibus alijs venerando tractari.

154 Cæterum Rector Salmātinus nequit cenſuras ferre; neque enim eſt Iudex Eccleſiaſticus ex inſtitutione, neque id ex priuilegio, aut cōſuetudine habet; nec plena, & integra iuriſdictione erga Academicos fungitur, vt Rector Complutenſis, Valliſoletanus, & ſimiles; nam iuriſdictio, quæ in his tota ſimul reperitur, in Academia Salmanticenſi diuiſa eſt inter Rectorem, & Scholæ Magiſtrum.

155 Duo in preſēti obſeruo, aliud dignitatem Rectoris Salmantini initium habuiſſe anno 1254. quo Alfonſus X. ſtatuta Academiæ dedit, in eiſque Rectorem deſignauit eligendum ab ipſa Academia. Cō ſiliarij autem, & noua electionis forma, cęperunt anno 1380. ſtatuente Dō Petro de Luna Cardinali S. R. E. tunc Academiæ Viſitatore, vt teſtatur Petrus Chacon *in hiſtoria manuſcripta Academiæ*, quam mihi videre licuit in illuſtri Bibliotheca Sapientiſſimi, & vſque ad miraculum eruditi Viri Don Ioannis de Solorzano Pereira, Supremi Caſtellæ Conſilij Senatoris emeriti. Aliud eſt obſeruandum, eò extendi dignitatem, & iuriſdictionem Rectoris Salmantini, vt nullius priuilegij prætextu ſtudioſi eam poſsint ſubterfugere, quantumuis Antiſtites, Optimates, Duces, Marchiones, vel Comites eſsēt, imò, quod amplius eſt, etiam ſi Regum, aut Imperatorum filij, vel fratres eſſent; ſicut enim hi omnes ſubditi eſſent Imperatori militiæ, ſi in eius exercitu militarent; ſic, ſi militent litterarijs ſtudijs in Academia Salmāticenſi, ſubdūtur Rectori, & Capiti ipſius Academiæ. Conſulatur Eſcobar *vbi ſupra à n.* 110.

156 Ad regimen rurſus Academiæ ſpectat electio Primicerij, de quā Martinus V. *in Bulla relata, conſtit.* 7. Hūc Doctores, ac Magiſtri eligunt, & Primicerius, ſeu Prior eorum nuncupatur, præceditque ipſos in Actibus, & Congregationibus ipſorum, quos conuocat, quoties aliquod negotium ad ipſos ſpectans interuenit, tenēturque ipſi ſub pœna pecuniaria iam deſignata vocati venire; Bedelliq; ſimiliter in his, quę ad Primiceriū pertinēt, obedire debēt, ſicut Rectori, & Scholaſtico in his, quæ ad ipſos ſpectant. Electio Primiceri fit in die ſancti Martini ſingulis annis in ſacello Diui Hieronymi, quod eſt intra ipſam Academiam, tempore matutino poſt ſacrum peractum; tribuſque annis eligitur Doctor in Iure Pontificio, aut Cæſareo, & alio deinde anno Magiſter in Theologia, rurſus alio Doctor in Medicina, & demum alio Magiſter in Artibus. Videatur *titulus* 8. *ſtatutorum Academiæ*; vbi de arca Primicerij, & obligatione immittendi illuc pecuniam.

157 Vt autem negotia Academiæ, maximè ad diſpoſitionem, conſeruationem, ac diſtributionem facultatum, ac reddituum ſpectantia, maturiùs pertractarentur, diſpoſuit Pontifex Martinus V. *cōſtitut.* 33. vt viginti Definitores, vulgò *Diputados*, eligerentur, qui ſimul cum Rectore, & Scholaſtico occurrentibus caſibus prouiderent. Deinde numerus Deputatorum ita fuit protractus, vt ſint perpetui Deputati viginti octo, qui totidē Cathedras proprietatis moderantur, dummodo Gradu Doctoris, aut Magiſtri ſint inſigniti, & præterea quotannis in Dominica in Albis eligantur è gremio Academiæ alij duo decim, ex quibus quatuor ex quatuor Collegijs Maioribus, ſinguli ex vnoquoque, deſignantur. Aliquando ex ſolis Deputatis cum Rectore, & Scholaſtico congregatur conſeſſus; aliquando verò, vt res poſtulāt, plenus conſeſſus coniungitur, in quo etiā Deputati ſuum locum, ac ſuffragium habent. Quæ autem ſpeciatim negotia ad illos pertineant; quis eos eligat; quæ qualitates deſiderentur in ipſis, extat in præfata *conſtitution. 33.* Martini V. & *titulo 7. ſtatutorum Academiæ Salmantinæ.*

§. 5. *De Scholaſtico, ſeu Magiſtro Scholæ Academiæ Salmanticenſis.*

Vbi de Iure Patronatus Regum Hiſpaniæ circà Eccleſias.

158 NOmenclaturam, & originem Præbendę Eccleſijs Cathedralibus, ac Collegialibus inſtitutæ, quæ Scholaſtria nuncupatur, & ea gaudēs dicitur Scholaſticus, ſeu Magiſter Scholæ, infra dabimus *lib. 2. q. 18. num. 202.* Igitur Magiſtro Scholæ Eccleſię Cathedralis Salmanticenſis (qui ante erectionem huius Academiæ iam aderat, & eius Almę Eccleſiæ vnus ex Dignitatibus erat) annexum eſt munus Cancellarij, Iudicis Ordinarij, & Cōſeruatoris Academię Salmantinæ; & congruè à Pontificibus ei dignitati Eccleſiaſticæ fuerunt eiuſmodi munia coniuncta, cum in Eccleſijs ad id fuerint electi, ac deſignati Scholaſtici, ſeu Magiſtri Scholæ, vt ſcholares erudirent, & gymnaſijs, ſeu ſcholis præeſſent, ac, vt ipſum nomen præferebat, Scholarum Magiſtri eſſent. Hiſpanè prædictum Salmanticenſem Magiſtrum Scholę vocamus *el Maeſtreeſcuela*; ipſe vero in omnibus cauſis, quas expedit, ſubſcribit, *Scholaſticus Salmantinus.*

159 Martinus V. *conſtitutione 33.* commiſit electionem Scholaſtici Salmantini ipſi Academiæ, ſeu conſeſſui, aut Clauſtro (vt aiunt) Definitorum, ſeu Deputatorum, & confirmationem ipſius Archiepiſcopo Toletano, aut cuius Apoſtolicæ Sedis Legato de latere. Poſtmodum res fuit mutata, & Pontifices indulſerunt Regi Hiſpaniarum, vt, quemadmodum præſentat in Epiſcopos Eccleſiarum viros à ſe electos, quos Sedes Apoſtolica confirmat, ita etiam præſentet in Scholaſticum Salmantinum; & ſic omnino præſtatur. Et certè, cum hæc dignitas ſit Prælatura Eccleſiaſtica, & Scholaſticus ſit Iudex generalis, in quo duplex diſtincta iuriſdictio cōcurrit, alia Regia, alia Pontificia, vt latè dicemus infra *quæſt. 8.* eius præſentatio ad Hiſpaniæ Coronæ Patronatum ſpectat, ſicut ſpectant Epiſcopatus, Abbatiæ, aliæq; Prælaturæ erectæ, ac erigendę in Hiſpanijs, vt docent Don Alphonſus de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdiction. capit. 8. num. 8.* Menchaca *Illuſtrium cap. 22. num. 15.* Alfonſus Guerrero *in ſpecul. Princip. capit. 63.* Et ipſum ſuadent rationes, quibus probant præſentationes Epiſcopatuum, Dignitatumque ſimilium, pertinere ad Patronatum Regiæ Coronæ Hiſpanicæ, Couarrubias, Garcia de Loayſa, Palacios Rubios, Gregorius Lopez, Marta, Reſtaurus, Conradus, Selua, Munſterus, Anaſtaſius Germonius, Azeuedo, Carolus de Graſal, Bobadilla, Acuña, Ioannes Nicolaus, Barboſa, Salgado, Gomez, Zeuallos, Gutierrez, & alij plures, quos congerit Eſcobar *vbi ſupra, numero ſeptimo.* Et hoc ius Patronatus quidam ex præfatis Authoribus deducunt ex antiquiſſimis conceſſionibus Pontificum, quarum nullum indicium reperiri contendit Eſcobar *ſupra num. 13.* & tuetur, id ius adquiſitum fuiſſe Regibus Hiſpaniæ ex Fidei fundatione, Eccleſiarum reſtitutione, erectione, ac dotatione; quibus ex titulis cuilibet priuato ius patronatus adquiritur. Et addere poterat, id circo in Regno Granatenſi Prębendas, & Beneficia ad Regium Patronatum ſpectare, quia Regnum illud à Mauris occupatum, ſibi, & Fidei Catholicæ Hiſpaniæ Reges adquiſierunt. Idemque in Indico Imperio contingit.

160 Addit inſuper Eſcobar, hoc ius Patronatus non ſolum dari reſpectu Epiſcopatuum, aliarumque ſimilium Dignitatum, quæ iam ſunt inſtitutæ, ſed etiam earum, quæ de nouo quouis tempore inſtituendæ fuerint; Illud enim Hiſpani Reges adquirunt, vt Supremi Principes, & Fidei Catholicæ Fundatores ratione ſoli, & territorij, cuius perpetui domini exiſtunt; idque variis authoritatibus comprobat.

161 Sentio in primis, prædictum Patronatum ad Reges Hiſpaniarum competere, eoque vſos fuiſſe à tempore antiquiſſimo, & immemoriali. Deinde credo, id ius fundari in titulis ab Eſcobar adductis, ſed tamen opus fuiſſe Pontificum cōſenſu, indulto, & confirmatione. Primum aſſertum ſatis conſtat ex hiſtorijs, *& ex lege 19. tit. 3. lib. 1. ord. nat. & ex leg. 14. tit. 3. lib. 1. Recopilat. ac ex leg. 1. tit. 6. lib. 1. Recop.* Videatur Palacios Rubios *libr. de benefic. in Curia vacantib. §. 9. adfin.* Secundum vero aſſertum probatur primò, quia Sixtus IV. & Adrianus VI. hoc ius Regibus Hiſpanis confirmarunt, vt affirmant P. Mariana *in hiſtoria Hiſpaniæ lib. 24. cap.*

16. & *lib.* 25. *cap.* 5. Ægidius Gonzalez Dauila *in hiſtoria Salmantic. lib.* 3. *cap.* 18. Quæ confirmatio Pontificia ſupponere videtur conceſſionem Pontificiam; nec enim quis confirmat, quæ non conceſſit ipſe, vel anteceſſor; idque valdè Pontificibus eſt vſitatum, vt indulta ab anteceſſoribus conceſſa confirment, volentes, ea in ſuo robore permanere, & nulla obliuione, deſuetudine, aut contrarietate labefactari. Et quidem, cum Eſcobar *vbi ſupra à num.* 15. has confirmationes Pontificias in ſuæ ſententiæ probationem afferat, ex illis inferre debebat, prædictum Ius Patronatus non eſſe independens à conceſsione Pontificia.

162 Secundò probatur; nam aliquę ſunt Dignitates in Hiſpania, quæ iuriſdictione erga ſubditos gaudent, & in aliquibus Eccleſijs præſunt, quæ non ſpectant ad Patronatum Regium; cuiuſmodi eſt in Eccleſia Burgenſi Archidiaconus de Briuieſca, & ſimiles; ergo non ſubſiſtit ea ratio generalis, quòd omnes Dignitates iuriſdictione gaudentes ratione territorii ad Regium Patronatum pertinent; ſiquidem prędictæ ad eum non ſpectant, id circo quia à Pontificibus non eſt conceſſum Ius Patronatus circa illas; cum, ſecluſa hac ratione, cætera in his, ſicut in alijs, reperiantur.

103 Tertiò; quia adminiſtratio, diſpoſitio, gubernatio omnium rerum Eccleſiaſticarum in Apoſtolica Sede, velut in fonte, ac origine reſidet, & inde in alios deriuatur, atque adeò ſupremum Ius Patronatuum in ipſa eſt ſitum, ab eaq; conceditur his, qui titulum ſpecialem habēt, qualis datur in Regibus Hiſpaniæ ob fundationem, erectionem, ac dotationem Eccleſiarum; atq; etiam inde deriuatur in priuatos, qui ſunt beneficiorum patroni, quibus ob ſimilem titulum Pontificia Sedes, vel Ius Canonicum, aut Concilia Ius patronatus indulgent, ita vt id à Suprema Sede deriuetur. Et ex ipſis terminis attentè introſpectis cernitur, circa res Eccleſiaſticas nihil poſſe laicis competere ex ſe; & independenter ab ipſa Eccleſia, eiuſque conceſsione, aut conſenſu.

164 Confirmatur: nam, vt docet Laurentius Landmeter, *de vetere Clericorum, & Monachorum victu, & diſciplina, lib.* 2. *cap.* 26. Eccleſia eſt regnum ſpirituale diſtinctum à quolibet ciuili, & in ea eſt poteſtas ad cuncta, quæ eius regimen concernunt, omnino diuerſa à poteſtate temporali; quippe illius finis eſt fœlicitas æterna, & ſanctitas huius vitæ conſummata; & prout directiua eſt, ordinat hominem ad actiones ſpirituales; vt coercitiua verò, ſpirituale gladium habet. Hinc nec nominādi, nec præſentandi, nec conſtituendi Epiſcopos, ac Prælatos ius poteſt ex ſe competere, niſi ipſi Eccleſiæ, eiuſq; capiti, cum hæc ordinentur ad finem ſpiritualem, & à poteſtate temporali ſint aliena. Ita cum pluribus docet præfatus Landmeter *eo cap.* 26. & *ſequentibus* Et ipſe *cap.* 29. oſtendit, quàm antiquum ſit, Hiſpanos Reges nominare Epiſcopos, cum ante annos mille iam id præſtiterint; ſed ſupponit ex dictis antecedenter, & ibidem inſinuat, ab Apoſtolica Sede, cui Iure diuino id competit; præfatum ius deriuari; & ſimul declarat diſcrimen inter nominationem, præſentationem, ac inſtitutionem, quibus non licet immorari. Subſcribit his omnibus Rodericus de Acuña *in cap. cum longè* 25. *diſtinct.* 63. *num.* 2.

§. 6. *Alia de Scholaſtico, ſeu Magiſtro ſcholæ Salmantino traduntur. Vbi de munere Cancellarij.*

195 SCholaſticus ergo à Rege Hiſpaniarum præſentatus, & à Pontifice confirmatus potitur erga omnes *Academicos* iuriſdictione ordinaria perpetua, & ampliſsima, tum Pontificia, tum Regia, vt inferius conſtabit, iuxta ſubditorum qualitatem, nullumque ſupra ſe Superiorem habet, niſi Pontificem, & Regem, eo modo quo poſtea trademus; vbi, quæ cauſæ ad Senatum Regium, vel ad Cancellariam, & qua via poſſint adduci, oſtendendum erit, & pariter ad quem poſsit à ſententia Scholaſtici appellari. Is igitur de cauſis ciuilibus, & criminalibus Academicorum ius dicit, eiſque pœnas infligit; ad ipſius etiam munus ſpectat, vt *Academici* tranquillè ſe gerant, ſtudiis incumbant, arma prohibita non retineant, veſtibus modeſtis ornentur, & cætera omnia, quæ ad rectam iuuentutis educationem, & diſciplinarum ſalubrem traditionem ſpectant. Inter alias autem facultates, quibus gaudet, eam habet à Martino V. *conſtit.* 3 vt abſol-

absolnere posit ab omnibus censuris cõtractis ob violationem Statutorum, & simul dispensare in irregularitate contracta ab his, qui innodati eius censuris celebrauerint, aut diuinis se immiscuerint.

166 Attamen eius potestas non stricto gladio est exercenda, sed norma suauiori moderanda; quippe, vt asseritur *in instatutis Academiæ tit* 68. iudex simul, & pater est; ea sunt verba; *Item, atento que el Maestre Escuela desta Vniuersidad, está pueslo por padre de los Estudiantes, &c.* De quo iterum redibit deinceps sermo. Iudicem designat Scholasticus, qui cum ipso idem Tribunal componit, vt Vicarius Generalis diœcesis cum Episcopo. In eius Tribunali adsunt Ministri omnes ad causas requisiti; quibus designata est taxa stipendii, quod pro negotiorum expeditione deberur *in præfato tit.* 68. & vtinam obseruetur.

167 Olim Scholasticus Salmantinus fuerat iudex ordinarius *Academiæ*, quin adhuc fungeretur munere Cancellarii; Id ei munus auxerunt Ioannes XXII. viginti tribus annis transactis, postquam iudex esse cœperat, anno 1334. Postmodum Benedictus XIII. anno 1415. decreuit, vt Dignitas hæc Scholastriæ non posset conferri nisi Doctori in Iure Canonico, aut in Theologia Magistro. Et anno 1422. Martinus V. abstulit Ecclesiæ Salmantinæ electionem huius Dignitatis; quod Eugenius IV. confirmauit, reseruans Sedi Apostolicæ electi confirmationem, quę Archiepiscopo Toletano fuerat à Martino V. commissa.

168 Quod autem sit munus Cancellarii, breuiter discipiamus. Tempore Imperatorum Theodosii, Arcadii, & Honorii introductum est nomen Cancellarii, qui erat officialis Iudicum à secretis, & in scribendis edictis eorum munus concernentibus occupabantur; & quia id Cancellarii præstabant in loco, qui proximus erat consistorio clauso reticulis, seu cancellis, cancellarii sunt appellati; & quia in his cancellis, seu reticulis, vulgò *celosias* ligna ex transuerso ducũtur, & cum delerur aliqua pagina, lineæ ex atramento ducuntur etiam ex tranuerso, ideo delere sonat idem, ac cancellare. Etymologiam Cancellarii ex Græco nomine *cancris* deduxit Durantus *de ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap.* 15. Sed rectius expositam ethymologiam docuit Cuiacius *in partitl. C. de assessorib.* eam ex Cassiodoro desumẽs. Circa quam, & alia ad Cancellarium pertinentia, videantur Escobar *de Regia, & Pontificia iurisdict. cap.* 30. Octauianus Vestr. *lib. de Romanæ aulæ actione, & moribus* Sebastianus Couarrubias *in Thesauro Linguæ Hispanæ, verbo Canciller, & Chanciller* Petrus Gregor *lib.* 15. *syntagm. cap.* 19. P. Azor *tom.* 2. *institut. moral. lib.* 5. *cap.* 36.

169 Distabat ergo olim non multùm Cancellarius à scriba, seu tabellione; processu vero temporis id nomen ad munera ingentia fuit translatum tum in Romana Curia, tùm in Hispania, & Gallia, vt videre est apud præfatos Authores. Cancellarius autem *Academiæ* is dicitur, qui potestatem habet conferendi Gradus litterarios, & expediendi omnia, quæ ad illos spectant. Quare Scholasticus Salmantinus confert Gradus Licenciatus, Magisterii, & Doctoratus in omnibus Scientiis. Hanc autem facultatem conferendi Gradus habet, tum à Pontifice, vt cõstat ex Bulla Ioannis XXII. tum à Rege Hispaniæ; ea nim Bulla expedita fuit ad instantiam Regis *Alfonsi* XI. qui etiam suam potestatem Scholastico præbuit ad collationem Graduum, & eius successores confirmarunt; quippè, vt iam superiùs attigimus, & inferius decidemus, potestas conferendi Gradus Litterarios residet in Pontifice, & in Principibus Supremis, quare tam hi, quàm ille, possunt in alios eam transferre.

170 Præterea Scholasticus Salmantinus est simul Iudex Conseruator Academię; de quo munere agemus in inferioribus; etiam ducursu tractatus plura decidemus tum communia omnibus Iudicibus *Academiarum*, tum specialia de Salmantino Scholastico. Territorium Scholastici non est sumendum materialiter pro regione, ditione, seu prouincia ei commissa; quo sensu si sumatur, Iudices *Academici* non habent territorium, & id circo eis aliqui *Authores* iurisdictionem ordinariã denegarũt, contra quos rectè inuehitur Escobar *suprà, cap. 6. à num.* 3. Quippe territorium etiam sumitur pro certis finibus, intra quos in personas determinatas datur iurisdictio; quo sensu præfati Iudices, & Scholasticus territorium habent, vt docet Ossualdus *lib.* 17. *commentar. cap. 9. littera C.* Quare Scholasticus cognoscit de causis omnibus *Academicorum*, qui Salmanticæ versãtur; Imò, vt Iudex Conseruator est, ad latissimos

ſimos fines ſuam iuriſdictionem extendit; cum ſtudioſi, vbicumque exiſtant, ſi Rei ſint, debeant in eius Tribunali conueniri; ſi verò ſint actores, deſignatæ ſint diætæ, intra quas poſsint afferre Reos ad eiuſdem tribunal; De quo ex profeſſo in inferioribus agemus.

171 Collegia omnia, quæ Academiæ huic incorporata ſunt, gaudent priuilegiis, & foro, atque adeo ſubiacent Scholaſtico Salmantino in omnibus cauſis, quę eius iuriſdictionem concernunt; Incorporantur autem, dum ab Academia in ſui gremium admittuntur, his ſeruatis ſolemnitatibus, quæ per ipſius Academię ſtatuta, & conſuetudinem pręſcribuntur. Quotannis etiam ſub nouo Rectore ſolent matriculæ adſcribi hi, qui in Collegiis incorporatis degũt; quòd ſi non adſcribantur, defectus matriculæ nocebit ſingulis, vt ſingulis, vt nequeant vt ſinguli, & vt priuatæ perſonę gaudere priuilegiis, & foro, (ſi aliunde non ſint Academiæ miniſtri) at non nocebit, quo minus corpus myſticum Collegii foro, & immunitatibus potiatur.

172 Id obſeruandum eſt, quòd etſi Collegia Maiora Salmanticenſia ſubiaceant Scholaſtico Salmantino in ciuilibus, & criminalibus, tamen ob ipſorum eximiam claritudinem, & authoritatem, Regiamque protectionem, ſub qua verſantur, Scholaſticus Salmantinus in cauſis criminalibus Togatorum non eodem modo (ſi attentè ſe gerat) ac in cauſis aliorum ſubditorum procedit, ſed Regem, ſeu eius Senatum Supremum Caſtellæ conſulit, vt crimina puniat; ſic enim Regi, & Senatui prædicto eſſe in animo, & votis, longa conſtat experimentorum ſerie. Quare, ſi caſus vrgeat, Scholaſticus Rectorem Collegii admoneat, vt ſubditum clauſum detineat, donec negotium pro merito dirimatur; ſic etenim vrbanitati, & iuſtitiæ, fit ſatis, damnaque vitantur, quæ timeri queunt: ſi aliâ via procedatur, & quæ non ſemel fuiſſe ſecuta, doluimus. Quin extat decretum Senatus Supremi Caſtellę relatum *lib. 1. Recopil. tit. 7. in fine, in edi-ctione nouiſsima*; quo cauetur, ne vllus alius niſi Senatus ipſe cognoſcat de cauſis criminalibus eius modi Togatorum, nec de his, quæ ad amiſsionem, vel priuationem togæ ſpectant.

173 Si autem Collegia ſint Regularium, Scholaſticus Salmantinus in ciuilibus ſuam iuriſdictionem exercet; in ęteris verò, ſi ad Academiæ ſtatum, aut gubernationem non pertineant, nequit ſe ingerere; cum Regulares ſint eſſempti, & per ſuos Prælatos debeant puniri, ac gubernari; at, ſi res ad Academiam ſpectet, poteſt Scholaſticus pœnas infligere, & ſuam omnino iuriſdictionem exercere. Hinc, ſi fortè (quod nunquam eueniet) diu, aut noctu ipſe Scholaſticus, aut eius Miniſtri inciderent in Religioſum tumultuãtem, aut concubinarium, vel alterius criminis Reum, ita vt delictum immediatè non tendat contra Academiam, aut eius gubernationem, ſeu pacem, debet illum ipſius Prælato tradere, vt cauſa cognita, pœnam decernat. Et abſolutè par eſt, vt id ſemper pręſtetur, ſic enim obuiam itur ſcandalis, & Sacri Ordines ſuę conſulunt gubernationi, ſuauiuſque cuncta diſponuntur. Nec aliud, ſi attentè legatur, contendit Eſcobar *de Pontif. & Reg. iuriſd. cap. 34. à num. 6.* loquens de Regularibus Ordinum Militarium, & de aliis.

174 Scholaſticus Salmantinus deſignatam Sedem in Choro Eccleſię Cathedralis habet; & reſidere tenetur, vt fructus ſuos faciat. Cæterum quantum temporis reſidere teneatur, & à quo poſſit ad reſidẽtiam cogi; rurſus à quo valeat viſitari; deinde in quibus rebus Epiſcopo Salmantino ſubſit; à quo puniri queat, ſi delinquat; & demum, (quod Deus auertat) ſi in crimen incideret ex his, quæ ad Sanctum Inquiſitionis tribunal pertinent, an poſſet à Sacræ Fidei Quæſitoribus de eo cognoſci, vel deberet immediate à Pontifice, aut de eius commiſsione id præſtari, ſicut ſi Epiſcopus eo crimine macularetur? quæſtiones ſunt extra noſtrum inſtitum, & longam exiguunt diſputationem. Videat eas, qui velit, apud D. Alfonſum de Eſcobar *vbi ſupra cap. 24.* Vbi etiam oſtendit, iam fuiſſe deciſum, non teneri Scholaſticum Salmantinum comitari Epiſcopum, cum accedit ad Chorum Almæ Eccleſiæ, aut ab illo recedit, ſicut cæteri è Capitulo ipſius Eccleſiæ præſtant, ſed duntaxat vſque ad ipſius Chori fores.

(?)

§. 7.

§. 7. *De Vice Cancellario Academiæ Salmanticensis. Vbi aliqua attinguntur de redditibus, ac sumptibus, & de Ministris Academiæ.*

175 CAncellarius, dum Salmanticæ versatur, & non ægrotat, nequit Vice Scholasticum, seu Vice Cancellarium designare; siverò sit absens, aut ita æger, vt nequeat exire domo, potest eligere Vice Scholasticum, qui eius nomine munera ipsius propia exerceat, ad quæ necessariam potestatem, ac iurisdictionem concedat. Quòd si longo temporis spatio absentiam protrahat, duos valet eligere Vice Scholasticos, vt vno deficiente, alter succedat. Eorum autem iurisdictio expirat, deficiente causa ægritudinis, vel absentiæ. Ita cautum est *in statutis Academiæ tit. 5. num. 7.*

176 Si vero Scholastria Salmantina vacet, aut per obitum Scholastici, aut per eius promotionem, Martinus V. *constit. 33.* sic statuit; *Vacante autem huiusmodi Scholastria, Doctor, vel Magister per Definitores prædictos, aut maiorem partem eorum, deputetur, qui, quamdiu ipsa vacabit, huiusmodi officium diligenter gerat, & fideliter exerceat.* Ex quibus verbis colligitur primò, Vice Scholasticum, quo ad negotia, & causas Academiæ, eadem facultate, ac Scholasticum ipsum, potiri, quippe sine vlla limitatione officium ei traditur gerendum. Colligitur secundò, non aliũ nisi Doctorem, vel Magistrum ex ipsa Academia eligi posse in Vice Scholasticum, cum Pontifex eam limitationem apposuerit; Ad cuius exemplar crederem, ipsum Scholasticum non posse tempore absentiæ vel ægritudinis designare Vice Scholasticum, qui non sit Magister, vel Doctor, cum sit æquiparatio in vtroque casu, & consuetudo id confirmet; esto non appareat similis limitatio in hoc euẽtu, defectu cuius posset contendi, Scholasticum valere alium quemuis capacem iurisdictionis designare.

177 Colligitur tertiò, posse Regularem Magistrum in hac Academia id munus obire, cum id à Pontifice permittatur; nisi aliquod sit impedimentum ratione Professionis Religiosæ, quale datur in Magistris, qui sunt è Societate Iesu, maxime Professis, qui obstringuntur voto non acceptandi Dignitates (qualis est Vice Scholastria) nisi compulsi præcepto eius, qui ipsis id potest sub obedientia imperare. In prædictis autem verbis Pontificis non continetur præceptum acceptandi. Sed de hoc latiùs agemus *infra quæst. 19. huius primi libri.*

178 Colligitur quarto, electum Vice Cancellarium debere esse Clericũ, saltem prima tonsura initiatum, cum ei iurisdictio Ecclesiastica à Pontifice conferatur. Aliud esset, si Rex suam iurisdictionem Regiam vellet alicui concedere, Scholastria vacante, erga Academicos laicos, is enim non deberet esse clericus; & similiter, si commiteret Confessui, aut Claustro Academico, vt illum eligerent, tunc enim possent eligere non clericum, non quidem vt electores Pontificij, sed vt electores Regii. Quippe in Scholastico Salmantino duplicem iurisdictionem concurrere, aliam Pontificiam, aliã Regiam, paulo inferius ostendemus; eademque duplex iurisdictio in Vice Scholastico datur; quare posset Rex suam iurisdictionem laico præbere, aut committere eius electionem confessui Academiæ.

179 Colligitur demùm, eligendum in Vice Cancellarium debere esse Magistrum, aut Doctorem tempore electionis, & non sufficere, quòd immediatè post electionem, Magisterii, aut Doctoratus Gradum accipiat; tum quia id est de subiecto non supponente, vt aiunt logici; si quidem eum Gradum nequit accipere nisi à Scholastico, aut Vice Scholastico, qui tunc non datur; tum quia verba Pontificis sonant debere esse Magistrũ, aut Doctorem eũ, qui deputatur, id est, eligitur in Vice Cancellarium, & his verbis tempus electionis designatur, maximè cũ præuiderit Pontifex, in hac Academia deficiente Scholastico, aut Vice Scholastico, non posse creari Doctorem, aut Magistrum post electionem Vice Scholastici, ante eius possessionem; atque adeò in ordine ad hoc electio, & possessio pariter se habent, nec potest tempus vtriusquè actionis distingui.

180 Vice Scholastico tenentur assistere, ac obedire Ministri, seu Officiales Academiæ, sicut ipsi Scholastico. Cæterùm in Academia Salmantina plures sunt Ministri, suo quisque muneri deputatus, vt omnes & singulæ actiones tum litterariæ, tum ad Academiam quoquo modo

do spectantes ingenti eum decentia, & specie maiestatis peragantur. Inde etiam in Sacello illustri, quod Diuo Hieronymo dicatum extat intra ipsam Academiam, Officia diuina magna cum grauitate persoluuntur, & Sanctorum solemnitates dignè celebrantur. Ad prædicta omnia suppetunt redditus Academiæ, qui ex Pontificum, Regum, aliorumque munifica liberalitate valde creuerunt; ita vt stipendia moderantibus Cathedras cumulata soluãtur; salaria Officialibus numerentur; ministerio Sacelli largè subueniatur, aliaque plura Academiæ sumptibus perficiantur. Illud valde est commendatione dignum, & plausu, quòd Academia quotannis magnam pecuniæ summam in eleemosynarum distributionem impendit, pauperibus egentibus succurrens; Et præterea suis redditibus alit insigne Xenodochium, quod destinatum est studiosis egenis ægrotantibus. Verè Princeps Academia, non solùm in litteris, sed in munificentia. Qua tuor præterea sunt Protectores Academiæ, equites nobilissimi laici, qui solent vocari Conseruatores; eisq; sine vlla iurisdictione, incumbit Academiam protegere, defendere, ac incolumen esse, curare. Hi partim ab ipso Consessu Academico eligũtur, partim ex priuilegio honorifico in familia sua radicato, eo ornamento potiuntur.

§. 8. *De Iudice Studij, seu Vicario Magistro Scholæ Salmantinæ.*

Vbi, an Magistratus Academicarum possint mutare sedem Tribunalium?

181 IAM superius attigi, Scholasticum Salmantinum habere Vicarium, qui communiter vocatur *Iuez del estudio*, & ab ipso eligitur, annuente, & approbante Regio Castellę Senatu; & vnum, idemq; tribunal cum ipso constituit. In Iudicem transit omnis iurisdictio, siuè voluntatia, siuè contentiosa, quæ in Scholastico datur; nisi ipse eam limitet, vt potest; aut aliud per statuta Pontificia caueatur. Ea autem potestas, qua Scholasticus ratione dignitatis personalis gaudet, non transit in Iudicem, sicut iurisdictio Episcopi transit quidem in ipsius Vicarium, non verò potestas, qua potitur ratione dignitatis Episcopalis, vt ipsi personæ inhæret. Similiter crediderim, potestatem conferendi Gradus litterarios, quæ in Scholastico Salmantino residet, non posse in Iudicem studii transire, ob præfatam rationem. Vnde obscurè, & minus vere asserit Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdict. cap. 31. num. 5.* potestatem Cancellarii in conferendis Gradibus transire in Iudicem, *nisi lege, statuto vè Academico specialis expressio requiratur, prout in nostra Salmantica requiritur dicto tit. 5. §. 8.* Hæc sunt illius verba.

182 Sed *eo titulo & §.* nihil horum continetur. Deinde ex his verbis colligitur, Iudicem posse conferre Gradus litterarios, si speciali expressione Cancellarius ei potestatem hanc cõcederet; quippe tunc adimpleretur conditio à præfato Authore superaddita, defectu cuius ea potestas de facto in Iudicem non transit. Quod certè, vt mihi suadeo, inauditum est, & nunquam hucusque visum: quòd si præstari valeret, aliquando Cancellarius vel ægritudine, vel alio impedimento detentus, speciali expressione Iudici commisisset; & in variis rerum euentibus per tot annorum series nunquam id fuisse præstitum, argumentum à posteriori est, quòd nequit præstari, & quòd ea potestas inhæret dignitati personali Cancellarij, seu Vice Cancellarii, & ab his non potest cõmunicari alteri.

183 Omnis verò alia iurisdictio, quam Scholasticus habet, quatenus Iudex ordinarius, Conseruator, & Executor in Vicarium transit. Nec obstat, si dicas, iurisdictionem Conseruatoris, & Executoris, qua fungitur Scholasticus, esse delegatam, adq; adeò non posse subdelegari. Nam esto delegata sit, tamen delegatus à Principe, seu ad Vniuersitatem causarum subdelegare potest suam iurisdictionem; *leg. à iudice 5. Cod. de iudicijs* Docent Moneta *de Conseruat. cap. 7. num. 53.* Osuald. *lib. 17. commentar. cap. 8. litt. M.* & plures alij; Et ego tradidi *tom. in Bullam Cruciat. disp. 37. num. 13.* Addit Escobar, *vbi supra num. 10.* iurisdictionem Conseruatoris, & executoris esse accessoriam iurisdictioni ordinariæ Scholastici, atque adeò eius naturam sequi.

184 An autem iurisdictio Vicarij

sit

sit ordinaria, vel delegata, difficultas est communis Vicario Episcopi, cuius iurisdictionem esse ordinariam, docent Barbosa *de potestat. Episcopi; allegat.* 55. *à n.* 26. Couartubias, Bobadilla, & alii apud Escobar *vbi supra num.* 11. Qui tuetur, iurisdictionem eiusmodi Vicarij partim esse ordinariam, cum ab ipso ad Magistrum Scholę appellari nequeat; partim delegatã cũ ipse nequeat eam delegare alteri. Dicerem ego, esse ordinariam, sed limitatã; cum enim sit idem eius Tribunal cum Scholastico, nequit esse iurisdictio delegata, sed eiusdem naturæ, ac est iurisdictio ipsius Scholastici, quæ ordinaria est; aliàs non esset idem Tribunal, nam tribunal inuoluit in se iurisdictionem; hæc ergo est eadẽ, si illud est idẽ. Limitata autẽ est quia ipse Scholasticus, sicut potest aliquas causas ad se trahere, auferens cognitionẽ earum à Iudice studii, sic potest limitare iurisdictionem, ita vt nequeat Iudex actus iurisdictionis alteri delegare, sed solum actus meræ executionis. Quod videtur veritati, ac rationi conformius, quàm mixtam ei iurisdictionem attribuere. Aliàs dicendum esset, respectu eiusdem actus, exerceri ab illo simul vtramque iurisdictionẽ; nam nequit delegare prolationẽ sententiæ; indeq; in sentẽtia proferenda Iudex vteretur iurisdictione delegata; Deinde ab eadem sententia non potest appellari ad Scholasticum; quo fundamento vtitur Escobar, vt probet, iurisdictionem esse ordinariam; ergo in sententia prolata hæc iurisdictio reluceret. *Absurdum* autem videtur, vtraque iurisdictione necessario simul vti, & indigere respectu eiusdem actus.

185 Iudici autem studii commendatur valdè in statutis Academiæ, vt scholares tumultuantes puniat; domos Oppositorum ad Cathedras (dum scholares suffragia ferant) diu, noctuque visitet; frequenter Academiæ assistat, & inuisat gymnasia; soli Notario examen testium non committat; nullum pignus ab scholaribus extrahi permittat, ratione debiti ciuilis, aliaque huiusmodi Videantur *tit.* 3. §. 57. *tit.* 12. §. 29. *tit.* 33. *à* §. 111. *tit.* 68. §. 7. *&* 10. *ac* 17.

186 Cæterum Iudex studii nequit esse aliquis Cathedram regens, nec eius Cãdidatus, nec Collega, aut Collegii candidatus, vt extat *in statutis tit.* 68. §. 4. Esto hæ qualitates non requirantur essentialiter; quare consulendo maiori Academiæ bono, in aliquibus euentibus Iudices sunt designati Togati ex Collegiis Maioribus. Id omnino necessarium est, quòd saltem prima tonsura sit initiatus, vt iurisdictionem Ecclesiasticam, qua gaudet, exerceat; sicut de Vicario Episcopi tradit Barbosa *de potestat. Episcop. allegat.* 54. *à num.* 4. & ibidem *num.* 6. tuetur, clericũ coniugatum nõ posse esse Vicarium Episcopi; idemque dicendum esse propter eãdem iuris rationem de Vicario Magistri Scholæ, rectè docet Escobar *supra num.* 19. Sed quia in Iudice studii etiam datur iurisdictio Regia, sicut in ipso Scholę Magistro, iuxta tradenda inferiùs, requiruntur in illo qualitates, quæ ad hanc iurisdictionem exercendam præscribuntur *in leg.* 2. *tit.* 9. *lib.* 3. *Recopilat.* & illæ, quæ iure cõmuni in Iudicibus exiguntur, de quibus Escobar *supra cap.* 4.

187 Maius dubium est, an Iudex possit esse Vicarius Magistri Scholæ, in quantum Conseruatoris, si non sit in dignitate Ecclesiastica constitutus? Quippe non posse quem in Subconseruatorem deputari, nisi eiusmodi dignitate sit præditus, suadetur ex Motu proprio Innocentii VIII. relato ab Azeuedo *in leg.* 20. *num.* 3. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recopilat. & ex eadem lege.* Hinc Emanuel Rodriguez *quæst. Regular. tom.* 1. *quæst.* 65. *art.* 10. & Didacus Perez *leg.* 12. *tit.* 3. *lib.* 2. *Ordin.* censuerunt, non posse Vice Conseruatorem, seu (vt ipsi vocant) Vice Cancellariũ eligi, nisi in dignitate Ecclesiastica constitutum. Acriter in eos inuehitur Escobar *num.* 13. & docet, ea Iura solùm loqui de eò, cui potestas Cõseruatoria mandatur absq; alia iurisdictione; cum iure communi dignitas Ecclesiastica ad id munus sit necessaria, Iudici autẽ studii non mandari hanc solam potestatẽ, sed iurisdictionem ordinariam, cui accessoria est ea potestas in prædicto Iudice. Quæ doctrina rectè ab ipso comprobatur, & mihi arridet.

188 Iudex studii eodem modo est exemptus à iurisdictione aliorum Iudicũ, ac ipse Scholæ Magister, cuius est Vicarius; Ab ipso autem Scholę Magistro puniri potest, si delinquat; De quo in simili videatur Barbosa *de potestat. Episcop. alleg.* 54. *à n.* 181 Segura *in directorio c.* 13. A sententia Iudicis ad quem sit appellandum, idem dicito, ac de appellatione à sententia Magistri Scholę; de quo inferius agemus, & per totum hunc librum plura ad Iudicem studii spectantia declarabimus.

Quando

189 Quando à ſententia interlocutoria Iudicis per viam violentia appellatur, ad Senatum Vallisoletanum, in cuius territorio Salmantica includitur, fertur appellatio. Sed, quid dicendum, ſi iudex delegetur à Scholaſtico Salmantino, qui de cauſa aliqua cognoſcat in territorio ſpectãte ad Senatum Granatenſem? nam, ſi locus territorij inſpiciatur, videtur tunc adeundus Senatus Granatenſis iuxta *leg. 39. lib. 2. tit. 5. Recopilationis.* Si verò attendatur ad locum, in quo tribunal Scholæ Magiſtri reſidet, Senatus Pintianus debet adiri; Et hunc locum fore conſiderandum, exinde ſuaderi poteſt, quia iudex delegatus nullum tribunal, nec iuriſdictionem propriã, videtur habere, ſed alienam, & nomine delegantis. In hoc dubio diſtinguendum eſſe putat Don Alfonſus de Eſcobar *ſupra num. 35.* ſcilicet Granatenſem Senatum fore adeũdum, ſi cauſæ deciſio delegetur Iudici intra territorium Granatẽſe; id enim conuincitur ex *prædicta leg. Recop.* Si vero Iudex ſit merus executor in territorio Senatus Granatenſis, & cauſæ cognitio habita fuerit in territorio Senatus Pintiani, ad hunc debere appellari. Huius deciſionis nullam affert rationem; ſed ea videtur eſſe; quòd merus executor nullam profert in cauſa ſententiam, à qua per viam violentiæ appelletur, vel ſi aliquam profert, ſolum ea eſt declaratio, & executio ſententiæ iam prolatæ à Iudice, qui eum Executorem deſtinauit; quare, ſi appelletur ab illa, refertur appellatio ad ſententiam primam Iudicis, ideoque ipſius territorium ſequitur. Id addit ipſe Author, Senatum Granatenſem habiturum fore cauſæ cognitionem, ſi Scholaſticus Salmantinus inhibeat Senatores Granatẽſes, vel ſuo reſcripto, vel medio Iudice delegato, praximq; ait, eſſe communem, vt tunc ipſi per viam violentiæ cognoſcant. Quam doctrinam proſequitur *capit. 21. à num. 251.* Quæ omnia libaui, vt cõſtet, quid ſcribant Authores in his dubijs occurrẽtibus; longè enim eſt ab huius libri inſtituto agere de appellationibus per viam violentiæ.

190 In præſenti non incongruè quæres, an Scholaſticus Salmantinus, & quilibet Magiſtratus Academiarum, poſſint mutare ſedem ſui Tribunalis, & à loco, vbi eſt Academia, in alium transferre? In primis Iudex Ordinarius poteſt in quocumque loco intra fines ſuos ius dicere, ſalua maieſtate imperij ſui, *iuxta leg. penultim. ff. de inſtit.*, & *leg. ſi cum dies 21. §. ſi arbiter, ff. de arbitr. leg. final. ff. de iuriſdiction. leg. 7. tit. 4. partit. 3 leg. 5. tit. 22. partit. 3.* Magiſtratus autem Academiarum eſſe Iudices ordinarios, infra oſtendemus, vnde ius dicere poterunt in quolibet loco intra fines ſuos. Rurſus, ſi Magiſtratus fungantur Pontificia, & Regia iuriſdictione, vt fungitur Scholaſticus Salmantinus, quatenus Pontificia iuriſdictione ſunt præditi, poterunt intra Vniuerſum Orbem Chriſtianum ius dicere; & quatenus Regia gaudent, poterunt vbique intra Regni imperium iudicare; quia ad eos fines extenduntur præfatæ iuriſdictiones; & nullum eſt territorium limitatum; ſolum enim ſubditi, & Rei deſtinati ſunt, quibus vbicumque, cum appoſita diſtinctione, ius dicere valent. Videatur Barboſſa *de poteſtat. Epiſcop. allegat. 80.* Eſcobar *vbi ſupra, cap. 21. à num. 227. & cap. 23. à num. 14.*

191 Cæterum nequit Scholaſticus Salmantinus, nec alii Magiſtratus Academiarum ſedem ſuorum Tribunalium mutare, nec transferre ab eo loco, in quo ſita ſunt, in alium. Etenim ea loca à Principe, ſub cuius dominio eſt territorium, ſunt deputata, vt in eis Tribunalia collocentur, & commodiùs ſtudioſi ſuas cauſas proſequantur, quin diſtrahantur ab ſtudijs, quò etiam reſpicit ipſum priuilegium fori, quo gaudent. Hinc, ſi Magiſtratus Academiæ abeſſet à loco ſtudij, & in alio loco exiſteret, non poſſet illuc auocare ſtudioſos verſantes in Academia, aut tendentes ad illam; quippè ſic deſtrueretur finis, ob quem ſtudioſis dantur ſpeciales Magiſtratus, ne ſcilicet à ſtudio diſtrahantur. Nec item Officiales Academiç poſſet ad eum locum trahere, ne diſtraherentur à miniſterijs, quę circa Academiam ipſam exhibent, qua ratione eis indulgetur priuilegium fori ſtudioſorum. Ideò in ſtatutis Vniuerſitatis Salmantinæ rectè præcauetur, vt quoties Scholaſticus à ciuitate abſit, Vicarium conſtituat, cui omnes ſuas vices deleget. Attamen, ſi lis ſit ciuilis, & partes inter ſe cõuenirent, vt ad locum extra Academiæ Sedem ad Magiſtratum illic forte verſantem confugerent, nihil tunc

obstaret, quo minus ibi ius eis diceret. Deinde, si causa esset criminalis, & in aliquo loco distanti ab Academia studiosus delictum patrasset, & ad vtilitatem publicam expediret, ibidem puniri, posset Magistratus illum trahere ad eiusmodi locum, etiam cum auocans ab Academia: nam id ratio vindictæ publicæ expostulat.

192 Quòd si Magistratus Academiæ sit simul Index Conseruator, sicuti Scholasticus Salmantinus, poterit ius dicere intra territorium, quod est designatum. Indè, quia prædictus Scholasticus intra duas diætas respectu studiosi laici, & intra quatuor respectu studiosi clerici, iurisdictionem Conseruatoriam habet, valet in quocumq; loco intra eiusmodi diætas cõtento proportionatè sumpto ius dicere. Quid autem sint hę diætæ, quomodo computandæ, & plura circa hanc iurisdictionem Conseruatoriam dicemus *lib.* 3. *quæst.* 2. & inferius huius libri decursu.

§. 9. *De Communitatibus Academiæ Salmanticensis; Et præcipuè de quatuor Collegijs Maioribus.*

193 PRIMA Communitas est, quæ ipsam Academiam repræsentat, nempe Senatus constans ex Rectore, Scholæ Magistro, Doctoribus, Magistris, Deputatis, & Consiliarijs. Cuius Communitatis authoritas, & maiestas ex dictis, & dicendis satis apparet. Numeros superãt viri præclarissimi ac Sapientissimi ex hac Communitate, qui ab eius institutionis exordio vsq; ad ætatem nostrã orbem illustrarunt: Concilijs Generalibus; & Prouincialibus interfuerunt: ad sacras Infulas, & purpuram sunt assumpti; Iura dedere gentibus in cunctis Senatibus; omnes Scientias, ac Facultates suis scriptis, & libris celeberrimis in lucem editis exornarunt. Quidquid dicam, minus erit. Omnes nequeunt breui calamo præstringi. Id ipsum est omnibus constãs, de Viris alijs, qui in hac Academia, & si Gradum Magisterij, aut Doctoratus non acceperint, tamen litteras didicerunt, aut publicè cõtocuerunt. Quot ex illis Purpura decorauit? Quot ad Ecclesiarum Prælaturas, & culmina Dignitatum, & Munerum sunt euecti? Quot Proceres, & Magnates hanc Academiam frequentarunt? Quot ex Italia, Germania, Gallia, Belgis, Anglia, Britannia, Scotia, & ex extremis Indiarum finibus huc aduenere, vt Salmanticensi disciplina ornarentur? Ignorat lucem, quisquis id non callet. Cæterum ex incorporatione cum Academia, eius gaudent priuilegijs, & foro Collegia sæcularia, & Regularia, ac ferè omnia Monasteria, quæ sunt in vrbe Salmantina. Incorporatio autem facta est in primis per submissionem iurisdictioni Academię, & per admissionem seu acceptationem factam ab ipsa Academia; & deinde requiritur, vt saltem maior pars Communitatis singulis annis matriculæ adscribatur sub nouo Rectore, cui præstet iuramentum de obediendo. Et supponitur, dari in ipsi Monasterijs, seu Communitatibus studiosos, vel Professores, qui Scholas frequẽtẽt & lectionibus discẽdis, vel docẽdis, aut Actibus litterarijs intersint; aliàs nõ erit titulus, propter quẽ fiant subditi iurisdictionis Academiæ. Cum autem in eis dantur studiosi, & magna pars Communitatis studijs incumbit, Communitas ad suas lites, & negotia gaudet foro Academico, & cæteris priuilegijs Studiosorum, de quibus *hoc libr.* & 3. agemus. Ea autem adscriptio in matricula eò tendit, vt singuli de Communitate foro gaudeant, & priuilegijs.

De quatuor Collegijs Maioribus Salmantinis.

194 ILLVSTRIVS Academiæ Salmantinę ornamentum sunt quatuor Collegia Maiora. Ita dicuntur, tum vt ab alijs discernantur, quæ eiusmodi nomenclatura non gaudent; tum quia specialia, & æstimabiliora priuilegia à Pontificibus, & Regibus habent; nec in ea potest admitti quisquam, qui studia non perfecerit, & recollegerit, ac Gradum Bachalaureatus sit adeptus. Statuta prætera de puritate sanguinis, nulla permissa nota, rumore,

aut

aut næuo, & rigido examine facto de omnibus progenitoribus, etiam vſque ad diſtantiſſimā progenituram, quantū duo teſtes mentionē fecerint, ſeueriſſima diſcipli na obſeruantur; & inter Actus poſitiuos, qui hiſce temporibus (ſaltē adhuc) in Informationibus de puritate ſanguinis admittebātur, annumerabatur Toga cuiuſq; Collegij Maioris, etiam eorum, quæ ſunt, (& quidem inſignia) extra Salmanticam. Demum à Regibus indultum eſt, vt ſub Collegiorum Maiorum titulo inſtituātur, atque ſub Regia protectione verſentur.

195 Hanc etiam appellationem, qua Collegia Maiora nuncupantur, publica acclamatio à primis exordijs comprobauit. Quippe ſemper ex eis ad Dignitatum, & Munerum itur faſtigia. Ex his Collegijs ad Purpuram Cardinalitiā, ad Infulas Eccleſiarum, ad Senatus omnes, & Dignitates continuo tramite prodeunt. Inſignes etiam omnium ſcientiarum Interpretes ſuis ſcriptis prælo mandatis nouum addiderunt litteris ſplendorem. Hęc profectò Collegia ſunt Muſarum deliciæ: ſcientiarum aulæ, Virorumque ſeminaria, qui Iura Gentibus, authoritatem Senatibus, ornamentum Eccleſijs exhibeant. Cæterum ſingula ſuas Conſtitutiones retinent à Pontificibus approbatas; circa quas, & alia ad hæc, ac cætera Collegia ſpectantia, plurimas quæſtiones, & dubia toto huius tractatus decurſu diſcutimus. Nunc breuiter eorum fundationem libabimus. In votis ſanè fuit, ſingulorum ex his Collegijs alumnos à ſua prima erectione, in formam Indicis, redigere, annotato dūtaxat anno, patria, & Munere doſtremo, quod vnuſquiſque rexit; tum vt eorum ſpecialis notitia, ac mentio haberetur, tum vt in admirationem omnes raperet multitudo Virorum, qui ex vnoquoque Collegio clauum Eccleſiaſticum, ac ſæcularem tenuerunt; tum demum vt debitæ eorum commendationi, & meæ erga ipſa venerationi, & affectui vtcumque indulgerem. Deſtiti tamen, quia in Collegio Maiori Conchenſi liber admiſſionis Togatorum in ſecreto eius ſcrinio clauſus aſſeruatur, nec niſi coram integro Collegio præſenti poteſt referari, nec extra illud extrahi; quare cum non poſſem certam, & integram mentionem de Togatis Conchenſibus facere, eo obſtaculo omnino præpeditus, à cæteris etiā abſtinui. Aliqua de illis attigit AEgidius Gonzalez de Auila *in Theatro Eccleſiæ Salmantinæ*. Ergo ad eorum erectionem propero.

196 Collegium Diuo Bartholomæo Sacrum, vulgò *Collegium vetus*, fœlicibus fuit ſtructum auſpicijs, anno 1408. ab Illuſtriſſimo Domino Don Didaco de Añaya, & Maldonado, qui Enrici III. Caſtellæ, & Ferdinandi Fratris eius, Regis Aragoniæ, fuit Magiſter; deinde Præſul Eccleſiæ Tudenſis, Aurienſis, Salmanticenſis, & Conchenſis; tunc temporis in Generali Conſtantienſi Synodo Hiſpaniarum Legatus, ibique à Martino V. Pontifice Maximo Elector deſtinatus pro ſedando ſchiſmate, quod iam pene quinquaginta annis Eccleſiam infeſtiſſimè vexabat; demum reuocatus in patriam Supremi Caſtellæ Senatus fuit Præſes, & Archiepiſcopus Eccleſiæ Hiſpalenſis. Obijt in loco *Cantillana* diœceſis Hiſpalenſis anno 1437.

197 Referam huius Maximi viri geſtum inſigne. Simul cum illo pro Hiſpanijs Legatus Don Didacus Fernandez de Cordoua, vulgò *Alcayde de los donceles*, in Concilio Conſtantienſi verſabatur. Tentarunt eum ſede præcedere Legati Thraciæ, & Angliæ, & poſtremus hic vehementiori conatu prærogatiuam ambibat; nec rationi, aut iuſtitiæ fidens, per vim iam ſedem anteriorem præoccupare parabat. Habebatur in Eccleſia cōſeſſus: prope erat D. D. Didacus de Añaya, & rei intentus feſtinauit ad ſedem; Legatum Anglię manibus ſuſtinuit, & obſtrinxit, ad locūq; Eccleſiæ, in quo erat ſepulchralis ſpecus reſerata, feſtinauit, ibi ſarcinam Anglię depoſuit, & Legatum intra ſpecum immiſit; & placidè ad Conſeſſum reuerſus, hæc verba alteri Hiſpano Legato Equiti dixit; *Yo he hecho, lo que à vn Clerigo pertenece, que es enterrarlo; Vſeñoria haga, lo que, como Cauallero, le toca.* Et quia in eo Sepulchro, in quod Anglum Legatum proiecit, Inſigne erat inſculptum, in quo in plano aureo quatuor cæruleæ faſciæ videbantur, id ipſum inter ſua Inſignia depinxit; & eo ſolo Inſigni Collegium Diuo Bartholomæo Sacrum vtitur, cernit urque idem in Sepulchro prædicti Fundatoris, quod eſt in Capella Clauſtri Almæ Eccleſię Salmantinæ. Reperies hoc facinus in hiſtoria Ioannis II. Regis, & apud Don Antonium de Vera, & Zuñiga *in libro Hiſpano, cui nomen; El Embaja-*

der, discursu 3. fol. 56. pag. 2.

198 Collegium Conchense, Diuo Iacobo Zebedæo dicatum, fausto fuit omine erectum anno 1506. ab Illustrissimo Domino Don Didaco Ramirez de Haro, qui fuit ex gente Ramiria per Ramirium Regem oriundus; Regum Ferdinandi, & Elisabethæ Proto Sacerdos: Philippi I. ac Ioannę, eius coniugis, Hispaniarum Regum Capellanus supremus; Adriani VI. Pontificis Maximi Commensalis; Legatus tum Ordinarius, tum extraordinarius ad Gallos, Belgas, & Britannos pro ingentibus rebus componendis; Præses Senatus Regij Pintiani; Episcopus deinde Astoricensis, Malacitanensis, ac tandem Conchensis. Vir hic insignis Carolum V. Imperatorem potentissimum, Hispaniarumque Monarcham sacro lauit Baptismatis fonte; vt iam exinde Orbis ab eo Christianum acciperet Legislatorem, qui postmodum ab ipso Sapientissimos erat accepturus legum Interpretes. Ipse plurima opera scripsit. Obij die 11. Augusti anno 1537. & iacet in Alma Ecclesia Conchensi.

199 Collegium Oaetense sub Saluatoris mundi nomine auspicatum, suum felix habuit exordium anno 1517. Eius extitit Fundator Illustrissimus Dominus Don Didacus de Muros, primùm Decanus Ecclesiæ Giennensis, & Compostellanæ, post verò Episcopus Canariensis, Migdonensis, & Ouetensis; Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabethæ inter primos charus; à Pontifice Leone X. pluribus insignibus beneuolentiæ, & honoris affectus. Quippe tunc temporis immane illud monstrum Lutherus Germaniam suæ veneno linguæ inficiebat; grassabatur hæresis, & Ecclesiæ Catholicæ impudens temeritas conuicia, & iniurias irrogabat. Vir ille sapientissimus se firmissimo pectore toti oppositit Lutheranismo, & eius insolenti petulantia confutata, veritatis doctrinam stabiliuit. Hos sibi tunc Ecclesia Muros aptauit, quibus ab hostium armata manu protegeretur. Id obseruauerim, quod iam alij in simili euentu de nostra Societate Iesu, obseruauere, nempe eodem anno, quo Lutherus fuit ortus, etiam natum fuisse nostrum Parentem S. Ignatium, vt, cum infernus arma contra Fidem Catholicam parabat, cœlum etiam tela pararet, quæ Fidei defendendæ forent auxiliaria; & euentus id demonstrauit, cum in Germania Societatis Iesu alumni disputationibus, & scriptis Lutheranismum reiecerint. Id ipsum iam etiam videris, cum eodem tempore, quo Lutherus suos cepit errores dissemina re, præfatus Ouetensis Episcopus Collegium suum erexerit, quasi Fdei fortalitũ, vbi Viri doctissimi, non solum in vtroque iure, sed in Sacra Theologia instruerentur, vt totam molem Lutheranismi deturbarent. Fundatoris corpus iacet in alma Ecclesia Ouetensi.

200 Collegium Archiepiscopi, Diuo Iacobo Apostolo consecratum, amplissima fuit institutione erectum anno 1521. ab Illustrissimo Domino Don Alfonso de Fonseca, & Azeuedo. Is & præclara sui munimenta reliquit, & insignia opera, muniaque exercuit. Electo Pontifici Adriano VI. qui electionis tempore in Hispania aderat, primus ille gratulationem, ac obedientiam præstitit, & ab eo missus fuit, vt tumultus Valentiæ vrbis pacaret. Infantem Lusitaniæ Elisabetham in Imperatricem destinatam iussu Caroli V. Imperatoris in ipsius Lusitanię confinio excepit, & vsque ad Vrbem Hispalensem ipsam comitatus ibi cũ Imperatore illam matrimonio coniunxit. Pintię Philippum II. Sacro Baptismatis lauacro abluit in magnifico Sancti Pauli Cœnobio Ordinis Sacri Prædicatorum. Regum Catholicorum Ferdinandi, & Elisabethæ fuit supremus Capellanus; Aragoniæ Protonotarius; Archiepiscopus Compostellanus, & postmodum Toletanus, Hispaniæque Primas, Comes, & Fundator Comitatus de Fuentes. In Vrbe Compostellana erexit Academiam, & duo Collegia, in quorum altero ipsa est incorporata Academia; eamque vrbem, & simul Salmantinam redemit suis expensis à tributo, quod vulgò vocamus *Pecho*; In cuius beneficii gratitudinẽ, & memoriam Alma Ecclesia Salmantina, Clerus, & populus, qui Hispanè dicitur *el coman*, die tertia Pentecostes, solemni ritu, ac processione ad Collegium Archiepiscopi singulis annis aduentant, & in eius insigni Capella assistũt celebrationi Missæ, ac Concioni. Celebris quidem est Capella, eique continuo plures Capellani, & Musici assistunt, qui Officia Ecclesiastica splendido cultu peragũt. Nec solùm ea Processio, sed plures aliæ ex debito per Collegiũ hoc viã dirigunt, vt Fũdatori de Ciuitate benemerito gratũ offeratur obsequium.

In

In Toletana etiam Ecclesia ad Orphanas Virgines desponsandas amplos redditus annuos legauit ; & in Capella Descensionis Deiparæ in Ecclesia Matrice duos Capellanos perpetuos suis facultatibus alendos designauit; AEdificia quam plura suis impensis perfecit tum in vrbe Toletana, tum Compluti, tum demum in arce de Santorcaz, quæ ad dignitatem Archiepiscopalem spectabant, & iam penè ruebant, vel humili, & deformi architectura constabant. Obijt Compluti die quarta Februarij anno 1535. & eius corpus iacet in Capella Salmantini sui Collegij insigni pompa sepulchrali conditum.

201 Nuncupamus communiter hæc Collegia nominibus à Fundatione, aut à Fundatore desumptis; Nempè Collegium Diui Bartholomæi, quia huic Apostolo est dicatum ; vel alia vulgati voce Collegium vetus, quia inter omnia Collegia Maiora Hispaniæ est magis antiquũ. Collegium Conchense, quia eius Fundator Episcopus fuit Conchensis, Collegium itidem Ouetense, eo quod Fundator fuerit Præsul Almæ Ouetensis Ecclesię; & Collegium Archiepiscopi, quia Fundator Archiepiscopus fuit Toletanus. In præsenti aduerte, aliquos optimæ notæ Viros contendere, Collegium Diui Bartholomæi erectum fuisse anno 1401. Sed in libro receptionum eiusdem Collegij prima Togatorum designatio apponitur anno 1408. Quod testimonium, vt certius, suprà secuti sumus Huius Collegij insigne elogium reperies apud P. Melchiorem de la Cerda *tom. Demonstrat. libr.* 1. *pag.* 35. qui etiam in suo *Apparatu linguæ latinæ;* astruit Collegiorum encomia.

De cæteris Communitatibus Salmanticensibus.

202 SVnt præterea in hac Academia quatuor Collegia Ordinũ Militarium, scilicet Diui Iacobi, (quod vocatur Collegium Regis) Calatrauæ, Alcantarę, & Sancti Ioannis, in quibus Regulares harum Militiarum scientias edisscunt, & recolunt, & sępè eas publicè in Academia docent. Quindecim item sunt Collegia, quæ nuncupantur Minora, vt à quatuor Maioribus distinguantur ; in quibus studiosi litterarũ, nec non earũ Professores, Candidati ad Cathedras obtinendas earumq; Moderatores versantur. Ex Collegijs tum Militaribus tũ Minoribus clarissimi Viri prodierunt, & in dies prodeunt. Vnum pro multis exprimere sufficiat, Don Frãciscum de Puga, & Feyjoo, in Collegio Sanctæ Marię Angelorum (nunc, cum hæc scribo) Togatum, Cathedrę perpetuæ Decreti in hac ipsa Salmanticensi *Academia* Moderatorem, cuius amæniſſimo, viuido, neruosoque ingenij acumine Schola litteraria gloriatur, & cum totius litteraturæ encyclopediam veneratur, & amat.

230 Ex omnibus ferè sacris Religionibus etiam sunt in vrbe Salmantina Monasteria, & Collegia, numero viginti duo ; & quidem maiori ex parte celeberrima, tum ipsa ædificiorum pulchra, ac magnifica structura ; tum præcipuè alumnis, quos sanctitate, ac sapientia ornatissimos instruerunt, & continuo in publicum Ecclesiæ bonum efformant.

204 Inter ea semper efflo-ruit, æternùmque efflorebit insigne Sancti Stephani Cœnobium Sacri Ordinis Prædicatorum ; in quo Religiosæ, & absteræ disciplinæ obseruantia nunquam in laxioris normæ speciem declinauit; studiorum semper viguit feruor, & amor. Ibi omnibus retro sæculis, & procedente temporum serie, Viri scientia, & sanctitate conspicui sunt educati, qui totius orbis Academias sua doctrina illustrarunt ; ad Ecclesiarum Infulas sunt promoti ; ad Regum potentissimorum Hispaniæ Confessiones, & Conciones fuerunt electi ; ad Concilia OEcumenica Generalia destinati ; qui Philosophiam, ac Theologiam Scholasticam, Moralem, & Expositiuam suis scriptis in publicam lucem, & vtilitatem editis exornarunt ; qui demum discipulos erudierunt, quorum sapientia fulget in perpetuas æternitates. Ex hac illustri Familia duo Magistri moderantur duplicem Cathedram perpetuam Theologię in Academia Salmantina, aliam primariam, aliam Vespertinam, ex concessione Philippi III. facta in gratiam Eminentissimi Cardinalis Ducis de Lerma, ad cuius Successores spectat designatio Magistrorum ad eas Cathedras moderandas. Primariam olim rexit Illustrissimus Dominus Don Fr.

Franciſcus de Araujo, nunc Epiſcopus Segouienſis, ſuis Metaphyſicis, & Commentarijs doctiſsimis in D. Thomam clarus; ſub cuius patrocinio aſſertiones Theologicas de Charitate per integrum diem in ipſa Academia Salmantina pro noſtro Collegio Societatis Ieſu ego defendi anno 1635. Non debui ſanè eius memoriam omittere, in reuerentiæ, & gratitudinis obſequium.

205 Præterea quid memorem illuſtre Collegium Sancti Vincentij, Ordinis Benedictini; Collegium Sancti Bernardi; Cœnobia Diui Franciſci, D. Auguſtini, Sanctiſſimæ Trinitatis; Collegiũ Veræ-Crucis Ordinis Beatæ Marię de Mercede, & alia? Ipſa ſanè ſua magnitudine loquuntur. Singulorum optarem debita elogia præſtringere, & alumnos præſtãtiſsimos recenſere; ſed nec plura ad hoc volumina ſufficerent.

206 In Academię Salmantinæ Gymnaſia ad docendam, vel ad diſcendam Theologiam ex cunctis ferè præfatis Communitatibus Religioſis confluunt, atque etiam ad legendum Curſum Philoſophicum, & linguam Hebræam; aut ſaltem publicis litterariis Aſſertionibus Theologicis interſunt, in quibus ſuo ordine deſignati ex illis argumentantur, atque ipſas diſſertationes pro Vniuerſitate tuentur. Plura decreuit Martinus V. Pontifex Maximus in fauorem Religioſorum ſtudentium in Academia Salmanticenſi, quæ videri poſſunt in Conſtitutionibus ipſius Põtificis, inſertis in ſtatutis prædictæ Academię *à pagina* 3.

207 Ea autem ſunt annotanda, quę ſtatuit, nempè vt Religioſi liberè poſſint vndecumque ad præfatam Academiã confluere ſtudiorum cauſa, nec valeant à ſuis Superioribus prohiberi, quo minus ad illam aduenient, nec impediri, ne accipiant Gradus Magiſterij; Id enim eſſe, ait Pontifex, *de directo contra noſtras præſentes Conſtitutiones, & ordinationes, ac naturam generalem ſtudiorum, maximè huius, quod eſt vnum de quatuor Orbis generalibus ſtudijs iure ſcripto ordinatis.* Sic extat *in Conſtit.* 23. Quod tamen Decretum non intendit contraire ſpecialibus cuiuſque Religionis ſtatutis; ſed ſic eſt intelligendum, vt nequeãt ſolum pro libito Superiorum prohiberi Religioſi, ne ad Academiam Salmantinam aduentent, & Gradus accipiant, niſi ad prohibitionem moueat contraria in Religione conſtitutio, aut conſuetudo recepta, vel ratio ad rectam gubernationẽ conducens. Nam quis dicat, omnes Religioſos vbique exiſtentes, quin à Superioribus impediri queant, poſſe hac Bulla munitos, ad Salmantinam Academiam venire, vt ſtudeant, & pro ſuo nutu Graduum promotionem procurare? Sanè rueret diſciplina regularis; labefactaretur obedientia; occaſio præberetur vagandi; aliqui ad ſtudia inepti intenderent tempus inaniter in illis terere; innumeri confluerent, quibus nec habitatio, nec alimenta in Domibus Religioſis ſuppeterent; deſtituerentur Studioſis, & Profeſſoribus alia Cœnobia, & Collegia ad litteras edocendas deſignata; nonnuili fortè non admodum regulæ obſeruantes declinarent rigorem diſciplinæ religioſę; & ali quando immeriti Gradus vellent recipere, & alij etiam, quorum Religio id non patitur ob ſpeciale ſui inſtitutum.

208 In eadem Conſtitutione decernitur à Pontifice, vt omnium Regularium Mendicantium, & non Mendicãtium Monaſteria exiſtentia, & extitura in vrbe Salmantina, in quibus ſtudium Theologiæ exerceatur, ſi Academiæ ſint incorporata, gaudeãt eiſdem indulgentijs, libertatibus, immunitatibus, & gratijs quibuſcumque, ac gaudent Monaſteria incorporata Academiæ Pariſienſi. Ibidem inſuper ſtatuitur, quòd omnes Generales Ordinum Mendicantium in ſuis Capitulis Generalibus ſpecialem faciant mentionem de Monaſterijs ciuitatis Salmantinæ, & deſignent Profeſſores Theologiæ, ac ſimul eos, qui Gradum Magiſterij ſunt accepturi. Id decreuit Pontifex, vt ipſe aſſerit, *pro exaltatione, maiori incremento, & honore ſtudij Theologici in prædicta Vniuerſitate.* Quod equidem ita obſeruatur in Capitulis Generalibus, aut Prouincialibus, niſi Religionum ſpecialis gubernatio aliud expoſcat. Attamen ad Pontificis ſcopum omnes Sacri Ordines collimant, dum eruditiores, & præſtantiores alumnos ad Theologiam edocendam, & ſuſcipiendos in hac Academia Gradus deſignant.

(:)

§. 10.

§. 10. De Collegio Regio Societatis IESV Salmanticensi.

209 LIceat aliquantum intra penates proprios immorari, vt indulgeā officio, affectui, & obsequio. Incorporatum est Academiæ Salmātinæ Regium Societatis nostræ Collegium, & à Senatu Supremo Castellæ gymnasium in ipsa Academia est designatum, in quo mane, & vespere duo ex ipso Collegio Professores Theologicas materias edocent tum studiosos ex ipsa Societate, tum alios. Et iā anno 1652 (quod ob iustas causas hucusque fuerat dilatum) Gradum Magisterij communi plausu accepere nostri Professores.

210 A prima huius Collegij erectione semper extitere Professores Theologiæ, & sacræ Scripturæ, præstantissimi, qui non solùm Salmanticæ, sed per plures Orbis plagas commendationem, & laudem suis libris, & scriptis sibi merito vendicarunt. Quos inter numeraueris P. Frāciscum Suarez: Venerabilem P. Ludouicum de la Puente: P. Franciscum de Ribera: Henricum Henriquez, Christophorum de Castro: Franciscum Zuñiga: Ioānem de Salas: Valentinum de Erice: Martinum del Rio: Petrum Hurtado de Mendoza: Ferdinandum de Castro Palao: Ioānem Antonium Velazquez: Ioannem Martinez de Ripalda: Rodericum de Arriaga: Paulum Sherlogum. Lucam Guadin: Bernardum de Aldrete: Ricardum Lince: Andream Pinto Ramirez: Gabrielem de Heneao: & alios, qui suis scriptis publicè editis sacras, scholasticas, & Morales scientias illustrarunt, vt constans est omnibus, qui libros euoluunt.

211 Fœcundissimum fuit ab exordio suo hoc Collegium Virorum, qui in illo suum nomen Societati dederunt. In eo admissi sunt duo Cardinales eximij, Franciscus Toletus, & Ioannes de Lugo; Præterea præfatus P. Franciscus Suarez, P. Ioannes Maldonatus, Euangeliorū Cōmentator; P. Gregorius de Valentia; P. Franciscus de Ribera, qui in Collegio Maiori Archiepiscopi erat toga decoratus; ex eodem, & ex alijs tribus Collegijs Maioribus plures etiam Societati in hoc nostro Collegio sunt adscripti; necnon innumeri alij scientijs conspicui, & nobilitate præstantes; E quibus duo Pimentelides, Comitis de Benauente, Pro-Regis olim Regni Neapolitani, Præsidis Consilij Supremi Italiæ, Maioris Æconomi Reginæ Hispaniarum, Filij; Alter ex eis P. Frāciscus Pimentel Regius Concionator iam è viuis decessit; alter P. Petrus Pimentel, olim in hoc Collegio Cathedræ primatię Theologiæ antecessor, & sacræ Scripturæ Interpres, nunc post plura munia (cū hæc scribo) Prouincialis munus gerit in hac Societatis Iesu Prouincia Castellana.

212 In hoc Societatis Salmantino Collegio ministeria omnia, quę à nostris solent, in proximorum vtilitatem exercentur. Et prę cipuè duo Sodalitia, seu Congregationes in eo sitæ sunt, communi omnium bono florentes. Altera Equitū Sęcularium Salmanticensium sub patrocinio Beati Francisci de Borja, quæ subsidio spirituali, ac corporali pauperum est dicata; ita vt singulis mensibus omnes egeni ad nostrum templum accedant, ibique Sacramenta recipiant, in Cathechismo instruātur, & eleemosyna donetur ipsis, quæ die ipso Beati Francisci de Borja est multò copiosior.

213 Altera est Scholarium, & Academicorum sub Virginis Annuntiatæ militans patrocinio, ad quam omnes ferè ex Academia cōfluunt, & diebus statis in proprio Sacello conscientias suas expiant, & sacra Eucharistia reficiuntur, concioniq; interfunt; in xenodochijs cibos pauperibus ministrant, & alia pietatis opera exequuntur. Tempore autem Quadragesimæ plurimi ex ipsis in nostro Collegio semoti à commercio incumbunt spiritualibus exercitijs, quæ Parens noster sanctus Ignatius composuit, & Sedes Apostolica plurima cōmendatione approbauit. Hæc Societatis pia sollicitudo Scholares, Iuuenes florentissimos, in officio continet, per virtutis tramitem ducit, à vitiorum calle deterret, &, si deflectant, in semitam reuocat veritatis. Nec erit vllus, adeò æmulatione, aut cæcitate laborans, qui non fateatur, Collegium Societatis Salmantinum gloriosè, & vtilissimè ad Academicæ iuuentutis, ex toto Orbe selectæ spirituale commodum intendens, vel primas partes habere, vel nulli alteri esse secundum.

214 Collegium hoc ele. nosyni[illegible] legatis piorum erectum, & alitum per plurimos annos nec Patronum, nec Fundatorem habuit, donec Serenissima Margarita

ta Austriaca Hispaniarum Regina suo testamento summam ingētē ei legans, in Fūdatricem, ac Patronam assumi optauit, & suum coniugem Philippum III. in eamdē Fundationem totis animis allexit. Annuit charissimę Reginæ votis pientissimus Monarcha, & simul cum ipsa Fundatoris sibi nomen amauit; Legatum soluit, reddĭtus adauxit; successores suos Hispaniarum Reges voluit esse Patronos. Vtque eius Regiæ, ac pijssimæ voluntati satisfieret, Supremi Castellæ Consilij Senator Dominus Don Gilimon dela Mota Salmanticā aduenit; locum in media Vrbe designauit, ad quem Collegium transferretur; primus ibi lapis celebri solemnitate ad Ecclesiam extruendam fuit ab Antistite Salmantino iactus. Crescit in dies superba moles, sumptibus Regijs erecta; Nec Societati liberum fuit, aut est, quidquam ex ea minuere; cum iussu Regis Architecti ipsius totū opus delineauerint, ipseque Rex præceperit, nihil magnitudini designatæ detrahi; Optauit enim, in hoc ædificio, suæ consuli munificentiæ, non nostræ exiguitati, in eo que Regiam celsitudinem relucere.

215 Postmodum Philippus IV. eiusdem Collegij, simul cum Regina nostra Patronus, summo illud amore prosequitur; Inde eius redditus annuos auxit, priuilegia ei insignia concessit, & dilectissimę Matris dilectissimum opus suo cordi inusceruit; Designauit huic Collegio Protectorem Illustrissimum Dominum Iosephum Gonçalez, olim Senatus Gazæ Regiæ Præsidem, nunc in Summo Castellæ Consilio, & Camera Senatorem, & Supremi Inquisitionis Senatus Iudicem, vt bono, & vtilitati Collegij sedulo prouideat, causarumque ipsius suscipiat protectionē; Sic equidem vigilantissimè præstat, & frequentibus beneficijs sibi Collegium deuinxit, quod ęternam illi gratitudinē profitebitur.

216 Cæterum in Margaritæ Reginę amorem, ac beneficentiam erga Societatem Iesu, & hoc Collegium, peccarem, ni si clausulam eius testamenti transcriberē, nostro Hispano idiomate dispositam, quā nulli, credo, fore iniucundam. Sic ergo Regina ait.

Y para que quede siempre vna viua, y en ninguna manera vana, sino proue
chosa memoria de mi en España; y assi los
Infieles de las Indias, como los Fieles destos Reynos participen, y gozen della, y ante todos mi alma, la del Rey mi Señor, y toda la Casa de Austria: auiendolo primero considerado muy bien, y encomendadolo mucho à Dios nuestro Señor, y à toda su Corte del Cielo, me determinè con su diuino fauor dexar vna obra vniuersal, y perpetua en la manera que se sigue.

Primeramente mis Padres tuuieron siempre grā dissima deuocion à la Cōpañia de Iesus, y murieron con ella; mis Abuelos fueron los primeros, que la truxeron à Alemania, y por medio della, y de los Colegios, que le fundaron, la conserua rō en la Fè Catholica, como oy dia por gracia de Dios se vè. Despues los bienes, que yo desde mi niñez reciui della, son innumerables, y tales, y tantos, que yo los estimo en mas, que toda la grandeza de este mundo, y me hallo por obligada de mostrarme, quanto yo pudiere, madre en lo tēporal, de los que à mi me fueron tan fieles padres en lo espiritual; tambien, como todos saben, el grande, y increyble fruto, q̄ la Compañia por todo el mūdo entre Fieles, y Infieles, y Hereges, con todo genero de hombres haze; Iuzgo por bienauenturado, à quien Dios haze esta merçed, q̄ pueda de su hazienda fundar vn Colegio della, y hazerse particionero de tantos bienes. Assi miran lo de vna parte al fruto, q̄ entre otros, y quiza mas que otros Colegios, hasta aora hizo el Colegio de Salamanca, y à lo que de aqui adelante harà, y de otra parte à la necesidad, que padeze, y que hasta aqui le falta Fundador; Mando para aquel Colegio ochenta mil ducados, para que los Padres los apliquen à rēta fixa, como mejor lo pudieren, para sustento de sus estudiantes, que, acabados sus estudios, se derraman por todo el mundo, alumbrandolo, è inflamandolo con su buena doctrina, zelo, y exemplo. Y todo esto hago puramente por amor de Dios, de mi alma, de la del Rey mi Señor, y de la Casa de Austria, y de estos Reynos; creyendo por cierto, que no puedo hazer cosa mas acertada para este fin, pues en esta obra se encierran todas las demas obras de misericordia corporales, y espirituales, como las que por vna parte los mismos Padres en sus Colegios hazen, y por otra parte las enseñan tambien por todo el mundo. No poniendo à los dichos Padres otra obligacion ninguna, sino que se diga cada dia vna sola Missa perpetua por mi, y por el Rey mi Señor, y todos los viuos, y difuntos de la Casa de Austria. O si yo en mi vida, ò el Rey mi Señor despues mi muerte, añadieremos

» remos lo que para este efecto conuiene; q̃
» añadã el titulo de Fundadora, y los priui-
» legios, y derechos spirituales della, con-
» forme à sus constituciones; es de saber, q̃
» en muriendo yo, y efectuandose esta fun-
» dacion, cada Sacerdote de toda la Com-
» pañia por todo el mundo diga luego por
» mi alma, y de los otros sobredichos Reys
» Missas, y cada vn año, mes, semana, y cada
» dia, lo que por sus Fundadores suelen. Y fi
» nalmente, que à mi alma, à la del Rey mi
» Señor, las de mis antepassados, y sucedien
» tes para siempre hagan participeras de to
» dos los bienes, oraciones, sacrificios, peni-
» tencias, mortificaciones, obras santas, que
» hasta el fin del mundo en ella, y por me-
» dio della en estos Reynos, y por todo el
» mundo se harán. Yo la via gustaria
, mucho, si à los Padres tambien pa-
, ra mayor gloria de Dios les pareciere,
, especialmente si yo en mi vida añadiere, ò
, el Rey mi Señor, como estoy obligada à
, creer de su gran Christiandad, despues de
, mi muerte fuere seruido añadir à esta mi
, manda, y perficionarla, se instituyessen
, Escuelas de latinidad para enseñança de
, los muchachos, Artes, Theologia, y todo
, lo demas, que la Cõpañia puede enseñar,
, ò professar; y para que fuesse perfecto de-
, chado de vn perfecto Colegio de la Com
, pañia conforme à sus constituciones. Y en
, caso, como está dicho, que yo aya de tener
, titulo de Fundadora, quiero, que la vela,
, que por sus cõstituciones cada vn año por
, señal de obligacion, y agradecimiento à
, los Fundadores se ofrece, se reparta en es-
, ta manera; El primer año, en vn dia en la
, Octaua de Corpus Christi, se la ofrezca à
, nuestro Señor Iesu Christo en el Santissi-
, mo Sacramento en su Altar, à cuya deuo-
, cion principalmente instituyo esta Funda
, cion, como de donde toda la grandeza, y
, bendicion de la Casa de Austria, como de
, su manantial fuente, tuuo su principio, y
, bienes, que por lo mismo la andamos con
, tinuando. El segundo, en nuestra Señora,
, Reyna de los Angeles, en su Altar el dia de
, su santissima Visitacion, como à quien yo
, estuue particularmente toda mi vida afi-
, cionada, y deuota, yreciui espirituales mer
, cedes, y visitas della; y assi desseo, que tam
, biẽ su honra sea por esta mi Fundaciõ por
, medio del santo deuoto zelo de la Com-
, pañia siempre mas, y mas promouida. El
, tercero, en canonizando al B. P. Ignacio
, (lo qual, que tambiẽ por amor mio se pro
, cure, y haga, quanto mas presto se pudiere
muy encarecidamente lo suplico al Rey ,
mi Señor, y à nuestro Beatissimo Padre) ,
se ofrezca la vela en su proprio Altar, co- ,
mo de su sagrada Orden, yo, y mis antepas ,
sados recibimos tantos bienes, y espero q̃ ,
por esta Fundacion infinitas almas la reci ,
birán. El quarto año (ò mientras, que el ,
Beato Padre Ignacio no estuuiere canoni ,
zado, el tercero) el dia de Santiago Aboga ,
do de España, al Rey mi Señor, y à sus su- ,
cedientes Reyes de España, como por cu- ,
yo bien, y espiritual aumẽto de su Monar- ,
quia dexo esta Fundacion. Y para que siẽ- ,
pre quede mas viua la memoria desta mi ,
quadripartida intencion, vltra los ochen- ,
ta mil ducados, mando otros tres mil pa- ,
ra quatro lamparas, dos mayores, vna de ,
mil, y otra de ochocientos ducados, para ,
los Altares del Santissimo Sacramento, ,
y de nuestra Señora; dos menores, cada ,
vna de seiscientos ducados para los Alta- ,
res de Santiago, y de san Ignacio, para que ,
siempre arda luz delante dellos; ora yo a- ,
ya de ser Fundadora, ora no. Y siendolo, ,
quiero, que cada vn año el dia, que se cele ,
brare esta fiesta, se tenga sermõ, y se acuer ,
de à todos, assi los de la Compañia, como ,
los de fuera, desta mi intencion, y se procu ,
re de nuestro Beatissimo Padre Clemen- ,
te, ò de quien en su Silla presidiere, vna Iu ,
dulgẽcia plenaria, para los que à esta mi in ,
tencion se cõfessaren, y comulgaren, y vi ,
sitaren la Iglesia de la Compañia; y el ter ,
cero, ò quarto año, quando se ofreciere la ,
vela al Rey nuestro Señor, ò à sus sucediẽ ,
tes, quiero, que siempre à sus Magestades, ,
ò de palabra, ò por escrito se declare esta ,
mi intencion; Y como la vela, que cada a- ,
ño se les auia de ofrecer, no se les ofrece, ,
sino el tercero, ò quarto año, por la razon ,
dicha, es de saber, porque la Fundadora ,
mirando al mayor bien de la Casa de Aus- ,
tria, y destos Reynos, para trabar mayor ,
vnion de los Reyes de España, y nuestro ,
Senor, y sus Santos; y la Compañia de Ie ,
sus, quiso, que el Santissimo Sacramento, ,
y nuestra Senora, y san Ignacio tuuiessen ,
en eso su parte. ,

Por esto suplico à mi muy caro, y ,
amado Señor Rey Don Felipe, y à todos ,
sus sucedientes muy humilmente, y por ,
las entrañas, y misericordia de Iesu Chris- ,
to nuestro Señor, y por la bendita Reyna ,
de los Angeles nuestra Señora, y por toda ,
la Corte del Cielo, para mayor gloria, y ,
bien de sus Reynos, y en particular para ,
promouer mas la conuersion de los Infie- ,

les,

, les de las Indias por medio de los obreros
, que en este Colegio se criarán, que fauo-
, rezcā à esta mi obra, la amparē, y ayuden.
, Y como, lo que para ello dexo, apenas bas-
, tarà para renta necessaria, que su Mages-
, tad el Rey mi Señor por su gran Christiā-
, dad, y por el amor, cō que siempre nos qui-
, simos, sea seruido hallar medios para aca-
, bar de perficionarla con suficiente casa, y
, Iglesia, y todo lo demas, que fuere menes-
, ter, y conuiniere, como yo de su grandeza
, estoy muy confiada, que lo harà. Y si
, su Magestad gusta, que plegue à Dios yo
, sea digna de alcançar, juntamente ser Fū-
, dador, y tomar el titulo, y priuilegios espi-
, rituales del: este serà para mi el mayor gus-
, to, que yo despues de mi muerte pueda re-
, cibir de su Magestad, à quien yo quise siē-
, pre, y le quiero como a mi alma, y assi me
, gozarè infinitamente de la buena compa-
, ñia de su Magestad en obra tan santa co-
, mo esta, y suplicarè siempre à nuestro Se-
, ñor, para que por medio de esta, y de infini
, tas otras de su seruicio, que su Magestad
, haze, la diuina nos junte tambien à entrā-
, bos eternalmente en el Cielo, que es el fin
, de todo lo que hazemos. Finalmente si pa
, ra acabar esta Fundacion, y en ella vn per
, fecto estudio de todas las facultades, que
, la Compañia conforme à su Instituto pro
, fessa, quizà fuere menester el fauor, y ayu-
, da de su Santidad, y de nuestro muy ama-
, do Padre Papa Clemente VIII. ò de sus
, Successores, suplico à su Santidad, se mues-
, tre muy liberal Padre, y fauorecedor des-
, ta mi Fundacion, pues otra cosa en ella no
, pretendo, sino la mayor gloria, y honra de
, Dios, ensalçamiento de nuestra Fè, y vene
, racion de aquella santa Sede Apostolica,
, en que su Santidad preside. Tambien rue-
, go à mis testamentarios, que abajo se di-
, ran, y à todos los Ministros del Rey mi Se-
, ñor, que tuuieren parte en este negocio,
, procuren por amor de vn solo Dios cō to-
, da diligencia, y priessa, que quanto antes
, se pudiere, se acabe todo lo que à cumpli-
, miento desta obra fuere menester, hazien-
, dose tābien à si mismos con su diligencia,
, y caridad participioneros de los grandes fru
, tos que de alli hasta el fin del mūdo se se-
, guirán. Y en caso, que plegue à Dios por
, mis pecados no acaezca, que toda esta mi
, ordenacion puntualmente, como yo man-
, do, y obligo à todos, à quien la execucion
, della tocare, no se cumpliesse, no quiero
, en ninguna manera, que la Compañia de
, Salamāca quede obligada de darme à mi
, el titulo de Fundadora, como està dicho,
, ni tampoco ha de dezirme la Missa perpe-
, tua, porque seria con su perjuicio, y daño,
, sino quiero, que en tal caso estè en su libre
, aluedrio, y disposicion, hazer por mi lo q̄
, el General dela Compañia por su caridad
, ordenare, y dar el titulo de Fūdador à quiē
, quisiere, y à quien Dios nuestro Señor juz
, gare hazer, y hiziere mas digno de tanta
, merced, que no yo por mis pecados, ò de
, los que auian de executar esta obra à to-
, dos tan vtil, justa, y razonable, vltima, y
, postrimera voluntad mia.

Iten mando, que todos los Orna-
, mentos, y cosas pertenecientes à mi Ora-
, torio, y Capilla, y especialmēte todos mis
, Relicarios, y Reliquias, que yo al tiempo
, de mi fallecimiento enqualquier lugar tu
, uiere, con las escrituras, y testimonios, que
, yo sobre ellas tengo, luego se entreguen à
, los Padres de la Compañia para su Igle-
, sia de Salamanca, adonde sean honradas
, para siempre, como conuiene, fuera de las
, Reliquias, que el Rey mi Señor fuere ser-
, uido tomar para si, y para su propria deuo-
, cion, como yo se lo suplico, tome à lo me
, nos vna, para que viendola pueda auer tā-
, bien mas viua memoria del particular a-
, mor, que yo à su Magestad siempre tuue;
, y aun para que siempre se acuerde, que ha
, de morir, y que yo le espero en el otro si-
, glo, y con esta memoria, è interceſſion del
, Santo, cuya Reliquia es, pueda mas justa,
, y santamente viuir. Iten mādo que de mis
, sayas las tres mejores se entreguen luego
, à mi Colegio de Salamanca para el vso de
, la Iglesia, y memoria de la aficion, que yo
, le tuue.

217 Hucusque verba Margaritæ Austriacæ. Sufficeret tibi pro publica commendatione, O Societas Iesū, hoc testimonium, quamuis in te commendanda Pontifices Summi, Imperatores, Reges, Principes non cōspirassent. Ita de te Regina Hispaniarum, pia pariter, ac prudens sensit; ita suę postremæ voluntatis monumēto fuit allocuta; Ride nunc, ac nihil pē de, si forsan aliqui secus sentiant, aut loquantur.

218 In eximij adeò beneficij memoriam, præter alia gratitudinis symbola, singulis annis in professo Sancti Parentis Ignatij, Vesperis solemnibus finitis, & soluto officio Defunctorum, coram grauissimo Auditorum consessu latina oratio è suggestu ab vno ex nostris Scholaribus in laudem Regum Fundatorum recitatur. Iuue-

nis

nis ego, ac Theologiæ studiosus anno 1634. eam orationem publicè recitaui; Audientibus arrisit; & prælo illam mandari iussit D. Gaspar de Velasco, & de la Cueua, tũc Academiæ Salmãtinæ Rector, postmodo Comes de Siruela. Pauca fuerunt exemplaria in lucem edita, nec vllũ iam reperitur. Decreui eam hic transcribere, vt constet, quàm æternatura sit Margaritæ Austriacæ memoria, in cuius obsequium, nemo mirabitur, hanc veluti parenthesim intermiscerì; & forsan non erit ingrata huiusce panegyris lectitatio.

Encomium parentale Margaritæ Austriacæ.

Soluto officio defunctorum, immediatè post illa verba, Requiescat in pace, *sic orationem incepi.*

ERGO mortua est Margarita! Vel fallunt nos lugubres hæ voces funebri cõcẽtu Margaritę parẽtates? Proh dolor! Viuã adhuc Margaritã sỹnecra gratulatione veneraturus ascenderam, vt mens lętitiã satiaretur internã, dum hinc Reginam commendaret encomium, illincque Ignatius sollicitaret ad gaudia; Ast vbi tubę clangor tristia langueścit in nuntia, & malè fortis in ore tenor flebili Numen propitiatur conatu, vt requiem Margaritæ indulgeat æternam; animus ecce ingentì variatur affectu, & pectus sensu contabescit arcano. Mæror ingens dissimulationis nescit patientiam: luctu constipatur immenso: internis carcerari indignatur angustijs, & marcida imagine toto peregrinatur in vultu. Et verò Margarita decessit? Ite, ite lachrymæ; nouus iam exũdet Oceanus; nolite mihi in officio pietatis esse crudeles. Sed heu! Quid possum suspiriorum sperare naufragio? Plurima vndarum moles potest immergere dolentem, doloris ast causam eluere non potest. Crescat tamen inter gemitus amor in Margaritam, & cribratis desuper lachrymis, nouas exutiatur inflammas.

At quorsum hæc? Quænam malè suada fides siccine turbauit ingenium? Et credidi, obijsse Reginam? & fleui? & langui? Equidem peccaui in Margaritã. Culpa fuit, discorde tumultu animum sparsisse in diuersa, & licentiori affectuum libertate in frontis scæna pectoris explicauisse tragędiam. Ergo ne? Regalem animum flebilis fœdabit enormitas, quasi mori potuisset heroina, quã fortunæ victricem fecit ęternitas; Viuit, viuit: nec ius tantum noscendi permissum est Parcis. Viuit, quia semel vixit, breuisque fati cursu famã redemit, quam nulla mors vnquam extinguet. Itaque lachrymandi castigetur dulcedo, inuidi procul absint & planctus; huic tamen culpæ præstitit succubuisse, quasi grandis noxa timeretur, nisi leuiter peccaretur in lachrymas. Facies iam, quam tristitia nubilauit, hilaris animi sereuet amęnitas, ne funesto planctu Ignatij damnetur profectum, quod nostri gaudio destinauere Maiores.

Igitur hoc annua panegyri Societas ambit, vt diem, quem Ignatius cũ Margarita partitur, nos etiam communis gaudij festiuo commercio partiamur. Societas etenim se tota debet Ignatio: Ignatius at (quis de viro gratissimo obstinabit inficias?) se Margaritæ fatetur cum Societate deberi. Litterarium ergo illi litamus obsequium, beneficiaque, vt potest, nostra gratitudo compensat. Grati numquã certè probabimur, sed largitatis effluxus ingratitudinis nos liberauit afflatu, quia fiduciam abstulit rependendi munerum sine onere oppressura maiestas. Præconis lingua detur in otium: sua magnitudine res gestæ loquantur. Quàm viuidè in æternaturis monumentis marmora mortua proclamant! vocalis operum taciturnitas fidẽ extorquet, quæ forsitan viuę vocis periclitaretur officio. Nonne fastigiatur è media Vrbe Collegium Philipo, & Margarita dignum? quod ab eorum gaza eam tandem erigetur in gloriam, vt vix septeno cedat prodigio, orbis totius cessurum in bonum. Materno animo *Suam* hanc domum Regina vocabat, quæ, si illa superuixisset, concordi iam pacẽ creuisset in astra. Quippe, si immensam molem in rudimentum extulit potestatis, fide bacillat, qui de insigni pietate infra miracula credat fuisse effluxura incrementa. Pulcherrimam sanè machinam, quam improbus labor erexit, operosiori mentis conatu Margarita constituxit; nec lapis vllus assurgit in culmen, quem non illa prius plusquàm elaborarit affectu. Vos, Viri clarissimi, ad eius codicillos, testamẽtaque voco, quæ vbi de suo Collegio decernũt, dulcedine amoris per singula verba spirant largitatem. Supremo

mo in eis dictauit spiritu, Salmantinum ex tolli Collegium, *vt solueret, quæ Societati deberet*. Liuor nunc reclamare dediscat, namque hiscemet vocibus genius Reginæ insinuatur alumnis.

Nec nouus erga Iesuitas amor Margaritę irradiat occasum, quæ Societatem deperiens Regale sumpsit exordium. Ex Germania sua ad nostram properabat Hispaniam, cum se Reginam præsentiens, totam purpuræ pompam Ignatij sacrauit ad cultum, & cui primitias obtulit, integram maiestatem oppignorasse videtur. Ergo Augustæ vestita personam, vt plus sic flecteret deprecãdo, Pontificis procubuit ad genua, vt apotheosi Ignatius cõsecraretur, exorans. Amat nos vehementer, quæ suę nescit incrementa fortunæ, quin nostrum flectat ad commodum: sibi non poscit inducias, quæ nobis benefaciẽdi se dedit obnoxiam. Nuper indutam purpuram præcipitat in periculum, quia minus sibi timet de repulsa pudorem, quàm sustinet de nostri boni tarditate suspiria, quantumuis nuptialis hilaritas faceret interpellatione iacturam. Melior adhuc titulus beneficium exornat, nam de pietatis cultu sui imperij ostendit specimen, vt nõ modo amoueret inuidiam, sed, quem nobis aperuisset amorem, publici boni tessera commendaret. O verè Societatis mater Margarita! semper ea arte benefaciendi pugnasti, vt, quæ præstares, reddere videreris, ne debitũ gratiarum exigeres; sed nos eisdem artibus cõtra tuam modestiam pręliamur, vt gratias accipias, quas soluimus.

Iam Philippo, & Margaritæ gratulaturo, ipsorumque gesta libanti, insultat silentio mirabilium concursus præ multitudine tumultuarius. Equidem prius orationis tædio nauseabit auditor, quam summa factorum capita prolixus delibet orator. At præclarè satis mecum, & Regibus actum erit, si tanto in pelago fecerim naufragium; nam vtcumque possumus, laudare conamur, eorumque ardemus per posthuma sæcula fortunare memoriam.

Inter vitæ tyrocinia, pectori Margaritæ virtutis affectum cœlestis fauor infudit, quo, illustri triumpho, castigauit fortunæ tumorem. Mores maiestate cõcinnabat amœna. Concors viuidæ indolis vigor per augustissimum corpus conspirauit in ęuum. Nulla ex his calamitas, quæ plerũque palatia vexant, eius fœlicitatem afflauit; quin & proceritas animi exundabat in vultus. Reginam illico crederes, quamuis à familia tredecim Imperatorum, triginta que Regum sortita nõ fuisset exortum. Ab Austriaca prole nec adhuc puella degenerãs, in tenero flore degebat ætatis, cum messem virtutum lacteus experimentorũ culmus attulerat. In adolescentiam deinde à pueritia producta in ea ferebatur studia, in quæ illam videbatur fecisse natura. Virtutum adoleuit splendor, sed non adoleuere virtutes, quæ in pectoris mundi sacrario adorabantur, à cunis iam pridẽ qua si ignorantes augmentum. Grandior iuuẽtus in corpore proceriori tantùm ministrauit materiam, in quam fulgor deriuaretur ingentior, qui oculos prius iubare tenero delibabat infantiæ. Haud secus ac animus idem vagiens in ortu, in pueritia lasciuiẽs, in iuuenta pubescens, virili tandem matu resci ętate: sic dotium Margaritæ decor mollibus membris molliter intermicans radiauit exoriens, exuberauit accrescens, lucis denique abysso præstrinxit obtutus.

Prætergressa longissimè obsequia famulantium, diuturnæ quietis dispendio, integrum in pauperes præstabat officium, quin eius vinceretur authoritas præuisione discriminis. Parandi victum, medicandique vulnera cura sollicitabat, quam nec meminisse originis suæ honor saltem admonebat alienus. Vos vos appello delicatuli: vos spectatores aduoco virtutis alũni. Inuisebat die quadam Margarita xenodochium, cum ecce secretior aula, quæ putrido gemebat sub lecto, illius oculos, vt leuaretur, allexit. Misera iacebat muliercula, quæ contagio laborabat infami (soluta turpis militiæ stipendia) Adeo sæuierat insania morbi, vt fœminam puderet naturæ, medicos tæderet artis, famulos pigeret officij, morbidam prorsus solatio abdicaret humano. Macie corpus conficiebatur exangue: facies obsolebat illuuie: oculi in suas refugerãt cauernas: per inanes fauces spirabat Auernus: pectus aridum ab spina ferè nuda pendebat: ossa cutis pro carne velabat: digiti tantum continebãtur articulis: manus frustratæ motu titubabant enerues. Vidisses diffluentem vndique saniem: squalidas carnes dehiscentes in frusta: erumpentes qualibet vermium cohortes. Peccati piaculum pœnarum inerat in congeriem; illam non fœminam diceres, sed femineæ figuræ turpe vestigium. A facie facies aberat; à corpore corpus abscesserat; vel marcidum crederes cadauer, vel ipsius cadaueris iudicares sepulchrum.

Quid ageret, quisquis hoc incidisset

set in spectrum? oculos sanè formido præ-
» uerteret, & fœtoris sparsa tẽpestas adeũ-
» tem longè fugaret. Sed quid Margarita?
» Animum ingenti fide Auditores armate.
» Illa, vt vsu delicatiori nutrita, ad istam pu
» rulentam sentinam palpitare præcordia
» sensit, stomachum mouere discordias, visi-
» cera tumultuari, reniti vires, vacillare lu-
» mina, animum prætentari deliquijs, men-
» tis periclitari propositum. Quò se verteret
» delicata puella in tanto virtutis, aut vitæ
» discrimine? Ergo sui triũphatrix facinoris
» pigritiã erubuit; timoris licentiã comprimit; stomachi segnitiem obiurgat; & secũ
» non leniter iracunda, obedientia sensibus
» imperata, patientissimis oculis desuper in-
» cumbit. Mox vicinior, vt leuamenta con-
» diret, sermones inducit alternos: animi sen
» sum explorat: obtecrat tolerantiam: admo
» net ægrotantem, nundinas sibi adesse cœ-
» lestes; mercaturam igitur exerceat: anxie-
» tatem pace permutet: amaritudine dul-
» cedinem emat: superesse sibi monetam ad
» commerciũ, si dolor patientię cudatur i-
» magine. Tandem cibos inserit: manu con-
» trectat: versat in lecto: culcitram emollit:
» puluinar discutit: stragula sternit: vultũ of-
» ficiosa detergit; & tanto solamine ægra sa
» tiatur, vt propè fuerit exclamare; Fortuna
» ta calamitas, quæ tanta dulcedine compen
» satur! O clarissimam valetudinariam! O
» noua prodigia maiestatis! Discant hinc, dis
» cant ab humilitate grãdescere, qui superbo supercilio vel pauperis indignantur aspectum, ad quamlibet cicatricem in naturam ipsam stomachantes.

» Huic pietatis exordio Margarita pa-
» res fecit in virtute profectus, quos faces
» deinde maritales secutæ nulla intercapedine temerarunt. Proximi formidabat Hy
» mœnei cõmercia, ne feruenti conatui in-
» dulgẽtior præscriberet status inducias. Sed
» vbi pium adeò fuisse nactam aduertit spon
» sum, ardentiorem erga Philippum charita
» tem adauxit; & cœlestibus inhiãs, virtutes
» omnes ad culmina grandior euexit. Politi
» cę maiestatis laruam excutiens intulit re-
» ligionem in aulam, quę tunc primùm di-
» dicit non obstrepere virtuti. Posuit suas ar
» tes adulationis ambitio, & nouerat quis-
» que, Reginæ gratiam non aliter, quàm cã-
» didis moribus, synceraque fide exorari fœ
» licius.

» Profectò ab indole tua, Margarita,
» versa sunt in templa palatia, aulaque stu-
» dio æmulationis inuigilans ad tuarũ virtu-
» tum festinabat exemplum. Muliebres de-
liciæ, quas tanti pendit fœminarum philocosmon ingenium, ad formam commutatæ meliorem altari destinabantur. I-
star miraculi fuit, vt syncerior facies esset in prætio, & quæ spurcissimis immunditijs genas illineret, spectri subiret infamiam. Non ad præsidium, vmbramque pudoris suggestum eminebat in capite, sed se tanquam turpitudinis signum extulerat. O aurea sæcula, quibus cõsuetudo fuit, quod plusquam prodigium nostri sæculi probauit improbitas! Fœminas igitur Margarita volentes fecit esse modestas. Sed quid non obtineret, si ipsa præibat? Quoties discinxit monili cetuicẽ, vt sacraria ditaret? Quoties vnionibus digitos exarmauit, vt largiretur Ecclesijs? Quoties illustri pompæ despectu, gemmis se spoliauit, & auro, ne Cœlites squalido cultu à frigidis mẽtibus extorquerent adorationem? Capillus nec vnicus quidem sub disciplina fuit, nec faciem vnquã demulsit lenocinio coloris.

Neque dumtaxat debent Margaritæ mortales. Parum erat, nisi Numen muneribus immortale vinxisset, cui dominandi iure sæcula obnoxio famulantur ingenio. Quinquaginta argenti pyxides per Mõtana diuisit, quæ varia cœlatura gẽmarũ arcana Eucharistię tegerent Sacramenta; Scilicet nidos finxit pellicano cœlesti, qui charissimos pullos cibatos visceribus sanguine potat, quem aduncitas oris à pectore scisso explicat in fluenta.

Iam vobis, dum totus à Margaritę vultibus pendeo, damnasse videbor obliuione Philippum. Arceat Deus omen, ne mente conceperim tam grande piaculũ. Sed cõmendaui quoque in Margarita Philippũ; nec enim corporum modò, sed matrimonio etiam cõuenerant animorum. Illud tamen silentio non premam, quod in Hispaniam, inque fidem contulit beneficiũ. Nominis Hispani gloriam Mauricæ olim polluerat temeritatis successus; imperũ eorũ quassauit Pelagius, Ferdinandus auulsit; Sed infames reliquiæ per vrbes, domosq; nostras inuexere cõmercia, nec sine Hispanicæ famæ apud exteras nationes iactura, nec sine dolore nostro, quia torquebat labes toties propter oculos inspecta memoriã. Potuit timeri perfidia, sed eorũ (ah pudet!) egebamus famulatu, donec vile adeo seruitiũ exarsit, vt & dominos suos proscripserint, nosque per fraudes destinauerint in excidium. At eorum conatus Superùm cura frustrauit, tibique dedere, ò magne Philippe, infamẽ hanc penitus excindere stir-

ſtirpem. Idem priùs altiſſima tui Patris optauit prudentia, tuique Aui inconcuſſa fœlicitas; ſed eos iam tam conaturos abduxit nimiùm nobis immixta zizania, ne Hiſpanos etiam in eorum exturbatione vaſtarent. Hæc autem gloria vni tibi ſeruabatur, qui hoc lolium eradicaſti frugibus inimicum; quodque gladij violentia ſine crudelitatis nequiuiſſet inuidia, id tuæ clementiæ vox facilè obtinuit, quin ea victoria ſteterit tibi Hiſpani vel tantillo cruoris; maximà tamen tui patrimonij iacturà, quod ab illa gente plurimum accreſcebat; ſed ne dedecus hoc patereris, opibus maluiſti decreſcere. O diuitiarum triumphum hoc ſæculo inſolentem! Tanti tibi fuit, iterum penè amiſſam reſtituere Hiſpaniæ gloriam, Hiſpaniam fidei, fidem ſecuritati.

Noſtram fœlicitatem inuidebat iam cœlum, Philippumque, & Margaritã expoſcebat in aſtra, vt ſyderibus adauctum illuſtriori lumine clareſceret. Ergo biceps illa aquila volauit ad Superos; & ne Ieſuitæ dolore inundarentur immenſo, Philippum Quartum noſtro Collegio legauere Patronum, qui dote multiplici immortalitatẽ famę promeritus ſæcula noſtra omnino beauit; quippe eius ceruici vltra Athlanteam conſtanti tota fides fœliciſſimè accumbit.

Nec enim, inclyte Philippe, à tantis Heroibus genio excidiſti degeneri, ſed ad illorum compoſitus gloriam animo ſupra fortunam ingenti. Nondum vita tibi per ſexdenos orbes affulſerat, cum, extincto Parente, ad Hiſpaniarum ſceptra maturueras. Scandiſti Solium vtrique mundo leges dicturus, & vltra ſpem omnium impleuiſti coronam. Illico Principes vndique, tanquam in regna viro vacantia, motibus exſonuere in Hiſpaniam; ſed, vt admoneres ignaros, intonuiſti, fulmineiſq; tuis Ducibus non bella, non pugnas, mandauiſti trophæa. Scilicet potes immotus ipſe, inſtar Iouis, ſolo nutu conficere bella. Tanta eſt fides obſequentium; tanta eſt tui maieſtas imperantis. Vidimus tunc confluentia inter ſe tela perfidorum, & inimicas acies in ipſa congreſſione cadentes. Sic, dum cuncta mouentur, cuncti triumphantur. Nempè concutiendus fuit orbis, vt vinceres. Ita elucere per armata miracula debuit, non omnia tibi dediſſe Maiores. Talibus auſpicijs Philippi adoleuit imperium, quod firmiſſima ſemper erga Numen, homineſque fide nobilitatum ijs laudibus perennabit, quæ poſteritatem, famà per ſæcula ſuperſtite, obſtupeſcant.

Eſto ergo Societas his Dominis, Patronis, Parentibus, fauſta; nonque adeo gaude, quòd eorum te ditauerit liberalitas, ſed quòd amorem in te ſuum Philippus, & Margarita explicuerint, & probatiſſimam te cũctis effecerint amãtes, quòdque Philippus Quartus tibi fauere præſtat vſque beneficus. Exolue Deus immortalis hoc tantum in te obſequium, in nos beneficium. En tuo Spiritui erigitur templum: nobis domicilium: Salmanticæ ornamentum: litteris palatium: hæreticis formido: virtutibus ſeminarium; & quia nos dignè nec habere valemus, tu largus pro cunctis rependito gratias.

Ego quidem (nam gemitum audio laſſa geminare ſubſellia) hoc vnico Margaritæ parẽtabo, ſi eius memoriæ tumulum erigam, qui poſſit eſſe triumphus. Igitur effigies, quas mente formaui, artifici manu aliquis Polyclete in marmora diſpenſato. Iaciat fides intemerata fundamen; cum Margaritæ non tam curę eſſet, vt regnaret, quàm vt Catholicè, & ſupremum in orbe ſortita faſtigium, tamen vltrò ſubmiſit diadema tyaræ. Quatuor inde columina aſſurgant, & columnas ſuccedant in Doricas Reginæ prudentia comitata iuſtitia, fortitudine temperantia. In baſim aptetur Religio, quia noluit Margarita fortunari, ſi cum ipſa pariter cunctorum non floreret veneratio Diuorum. Intextis virtutibus epyſtilia nectantur, & pretioſo ſplendeant inſerta ligno, decorata metallo; Caſti pudoris albicet ebur: nobilis in cedrum grandeſcat humilitas: conſtantiæ fulgoris vibrent adamantes: vermiculatę in egenos pietatis eluceat argentum, aurumque ardẽtis in Numen ſcintillet amoris. Scapos ſtriatos armorum inſignia diſperſa nobilitent. Hìc Imperatrices aquilæ Catholico tenore clangentes armentur fulminibus, quæ prælia in verum Iouem fœliciſſimè frangant, nouoſque Titanas gigantæo furore per Septemtrionem conſpirantes exarment. Caſtellorum iſthic inuicta conſtantia æternam annuntiet fidei ſecuritatem, ne ſedis incerta per exilia vagetur. Ipſi ſeruandæ vigiles magnificam pacem ſanciant Catholici Leones. Floridam illic ſtationem lilia venuſtent, quæ nunquã genio circũſpirãtis hęreſeos marceſcant afflata. Iſtam illuſtrẽ mo-

molem topiarium opus adumbret,& ge-
, minatis arcubus,nempè deliciarum obten
, tis à Regina triumphis,deſinat in pyrami-
, dem,cuius muneri Fama ſuffecta, ſyncerà
, buccinà ſonet,facinora euulget, facta pe-
, rennet,mortales vndique ad geſtorum alli
, ciat æmulationem. Sub arcuata machina
, diues pauimentum lapidicina fatiget. Au-
, rea corona deſuper palis langueſcat inani-
, bus;dumque ſibi dolet excidiſſe Margari-
, tam,illamque fruſtra anhelat à fodina gē-
, marum, in vnionis deſperatione numquā
, irradiet. Hanc denique pompam claudat
, hoc in Auſtriaco adamante cœlatum,no-
, bis epitaphium, Margaritæ trophæum;
, *Magna ortu:maiorq; viro:ſed maxima prole,*
, *Naſcitur:ardet:ouat:filia:ſponſa:parens.*
, *Hùc piſcator adi,gēmas nec quære ſub vndis:*
, *Sub terræ latebris iam reperitur onyx.*
Parentaui.

Hucuſque panegyris; quæ Collegij Salmantini Societatis Ieſu gloriam inſinuat, dum Philippum Tertium, & Margaritam Auſtriacam Fundatores habet, eorumque poſteris, Hiſpaniarum Regibus, gaudet Patronis. Iã ad cætera Academiarum redeamus,& quæ ferè omnibus ſunt communia,diſceptemus.

Quæſt.VIII. An Academiæ ſint Eccleſiaſticæ,vel Sæculares, & Iudices earum gaudeant iuriſdictione Eccleſiaſtica,vel Sæculari?

§.1. Proponitur quæſtio.

219 ACTVM agerem,ſi hanc quæſtionem diſputare intenderem lato calamo,quippè eam inter alias lõgiſſimè,& doctè exagitauit Don Alfonſus de Eſcobar *in tractat.de Pontificia, & Regia iuriſdictione in ſtudijs generalibus, & de Iudicibus, & foro Studioſorum*; præcipuè *à cap.* 21. Quare ſolùm attingam,quæ ad inſtitutum præſens conducunt, ne hoc opus ieiunum euadat.

220 Prima ſententia tuetur,Vniuerſitates eſſe Eccleſiaſticas, & conſequẽter Eccleſiaſtica iuriſdictione Iudices gaudere. Tenent eam Salycetus,Bellamera, Moneta relati ab Eſcobar *vbi nuper,capit.* 21. *numer.* 2. & plurima pro ea congerit Doctor Balboa *in allegat. pro Vniuerſitate Salmantina,& ſtudioſis.*

221 Probatur primò, quia ſtudia generalia vel non poſſunt, vel ſaltem non ſolent erigi abſque authoritate Pontificis, & eo confirmante ſtatuta, ac priuilegia; quod non eſſet neceſſarium, ſi Vniuerſitates eſſent ſæculares. Secundò, quia in Academijs ſemper verſantur Clerici,& quamuis ſit minor pars eorum, tamen ab eis omnes indiſtinctè Clerici appellantur; & ideò Studioſi delinquentes non gaudent immunitate Eccleſiæ, qua gauderent, ſi ſubijcerentur iuriſdictioni ſęculari,cum Eccleſiæ immunitas pro ſæcularibus delinquentibus ſit inſtituta; & aliàs etiam, ſi ſæculares eſſent,poſſet ſæcularis eſſe eorum Iudex in omnibus Academijs.

zzz Tertiò,quia Theologia ſacra,& Ius Canonicum,quod in Academijs docetur, ad cauſam Religionis ordinatur,indeque cenſendum eſt, Pontificem voluiſſe eximere Academicos à iuriſdictione ſæculari. Quartò à paritate, quia Collegia ſtudiorum cauſa erecta,interueniente authoritate Eccleſiaſtica, ſicut & laicorum confraternitates,iudicantur Eccleſiaſtica, & Religioſa, vt cum Lãbertino tenet Gutierrez *l.*1.*q.q.canõ.c.*36. Azeuedo *leg.*10. *à num.*25. *tit.*1. *lib.*4. *Recopilat.*Garcia *de beneficijs* 5.*par.cap.*1.*à n.*604 Barboſa *de poteſtat.Epiſcop. allegation.* 75. *num.*21.Ergo idem de Academijs ſtudiorum cauſa erectis,& Apoſtolica authoritate confirmatis eſt iudicandum.

223 Quintò,& vltimò,quia Salmanticæ,Compluti,Valliſoleti,& pluribus alijs in locis Scholæ Magiſter, ſeu Rector poteſt cenſuras ferre in qualibet cauſa cõtra Studioſos,etiam nõ Clericos,ergo vtitur iuriſdictione Eccleſiaſtica erga illos. Et prætereà,quia à ſententia horũ appellatur à quocumque, etiam non Clerico,ad Nuntium, ſeu ad Pontificem, et nõ ad Iudices alios ſęculares, quod non præſtaretur, ſi iuriſdictio prædictorum eſſet ſęcularis,et non Eccleſiaſtica,*argumẽto cap.* 3.§.*debet,de appellat.in* 6.*leg.*1.*tit.*1.*libr.*4. *Recopilat.*Itidem à prædictis Senatus Regius per viam violentiæ aditur, quod non niſi à Iudicibus Eccleſiaſticis præſtatur. Demum,quia plurimæ Academiæ ex redditibus Eccleſiaſticis,decimis,tertijs, beneficijs, et præſtimonijs fundantur, et aluntur, quod eas eſſe Eccleſiaſticas denotat.

224 Adde pro Academia Salmanticenſi, eius Scholæ Magiſtrum, Scholaſticum, ſeu Cancellarium ad Regis præſentationem inſtitui à Pontifice, ſicut inſtituuntur Epiſcopi, Deinde Pontifex, vt extat *in ſtatutis Academiæ conſtitut. 23.* concedit Scholæ Magiſtro iuriſdictionem in omnes ſtudioſos cuiuſcumq; qualitatis, quæ vox complectitur etiam laicos; ibidemq; cauetur, vt omnes Academici gaudeãt priuilegio appoſito *in c. ſi diligenti, de foro competent.* quod non niſi Eccleſiaſticis perſonis competit. Idemque Pontifex Martinus V. (vt conſtat *ex conſtitution. 33.*) ſubiecit Magiſtro Scholæ immediatè poſt Apoſtolicam Sedem hanc Salmanticenſem Academiam,

225 Secunda ſententia docet, Academiarum Iudices (loquendo de Academijs, quæ in Principis ſæcularis territorio ſita ſunt, & tum ab eo, tum à Pontifice confirmata, ab vtroque priuilegia participant, qualis eſt Salmantina, Complutẽſis, Valliſoletana, & plures aliæ) gaudere iuriſdictione mixta; ita vt iuriſdictionem Eccleſiaſticam exerceant in Academicos Eccleſiaſticos, qui iuriſdictioni ſæculari ſubiacere nequeunt, & iuriſdictionem ſæculare exerceant in laicos Academicos; Quare, ſi cauſę nõ ſint à natura ſua ſpirituales, & quæ ad Iudicem Eccleſiaſticum pertinent reſpectu cuiuſcumque laici, etiam nõ ſtudioſi, iuriſdictio ſæcularis exercebitur. Et proinde Academiæ huiuſmodi ſubiectæ ſunt Principi quoad eas viſitandas, reformandas, ac gubernandas; & ſeculares dicẽdæ ſunt, ſicut ciuitas dicitur ſæcularis, & non mixta, quamuis in ciuitate ſint plures Clerici iuriſdictioni Eccleſiaſticæ ſubiecti; quòd ſi propterea velis apellare ciuitates mixtas, poteris etiam dicere, Academias eſſe mixtas, cum Petro Gregorio *lib. 15. ſyntagmat. cap. 32. n. 9.*

226 Pro hac ſententia ſic explicata afferuntur ab Eſcobar *vbi ſupra n. 24.* Bartolus, Baldus, Iaſon, Felinus, Abbas, Socinus, Maranta, Horatius Lucius, Scaccia, Decianus, Ricius, Farinaci, Couarrubias Zeuallos, Azeuedo, Bouadilla, Armendariz, Narbona, Syluester, & Baſilius Legionenſis. Sed ſanè nõ omnes hi Authores aſſertionem, vt nuper ſtabiliuimus illã, tuentur, nec adeo expreſſe declarant.

227 Fundamenta huius ſecundæ ſententiæ ſunt. Primum, quòd ad cognoſcendum naturam, & ſubſtantiam rei inſpiciẽda eſt maior pars, etiam ſi minor ſit dignior; ergo, ſi maior pars Academiæ ſit laicorum, ea cenſenda eſt ſæcularis, & laica; eſto Clerici ſint digniores. Sic, cum legatur aurum, cui gemmæ incluſæ ſunt, hæ cedunt auro, quamuis pretioſiores, quia pars auri eſt maior, *leg. cum aurum 19. ff. de auro, & argento legato.* Sic etiam fœmina reputatur Hermaphroditus, in quo prœualet ſexus fœmineus, licet maſculinus ſit dignior; *leg. quæritur, ff. de ſtatu homin.* Facit etiam huc *cap. ex litteris, cap. cum ſecundum, de iure patronatus.* Et videndi ſunt Donellus, & Oſſualdus *lib. 4. commentar. c. 37. lit. A.* Confirmatur *ex leg. in modicis 24. cum præcedentibus, ff. de contrahenda emptione; leg. ſi mercedẽ 53. §. ſi eum fundũ, ff. de act. empt.* Vbi vendito fundo profano, res ſacra, & religioſa in eo ſita ipſi cedit, & in emptorem tranſit. Quò ſpectat Cornelius Tacitus *libr. 1. annal.* afferens reſcriptum Iberij, quo expoſuit, Auguſti, & aliorum Numinum ſimulachra cedere debere venditionibus domuum, & hortorum, in quibus eſſent collocata.

228 Secundum fundamentũ eſt ab abſurdo ſupra libato; Nã ſi minor pars Clericorum efficeret Academiam Eccleſiaſticam, eadem ratione totum Regnum, Prouincia, & ciuitas eſſent corpus Eccleſiaſticum, & non ſæculare, eũ in illis ſemper ſint plures Clerici, quamuis minorem adhuc partem conſtituentes.

229 Imo, & ſi caſu, ac contingenter maior pars Academiæ eſſet Clericorum, adhuc Academia eſſet ſæcularis, quia non inſpicitur actus, ſed potentia, & extrinſeca accidentia rei naturam nõ mutant; *leg. 2. §. ex his, verſ. non enim, ff. de verbor. obligat. leg. proponebatur 76. ff. de iudicijs.* Sic, ſi caſu, ac contingenter maior pars Senatorum Vrbis alicuius eſſet Clericorum, non propterea diceretur Senatus Eccleſiaſticus. Aliud eſſet, ſi Academiæ id ſtatutum foret, vt Academicorum pars maior, aut æqualis eſſet Clericorum, tunc enim Eccleſiaſtica eſſet Academia, cum id non contingenter, ſed ex proprio inſtituto cõtingeret, vt in Italia eſſe aliqua huiuſmodi ſtudia generalia, teſtantur Abbas, & Socinus; Nulla autem in Hiſpania eſt Academia, quæ id deſideret. Accedit, laicos ſtudioſos capaces eſſe audiendi, & legendi in Academijs; ea autem, quorũ capaces ſunt laici, quamuis poſſideãtur contingenter ab Eccleſiaſticis, laica permanent; *Clement. 1. de ſupplend. negligent. Prælat.* Roboratur, quia Academia poteſt

Ma-

Magistratum, aut Rectorem laicum eligere, & sic in non paucis Vniuersitatibus præstatur, quod fieri non posset, si Ecclesiasticæ essent.

230 Tertium fundamentum; nã erectio, ac fundatio Vniuersitatum est politica, & ad Principes sæculares spectans, qui ius habent erigendi eas in suis Regnis, etiam absque Pontificis authoritate; & absque ipsorum Principum facultate nequeunt illę erigi; vt docet D. Thomas *in tractat. contra impugnantes Religionem;* Ossualdus *lib.17. commentar. c.20. lit. k*, Bartolus, Baldus, Monachus Geminianus, Cosmas, Petrus Gregorius, D. Antoninus, Cardinalis, Natta, Camillus Borellus, & alij apud Escobar *sup. num. 39.* Quare absq; approbatione Pontificia primum erecta est Academia Salmãtina anno 1200. & viguit quinquaginta quinque annis, antequã primò confirmaretur ab Alexandro IV. ad instantiam Alfonsi X. Hispanię Regis, vt cõstat *ex prologo constitution. Academiæ Salmãticer sis pag. 4.* Et quidem ante hanc approbationem, seu confirmationẽ verè, & propriè fuisse Studium Generale, & Academiam, liquet tum ex verbis Pontificis in Bulla confirmationis, vbi loquens cum Rege ait; *Apud Salmanticam, ciuitatem (vt fertur) vberrimam, & locum in tuo Regno Legionensi salubritate aeris, & quibuslibet opportunitatibus præelectum, generale studium statuisti;* tum ex verbis priuilegij ipsius Regis Alfonsi; *Porque entiendo, que es pro de mi Reyno, y de mi tierra, otorgo, y mando, que aya Escuelas en Salamanca, y yo recibo en mi encomienda, y en mi defendimiento à los Maestros, que vinieren, è à sus homes, è à sus cosas.* Ipseque Rex Alfonsus Scholarum Magistro Regiam iurisdictionem erga Academicos concessit; & deinde Reges illam in suo titulo Regio eidem concedunt.

231 Et quidem omnibus sęculis, & vbique terrarum Principes sæculares studia generalia erexerunt, possemque facilè historiarum eruditione paginas implere. Videantur Iustinianus *in proœmio Digestorum, §. hæc autem tria,* & ibi Bartol. *n.* 3. Petrus Gregorius *lib.* 18. *de Republica, cap.2. num.13.* & Interpretes *in leg. si duas 6. §.1. ff. de excusat. tutor.*

132 Confirmatur, nam Princeps in vniuerso suo territorio habet fundatam intentionem, iuxta *leg.1. ff. de officio Præfect. vrb. leg. Bene à Zenone, Cod. de quadrien. præscript.* nec vlla datur exemptio respectu Academiarum, imò nec exemptionis causa. Quare Imperatores leges condiderunt seruãdas à Professoribus, & studiosis, & priuilegia plurima eis donarunt; vnde iure communi à Principibus sæcularibus dimanat iurisdictio, vt constat *ex Authentica. Habita, Cod. ne filius pro patre. &c.* quam *lib.3. quæst.1.* transcribemus

233 Imò absque consensu Principis sęcularis nequit Pontifex laicos illi subditos ab eiusdem iurisdictione eximere, nisi salus spiritualis, & periculum animarum interueniat, aut causa Religionis vrgeat; vt probant Basilius Legionensis *lib.5. de matrimon. cap.12. §. vnic. à num. 11.* P. Suarez *contra Regem Angliæ lib. 3. cap. 5. à num. 8.* Nulla autẽ ex his causis in præsenti reperitur, ob quam Pontifex Academicos laicos eximat à iurisdictione Regia & sæculari.

234 Confirmatur vlterius, nã in Tridentino *session.22. de reformat. cap. 8.* dum conceditur Episcopis facultas visitãdi Scholas, limitatur; *Non tamen, quæ sub Regum immediata protectione sint, sine eorũ licentia;* quod sanè ita exceptum videtur, quia Vniuersitates, vtpotè laicæ, ad Regis iurisdictionem spectant; & quamuis, quando mixtæ sunt, & pietatis causa, non sola studiorum ratione, erecta, concedatur Episcopis, vt eas visitent, attamen id datur Regiæ dignitati, vt etiam hoc casu licentia Regum expectetur.

235 Accedit demũ pro hac sententia, iudicem Ecclesiasticum non posse capere laicum, & in carcerem mittere, nisi vocato brachio sæculari, vt docent Basilius *de matrimon. lib.5. capit. 12. §. vnic. numer.17.* Bobadilla *lib. 1. cap. 17. nume. 167.* & suadetur *ex cap. 1. de officio ordinar. ex cap. cum Episcopis, eodem titul. in 6. leg. 59. in fin. tit. 6. partit. 1. leg. 14, & 15. tit. 1. lib. 4. Recop.* At Iudices Academiarum, vt Salmantinus, Complutensis, Vallisoletanus, & alij capiunt, & in carcerem coniiciunt studiosos laicos, non inuocato brachio sæculari, ergo non exercent erga illos iurisdictionem Ecclesiasticam, sed Sæcularem.

§. 2. *Deciditur quæstio de iurisdictione, & qualitate Academiarum, an sæcularis sit, an Ecclesiastica?*

236 NON agimus de Academijs, quæ ex instituto exigunt maiorem, aut saltem æqualem partem

ſtudioſorum, qui Clerici ſint; fori priuilegio gaudentes; Illæ enim ſunt Eccleſiaſticæ, vt iã libauimus, & fatentur ipſi Authores ſecundæ ſententiæ, idque ſaltem conuincitur ex aliquibus fundamentis allatis pro prima ſententia. Loquendo igitur de reliquis Academijs, ſecunda ſentẽtia hoc noſtro ævo communior, ac verior cenſetur, & pro ſe habet argumenta propoſita, quæ non ſunt eneruia. Rurſus mihi valdè probatur ex praxi, qua Reges Academijs Iudices deſignarunt totis ſæculis retro actis, & nunc temporis deſignant, leges, & ſtatuta præterea eis cõdiderunt, quibus regerẽtur; Viſitatores, & Reformatores, adhuc ſæculares, miſerunt, qui ſuo officio et ga Academias ſunt functi; De quo vide innumera exemplaria apud Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdictione, cap.* 21. *à num.* 60. Et hoc anno 1653. à noſtro Hiſpaniarum Rege Philippo IV. deſignati ſunt clariſſimi, & nobiliſſimi Viri Dõ Didacus de Ribera, & Don Auguſtinus del Hierro, Supremi Caſtellæ Conſilij Senatores, ille, vt Academiam Salmantinam, ſimulque Collegia, hic, vt Complutenſem, & pariter Collegia viſitent, ac reforment, quo nunc munere funguntur. Et inter reſcripta Senatus Supremi Caſtellæ edita ann. 1618 extat Decretum 154. quo cauetur, vt Prçſes Conſilij, vulgo *de la Meſta*, in vno ex duplici ſui muneris anno viſitet Academiã Salmantinam, & quotannis Senator ex Senatu ipſo deſtinetur ad viſitandam Academiam Cõplutenſem. Et Reges Hiſpaniç conſtituiſſe Iudices in Academia Salmantina, conſtat *ex leg.* 3. *libr.* 1. *titul.* 7. *Recopilat.*

247 Cum igitur id ita præſtet Rex noſter, & inſtar ſacrilegij ſit de poteſtate Principis dubitare, tenendum eſt, ad eius iuriſdictionem ſæcularem pertinere Academias, & Collegia. Quis enim auderet dicere, contra fas, & rectum in his viſitandi muneribus, & ſtatutorum editione procedi, cum à Sapientiſſimis viris res tota tractetur, Senatu Supremo Regio cooperante; toto cætu Academiarum vitis doctiſſimis referto aſſentiente; Pontificibus, eorumque Nuntijs conſcijs, & conniuentibus; & integris Regnis ſpectantibus, ac nullo reclamante? Hoc argumentum pro hac ſententia mihi irrefragabile eſt. Et ſanè, ſi Academiæ eſſent Eccleſiaſticæ, deberent per Iudices Eccleſiaſticos, & à Pontifice deſignatos viſitari; aut ab Epiſcopis, ſi eis ſubiacerent, vt rectè annotat Cardoſo *in praxi, verbo, ſtudium.* Et quidem ſuper hac quæſtione Viros doctiſſimos conſului, quos à prædicta ſtare ſententia mordicus, animaduerti. Inter quos Eruditiſſimus Don Garçias de Porras, ſupremi Conſilij Caſtellæ Senator eam ſententiam exornauit, ab eoque accepit, & tranſcripſit Don Alfonſus de Eſcobar, vt ipſe inſinuat *vbi ſupra cap.* 21. *num.* 421. obiter eum laudans, qui ſemper laudandus, nunquam ſatis erit laudatus.

248 Ex dictis argumenta pro prima ſententia facilè ſoluuntur. Primũ, nam iam conſtat, poſſe abſque authoritate Pontificis, ſi Principis ſecularis authoritas intercedat, Academias erigi. Conueniens tamen eſt valde, vt Pontificis interueniat authoritas, (quæ non facit Eccleſiaſticam Academiam, ſed approbat illã, & examine prævio declarat, nihil in eius ſtudijs, & ſtatutis cõtineri bonis moribus, aut Religioni contrarium) Quippe interueniente Pontificis confirmatione, ſtudium fit generale nõ ſolùm reſpectu Regni, in quo ſitum eſt, ſed reſpectu vniuerſę Eccleſiæ; cum Princeps id nequeat præſtare, ſic verò Pontifex, qui in omnibus Regnis Chriſtianis poteſtatem, ac iuriſdictionem habet; *cap. cuncta per mundum, 9. quæſt. 3.* Deinde fit, vt ſtudioſi Clerici ſubijciantur Scholæ Magiſtro, Rectori, aut Iudici, cum his Pontifex tribuat iuriſdictionem in illos. Rurſus ſolet Pontifex reddita Eccleſiaſticos applicare Academiæ, (vt pingues valde applicati ſunt Salmantinæ.) Deinde Pontifex diſpenſare ſolet vt Clerici Iuri ciuili addiſcendo, & docendo incumbant, quod eis per leges Canonicas eſt prohibitum *in cap. ſuper ſpecula, Ne Clerici, vel Monachi, in cap. 2. eodem titulo in 6.* De quibus ſtatutum extat Salmanticæ *in conſtitut. 27. Academiæ*, vt, niſi Presbyteri, aut Religioſi ſint, per triennium Clerici, adhuc Beneficiati poſſint incumbere Iuri Ciuili. Demum Pontifex tollit dubium, quod poſſet dari, an ſtudioſi Beneficiati in abſentia facerent fructus ſuos, *iuxta caput final. ad fin. de Magiſt.* Quod priuilegium ampliauit in fauorem Academiæ Salmantinæ Eugenius IIII. in Bulla, quæ communiter nuncupatur *Eugeniana.* Ecce ergo, quam vtilis ſit ad præfatos effectus confirmatio, & approbatio Academiarum à Pontifice præſtita,

249 Secundo argumento reſpon-

pondetur, ſolùm impropria, ac abuſiua locutione poſſe nuncupari Clericos eos, qui verſantur in Vniuerſitate, cuius minor pars eſt Clericorum. Nam ſimiliter omnes ciues cuiuslibet vrbis Clerici valerent appellari, cum aliqui ciues ſint Clerici. Inde aſſero cum Eſcobar *ſupra cap. 21. n. 84.* Academicos Laicos gaudere immunitate Eccleſiæ, nec poſſe Scholæ Iudicem, etiam ſi Eccleſiaſticus ſit, extrahere illos ab Eccleſia, niſi in caſibus, in quibus extrahere poteſt Iudex ſæcularis, cum erga illos iuriſdictio ſæcularis in criminibus puniendis exerceatur. Quare, ſi extrahat, peccatum graue ſacrilegij committet, & poterit Epiſcopus aduerſus extrahentes procedere, Eccleſiæ immunitati conſulens; Et ſic in Supremis Tribunalibus eſt iudicatum. Quam doctrinam Iudices Academiarum præoculis habeant. Contra Scholæ Magiſtrum Salmantinum non poſſe Epiſcopum procedere, ſi iniuſtè extrahat aliquē ab Eccleſia, ſed occurrendum eſſe ad Nuntium, docet rectè Eſcobar *cap. 24. à num. 125.* quia eius ampliſſima exemptio eum liberat in hoc caſu à iuriſdictione Epiſcopi.

250 Tertium argumentum diluitur ex eo, quod ſtudiorum finis promiſcuus eſt, & tam Principi Eccleſiaſtico, quàm ſeculari communis, vt vterque illum promouere curet; nempè, vt plures viri in omnibus ſcientijs docti euadant, quorum ſapientia Reſpublica conſeruetur, & bonorum morum diſciplina animis imbibatur. Et, quamuis Theologiæ finis, ſeu obiectum ſit ſupernaturale, ad hoc non attenditur, vt ſtudioſi à iuriſdictione ſæculari eximantur; cum non interuenit ſalus ſpiritualis, & periculum animarum. Et quis vnquam dixit, cauſam ſtudiorum conſtituere forum, & aliquem ſtudentem fori Eccleſiaſtici priuilegio gaudere, ſicut gaudet Clericus? Et inſtatur, nam, vbi non datur Academia, Scholaſtici, qui Theologiam addiſcunt, non eximuntur à iuriſdictione ſæculari; ergo ille finis nihil præſtat ad hanc exemptionem. Quare Pontifex, iuxta dicta ſuperius, iniuriam irrogaſſet Principi ſæculari, ſi Scholaſticos laicos ab eius iuriſdictione exemiſſet, dum alia cauſa ſpecialis non adeſſet.

§. 3. *De Collegijs, an Eccleſiaſtica, vel ſæcularia ſint? Vbi aliæ quæſtiones diluuntur.*

251 VT quartum argumentum primæ ſententiæ à paritate Collegiorum deſumptum ſoluatur, tenendum eſt, Collegia in duplici eſſe differentia; nam alia ob finem pium authoritate Eccleſiaſtica eriguntur, ſeu ex inſtituto habent, quòd maior pars ſit Clericorum, & hæc quidem ſunt Eccleſiaſtica. Alia verò nec id ex inſtituto habent, nec finis, niſi ſtudiorum, in eorum fundatione eſt appoſitus; & hæc ſunt ſæcularia, quamuis redditus Eccleſiaſtici à Pontifice eis fuerint annexi, & licet capellam habeant, in qua Officia diuina celebrentur, vt diximus de Academijs, in quarum capellis etiā diuina Officia ſolēt celebrari. Quare, etſi Academiæ æquiparētur Collegijs, nō tamē Collegijs primi generis, ſed ſecūdi.

Hinc Collegia Salmanticenſia, vt plurimùm eſſe ſæcularia, aſſeuerandum eſt. (Idem dicito de alijs, reſpectu quorum non dantur requiſita poſita, vt Eccleſiaſtica cenſeantur.) Quod inde etiam conuincitur, quia Viſitatores ſæculares pro illis deſignantur; & nunc temporis, vt iam attigi, Compluti, & Salmanticæ extant, & in Decretis ſupremi Senatus Caſtellæ relatis *ſupra num. 246.* Extat Decretum 27. expeditum anno 1562. quo iubetur, vt deſtinetur Viſitator Collegiorum. Cæterùm hæc Collegia authoritate Pontificia ſunt confirmata, in qua confirmatione eæ vtilitates, & commoda reperiuntur, quæ de confirmatione Academiarum ſupra libauimus. Et præterea, cum Collegia ſpecialem habitum, pluresque cæremonias à Collegijs obſeruandas contineant, expediens fuit, poſt eorum diligens examen à Pontificibus approbari; & præcipuè cum in ſuſtentationem ſtudioſorū, aut Profitentium litteras pauperum ſint erecta. Inde ex hoc capite Pontificia authoritas requiritur, ex alijs autem capitibus iam ſupra præfixis Principis authoritas deſideratur.

253 Vnde etiam colligitur, eſſe Epiſcopi authoritas ſufficeret ad approbandum Collegia, quæ finem aliquem pium continerent, attamē conſultiùs adiri Summum Antiſtitem ob rationes omnes iam datas. Deinde colligitur, Collegia

gia iurisdictioni Ecclesiasticæ, & sæculari subiacere respectiuè; ita vt causę Clericorum, item causæ, quæ ex sua natura ad forum Ecclesiasticum spectant, per iurisdictionem Ecclesiasticam sint dirimendæ, cæteræ verò per sęcularem.

254 Alia via incedit Don Alfonsus de Escobar *vbi supra num.* 350. affirmans, hęc Collegia ex maiori parte laicorum constantia esse mixti fori, & in eorum causis (dum non sint causę ex se spectantes ad forum Ecclesiasticum, vel causę Clericorum) præventioni locum dari, ita vt is iudicet, siue Ecclesiasticus, siue sæcularis, qui causam pręuenit. Sed parum consequenter meo iudicio ad suam doctrinã procedit. Quippe vel finis pius, ob quẽ erecta sunt hæc Collegia, reddit illa Ecclesiastica, vel non? Si primũ, nõ poterit Iudex sæcularis de eorũ causis cognoscere. Si secundũ, permanẽt Collegia, in ea ipsa dispositione, in qua sunt Academiæ à Põtificibus cõfirmatæ; In causis autẽ Academiæ, & Academicorum non admittit hic Author locum præventioni, ergo inconsequenter loquitur de Collegijs. Hæc autem absolutè Ecclesiastica non esse, ex Visitatoribus, & Reformatoribus iurisdictione dumtaxat sæculari fungentibus constat, & ex rationibus, quas ipse Escobar pro Academijs congerit.

255 De Collegio Ouetẽsi maiori Salmãtino, (& si quod aliud simile est, & aliqua esse, scio) poterat maius esse dubium, an sit Ecclesiasticum iudicandum, cum ex Fũdationis statuto nullus possit in illud admitti, nisi Clericali tonsura sit initiatus? Ait Escobar *supra à num.* 359. non esse Ecclesiasticum, quia, vt Clerici foro Ecclesiastico gaudeant, & eximantur à iurisdictione sæculari, non sufficit, eos esse minoribus Ordinibus initiatos, quia, iuxta Tridentinum, ad gaudendum priuilegio fori, requiritur, Clericum in minoribus constitutum versari in aliqua Schola de licentia sui Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines. Quę requisita non exigunt statuta Collegij maioris Ouetensis. Et quamuis illud ante Tridentinum fuerit fundatum, attamen, sicut Clerici in minoribus constituti ante Tridentinum erãt Ecclesiastici, & priuilegio fori gaudebãt, post Tridentini vero restrictionem forum amiserunt, nisi in ipsis concurrerent requisita à Concilio; sic etiam, quamuis animus Fundatoris fuerit, Ouetense Collegium esse Communitatem Ecclesiasticã, talis desiit esse post Tridentinum, cum requisita à Concilio non deatur, nec exigantur in Fundatione, & solus animus Fũdatoris nequeat reddere Collegium Ecclesiasticum.

256 Confirmari posset, quia Visitator deputatus à Rege nostro ad Collegia Salmantina, iurisdictione dumtaxat sæculari gaudens, pariter, & æquè visitat Collegium maius Ouetẽse; si autem esset Ecclesiasticum, constans est, non fore nisi à Iudice Ecclesiastico visitandum. (Hinc ea, quæ non semel asserimus in hoc tractatu, de constitutione Collegij Ecclesiastici, si constet ex maiori, aut æquali parte Clericorum, qui tales requirantur ex Fundationis statuto, intelligenda sunt, dũmodo requirantur Clerici his requisitis, & circunstantijs prędditi, vt earum ratione priuilegio fori Ecclesiastici gaudeãt) Hęc opinio displicet omnino Togatis òmnibus Collegij Ouetensis, & quidem doctissimis; quorum plures consului, & firmissimè tenent, suum Collegium esse Ecclesiasticum. Et quia ex illis vnus eruditissimus, ac nobilissimus Don Alfonsus Vazquez de Prada, hoc punctum doctè exagitauit, eius disceptatio ad finẽ huius operis apponetur; ideoq; nunc ab hac quæstione desisto.

257 In prędenti obserua, in Collegijs esse Præbendas, seu Togas designatas Capellanis, quæ, licet in rigore non sint beneficia Ecclesiastica, tamen continent ministerium, aut seruitium Missarum, aliorumque sacrorum. Vnde nequeunt ad illas admitti laici, nec valet Princeps sęcularis dispensare, cum de re spirituali agatur, sicut non potest minuere numerum Missarum, vel augere ob augmentum, vel diminutionem reddituum; & sicut necessaria est Ecclesiastica authoritas ad erigendas, seu instituẽdas has prębẽdas, ita eadem necessaria est ad ipsas renouandas, vel commutandas. Quare ad Pontificem, vel ad Nuntium est confugiẽdum pro dispensatione, si quando in hoc mutatio detur. Ita Escobar cum pluribus *supra à num.* 388

258 Idem Author *à num.* 396. contendit, nec solum Principem sęcularem, nec solum Pontificem, sed vtrũque simul posse dispensare in eo, quòd ad Collegia admittantur diuites, si in statuto Fundationis caueatur, vt solùm pauperes admittantur. Et id ipsum consequenter tenetur dicere in alijs circunstã-

tijs

tijs ſimilibus. Monetur, quia eadem poteſtas requiritur ad deſtructionem,& trāſformationē rei, quæ ad eius erectionē; Cū autem & Pontificis,& Principis poteſtas requiratur ad erectionem huiuſmodi Collegiorum, tum quia abſolutè vel ſæcularia ſunt (vel in ſententia huius Authoris mixta)ac in Principis ſita territorio; tum quia piam cauſam ſuſtentationis pauperum præſeferunt; inde eſt, vt vtraque etiam poteſtas requiratur ad diſpenſandū in ſtatutis Fundationis; ſicut maioratus, aliaq; ſimilia facta Principis poteſtate ab eo diſſolui poſſunt; quæ vero ad Pontificiam poteſtatem ſpectant, ab eo ſolum queunt immutari. Addit tamen,licet nō in perpetuum, pro vna vice hanc commutationem fieri poſſe à Principe, ſeu ab eius Supremo Senatu; Et admonet benè,cauſas diſpenſationis,ſeu commutationis perpendi diligenter debere, vt vltimæ voluntates non fraudentur.

19 Aſſentire non poſſum huic doctrinæ; tum quia obſeruaui, has diſpenſationes à Nuntio Pontificis poſtulari, quin ad Regium Senatum confugiatur; tum quia diſpenſatio in vltimis voluntatibus circa opera pia,qualia hęc ſunt, ad Pontificem ſpectat; vt multis probāt Garcia *de benefic. 7. part. cap. 1. num. 109.* Lara *de ann uerſar.lib.1.cap.14.num. 11. & 18.* ac alij innumeri. Quòd ſi Princeps, eiuſvè Senatus Regius pro his diſpenſationibus adeatur,illęque impetrētur,ideo erit, quia non conſebitur cauſa pia ea, de qua agitur mutanda, ſed merè ſæcularis, tuncque non erit neceſſaria diſpenſatio Pontificia; quod ipſe Eſcobar admittit pro vna vice, in quo non multum ſibi conſtans eſt; quia, ſi ex natura materiæ commutandæ, aut diſpenſandæ requiritur poteſtas Pontificis ſimul concurrens cum poteſtate Principis, numquam liceret, nec vna vice,ſoli Principi,aut eius Senatui commutatio,ſeu diſpenſatio.

260 Id certum eſt, ſi Collegium eſſet mutandum, aut diſſoluendū, Principis poteſtatem requiri, & ſimul Pontificis, ſi eius erectio vtramque poteſtatem deſiderat, quia tunc agitur de ſubſtantia rei, & militant rationes ab eo Authore adductæ.Deinde,an Nuntius,an ipſe Pontifex neceſſario ſit adeūdus pro diſpenſationibus,& commutationibus,quæſtio facti eſt, & dependet à facultatibus Nuntio conceſſis à Pontifice. Communiter vt diſpenſetur in aliquo ex dictis non in perpetuum,ſed pro vice occurrenti, Nuntius poteſtatem habet, quod praxis manifeſtat. Si vero diſpenſatio in perpetuum eſſet obtinenda, videtur neceſſarium, Pontificem adiri; niſi forte Pontifex alicui Legato à latere extraordinario facultatem ad has diſpenſationes tribuiſſet. Quantum verò conſideratè in his procedendum ſit, conſtat ex Tridentin. *ſeſſ. 22.de reformat.cap.6.& ſeſſ.25.de reformat. cap.5.*& tractant. Couarrubias *lib. 3. var. cap.6.num7.* Fachinæus *lib. 8. controuerſ. cap.6.* Monet.*de commut. vltim. volunt.à cap.6.*Valenzuela *conſil.66.* Caſtillo *l.b.3. controuerſ.cap.28.* Et plures paſſim,ac præcipuè Theologi morales agentes de diſpenſatione.

61 Obſerua deinde, Collegia, ſaltem quæ in Hiſpania vocamus Maiora,non poſſe iudicialiter viſitari ab Epiſcopis,nec ab alio Iudice ſæculari, niſi de Principis mandato, ſeu Rege noſtro Viſitatorem deſignante. Quippe, qua parte iuriſdictioni Eccleſiaſticæ ſubduntur, eorū Iudex immediatus Pōtifici immediatè ſubiacet; qua verò iuriſdictioni ſæculari, Regi,eiuſq;Senatui dūtaxàt,illa quo ad hoc ſubordinātur; quare ſolùm à Rege, vel à Pontifice quoad ſpiritualia poſſunt Viſitatores Collegiorum deputari. Quod idem reſpectu Academiæ Salmantinæ eſt tenēdum,vt conſtat ex Bullis Pontificijs, & priuilegijs Regum, quæ in eius fauorē expedita ſunt,de quibus vide Conſtitutiones ipſius Academiæ. Imò hinc firmatur aſſertum de Collegijs; nam cum hæc ſint partes,& membra Academiæ,fruūtur iiſdem priuilegijs,quibus ea fungitur, præter alia ſpecialia, quę ipſis ſunt conceſſa. Circa Collegium autem Maius Ouetenſe videnda ſunt dicta ſupra.

62 Et quidem prędicta Collegia immediatè ſub Regis protectione verſantur, qui eis ſemper liberali munificentia gratiam,fauorem, priuilegia, ac beneficia impertiuit, conſcius bonorum, & vtilitatum,quæ in Hiſpanias, & Orbē deriuantur ex hisMuſſarum delicijs,litteratum pelagis, & totius encyclopediç armamentarijs. Quæ de Collegijs Maioribus circa ipſorum Viſitationē attigimus, aptanda ſunt Collegijs Minoribus, dum ſimilibus in materia iuriſdictionis gaudeant iudultis.

(?)

§.4.

§. 4. *De cenſuris prolatis à Iudicibus Academiarum, & de appellatione ab eorum ſententia ad alios Iudices.*

263 VLTIMVM argumentum pro ſententia reiecta affirmãte, Academias eſſe Eccleſiaſticas, nititur primò in eo, quòd Iudex illarum poteſt, & ſolet ferre cenſuras, etiam in laicos ſtudioſos, & in cauſis temporalibus. Acutè hoc punctum tractat Don Alfonſus de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdictione, cap. 21. §. 18. à num. 168.* Is videatur, & ex ipſius doctrina breuiter dico duo, vt quod malueris, eligas; Primum eſt, Iudicem Eccleſiaſticum, qui ſimul iuriſdictionem ſæcularem habet, poſſe, niſi prohibeatur, eam tueri cenſuris, vt ſic facilius ipſa negotia temporalia expediantur; quod maximè vtile eſt reſpectu Studioſorum, in quos non oportet gladium iuriſdictionis ſæcularis euaginare frequenter, ſed Eccleſiaſtica vti benignitate; vnde ſtudiorum gratia non eſt prohibitum Iudici Academiæ, vt ſua etiam iuriſdictione Eccleſiaſtica vtatur, ad hoc vt ſuauiùs, ac efficaciùs ſæcularem exerceat.

264 Secundò dico, poſſe à Iudice Eccleſiaſtico præſcriptione, & cõſuetudine induci poteſtatem ferendi cenſuras; Gloſſa *verbo, conſuetudine in cap. Romana 5. de ſent. excommunicat. in 6.* Potuerunt ergo Iudices Academiarum vtraq; iuriſdictione fungentes præſcripſiſſe conſuetudinem ferendi cenſuras, adhuc in laicos in negotijs ad iuriſdictionem ſæcularem ipſorum pertinentibus; & id ita præſtitum fuiſſe, non parum confirmatur ex verbis Bullæ Pontificiæ in fauorem Magiſtri Scholæ Salmantinę expeditæ, quæ afferuntur ab Eſcobar *ſupra cap. 6. n. 68.*

265 Præterea non vrget quod in argumento additur, ſcilicet à Iudice Academiæ appellari ad Nuntium Pontificis, non ſolum, quando reus eſt Clericus, ſed quando eſt ſæcularis. Quippe in primis, ſi in cauſa, Regia, ac ſæcularis iuriſdictio interponatur, ex ſe ad Regem, ſeu eius Senatum Regium appellari debet; *leg. 8. tit. 3. lib. 1. Recopilat.* vbi Azeuedo, & alij. Et de facto non ſemel cauſæ ad Senatum Regium Supremum aduocantur. Quòd autem frequentius appelletur ad Nuntium, id fit, Principe aſſentiente, qui, cum habeat omnem temporalem poteſtatem in ſuo Regno, ab ipſoque deriuetur ea, quæ exercetur à quocumque Iudice, dum ſæcularis ſit iuriſdictio, poteſt aſſentire, & permittere, vt Iudex Eccleſiaſticus per viam appellationis cognoſcat de cauſa ſęculari, eumq; deſignare ad eiuſmodi cauſas; & ſic Principem procedere, probatur ex eo, quod nuper dicebam, nẽpè appellationem ſæpè interponi ad Senatũ Regium, quod fieri nequiret, ſi iuriſdictio Eccleſiaſtica eſſet neceſſaria ad decidendum cauſam, in qua appellatur.

266 Vbi nota, à Magiſtro Scholæ Salmantino non appellari ad Cãcellarias Regias, ſed ad Supremum Caſtellæ Senatum, (quando ſcilicet non appellatur ad Nuntium) quia, vt ſuprà libaui, ſicut Vniuerſitas reſpectu Eccleſiaſticorum immediatè ſubiecta eſt Sedi Apoſtolicæ, & nequit ab Scholæ Magiſtro appellari ad Epiſcopum, nec ad Metropolitanum, ſed dumtaxat ad Pontificem, ſeu ad eius Nuntium; ſic reſpectu laicorum ipſa Vniuerſitas immediatè ſubiecta eſt Regi, ratione generalis protectionis, & Regij Patronatus; quare à ſæcularibus ſtudioſis non valet, niſi ad Supremum Senatum, appellari. Quod non inualidè firmatur ex eo, quod affert Rebuffus *priuileg. 146. verbo, facta tamen;* in Vniuerſitatibus Galliæ appellationes à ſententia Iudicũ, ſeu Conſeruatorum laicorum, dirigi debere immediatè ad Curiam, & non ad alios Iudices, à Senatu ipſo Regio fuiſſe iudicatum. Certum autem eſt, non minoribus priuilegijs frui Academiam Salmanticenſem, & aliquas alias in Hiſpania, quàm Academias Galliæ; nec minus ſub Regia protectione, & patronatu verſari; quod & illud manifeſtat, ſcilicet Regij patronatus eſſe preſentationem Magiſtri Scholæ Salmanticenſis.

267 Nota etiam, ſi in vna, eademque cauſa dirimenda exerceatur vtraque iuriſdictio, Eccleſiaſtica, & ſæcularis, appellari debere ad Superiorem Iudicis in quantum Eccleſiaſtici, vtpotè dignioris; quod à paritate ſuadetur, nam ſi duo Iudices, alter Eccleſiaſticus, alter ſæcularis de cauſa vtramq; iuriſdictionẽ exigente cognoſcant, appellandum eſt ad ſuperiorem Iudicis Eccleſiaſtici, quia dignior eſt; Ita Bartolus *in leg. 1. §. ſi quis in appellatione, n. 13. ff. de appellat.* Rebuffus

priui-

priuileg. 106. *verſ. Decimo quarto*; Marta *de iuriſdict.* 4. *part. caſu* 118. *num.* 6. Scacia *de appellat. quæſt.* 8. *num.* 101. Bouadilla *lib.* 2. *politic. cap.* 17. *num.* 93.

268 Cæterum independenter à priuilegijs huius, vel illius Academiæ, ad quem Iudicem ſit appellandum per ſtudioſos, & Academicos, tractat D. Alfonſus de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdictione, cap.* 21. *à num.* 23. Et nos *in hoc libr.* 1. *quæſt.* 30.

269 Nec deinde conuincit quidquam pro ſententia tuente, Academias eſſe Eccleſiaſticas, quòd ab eorum Iudicibus ad Regia Prætoria per viam violentiæ appellatur. Nam in primis dico, id fieri non debere in cauſis, quæ inter Studioſos ſæculares agitantur, vt tenet Eſcobar *ſupra cap.* 21. *à num.* 118. Rurſus aſſero, cautum eſſe *in lege* 18. §. 1. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recopilat.* ne ad Cancellarias Regias deferantur proceſſus in cauſis ſtudioſorum, in quibus Scholæ Magiſter procedit, quã legem ita abſolutè accipiunt Dominus Salgado *de Regia protectione, part.* 1. *cap.* 2. §. 5. *num* 41. Bouadilla *lib.* 2. *politicor. cap.* 16. *num.* 90. Quare non de iure, ſed de facto Regia prætoria per viam violentiæ adiri, tradidit Doctor Ferdinandus Arias de Meſa, Veſpertinę Cathedræ in Salmantina Academia moderator, in explicatione anniuerſaria *de officio, & poteſtate Iudicis delegati, cap.* 1. *num.* 24. & ſubſcribit Eſcobar *vbi ſupra à num* 215. Vnde, ſi res eſt facti, non probat ea cauſarum delatio per viam violentiæ, iuriſdictionem eſſe Eccleſiaſticam. Quòd ſi vrgeas, de facto in Hiſpania non niſi à iuriſdictione, & Iudice Eccleſiaſtico per viam violentiæ appellari ad Regia Prætoria, adhuc inſiſto primæ ſolutioni; eſto id contingat in cauſis Eccleſiaſticis Studioſorum, non tamẽ debere admitti in cauſis Studioſorum ſęcularium.

270 Quod additur de Scholæ Magiſtro Salmanticenſi, qui à Rege præſentatur Pontifici, non ſecus ac Epiſcopi ab ipſo præſentantur, non ſuadet intentum. Quippe fatemur, Magiſtrum Scholæ iuriſdictione Eccleſiaſtica fungi erga Academicos Eccleſiaſticos, & idcircò, & quia eſt Dignitas in Eccleſia Alma Salmantina, à Pontifice confirmatur præſentatus à Rege; hoc autem non tollit, quòd ipſemet aliam iuriſdictionem ſæcularem à Rege accipiat, qua vtatur erga Academicos laicos. Et frequens eſt, aliquos fungentes iuriſdictione Eccleſiaſtica, ſimul fungi iuriſdictione ſæculari. Sic Archiepiſcopus Compoſtellanus, & non pauci alij Antiſtites, annexam habent ſuis Dignitatibus iuriſdictionem, & dominiũ temporale, ac ſæculare, eamque iuriſdictionem Miniſtris ſæcularibus delegant.

271 Hinc, cum Pontifices Academiam Salmantinam immediatè Sedi Apoſtolicę ſubiecerunt, locuti certè ſunt de ea, quatenus continet Academicos Eccleſiaſticos; & cum generaliter cõcedunt Scholæ Magiſtro iuriſdictionem in omnes cuiuſcumq; qualitatis ſtudioſos, agunt de ſtudioſis Eccleſiaſticis, vt hi nulla ratione, dignitate, aut priuilegio exempti maneant à iuriſdictione Magiſtri præfati. Quæ expoſitio probatur primò ex dictis ſuperiùs, nempe Pontificem, niſi ex vrgentiſſima cauſa, aut intuitu finis ſpiritualis non poſſe eximere laicos à iuriſdictione ſæculari ſui Principis. Secundò, quia ea verba Pontificia non plus operantur, quàm poſſunt; ſicut, ſi Princeps ſæcularis ſubijciat ſibi immediatè Academiam, & iuriſdictionem conferat eius Iudici in omnes cuiuſcumque qualitatis; nõ propterea dicemus, eam ſibi ſubijcere, qua parte continet Clericos, nec concedere in hoc iuriſdictionem; quia ea verba generalia à Principe ſæculari prolata nequeunt ad id extendi. Idem dico, ſumptis reſpectiuè verbis, de Pontifice.

127 Denique non obſtat, quòd aliquæ Academiæ, & præcipuè Salmãtina, redditus Eccleſiaſticos, decimas, aut tertias percipiant à Pontificibus conceſſas, & in perpetuum applicatas. Etenim redditus Eccleſiaſtici ſæpè perſonis laicis ſunt applicati, quin eas Eccleſiaſticas reddant, vt eſt conſtantiſſimum; nec locus fit Eccleſiaſticus ex eo, quòd illi alij ſimiles redditus applicentur; quinimo potius è contrà ipſi redditus applicati perſonæ laicæ, aut loco profano, qua ſi induunt naturã eius, cui applicati ſunt; vt docent Ramirez *de lege Regia* §. 3. *n.* 4. Laſſarte *de decima, cap.* 19. *n.* 31. Garcia *de beneficijs*, 1. *part. cap.* 2. *num.* 24. D. Franciſcus de Leon *decis.* 3. *à num.* 13. Paulus Criſtineus *deciſ.* 235. *à n.* 6. & plures alij; & ſumitur argumentum *ex leg. per procuratorem* 89. *ff. de adquir. hæredit.* vbi bona mutatione perſonę deſinunt eſſe caſtrenſia.

273 Quare Academiæ nõ ſunt Eccleſiaſticæ ex perceptione præfatorum

torum redditum. Quid, quòd illæ, & ſpecialiter Salmanticenſis, non ſunt erectæ, fũdatæ, ac dotatæ ex his redditibus, ſed ex redditibus ſæcularibus: & poſtquam, vt ſæculares, ita fundatę ſunt, redditus Eccleſiaſtici eis à Pontificibus ſunt cõceſsi, ac vniti, quin ideo earum natura, & inſtitutio primæua ſit mutata? Et quidem Academia Salmantina, vt conſtat ex eius hiſtoria, quam affert Eſcobar *ſupra cap.* 21. *à n.* 275. fundata fuit ab Alfonſo IX. Legionis Rege, anno 1200. ſed non dotata ob patrimonij Regij penuriam, indeque Præceptores collectas, & ſtipendia à diſcipulis in ſui victum exigebant. Deinde Sapiens Alfonſus X. deſignauit ſcientijs Cathedras, & è ſuo patrimonio ſtipendia anno 1254. Sed quia ſtipendia hæc, & alij redditus poſtea applicati non ſufficiebant Præceptoribus, collectæ aliquæ ab ſtudioſis exigebantur, vſque ad annum 1480. in quo ceſſarunt. Poſtmodum Ferdinandus IV. qui è Pontificia conceſſione poſſidebat decimarum partem, quæ vulgo vocatur *tercias*, applicauit illas Academiæ anno 1300. Sed quia hę tertiæ tunc ſolùm ad certum tempus à Pontificibus concedebantur, & Clemens V. eas omnino à Regibus abſtulit anno 1305. ipſe Clemens conceſſit, & applicauit in perpetuum Academiæ Salmantinæ eas tertias, quibus erat fruita, quæ conceſſio fuit facta anno 1312. Deinceps Ioannes Hiſpanus Rex anno 1387. auxit redditus Academiæ, donans ei nouam partem tertiarum, quam ex Pontificis conceſſione ipſe capiebat; ſed fortè quia adhuc ea conceſſio tertiarum Regi facta fuerat ad tempus, Academia poſtulauit ab Enrico Rege, Ioannis filio, vt ſumma quantitatis huiuſmodi tertiarum, quas ipſe de nouo applicauerat, ex patrimonio Regio ipſi Academiæ ſolueretur, vt ſic eſſent redditus firmiores; quod ita fuit præſtitum. Sed quia adhuc ex Regio patrimonio illa ſumma difficulter obtinebatur, ipſe Rex Enricus eã permutauit in aliã tertiarum partem ipſi à Pontifice donatam. Denique Benedictus VIII. cum reuocaſſet largitionem Põtificiam tertiarum anno 1415. eam anno ſequenti Academiæ reſtituit, & in perpetuum applicauit.

274 Ex dictis cernitur, fundationem Academię Salmantinę fuiſſe Regiam, ac ſæcularem, & acceſſoriè ei prouenisſe redditus Eccleſiaſticos, qui, iuxta dicta, ipſius primæuam naturam, & inſtitutionem non mutarunt.

§. 5. *An Reges ſuam iuriſdictionem in fauorem Eccleſiaſticæ iuriſdictionis erga Academiam donauerint?*

275 SVPEREST hic ſcrupulus circa Academiam Salmanticenſem, & reſpectiuè circa alias, an donata fuerit à Regibus ſua poteſtas, & iuriſdictio, eiq; ceſſerint, ita vt ſola iuriſdictio Eccleſiaſtica locum in Academia præfata obtineat? Ea ceſſio, ſeu donatio ex priuilegijs ſeu reſcriptis, quibus Hiſpani Reges ſæpe approbarunt, & confirmarunt Conſeruatorias prędictæ Academię intenditur ſuaderi; & etiam ex eo, quòd in vna, eademque perſona detur iuriſdicto in ſtudioſos Clericos, & Laicos.

276 Verùm nec donatio, aut ceſſio præſumi valet, nec propoſitum fundamentum habet robur. Etenim Reges non confirmant, vt donent, ſed potiùs, vt ſuam iuriſdictionem ſæcularem tueantur, quin intelligatur vllo tempore abolita, quod & ſatis exprimunt, & oſtenditur *in leg.* 18. §. 1. *a d fin. tit.* 7 *lib.* 1. *Recopil.* Et ſanè non vterentur tot confirmationibus, ſi ſemel ſuę iuriſdictioni ceſſiſsēt. Sed nihil à primis temporibus erectionis Academiæ per continuam annorum ſeriem eis magis cordi fuit, quàm Academiam ipſam dotare, fouere, & leges circa illam ferre, quaſi circa partem valdè prę cipuam ſui patronatus, dominij, ac iuriſdictionis, vt ex ſupra libatis conſtat.

277 Itaque, cum Academia mixtam iuriſdictionem contineat, Eccleſiaſticam in Clericos, & ſæcularem in laicos, vterque Princeps, Eccleſiaſticus, & ſęcularis, Pontifex, & Rex, reſpectiuè confirmant, & approbant; quin ſęcularis iuriſdictio in Eccleſiaſticam cõuertatur per donationem, aut ceſſionem, quas non interueniſſe vnquam, ſatis ex dictis ſit manifeſtum; & præterea, quia ipſe Rex Viſitatores ſæculares Academiæ deſignat, quod non poſſet præſtare, ſi iuriſdictionem erga illam à ſe abdicaſſet; Et quamuis aliqua eſſet præſumptio eiuſmodi donationis, non ſubſiſteret, quia regu-

lariter

lariter donatio non præſumitur, *iuxta leg. cum de indebito, ff. de probation. b.* Nec ſolida eſt præſumptio, quæ ex confirmatione prę fata deſumitur ; cum ea confirmatio ad alium finem tendat; vt autem præſumptio concluderet, ibi donationem interuenire, deberet probare, eam confirmationem nō poſſe ad alium finem conducere.

278 Quòd autem in vna, eademque perſona detur ſimul iuriſdictio in Eccleſiaſticos, & laicos, nihil obſtat Quippe, vt libauimus, idem repiritur in aliquibus Hiſpaniæ Præſulibus, nec non in alijs Externarum Nationum; & ſanè poteſt Princeps ſecularis ſuam iuriſdictionem concedere Iudici Eccleſiaſtico ; Sic vidimus olim Antiſtitem Eccleſiæ Almæ Vallisoletanæ eſſe Præſidem Regiæ ibidem Cācellariæ, quin iuriſdictio Pręſidis eſſet Eccleſiaſtica ; ſic frequēter Eccleſiaſtici Præſules creantur à noſtro Rege Regnorum, ſuorum Proreges, aut Gubernatores.

279 Et expediens quidem fuit valde, vt vtraque Iuriſdictio in Scholæ Magiſtro ; (& idem dico de Rectore Academiæ Complutenſis, Valliſoletanæ & aliarum) reſideret; tum, vt vitarentur contentiones, & iurgia ; ſi alius Iudex ſecularis à Rege deſignaretur, duoque eſſent Tribunalia ſeparata ad ſtudioſorū cauſas, & gubernationem; tū vt augeretur authoritas Superioris Iudicis Academiæ ; indeque ipſe poſſet facilius Academicos in ſuo officio continere ; & regimen, ac gubernatio eſſet congruentior.

280 Ex Iure etiam conſtat, ſępè in vna, eademque perſona duplicem diſtinctam iuriſdictionem reperiri, & poſſe quē actus exercere quaſi duplicis perſonæ; *cap. per venerabilem 13. §. quod autem, verſic. id autem. Qui filij ſint legitimi; leg. ſi pater 15. §. 1. ff. de adoptionib. leg. debitor 59. §. final. ff. ad Trebellian. leg. 6. in principio ff. Quod cuiuſque vniuerſitatis nomine.* Et prædicta omnia dubitationi locum non permittūt, quando de voluntate Principis conſtat; ſat autem eſt oſtenſum, Principem noluiſſe ſuam iuriſdictionem Eccleſiaſticæ cedere, ſed ſimul cum illa diſtinctam conſeruare.

281 Don Alfonſus de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdictione, cap. 21. à num. 272.* addit, donationem iuriſdictionis factam non ſolùm ſubditis, ſed etiam non ſubditis, eſſe precariam, atque adeò reuocabilem; pro quo aſſerto affert Germonium, Baldum, Caſanate, Caſtillo, Boauadilla, Baſilium Legionenſem, & D. Sebaſtianum Zambrana de Villalobos; Vnde colligit, Principem poſſe reuocare eam donationem, quamuis illam feciſſet ; imò in hac ſuppoſitione tenetur inferre, de facto Principem eam reuocaſſe, cum ſua iuriſdictione vtatur erga Academias. Sed cenſeo, non eſſe confugiendum ad hanc doctrinam; cum independenter ab illa intentum efficaciter ſit probatum ; Nec facilè adducar, vt credam mutationem, & quaſi incōſtantiam animi in Principe, maximè in his, quæ eius liberalitati, & magnificentiæ detraherēt. Quare æquius eſt, affirmare, numquam eam feciſſe donationē, quod nihil derogat animo liberali ; quàm ſemel factam reuocaſſe, quod, etſi poſſit rationibus vrgētibus honeſtari, adhuc ſpeciem præſefert Principe minus dignam.

Quæſt. 9. Qui actus pertineant ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & qui ad ſæcularem reſpectu Academiæ? Vbi de ſuffragijs Scholaſticorum ad Catheararum prouiſionem.

282 POSITA iam iuriſdictione mixta in Academijs, quarum maior, aut æqualis pars ex proprio inſtituto non eſt Clericorum priuilegio fori gaudentium, facile eſt, diſcernere, quinam actus ad iuriſdictionem Eccleſiaſticā, quinam ad ſæcularem ſpectāt. Sicut enim id dignoſcitur in cæteris alijs reſpectu Iudicum Eccleſiaſticorum, & ſæcularium, ac in vnaquaque Republica ſunt vtraque Tribunalia, ac ſubditi, & cauſæ pertinentes ad illa, ita etiam in Academia, quę ſpeciē Reipublicę habet, reſpectu vtriuſq; diſtinctæ iuriſdictionis, eſto in eodē Iudice cōcurrentis, philoſophandū eſt ; nec alia regula magis fixa vt plurimùm tradi poteſt. Quare cauſæ, quæ vel ratione materiæ, vel ratione perſonę ad Iudicē Eccleſiaſticū abſolutè pertinēt, ad Eccleſiſticam iuriſdictionem in Academia ſpectabunt.

283 In particulari autē dicendū eſt, regimen politicum Academiæ ad iuriſdictionē ſæcularem ſpectare, etiam ſi mixti ſint Clerici cum laicis ; nam hæ cauſæ non reſpiciunt ſingulos, vt ſingulos, ſed corpus Academiæ, quod diuerſum eſt à ſingulis;

Sicut regimen Reipublicæ, quod ad eius bonum publicum tendit, etiam ad Clericos extenditur in his, quæ ipſorum ſpecialibus priuilegijs, & exemptionibus nō derogant. De quo vide Zeuallos 3. *tom. in epiſt. ad Regem. num.* 22. Burgos, *leg.* 3. *Taurinum.* 40. Menochium *conſil.* 10. Paz *de Tenuta* 2. *p. cap.* 63. *num.* 14. Victoria *de poteſtat. Eccleſiaſt. relect.* 1. *ſect.* 7. *num.* 4. Medina *de reſtitut. queſt.* 36. Nauarrum *in manuali, cap.* 23. *n.* 88. P. Molina *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 3. *verſ. ſexta concluſio.*

284 Vnde ad eiuſmodi gubernationem ſæcularem pertinet, formam præſcribere in Cathedris prouidendis, eamq; pro varietate temporum mutare, conſulendo maiori vtilitati Academiæ. Quod ita fieri videmus, cum diu Scholares ſuffragia ſua ad obtentionem Cathedrarum præſtiterint, & hæc ab illis fuerint ablata, deinde reſtituta, & demum iterum ad Regium Caſtellæ Senatum ea prouiſio fuerit deuoluta. Quod confirmat ſententiam ſuperiori quæſtione ſtabilitam; ſi enim Academię eſſent Eccleſiaſticæ, id fieri minimè licuiſſet.

285 Nec obſtat, Pontificē Martinum V. in ſua Conſtitutione, quę eſt. 26. *in Conſtitutionib. Salmanticenſ.* cōceſſiſſe, vt ſcholaſtici in Academia Salmantina ſuffragia ferrent ad Cathedras obtinendas pro maiori ſuffragiorum numero. Quippè, cum Hiſpaniæ Reges, & ſimul ipſa Academia conſtitutiones condidiſſent, Alfonſus X. Rex, & Academia eas propoſuerunt Pontifici, non quidem, vt illis vim legis præſtaret, ſed vt approbaret ipſas, qua parte ad earum aliquas ſtabiliendas authoritas Pontificia erat neceſſaria; eo quòd Eccleſiaſticos concernerent; quare Pontifex in ſua Bulla omnes eas Cōſtitutiones, vt ſibi erant propoſitę, ingeſſit, & approbauit. Vnde nihil addidit in his, quæ ad iuriſdictionem laicam ſpectabant, niſi approbationē, quaſi dependentem à nutu, & voluntate Principis, cuius placito illæ cōſtitutiones fuerant cōditæ; non verò auxit obligationē à Sede Apoſtolica dimanantem, & à iuriſdictione Eccleſiaſtica prouenientē inde pendēter à Principis beneplacito. Quod ſanè exdictis in ſuperioribus fit perſpicuū.

286 Itaq; illa conſtitutio, quamuis in prędicta Bulla ſit inſerta, non eſt lex Pontificia, ſed Regia, adeoque potuit à Rege pro euentuum diuerſitate mutari, & reuocari. Et, licèt plures ſint Clerici, qui ſuffragium eſſent laturi, attamen abſolute tollere ſuffragia ab Studioſis, non eſt cōtrarie Eccleſiaſticis priuilegijs, nec foro Eccleſiæ ſe immiſcere; nam Princeps ſæcularis non poteſt quidem in cauſis ſingularibus Clericorum quidquam decernere, valet verò legem vniuerſalem ſuę Academiæ vtilem promulgare, ſicut valet legē Reipublicæ gubernationi congruam ſtatuere, qua Clerici obligentur; maximè cū nullum ius ipſis adimat, ex ſtatuto Eccleſiaſtico adquiſitum; Nam ferre poſſe ſuffragium ad Cathedras obtinendas non eſt ius Clericorum, vt talium, ſed conceſſio à Principe facta, qui eam formam præſcripſit pro placito, vt illæ à benemeritis obtinerentur; vnde eam poteſt pro libito reuocare, quin vlli præiudicet. Imò poſſe Principem ex iuſta cauſa Clericos, & Religioſos priuare Cathedris, quas in Academia obtinuerunt, defendunt Bouadilla *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 181. & 214. Eſcobar *vbi ſupra, cap.* 22. *num* 9. Quod quidem adhuc eſt amplius, quam Studioſos quoſcumque priuare ſuffragijs.

287 Nec rurſus obſtat, in Academijs eſſe Cathedras deſignatas ad docendam Theologiam, & Ius Canonicū, & has ſciētias ordinari ad finem ſupernaturalem, & Eccleſiaſticū reſpectiuè. Quippè id in ſimili ſupra diluimus; & præterea, licèt ad Eccleſiaſticā poteſtatem pertineat, Theologiæ veritates definire, & Iuris Canonici Decreta promulgare, at erigere Cathedras, in quibus hæ ſcientiæ edoceantur, Principis poteſtatē non excedit, & conſequenter poteſt ipſe iniungere requiſita, & formā, qua obtineantur; atq; adeò ante Pōtificis confirmationē hæ Cathedræ in Academia Salmantina fuerant inſtitutę.

288 Ex doctrina tradita etiam infertur, Academias poſſe à Principe ex vno in alium locū transferri, aut omnino deſtrui, niſi neceſſariæ prorſus eſſent ad eruditionē religionis, ac fidei, eo quòd nō aliæ in ea regione Academiæ permanerēt, atq; adeo periclitaretur animarum ſalus; quo caſu excepto, liberum eſt Principi, Academiā transferre, aut deſtruere, ſi id expediat ad Reipublicæ moderamen; cum enim in eius territorio ſita ſit, atque ipſius iuriſdictioni ſubiecta, nihil obſtat, quominus ob cauſam publici commodi id præſtare queat. Et in praxi Ferdinandus Sanctus Rex permiſit, deſtrui Academiam, quam Rex Caſtellæ Alfonſus VIII. in vrbe Palentię erexerat, non ſolutis ſtipendijs, quibus Præceptores potiebantur, alijſq;

alijsque iuribus neglectis, quo ea Academia euanuit; Eoq; animo id fuit peractũ, vt Academia Salmãtina, quæ Regno erat cõmodior, augeretur in dies, vt fuit aucta, respondítque votis euentus.

298 Casu autem, quo Academia trãsferretur ad alium locum, simul cum illa transferrentur iura, redditus, & bona, non solùm à Principe concessa, & adquisita ab ipsa, verùm & præstita à Pontificibus, cum hi illa bona concesserint in fauorem Academiæ, non autem loci, in quo erat primùm erecta. Idemque dicito, si fieret vnio Academiæ vnius cum alia. Cæterùm in his euentibus, & præcipuè, si absque causa necessaria, seu valdè vtili, pro libito solo Principis fieret translatio, vel vnio Academiæ, requiri Pontificis consensum, tenet Escobar *obi supra n.* 123. cũ Angelo, Felin, & Innocent. aliàs iura, & bona à Pontifice concessa ad ipsum redirent. Quod assertum in vnione Academiæ vnius cũm alia videtur magis perspicuum, cum Pontifices eos redditus applicauerint, vt Academia posset suis sumptibus facere satis absq; alterius Academiæ adminiculo, & vt seiuncta à quauis alia, ac vnum corpus per se ipsam constituens. In translatione autem, & si tutius, ac consultius sit, beneplacitũ à Pontifice postulare, non tamen video, cur sint extinguenda iura ab eo concessa, si non postuletur; nisi casu, quo Pontifex concessisset Academiæ aliqua bona, seu iura intuitu, & fauore loci, in quo erecta fuit; nam aliàs, cum fiat concessio in fauorem illius corporis Academiæ, & vt in ipsa per Magistros, ac Doctores studia promoueantur, hoc corpore durante, & eo fine permanente, non est ratio, quare iura extinguantur, non postulato beneplacito à Pontifice in translatione; Nam translatio materialiter se habet quoad retinenda bona, & iura, quæ loco non sunt alligata.

299 Quòd si Academia destruatur, bona, quæ ab ipsa, nullo donante, fuerant adquisita, ad Principẽ pertinere, tenet Escobar *supra n.* 125. cum Bartolo, Abbate, & alijs. Si autem reedificetur Academia, inspiciendũ est, an sit noua erectio, an dũtaxat restauratio; nam si solùm restauratio sit, permanẽt omnia bona, ac iura, quibus fruebatur; si verò sit noua erectio, non permanent; est enim ea noua Academia.

291 Rursus ex doctrina supra stabilita infertur, nõ esse iurisdictionis secularis cõcessionem, dedicationem, translationem, aut extinctionem Capellæ in Academijs, nec concessionem indulgentiarum, siue earum reuocationem, in ipsius fauorem, & simul in Academicorum gratiam. Hæc enim omnia, vt manifestè cõstat, pertinẽt ad iurisdictionem Ecclesiasticam. Imò nec quicumq; Iudex Ecclesiasticus potest ea præstare; Nam Indulgentiæ nequeunt cõcedi ab Scholæ Magistris, Rectoribus, alijsvè similibus; Qui autem, & quas indulgentias valeant impertire, tractaui latè *tom. in Bull. Cruciat. disp. 6. à n. 16.* Præterea nec illi possunt concedere Sacella, vel Oratoria; Quibus verò hæc concessio liceat, egi *eodem lib. disp. 16. n. 4.* Nec benedicere Capellam, aut Ecclesiam, quod ad Ecclesiæ Prælatos spectat. Quare prædicta omnia à Pontifice, Nuntio, ac Episcopo præstanda sunt respectiuè, ita vt Pontifex omnia, & singula valeat exequi; Nuntius autem, & Episcopus ea, quæ ipsis congruunt iuxta suam iurisdictionem, ac potestatem. Cæterum ex priuilegijs cuiusuis Academiæ in speciali constabit, an à Pontifice aliqua potestas circa prefata sit concessa Iudicibus Ecclesiasticis Academiarum. Id tamẽ certissimum est, nihil eorum iurisdictioni sæculari competere.

292 Præterea ad iurisdictionem sæcularem nequaqam spectat, designare dogmata, ac opiniones, quę in expositione Iuris Canonici, & Theologię, ac Scripturæ Sacræ docenda sunt in Academia, aut omnino vitanda; Nam iurisdictionis Ecclesiasticæ est omnino, stabilire, quæ dogmata sint Fidei Catholicæ consona, aut dissona, idq; pertinet ad summum Ecclesiæ Præsulẽ, & ad Concilia ipsius authoritate cõgregata, & confirmata, aut saltẽ confirmationẽ à Sede Apostolica habentia. Cognitio autem, & punitio eorum, qui edocent quidquam hæreticum, sapiens hęresim, erroneum, temerarium, aut scandalosum, in Regnis Hispaniarum priuatiuè pertinet ad Sanctæ Fidei Tribunalia.

293 Imò in Academijs, in quibus Cathedræ institutæ sunt ad legendum, & edocendum doctrinas diuersorum Authorum, vt Magistri Sententiarum, Sancti Thomæ, Scoti, Durandi aut alterius Catholici Scriptoris, nequent hi Professores, qui eas Cathedras obtinent, aut earum sunt candidati, obstringere se iuramento, aut voto edocendi dumtaxat doctrinam vnius Authoris; quippe in vnaquaque ex prædictis Cathedris tenentur legere opiniones (dum aliqua non sit

ab omnibus explosa) eius Authoris, ad quē exponendum Cathedra illa fuit instituta, aliàs muneri suo non satisfacient. Cum enim Academię, & Studia Generalia erigantur, vt variæ doctrinæ Catholicæ explicentur, & insigniū Doctorum, ac Scriptorum opiniones defendantur, & idcirco Cathedræ cum stipendijs fuerint institutæ, non fit satis animo, & menti Fundatorum, dum ita non præstatur, nec potest quis ea stipendia obtinere, dum suum munus non expiet, si quidem ea stipendia impertiuntur pro tali doctrinæ traditione determinata. De qua alibi in hoc libro est sermo.

Quæstio XII. De Gradibus, seu honoribus Scholasticis, qui in Academijs conferuntur.

294 HOnores scholastici, seu promotiones, vocātur Gradus, quia gradatim, & cū doctrinæ progressione præstantur. Semper in more fuit, tū in certaminibus, tū in litterarijs studijs præmia elargiri; & diuersitate præmiorū, quæ conferri solebāt, pleni sunt passim Authores. Igitur, & Academiæ præmia honorū cōcedūt studiosis, dum gradibs eos ornāt. Tres sunt in facultatibus Gradus; nēpè Bacchalaureatus, Licētiatus, & Doctoratus, seu Magisterij; Id enim est in Philosophis, ac Theologis Magisteriū, quod in Iuris vtriusque Professoribus Doctoratus; imò in Academijs aliquibus etiā vocatur gradus Doctoratus is, qui Theologis cōceditur; vt in Cōplutensi, & in alijs. Qui ergo eis gradibus decoratur, dicitur Bacchalaureus, Licentiatus, Doctor, seu Magister. Quando autē hæc Graduū specialia ornamenta initium acceperint, non satis inter Authores cōstat. Videatur inter alios Middendorpius *de Academijs lib. 1. pag. 120.*

295 Primus Gradus post absolutos eos annuos cursus, qui iuxta statuta vniuscuiusq; Academię in quauis facultate requirūtur vocatur *Bacchalaureatus*, sumpta ethymologia à *baccha lauri*. Quippe in lauro bacchæ sunt illę pilulę patuæ, quas ea arbor, vt flores, germinat; laurus autē, seu laurea corona his, qui in certamine victores euaserāt, cōcedebatur. Inde, quia in flore spes est fructus; baccha lauri cōceditur in primo gradu studiosis, de quibus spes cōcipitur, fore merituros laurū, seu coronā laueam; Isq; honor primus nuncupatur Bacchalaureatus. Hunc gradum non requiri in Italia ad Doctoratū, affirmat Quint. Mandosius *ad reg. Cancell. 16. quæst. 11.* In aliquibus Academijs cōceditur gradus Bacchalaureatus ratione sufficientiæ; ita vt non sit opus annuis cursibus impensis in earū frequētatione, sed sufficiat doctrina adquisita vbilibet, in qua promouēdus examinatur à designatis Doctoribus, Magistris, aut Licētiatis. In alijs verò Academijs hic gradus nō confertur, nisi præcesserint annui cursus iuxta earū statuta habiti, ac probati; ita vt qui in Academia Salmāticensi, v. g. in Iure gradū hunc sit de nouo accepturus, debeat probauisse cursus habitos in eadē, vel saltē aliquē in illa, & reliquos in Academia alia approbata. Cæterùm iuxta statuta Academiarū diuersa plures, aut pauciores requiruntur annui cursus, v. g. ad hunc gradū in Iure quinq; in Salmanticensi desiderantur, pauciores in Toletana, ac in aliquibus alijs exiguntur.

296 Secūdus gradus est *Licētiatus*. Et ea vox desumitur à licētia, quæ in hoc gradu cōceditur promoto, vt quandocūq; velit possit ascēdere ad gradū Doctoris, vel Magistri. Quare ad Licētiatus gradū præcedūt examina rigorosa, actusq; litterarij, quibus promouēdus ostēdat se sufficientē, ac dignū, cui licentia detur assumendi supremū gradum Magisterij, aut Doctoratus; Quare cōmuniter ad hūc extremū nō desideratur examē rigorosum, alijvè actus litterarij, sed vt plurimùm aliqui leui manu exerciti, & additur collatio Gradus cum requisitis, iuxta specialia statuta, ceremonijs, & insignibus.

297 Tertius gradus est *Doctoratus*, seu *Magisterij*, qui est omniū supremus, ac maior, qui in litteris haberi potest, atq; adeo maiori honore, emolumētis, ac priuilegijs stabilitus. Et hic quidē gradus, sicut & gradus Bacchalaureatus, dupliciter potest obtineri; vel per incorporationem, ita vt qui in alia Academia approbata eū obtinuit, incorporetur in altera, & gremio eorū, qui in hac eū gradū obtinent, aggregetur, eisdē, ac illi, emolumētis, ac immunitatibus fruiturus; vel simpliciter, & absolutè, accipiēdo eū gradū in Academia de nouo, & absq; incorporatione. In Salmāticēsi Academia, vt quis in Doctoratū, aut Magisteriū incorporetur, necessū est, vt in Consessu (quē Claustrū vocāt) omnes Doctores, aut Magistri eius Facultatis, in qua est gradus, nemine discrepante, suffragiū in fauorē incorporationis ferāt, quia incorporatio censetur gratia; ex reliquis

quis autem Doctoribus, ſeu Magiſtris aliarũ facultatum ſufficit maior pars ſuffragiorũ.

298 Poteſt quis in vna Academia gradum vnum accipere, & alium in alia, niſi per ſtatuta Academiæ aliud decernatur. Etenim in Salmanticenſi, qui gradum Licentiati accipit, (in quo nõ admittitur incorporatio; vt ſic examina, & actus litterarij præcedant, & iudicium feratur, an ſit dignus gradu illo, item & Magiſterij, ac Doctoratus in eadem Academia) iurat, ſe non accepturum eſſe gradum Magiſterij, aut Doctoratus in alia Academia; & crediderim, eius authoritati expedire, vt nullus, ſi in ea ſit Licentiatus, ex Magiſterio, aut Doctoratu in alia collato arbitretur aliquid maius accipere, quàm quod iam habet. Indeque id colligo, quia iuxta Beniuin *part. 3. de priuileg. Iuriſperitorum in præfat.* Et Middemdorp. *vbi ſupra*, (quod fortaſſan aliæ Academiæ non admittent) Socin. etiam ſuoſcribit, *cap. quanto, de magiſt.* Licentiatus Academiæ Salmãtine præfertur Doctoribus, & Magiſtris aliarũ Academiarũ. Idẽ iuramẽtũ præſtari in Coloniẽſi Academia, teſtatur eius Procancellarius Middemdorpius, *de Academijs li. 1. pag. 13.* Idem affirmat Beſſoldus *diſſertat. de ſtudioſis &c. cap. 8. pag. 91.* contingere in quauis Academia; ſed in Hiſpanis ſaltem id eſſe falſum, praxis oſtendit.

299 Aduerſus nomenclaturã Baccha laureatus, quam à baccha lauri deſumpſimus cum Middemdurpio *vbi nuper p. 131.* & cum Friderico Mockel, *diſſertat. de præmijs c. 1. n. 76.* & Martinio *in lexic. verbo Bacchalaureus*, qui affirmant olim accipiẽtes primum gradũ litterarium ornari ſolitos frondibus lauri iam bacchatis, quod & hodie in aliquibus Galliæ locis ſolet fieri; inſurgit Chriſtophorus Beſſoldus *diſſertatione de ſtudioſis &c. cap. 6. pag. 37.* contendens, laureã coronã non rectè ſtudioſis facultatũ attribui, quia ea olim ſolis Imperatoribus, & militibus triũphantibus, ac Poetis donabatur. Impugnat etiam Dreſſerũ, qui *in Millenario*, cenſet, eã vocem *Baccha laureatus* deduci *à baculo*, eo quòd liceret Bacchalaureis baculũ portare in tẽplo, & in ludo litterario. Demum impugnat Beatum Rhenanũ, qui deſumpta voce à *bacillo*, cuius traditio denotat authoritatẽ, atq; adeò Duces in bello, & Gubernatores vrbiũ bacillis, aut virgis vtuntur, authoritatẽ aliquam in hoc gradu concedi contendit. Vult ergo Beſſoldus eam vocẽ deſumptã à voce Gallica *Battalarij*, vel *Bachaliers*, quæ ſignificat milites tyrones; & quia hic gradꝰ in militia litteraria eſt tyrociniũ aliorũ, voce paulò immutata, Bacchalaurei dicuntur, qui ad eum gradũ accedunt. Aiunt etiã Gallicè *Bachelier*, eſſe gradũ infimum nobilitatis, indeq; etiam hunc gradum infimum in ſcientijs potuiſſe ea voce ſignificari. Annotat etiã, olim non fuiſſe vocatos Bacchalaureos; ſed *Bacchalaurios*, quæ vox deſumi potuit à voce *battalarij*, quæ iuxta Ludouicum Viues *dialog. 3.* ſignificat tyrones milites. Non eſt animus, hæc impugnare, aut explorare, cum circa vocẽ ſit quæſtio, & exiguæ vtilitatis. Nolui tamen ea prætermittere, vt, ſi cui hæc leuidenſis arrideat eruditio, apud Beſſoldum eam inquirat. Potuit ſanè ea à prædictis originibus deriuari; nõ tamen eſt omnino conſtans, à qua deriuata fuerit. Venuſtior ſanè apparet à baccha lauri, vel ob ſpem laurũ obtinẽdi, vel ob frõdes laureas, quę, ſicut militibus vincentibus olim, ſic ſtudio militantibus poſt labores deuictos in curſibus annuis, & elucubrationibus frequẽtibus, potuerũt nõ incõgruẽter aptari.

300 Magiſtri, & Doctores, ita nũcupantur, quòd habeãt ab Academia teſtimoniũ ſuæ doctrinæ, ac eruditionis, vt ab omnibus conſuli queant, eorumq; iudicio fidatur, & ſcientiæ ab eis dictatæ ab auditoribus excipiãtur quaſi à docentibus cum approbatione ſumma. Hiduo gradus Magiſterij, & Doctoratus inter ſe coæquãtur, niſi facultates inferiores ſint. Quippè pluris habetur Doctor v. g. in Iure Canonico, quàm Magiſter in Artibus. At, quòd quis ſit Doctor in Theologia, vel Magiſter in illa, ratione gradus non datur exceſſus; quippè gradus ſupremus eſt vterq; ac ſolum pro diuerſitate ſtyli Academiarum, Doctor, vel Magiſter quis nuncupatur.

301 Cæterũ, quãuis in Academijs edoceãtur litteræ humaniores, Rhetorica, Linguæ, Cantus, Mathematica, Aſtrologia, & aliæ facultates, attamen in his non dantur gradus prædicti; ſed in Artibus gradũ accipiunt, qui gradu egent, vt eas doceant, & Cathedras obtineãt cum perceptione fructuũ, ideòq; inſignibus vtũtur, quibus Magiſtri in Artibus. Et rectè quidẽ; nã & ſi Artes in vulgari ſignificatione, ſaltẽ in Hiſpania, pro Logica, & Philoſophia accipiantur, tamẽ nomine Artiũ liberalium omnes illæ facultates cõtinẽtur; atq; adeò qui in illis ſufficiẽtia doctrinę experimẽta dedit, æquo iure ad Magiſterium in Artibus promouetur.

302 Pari ratione, qui Cathedram linguę Hebrææ obtinet, (in Salmantina Academia ita contingit) debet Magisterij gradum in Theologia accipere; & quamuis docti, ac periti Theologi communiter sint, qui eam linguam edocent, indeq; possint in Theologia experimenta litteraria cum approbatione edere; tamen, quamuis in Scholastica Theologia nō haberet tantū eruditionis, ac habent alij, qui Magisterio Theologię donantur, posset ad hūc gradum promoueri; Nam supponimus eum in lingua Hebræa, & in lectione Biblię Hebraicæ perdoctum; & cum Bibliæ accurata cognitio sit scientia de Deo, censendus ille est doctus in Theologia, quæ est scientia de Deo. Hinc enim inter Theologiæ Cathedras annumeratur Cathedra Scripturæ Sacræ; esto in ea non quæstiones Scholasticę Theologicæ (hoc enim contra mentem institutoris esset) sed Scripturarię, litterales, morales, & allegoricæ, iuxta sensus Scripturæ debeāt tradi. Est hæc ergo vera, & prima Theologia, ac scientia de Deo.

Quæstio XI. De dignitate, & potestate Bacchalaurei, Licentiati, Magistri, seu Doctoris.

303 BACCHALAVREO conceditur potestas ascendendi in Cathedrā, & publicè legendi; atq; adeò solo eo gradu insignitus potest in Academijs (saltem Hispanis) docere facultatem, in qua gradum accepit; & item ad Cathedras obtinendas aduersus alios opponi; ac præterea esse aduocatus causarum, Iudex, & Senator. Licet aliquando requiratur ad aliqua ex his munijs examen nouum; sic, vt quis sit Aduocatus Regiorum Senatuū in Hispania examen, ac approbatio præexigitur. Ad hunc gradum accipiendum nulla ætas determinata est, atque adeò in qualibet recipi valet. Iuxta varia Academiarum statuta ad promotionem ad Bacchalaureatum sunt necessaria aliqua experimenta litteraria; quæ nec opportunū, nec vtile esset, hìc apponere. Videatur Bessoldus *dissertatione de studiosis, &c. c. 6.* Idemq; assero de actibus litterarijs, ac ceremonijs requisitis ad gradus alios; de quibus idem agit toto eo tractatu, & Middēdorpius *de Academijs lib. 1. pag. 125. & sequentibus.*

304 Contendit vbi nuper Bessoldus, cum statutum ad aliquid requirit Graduatos, censeri exclusos Bacchalaureos, quia Bachalaureatus in numerum graduum nō venit, vt docet Chokier *de Iurisdict. in excēptos tom. 2. fol. 111.* deoque ad hunc gradum conferendum non requiri, ait ille, potestatem, seu authoritatem Principis supremi; quod ipse tuetur *in tract. de Maiestate fol. 185.* & Treutler *volum. 1. disp. 1. th. 7. litt. A.* Sed hęc sententia potest in aliqua Academia esse vera, vbi id per specialia statuta caueatur; verùm vniuersim sumpta est falsa; nā in plurib. Academijs, & in omnibus Hispanis, requiritur, esse Graduatos eos, qui publicè legunt, & ad obtinendas Cathedras opponuntur, & sufficit, esse ad ea præstanda Bacchalaureos; atq; adeo, eū requiritur alius gradus, (vt requiritur in Academia Salmanticensi ad retinendam Cathedram proprietatis cum perceptione stipendij pro illa designati gradus Magisterij, aut Doctoratus) id specialiter exprimitur. Deinde falsum censeo, non esse opus authoritate Principis Supremi ad conferendum gradum Bacchalaureatus; quippe hic gradus non cōceditur in Hispania (ita vt in Academijs possit quis illo vti) nisi in ipsis Academijs, hæ autem authoritate Principis supremi debent erigi, aut confirmari, iuxta dicta superiùs *quæst. 1.* Idq; docet Bachovius apud ipsum Besoldum. Imò si aliqua Communitas habet facultatem concedendi gradus, id habet à Principe Supremo, seu à Pontifice. At gradus ij à Communitatibus, seu Collegijs collati non admittuntur in Hispania, quando ad præbendam, vel aliquam dignitatem, seu munus gradus requiritur; quare ad honorem, & nuncupationem intra Hispaniam possunt dumtaxat proficere.

305 Licentiatus, quamuis non admittatur, quando exigitur qualitas Doctoratus, quasi pro forma, vt docet Riccius *in practica aurea, resolut. 136. & 467.* valde coniungitur cum dignitate Doctoris, ac Magistri. Ideò in fauorabilibus, & in vsu priuilegiorum Licentiatos pro Doctoribus haberi, docent Alciatus *ad leg. 57. de verbor. significat.* Guido *decis* 389. Vuesembech. *cons. 40.* Middendorpius, *de Academijs lib. 1. pag. 134.* Bessoldus, *de studiosis cap. 8. &c. pag. 87.* Præterea Tridentinum *sess. 22. cap. 12. de reformat.* æquiparat Doctorem, ac Licentiatum; & iubet, vt in omnibus Ecclesijs, vbi fieri poterit, Archidiaconi sint Magistri in Theologia, aut Doctores, vel Licentiati in Iure Canonico. Et hortatur, vt in omnibus Ecclesijs

Carhe-

Cathedralibus, aut Collegiatis insignibus vbi id commodè fieri possit, omnes Dignitates, & saltem dimidia pars Canonicatuum conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Iure Canonico Id hodie in Hispania obseruatur, vt, nisi quis Licentiatus sit, nequeat obtinere Præbendam ex his, quas vocant *affectas*, & quę per oppositionem obtinentur.

306 Præterea Vicarius Capituli, Sede vacante, debet esse Doctor, vel Licentiatus, iuxta citatum Tridentinum. Et tamen, quamuis ita æquiparentur, in odiosis non venit Licentiatus nomine Doctoris, vt tuentur Middendorpius, & Bessoldus *vbi supra*. Quare, si caueretur v.g. ne in aliquem Senatum possent admitti Doctores, adhuc Licentiati admitti valerent.

307 Magister dicitur à magistrando, à monendo, seu à monstrando; ipse enim magistrat, seu regit, monet, ac docet; Aliquique Iurisconsulti id nomen deriuant à voce *magis*, quasi sit ille magis, seu maior in statione. Hoc nomen commune est non solùm Doctoribus scientiarum, verum dicuntur etiam Magistri Pagorum, Societatum, Vicorum, Collegiorum, Equitum, Militum, Ciuium, Nauiũ, & cuiusvis artis seu liberalis, seu mechanicæ; & olim pro Curatoribus, seu pro his, qui bona sub hasta vendebant, Magistri sumebantur; Ita Cicero *pro M. Fonteio*; Cœlius *lib. 11. cap. 5.* Caluin. *in lexic. fol. 1137.* Magisterij autem gradus in scientijs est supremus, sicut & Doctoris. Nec benè ait Bessoldus *vbi supra cap. 7.* hunc gradum solum conuenire Mgistris Artiũ; Ipse enim vult stylo suæ Academiæ omnium Academiarum stylos aptare, in quo non rectè loquitur. Quippè, vt dixi, in Academia Salmanticensi, ac in pluribus alijs, supremus gradus in Theologia est Magisterium. Et sane etiam olim nomẽ hoc Magistri erat maximæ dignitatis, ideò Magistri intimis Imperatoris consilijs assistebãt; collocabãtur ante Patricios; filijsq; ac fratribus, & cõsanguineis ipsius Imperatoris hoc nomen Magistrorum imponebatur; inde nomen Magistratus desumptum est; & inde etiam authoritate Imperatoria in Scholas est introductum, Consulantur Camerarius *centur. 3. meditat. oper. succeſſiuar. cap. 61.* Meurs. *in gloſſar. à fol. 315.* Vbi agit, quantum apud Græcos authoritatis hoc nomen habuerit.

308 Nec opus est ad dignitatem Magisterij retinendam, eiusque fruendũ priuilegijs, vt quis actu doceat; sat est, eum gradum ritè, ac rectè obtinuisse, ac in eo authenticè fuisse declaratum, eum posse magnã cum satisfactione docere. Quin Magistri artifices, quamuis actu non exerceant suum officiũ, vel ob paupertatẽ, vel ob senectutẽ, aliasvè cõsimiles causas, suis immunitatibus gaudent; esto, si absque iis causis ab officio destiterint, animo non redeundi ad illud, eis non gaudeãt, iuxta Bessoldum *in tractatu de iure Collegiorum, folio 54.*

309 Doctor, qui etiam Magister dici potest, habet facultatem legendi in ea scientia, in qua Doctor est, & gloſſandi, ac interpretãdi publicè, & priuatim Eius dignitatem, aut insignia propria authoritate vsurpare, crimen est, quod pœna falsi punitur, vt docet Anchoranus *in Clemẽt. cũ sit nimis, de Magistris*; & ibi apponit qualitates, quæ desiderantur in promouendo ad Doctoratum; nempè quòd adminus habeat decem et septem ętatis annos; & quinque in locis approbatis, vbi Iura incorruptè traduntur, audierit; quòd alios præcedat moribus, facundia, & interpretandi subtilitate; quòd sit legitimè natus, insigniter doctus, examinatus à septem saltẽ Doctoribus, qui iurati deponant, examinatum esse dignum. Sed, vt iam notaui, sanè aliqui Authores doctrinas tradunt vniuersales, cum eas desumpserint ab Academijs, in quibus existunt, aut quæ in suis Regnis, seu Prouincijs extant, cum tamẽ in vnaquaque Academia diuersę qualitates requirantur ad gradus; quæ nec simul possunt adstrui, quia inter se differũt; nec seorsim valent recenseri, quia sunt innumeræ, sicut & ipsæ Academiæ, vt videre est in numero Academiarum, quas *à quæst. 2. huius libri*, præfiximus. Nomen Doctoris extẽdi solet, penes nuncupationem, ad quemuis Iurisperitum; quippè, teste ipso Anchorano, Iurisperitus decẽ solet nominibus appellari; nempè Anteceſſor, Magister, Doctor, Professor, Dominus, Præceptor, Sacerdos iustitiæ, Iurisperitus, Pater iuris, & Celsior.

310 Circa præcedentiam, quam inter se habent Magistri, ac Doctores diuersarum facultatum, loquitur etiã Middẽdorpius attendens dumtaxàt vel stylo suę Academię, vel dignitati scientiarum. In Salmanticensi omnes Magistri in Theologia, & Doctores in vtroque iure præcedũt

Ma

Magistros in Artibus ; At illi Magistri Theologi, & Doctores inter se, mixtim iuxta gradus antiquitatem loco anteeunt. Cæterum, si scientiarum dignitas attenda tur, primum locum obtinet Theologia; deinde Ius Canonicum, (& sic de vtraque scientia loquitur citato loco Tridentinum & communiter omnes) postmodùm Ius Ciuile, & demum Artes. At in his sua etiã est series, ac excellentia, ad quam communiter non attenditur, sed solùm ad gradus antiquitatem. Medici quidem anteponuntur Philosophis, & hi bonarum artiũ Professoribus. De præcedentia videantur Anchoranus *ad titulum de Magistris in* 6. Socinus *ibidem*, Menochius *de arbitrarijs iudi. casu* 124. Mandosius *ad Cancellariæ regulã* 16. *à quæst.* 15. Iacobus Benius *de priuilegijs Iurisperitorum priuileg.* 10. Midddemdorpius *de Academ. lib.* 1. *pag.* 132

311 Quando concurrunt ad oppositionem Præbendæ, seu Cathedræ plures Licentiati, Doctores, aut Magistri, qui in diuersis Academijs acceperunt gradus, quis alium præcedere debeat, non potest gener aliter decerni; nam in singulis Regnis stylo, ac consuetudine constat, an solum sit attendendum ad antiquitatẽ gradus, an ad dignitatem Academiæ, simulq; quæ sint Academiæ digniores. Idem dico, quando duo Oppositores ad aliquam Præbendam habent æqualia suffragia, & inuestigantur qualitates; si de gradibus sit decernendum, standum est consuetudini municipali. Cæterum in oppositione ad Beneficia, saltem vt plurimum in nostra Hispania, attenditur amplius ad sufficientiam in doctrina, quàm ad gradum; esto cæteris paribus electores, par est, vt ad eos, qui gradu Licentiati, Doctoris, seu Magistri insigniuntur, attendant.

312 Gradus prædicti approbati sunt tum à pluribus Pontificibus, quorũ priuilegia plurima extant circa insignitos illis; tum à Concilio Tridentino *vbi suprà & sess. 22. cap. 2. de reformat.* vbi decernit, nullum Sacerdotem sæcularem assumendum fore in Prælatum Ecclesiarum Cathedralium, qui *non antea in Vniuersitate studiorum Magister, siue Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel Iure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicuius Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.*

313 A gradibus his, honoribusque Scholasticis arcentur omnes infames, quibus dignitatum ianuæ patere non debent, & etiam Infideles, hæretici, excõmunicati, (& spurij in aliquibus saltem Academijs) Ita docent Socinus *vbi supra*, & Anchoranus *in proœm. lib.* 6. ac Benius *priuileg.* 64. Præterea qui per saltum, & indecenter promouentur, non gaudent priuilegijs ritè promotorum, vt tuentur Doctores *ad leg. Nemo, Cod. de aduocat. à uers. Iudi.* & Scholiastes Guidonis Papæ *deciss.* 388. *per Glossam.*

Quæst. XII. Quid sint Doctores Bullati, seu ex priuilegio, & quid circa illos statutum?

314 BVLLATI Doctores dicuntur, qui ex Bulla, seu rescripto, aut priuilegio alicuius Principis Doctoratus honorem adipiscuntur; quos in primis longè inferiores esse Doctoribus, qui in Academijs creantur, affirmant Benius *de priuileg. Iurisperitorum, priuileg.* 10. Mandosius *super signatura gratiæ, ac lectia Doctoranci*; Zasius *ad leg.* 2. *ff. de origine iuris*; Paulus Castrensis, & alij apud Middemdorpium *de Academijs, lib.* 1. *pag.* 128. Et meritò quidem, nã in Academijs scientiæ experimentum fit per examen rigorosum, adeòque Doctores esse probantur periti; at Princeps non examinat, sed liberali concessione priuilegium confert Et aptaueris in præsenti cõcinnè id, quod olim aiebat Dionisius de Heliodoro, quẽ eloquentiæ expertem Adrianus Imperator Epistolarum suarum Magistrum instituerat; *Potest Cæsar pecuniam, & honores dare, Rethorem facere non potest.* Hinc rectè statutum fuit *in leg.* 5. *lib.* 1. *tit.* 7. *Recognit.* ne Gradus concederentur, aut acciperentur vtiliter per Bullas, vel per Rescripta. Licere autem Principibus creare solo verbo, ac priuilegio suo Doctores, censuerunt Iacobinus de S. Georgio, *de feudis, §. quæritur etiam*; & alij apud rẽlatum Middemdorpium. Cæterum quid de his esset tenẽdum, statutum est à Pio V. cuius Bullam, vt extat in Egloge Motuproprioriorum, apponam hic, vt præ manibus opportunius habeatur, & ex ea clarè innotescat propositæ quæstionis resolutio. Sic ergo se habet.

PIVS

PIVS EPISCOPVS SERVVS Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Quamuis à Sede Apostolica, ad quam negotiorum multitudo vndique cõfluit, curis omnino penè innumeris nõnulla interdum ex iustis causis concedantur, quæ succelliuis temporibus in publicũ detrimentum, & alieni iuris præiudicium tẽdere noscuntur, non debet reprehensibile videri, si Romanus Pontifex, ad cuius prouidentiam pro debito Pastoralis officij spectat super ijs debitè prouidere, illa, rationabilibus, & iuridicis superuenientibus causis deinde cognitis, quandoque reuocat, & annullat, ac in statum redigit rationis. Sanè cum fide digna plurimorum relatione, non sine animi nostri molestia, intellexerimus, nonnullos Comites Palatinos, & diuersos alios, prætextu facultatum sibi à Romanis Pontificibus, & Sede Apostolica cõcessarum, quam plurimos tam laicos, quã Clericos, tam Iure ciuili, quàm Canonico, & Theologia, nullo, aut non debito examine præuio, indoctos, & inhabiles Doctores, Licenciatos, Magistros creasse, promouisse, vti ad dignitates, cæteraque beneficia Ecclesiastica facilius assumerentur, & de eis prouiderentur, in animarum suarum iacturam, & quàm plurimorum scandalum. Nos huiusmodi scãdalis, quantum in nobis est, obuiare, & aliàs, ne de cætero inhabiles ad huiusmodi gradus admittantur, prouidere volentes, Motuproprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & ex certa scientia, nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura constitutione, omnia, & singula facultates, & indulta eisdem Comitibus, ac etiam quibusvis Officialium Romanæ Curiæ Collegijs, singulisque alijs personis cuiuscumque status, gradus, ordinis, & præeminentiæ existentibus, ad Doctoratus, Licentiaturæ, & Magisterij gradum promouendi per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, & Sedem Apostolicam, ac Nos etiam, Motu, scientia, & potestatis plenitudine, similibus quomodolibet concessa, cõfirmata, & innouata, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, authoritate Apostolica, tenore præsentium, perpetuò reuocamus, cassamus, & annullamus; ac decretis Concilij Tridentini inhærentes decernimus, & declaramus, eos, qui à Comitibus, & alijs præfatis promoti fuerint, quoad dignitates, cæteraque beneficia Ecclesiastica, nulla gradus prærogatiua frui, & gaudere posse, vel debere. Et sic præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, interpretari, iudicari, & diffiniri debere. Necnon irritum, & inane, quidquid secus super ijs à quoquam authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, ac præfatis, ac quibusvis alijs facultatibus, priuilegijs, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Conuentibus, & Collegijs, necnon quibusvis alijs, ex quauis causa, etiam vrgentissima, aut in vim cõtractus inter eos, & Sedem prædictam initi, vel ex causa onerosa, etiam motu proprio, ac consistorialiter, & aliàs quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum inserantur, præsentibus pro sufficiẽter expressis habẽtes, quoad hunc effectum specialiter, & expressè derogamus, cęterisque contrarijs quibuscumque. Vt autem pręsentes litteræ ad omnium notitiam deducantur, &c. Dat. Romę apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXVIII. Pontificatus nostri anno tertio.

315 Itaque ex hac Bulla constat, vbi ea in vsu est, abrogata esse omnia priuilegia promouendi ad gradus Licentiatus, Doctoratus, et Magisterij concessa cuilibet personæ, aut Collegio, nisi ea priuilegia fuerint postmodum renalidata, aut concessa; Deinde promotos huiusmodi non posse vti gradu in ordine ad dignitates, ac beneficia Ecclesiastica. Ideoque in Tridentino, locis *quæst. antecedenti* relatis cuius vestigijs Pius V. in Bulla præfata inhæret, exigitur, vt ad obtinendas Dignitates, ac Prelaturas acceperit gradum Licẽtiati, Doctoris, aut Magistri in Theologia, vel Iure Canonico in aliqua Academia, quisquis ad eas fuerit assumendus. At in his consuetudini stãdum est, cum non vbique præfata Bulla sit in vsu: et plura Collegia adhuc concedant Gradus: quorum priuilegia sunt inspicienda. Imò aliquę Religiones gaudẽt priuilegio concedẽdi gradus; Et id nostræ Societati Iesu indulsit Iulius III. et Pius IV. vt constat *ex Bullario Societatis, fol. 69. & 85.*

316 Quin Doctores, aut Magistros Bullatos, qui per Bullam, aut Rescri-

criptum Principis gradum Doctoratus, aut Magisterij adquirunt, absolutè nō gaudere priuilegijs Doctorum, docent Guido *decis.* 88. & 387. & Iacobus Faber §. *Respō sa, instit. de Iure natur. gēt. & ciuil.* Middēdorpius *de Academijs lib.* 1. *pag.* 127. Quomodo autem possit Princeps, aut Rex eos gradus concedere (esto ad beneficia Ecclesiastica non prosint) tractat latè Escobar *de Pontif. & Reg. iurisdict. cap.* 30. *à numer.* 55. & nos infra libabimus, & aliqua stabiliemus.

Quæst. XIII. *Quæ priuilegia, & immunitates concessæ fuerint Magistris, & Doctoribus?*

§. 1. Aliqua priuilegia recensentur?

317 IN vnaquaque Academia dantur priuilegia, quibus gaudeant Scholastici, Bachalaurei, Licentiati, Doctores, ac Magistri, concessa à Pontificibus, quæ nequeunt in epilogū redigi, nec facile est, omnia habere explorata, cū tot sint Academiæ. In præsenti ergo loquimur de priuilegijs, ac immunitatibus, quę in communi concessa sunt prædictis; esto ob desuetudinem, aut negligentiam, aut similem causam non omnia obseruētur. Quænam autem vigeant, in vnaquaque Academia est introspiciendum, cū in his potiùs, quàm in illis plura, aut pauciora in sua adhuc vi permaneant. De priuilegijs cæterū, quæ ipsis Scholasticis sunt concessa, agemus *lib.* 3. *à quæst.* 1. Licèt plura ita inter se sint connexa, vt ibi dicenda etiam ex parte debeant aptari his, qui Gradu aliquo Academiæ sunt insigniti; & non pauca ex his, quæ in præsenti attingimus, etiam studiosis litterarum congruant; quod discernere quisque facilè valebit. Cæterum non omnia priuilegia recēsebimus, sed clariora; nā innumera sunt: & Doctores Iuris Ciuilis centum & triginta priuilegijs gaudere, docet Cassanæus *in Catalog. gloriæ mundi, parte.* 10 *consider.* 20. Videantur Anton. Gomez, & alij referendi.

318 Doctor, qui publicè alicubi profitetur, eiusdem loci Ciuis esse iudicatur, vt docet Iacobus Bennius *de priuilegijs Iuris Consult. part.* 1. *cap.* 6. atque adeò fruitur cunctis commodis, quibus ex iure Ciuitatis cæteri Ciues gaudēt. Et, quamuis nemo rem suam alteri locare cogatur, iuxta *leg. inuitos, Cod. locati*; tamen Doctor potest alienam domum conducere, etiam inuito domino, si hic illa non vtatur; & domus ei non est assignanda in loco remoto, sed in puncto, ac frequentiori, vt tum ab Scholasticis, tum ab alijs commodè consuli queat; censeri enim debet quasi quoddam Ciuitatis oraculum, ad quod omnes confugere valeant. Ita Benius *vbi supra cap.* 9. Bessoldus *in dissertatione de Studiosis. capit.* 9. Hinc vt commodè studijs vacet, potest fabrum obstrepentem è vico expellere, nisi ipse Doctor elegerit domū in vico proprio Fabrorum, vel nisi ipse faber ante conductionem domus illum præuenisset; Sic Menochius *de arbitrar. cent.* 3. *casu* 236 Hering. Comman. Benius apud Bessoldum relatū. Et à fortiori potest fabrū expellere, si is in vicinia domus Doctoris officinā erigere velit; præuētionis enim iure melior est conditio Doctoris, argumēto *legis, qui balneum, ff. qui pot. in pignore.* Ad alia etiam impedimenta studij amouenda extenditur hoc priuilegium, v.g. ad strepitum ex alio quouis officio emergentem, ad tetrum odorem ex vicina domo emergentem, & ad similia. Quæ de Doctore dicimus, etiam de Magistro sunt intelligenda, cum hi Gradus pariter se habeant; dūmodo Magister sit capax priuilegiorū, quæ Doctoribus adscribuntur.

319 Ita tamen Doctores sunt Ciues, vt non sint afficiendi damnis, et incommodis, quæ Ciuitatem subsequi solent; quare, licèt tutela sit munus publicū, quod regulariter omnes subire tenentur, *leg. nullus, Cod. de decurionib. lib.* 10. Doctores tamen, qui docent, ab eo munere sunt immunes, vt tradit Benius *vbi supra num.* 1. *cap.* 12. Hinc etiam ad personalia munera cogi non possunt; vt ad onus custodiendi portas Ciuitatis tempore belli, aut pestis; ad agendum excubias; ad habendum instructa arma, hisque similia. Sic Glossa, et Doctores *in leg. Medicos, Cod. de Professorib. & Medicis lib.* 10. *leg. ne quis, leg. sancimus, Cod. de Aduocatis diuers. iud.* Benius *supra part.* 3. *cap.* 36. Harpprecht *in* §. *vlt. Instit. de Iure personarum, num.* 55. Quod priuilegium, dissentiente Bartolo *in prædicta leg. Medicos*, extendit sententia communis ad Aduocatos causarum, et ad Doctores, qui actu non docent; vt videre est apud Alciatum, Guid. Pap. Moditium, Philippū Paschā-

Paſchalem, Ioannem Petrum Fontalla Cothm. Hunnium, Benium, Halbitter, & alios, quos affert Beſſoldus *vbi ſupra pag.* 103. Apud quem reperies, quæ alia priuilegia Doctorum ad Aduocatos extendantur.

320 Excuſantur rurſus Doctores à munere, ſeu onere hoſpitãdi milites; *leg. Medicos, Cod. de Profeſſoribus, & Medic. lib.* 10. Zaſius *in parat. ff. de procuratorib. numer.* 35. Hartm. *practicar. obſeruat. lib.* 2. *tit.* 52. *obſeruat.* 7. Immunes etiam ſunt à ſolutione collectarum, adhuc tempore belli, niſi publica neceſſitas adeò vrgeat, vt non aliter Princeps queat ei prouidere, niſi Doctores, & priuilegiati collectas eiuſmodi ſoluant. Vide *leg. Medicos* iam citatam; & Menochium *de arbitrar. caſu* 379. *num.* 3. Rolandum à Valle *volum.* 1. *conſil.* 66. *num.* 36. Ioannem Koppen. *lib.* 1. *deciſ.* 61. *num.* 7. & 17. Nec tenentur ad ſoluendũ vectigalia, & gabellas, cum libros, aliaſq; res transferunt ad ſuæ habitationis, ſeu ſtudiorum locum, vt conſtat ex *Authentica Habita. Cod. Ne filius pro patre*, quam tranſcribam inferius *lib.* 3. *quæſt.* 1. Non tamen immunes ſunt Doctores ab ordinarijs tributis, & ab oneribus, quæ fundis inhærẽt, vt cum Caman. docet Beſſoldus *vbi ſupra pag.* 104. In noſtra Hiſpania ſancitum fuit *in leg.* 21. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recopilat.* ne vllum tributum ſoluerent pro libris, vndecumque eos aſportarent. Et *in l.* 8. & 9. liberãtur ab onere ſoluendi tributum, quod vocamus *Pecho*, ij, qui Gradum Doctoris acceperunt in Academia Salmantina, Complutenſi, & Valliſoletana, non vero hi, qui alibi.

321 Præterea ob dignitatẽ ſciẽtiæ cõceſſũ eſt Doctoribus, vt, ſi poſt inchoatas à ſe lectiones in medio anni moriãtur, totius anni merces, & ſtipẽdium eis debeatur, & trãſmittatur ad hæredes etiam extraneos; Ita Beſſoldus *in Theſaur. pract. verbo Germanico Beſoldung.* Iaſſon *in leg. diem functo, num.* 40. *ff. de offic. Aſſeſſor.* Idemque eſt, ſi Doctores in medio anni cum licentia Superioris, ab Academia recedant, vt teſtatur Benius *vbi ſupra, numer.* 3. Quod quidẽ beneficium ſpeciale eſt eis à lege conceſſum, cum ex ſe alijs, nempè artificibus, non niſi pro rata temporis merces debeatur, iuxta *leg. Seio, ff. de annuis legatis.* Idque beneficium Doctores participant, ſi ante anni finem cogantur exire à loco ratione peſtis, aut incurſus belli; tunc quippe totius anni ſtipendium eis debetur, etiam ſi cõducti ſint ad legendum per menſes; non tamen debetur eo caſu niſi ſtipendium annuum, quamuis per plures annos eſſent cõducti. Legantur Iaſſon *ſupra num.* 40. Decius *conſil.* 70. Benius *vbi ſupra à numer.* 4. Imò ſi Doctor, cui propter doctrinæ traditionem ſoluebatur ſtipendium, ſenectute ſuperueniente, nequeat eam proſequi, non eſt ipſi ſtipendium denegandum; ſpectat quippe ad Principem, ne indigeat in ſenectute is, qui in officio præclaro gerẽdo cõ ſenuerit, argumento *leg. Lucius, ff. de euictionib.* ibi, *veteranis in præmium aſſignatis*; Tractat id Speckam *cent.* 2. *cluſſ.* 1. *quæſt.* 10.

§. 2. *Alia priuilegia Doctoribus conceſſa circa dignitatem, & nobilitatem examinantur.*

322 DOCTORES in dignitate dicuntur conſtituti; *cap. quanto, de Magiſtris*, ibi, *dignitatem aſſumunt.* Aſſentiuntq; communiter Doctores. Quare, qui nequeunt in dignitate cõſtitui, quales ſunt ſerui, nec poſſunt Doctorum Gradibus inſigniri, vt notat Beſſoldus *diſſertatione de Studioſis cap.* 9. *pag.* 107. & Alexand. *conſil.* 15. *in fin. lib.* 1. Vnde, niſi diſpẽſetur, nequit non legitimè natus Doctoris Gradum obtinere, vt docet Caſſanæus *in Catalog. gloriæ mundi part.* 11. *conſid.* 15. Moditius *ad §. Prudentum reſponſa, dubit.* 1. *num* 4. Et infert inde, *num.* 8. non poſſe Doctorem exercere officium Tabellionis; quia eſt quaſi ſeruile, cum omnibus requirentibus operam ſuam præſtare teneatur. Et quidem etiam Artium, & Medicinæ Doctores dignitatem habere dicũtur; & id circo, ſicut Doctores in Iure, & Aduocati, honorariam operam præſtare cenſentur, quare contra eos non datur actio locati, ſed actio in factum. Vide Zaſium *in parat. ff. ſi menſor falſum mod. n.* 5. Alexand. *lib.* 1. *conſil.* 94. *n.* 2.

323 Priuilegijs autem Nobilium gaudere Doctores in iure, eo quòd ſcientia nobiliorem faciat, quàm ſanguis, docent Guido Pap, Bennius, Halbritter, Caſſan. Alexand. Camman. & alij relati à Beſſoldo *vbi ſupra pag.* 108. Eaque nobilitas infertur *ex cap. numquam, diſt.* 56. & *ex leg. diximus, in fin. ff. de excuſat. tutorum.* Vbi Vlpianus Iureconſultus nobiliſſimus ra-

ratione ſcientię nuncupatur. Hinc iuxta Salicetum *in leg.prouidendum, Cod.de poſtul.* Philippum Paſchalem *in tractatu de patr. poteſt.part.2.cap.5.à num.67.* Fontanella *clauſ.7.gloſſ.3.part.15.num.62.* ſi fœmina nobiliſſima, adhuc ex Magnatibus, nubat Doctori, non dicetur indigno nupſiſſe. Et, ſi maritus ſub certa pœna caueat in teſtamento, ne cõiux nubat alicui indigno ſuæ familiæ nobili, non eſt rea pœnæ, ſi Doctori nubat, quia hic eſt ſufficiens, vt retineatur dignitas, quam fœmina ex primo mari to adquiſiuerat. Quod limitandum eſt, niſi maritus, vt ex eius voluntate conſtare debet, reſpexerit ad nobilitatem etiam ad filios ex ſecundo marito vxoris transferẽdam; nam Doctoris nobilitas ratione Gra dus eſt temporanea, & ad filios non tranſfertur.

324 Ea tamen in præſenti eſt quæſtio præcipua, an Doctores, qui à ſanguine Nobiles non ſunt, admitti debeant ad officia requirentia Nobilitatem? Admittendos fore tradunt Iulius Magẽhorſt *in Commentar.cap.1.part.1.* Ioannes Lauterb. *tractatu de armis, & litteris, num.343.* Benius *ſupra part.2.cap.30.* Noldenſis *in diſcurſu de Nobilibus ca.5.num.38.* Chaſan. *in Catalogo gloriæ mundi 10.part. conſider. 26.* Halbritter *de orat.fol.33.§.verum;* Cãman. & alij apud Beſſoldum *vbi ſup.à pag. 110.* qui diuiſim affirmant, in ſuis Nationibus, vbi dimidia pars in Camera ex Aſſeſſoribus equeſtris eſſe debet, Doctorem, ac Licentiatum ad eam partem admitti; & in Capitula Cathedralium Eccleſiarum, vbi Nobiles ex ſingulari ſtatuto requirun tur, etiam coaptari; imo Coloniæ, vbi nec Nobiles recipiuntur, ſed ſoli Principes, ac Barones, nihilominus recipi octo Doctores in Iure, aut in Theologia; rurſuſque in conſtitutione Politica promulgata in Comitijs habitis Francofurti anno 1577. conceſſum eſſe Doctoribus priuilegium geſtandi ornamenta, aureas torques, et an nulos, quorum geſtatio ſolis Nobilibus li cet, imò nec torques afferre his conceditur, niſi aliquæ cõditiones concurrant; & adhuc ai unt, poſſe Doctores inſignia propria Nobilium geſtare ſine ſpeciali Impe ratoris permiſſu in Germania, dum non af ferant Inſignia propria alicuius Familiæ determinaræ.

325 Quin Doctores in ſediũ ordine debere præcedere Nobiles, docet Bologninus *in Authentica Habita, Cod. ne filius pro patre, num.63.* Et eos, cum ad Tribunalia Magiſtratuum, ac Iudicum accedunt, apud hos ſedem habituros fore, ſtatuitur *in leg.fin.C. de Aduocat. diuerſor. iud.* In ipſa etiam nuncupatione, affirmant Authores relati, ſpecialem honorem deferri Doctoribus in Imperio Germanico, cum in litteris compellentur in numero plurali lingua vernacula, & is honor Nobilibus non tribuatur *ex leg.2.Cod. de offic. diuerſ. iudic.* et ibi Gloſſa, et Alexand. *in addit. ad Bartol.* ait, Doctorem, cum ei ſcribitur, non fratrem, ſed patrem appellandum. At tamen limitant doctrinam libatam de præcedentia ſedium, nempè vim habere reſpectu Nobilium, qui præter ſanguinis nobilitatẽ nulla alia munetis functione gaudent; nam, ſi munus gerant, cui præcedentia debetur, præire debent Doctoribus, ſecus aliter; et quod de ſedium antelatione docent, pariter extendunt ad inceſſum in honoratiori loco. Videatur Mathæus Stephan. *de nobilitat.lib.2.à n.27.*

326 Don Alfonſus de Eſcobar *in tract.de Pontificia, & Regia iuriſdictione, cap.30.à num.47.* docet, Doctorem, et Licentiatum, adhuc in noſtra Hiſpania, admitti poſſe ad officia Nobilium, dum actu doceant, aut exerceant aliquod munus Regium viris litteratis concedi ſolitum, vel ſint in munere docendi emeriti, vulgò *jubilados.* Et probat, quia nulla immunitas prædictis cõceditur, niſi actu prædicta exequantur. Sed iam *quæſt. præſenti. §.1.* adduximus plures Authores, qui cenſent, Doctores ijs, & alijs immunitatibus gaudere, quamuis actu non doceant; et idem tradunt Azeuedo *leg.8.tit.7.lib.1. Recopilat. & leg.2.tit.10.lib.8.num.111.* Garcia *de nobilitate, gloſſ.35.à numer.4. & gloſſ. 48.§.1.à num.73.* alijque ab ipſis relati; eſto Licentiatis, dicant, opus eſſe actuali traditione doctrinæ, vt immunitatibus præfatis fruantur.

327 Et ſanè fauores, qualia ſunt huiuſmodi priuilegia, ampliandi ſunt, & non reſtringendi ad eos Doctores, qui actu docent; maximè cum conceſſa fuerint non ſolùm ob vtilitatem docendi, ſed ob dignitatem Gradus, et excellentiam ſcientiæ; et præterea aliquæ leges noſtri Regni, vt ſunt *lex 8. & 9.tit.7.lib.1. Recopilat.* quæ de Doctoribus actu docentibus loquũtur, ſolùm agunt de immunitate à tributis, nõ verò de alijs immunitatibus, atque adeò extendi ad eas non debent. Et inde ruit fundamentum prædicti Authoris his legibus innitentis; et ſaltem extra noſtrã Hiſpaniam nihil conuincit. Sed

328 Sed inquit Eſcobar, Doctorem, qui non profitetur ſcientiam, legendo, ſeu docendo, indignum eſſe Gradus dignitate, & priuilegijs, atque hæc omnia amittere, quod probat *ex leg. ſi duas 6. §. vtique 4. ff. de excuſat.* & ex Cuiacio *in Recitat. ad eumdem textum*, in qua vocat Doctores non profitentes *ſedentarios, & in vmbra educantes ſtudia*. Addit autem, nomine horum etiam intelligendos eſſe eos Doctores, qui in oppido non inſigni ſunt aduocati cauſarum, quin aliud peragant, nec librorum ſcriptioni vacent; non autē illos, qui ad docendum parati per aliquod tempus ex cauſa ceſſant.

329 Fateor, Doctoribus, qui nulla ratione excuſati non edocent, cum poſſint, ea conuenire, quæ Cuiacius annotat, ſed nō proterea hi, qui Gradu inſigniuntur, priuari debent priuilegio, de quo in præſenti loquimur. Et miror, doctiſſimum Eſcobar præfatam legem in probationem ſuæ opinionis attuliſſe, nam ei nullo modo fauet. Ac in primis in ea lege non priuantur hi, qui non docent, priuilegio Nobilitatis, ſed immunitate à gerenda tutela, ab aliiſque muneribus, ſeu oneribus perſonalibus; Diximus autem, odia non eſſe extendenda, atque adeò eam legem non fore ampliandam ad priuationem priuilegij Nobilitatis; maximè cum nec à ſimili poſſit conſequentia deduci, cum valdè inter ſe diſtent ea priuilegia; & ratio priuandi immunitate à tutela gerenda, non militet reſpectu priuilegij Nobilitatis, vt ex ratione illa priuationis, quam mox afferam, conſtabit. Deinde ſciendum eſt, iuſſu Senatus in Ciuitatibus ſolitum fuiſſe deſignari Magiſtros, qui Medicinam, Rethoricam, & Grammaticam docerent; atque, vt expeditè poſſent muneri docendi incumbere, indulgebatur eis, ne valerent cogi ad onus tutelæ gerendæ, nec ad alia onera perſonalia; nam, ſi hiſce occuparentur, non poſſent explere ſuum munus docendi, propter quod illis ſtipendium ſoluendum deſtinabatur; Decernit ergo in præfata *leg. ſi duas*, Modeſtinus, eas immunitates non eſſe eis concedendas, niſi duæ adeſſent conditiones; altera, quòd ex præſcripto Senatus ei muneri docendi adſcriberentur; alia, quòd non negligenter illud obirent. Quo cautum eſt, ne plures ei muneri inepti ingererentur, & abſque Senatus approbatione, & quòd ſtipendia non perſoluerentur niſi his, quibus deſignata erant ob munus rectè peragendum; ne occaſione Magiſterij traditi, quod non ſollicitè gerebant, excuſarentur ab onere tutelæ; ſiquidem ratio excuſationis ceſſabat.

330 Ecce Legislatoris animum, & verba. Nunc ad caſum noſtrum quæ inde ſimilitudo? Etenim illi abſque Gradu deſignabantur in Magiſtros propter ſtipendium edocturos; quid mirum ergo, ſi magiſterij munus non obirent, priuari his commodis, quæ propter laborem ſuſtinendum concedebantur? Hoc modo fateor, ſi Rex, Senatus, aut Reſpublica deſignaret abſque conceſſione Gradus Magiſtros, (vt ſolet fieri) qui docerent Grammaticam, Rethoricam, Philoſophiam, aut quamlibet aliam ſcientiam, ſtipendia eis deſignans, & immunes faciens ab aliquibus oneribus, eos priuandos fore ſtipendijs, et immunitate, ſi non docerent, aut ſi negligenter, et abſque vtilitate id præſtarent, quia non facerent ſatis fini, propter quem deſignata fuerant ipſis ſtipendia, et immunitas. Et hoc ſolū (quod cōcedo) probat ea lex, nec ab ea per paritatem deducitur argumentum ad noſtrum caſum, in quo non eſt ſermo de Magiſtris conductis, ſeu deſignatis ad docendum, et de ſtipendijs, ac immunitatibus præſtitis propter actualem docendi laborem; Sed eſt ſermo de Doctoribus, qui propter ſuam ſcientiam examine probatam ad dignitatem Gradus peruenerunt, et intuitu eiuſmodi dignitatis, et ſcientiæ priuilegium Nobilitatis eis eſt conceſſum; nec ius, aut lex vlla probat, hanc conceſſionem fuiſſe factam propter actualem ſcientię traditionem; ſi enim hæc traditio, ac Profeſſio fuiſſet ratio motiua eius priuilegij, ſanè hoc extenderetur ad eos, qui publicè ſcientias profitentur in Academijs iuſſu Senatus Regij, et conceſſis ab illo Cathedris, quas moderantur, quin Gradum Doctoratus habeant; quod non fatebitur Eſcobar; et tamen id ex eius doctrina, ſi ſit vera, conuincitur.

331 In praxi autem, aut ſæculi noſtri vitio, vt Eſcobar conqueritur, aut deſuetudine, non admittuntur in noſtro Regno communiter Doctores, qui à ſangune non ſunt nobiles, ad officia Nobilium, quæ in quouisferè oppido ſunt diuiſa, et ſeparata. Imò neſcio quo ſuaſu Aduocati, et Litterati Viri, ſi nō aſſūmātur ad Regiū aliquod munus, etiam ſi aliunde Nobiles ſint, videtur in plurimorū æſtimatione decreſcere;

nec plures Nobiles, seu Equites ambiunt illos suæ familiæ per mutua matrimonia copulari; quasi desierit esse ordinis, seu numeri equestris, qui litteraria munera exercet, nisi ad Senatoriam accedat dignitatem. In præsenti cæterùm aduertunt Otalora *de Nobilitate 3. part. cap. 4. column. 1. &* 2. Garcia *de Nobilitate Gloss. 4. numer.* 1. Doctores, qui admittuntur ad officia Nobilium, præcisè ratione Gradus, debere in Memoriali electionum oppidi designari, addita nota priuilegij, ne eorum filij, ac nepotes nobilitatem sanguinis sibi præscribant. Filios autem Doctorum, dum patres viuunt, ac priuilegio Nobilitatis gaudent, etiam eo gaudere, & non aliter, probant Accursius, & Platea *ex leg. Medicos, Cod. de Professor. & Medicis lib.* 10. Docent que Antonius Gomez *in leg. fin. Tauri, numer.* 17. Auiles *in proæm. num.* 21. & 24. Azeuedo *leg.* 2. *titul.* 10 *libr.* 8 *numer.* 114. & *leg.* 8. *titul.* 7 *lib.* 2. *Recopilat. in fin.* Petrus Lenaüder. *de priuilegijs Doctorum* 2. *part.* §. 11. & 12. vbi tradit, viduas Doctorum, donec secundò nubant, gaudere eo priuilegio Nobilitatis, quo mariti fruebantur, & rationem deducit à *leg. fin. Cod. de incol. libr.* 10.

332 Ad calcem obserua, hæc priuilegia Nobilitatis, & similia concessa fuisse Doctoribus Gradu insignitis in Academijs approbatis. Aliqui enim Doctores nuncupantur à Gradibus nescio vbi acceptis, nullo præcedente examine, nec solemnitate publica, &, sicut huiusmodi Graduum testimonium non admittitur in Academijs, ita nec sufficiens est, vt admittatur ad priuilegia illa liberè vtenda, cũ concessa fuerint intuitu dignitatis Graduum, & excellentiæ in scientia; & nihil horum ex testimonio prædictorum Graduum sufficienter suadeatur.

§. 3. *Alia priuilegia concessa Doctoribus, & Magistris, exponuntur. Vbi de Insignibus, & toga Doctorum.*

333 CVM certum sit, plus fidei in testificationibus tribuẽdum esse eis, qui in dignitate sunt constituti, quàm alijs è plebe, iuxta *leg.* 3. *in princip. ff. de testib. Nouella* 90. *capit.* 1. eo quòd dignitas maiorem fidei præsumptionem habere censeatur, fit, Doctorem, si sit testis, præualere alteri testi nõ habenti dignitatem; imò duos Doctores, ex vna parte testes, præualere tribus ex altera parte contrarium deponentibus. Ita Alexander *consil.* 18. *Viso processu causæ, libr.* 1. *in fin.* Farinac. *quæst.* 65. *numer.* 114. Menochius *libr.* 2. *de arbitrar. cas.* 96. *numer.* 9. Benius *part.* 2. *capit.* 53. Besoldus *dissertat. de studiosis &c. pagin.* 128. & fauet *textus, ac Glossa in capit. vestra præsentia, extra de testib.* Addit Benius *cap.* 83. si instrumentum à Tabellione confectum amittatur, & de eius veritate Doctores deponant, veritatem, ac tenorem eius censeri probatum. Idem *cap.* 79. tradit, interpretationem legis dubię à Doctoribus traditam, donec error inueniatur, fore obseruandam, & *capit.* 80 addit, Doctorum sententiam pro lege seruari, vbi lex non reperitur. Insuper asserit, Doctori in praxi rectè versato, ac seni, qui attestetur de consuetudine loci, aut Curię, in qua existit, seu de stylo, vel de cõmuni opinione, aut de vsu loquendi, si tẽ fore præstandam, donec oppositum probetur. Et alia huiusmodi docet, quę ibi videri possunt.

334 Et quia Reipublicæ interest, dignitatem Doctorum incolumem retinere, ideò, si inferatur aliqua iniuria Doctori, reputatur pro atroci, & maior sanè, quàm si plebeio irrogaretur; imò dicitur committere sacri eg um, (quod latè est accipiendum) qui offendit Iureconsultum, &, si Doctorem actu profitentem percutiat, lege Iulia de vi publica teneri. Videantur Moditius §. *prudentum responsa, dubitatio.* 16. Menochius *libr.* 2. *de arbitrar. cas.* 263. *numer.* 17. Ipsos verò Doctores non posse in carcerem mitti propter æs alienum, docent Fontanella, Albertus Brunus, Philippus Paschalis, Tuschus, Halbriter, & alij apud Besoldum *vbi supra, pagin.* 131. Hoc tamen priuilegium adeò à nonnullis extenditur, vt velint, Doctorum facultates non posse inter creditores à Iudice distribui, nisi illi eis non indigeant; Sed non assentit Zasius *ad leg. Miles, num.* 8. *ff. de re iudicata*; & praxim cõtrarium ostendit.

335 Rursus Doctor criminis suspectus, si fideiussores præstet, quòd in iudicio se sistet, è carcere est dimittendus, vt probant Interpretes *in leg. Interpretes, C. de dignitatibus libr* 12. & *ex leg.* 1. *de custodia reorum.* Quin non posse in carcerem publicum detrudi Doctores, sed in domo,

aut

aut loco priuato, cuſtodibus adhibitis, tradunt Farinacius *in practic. crimin. titul.* 4. *quæſt.* 33. *à num.* 60. Pruckman *conſil.* 2. *n.* 331. Imò non poſſe torqueri Doctores, adhuc de crimine ſuſpectos, & legitimis indicijs grauatos, eoquòd fruantur priuilegijs Militum, & eorum, qui in dignitate egregia ſunt conſtituti, qui torqueri nequeunt, tuentur Farinacius *lib.* 1. *de tortura, titul.* 5. *quæſtion.* 39. *numer.* 38. Arnoldus à Reyger. *in Theſaur. tit. Doctor, numer.* 247. Menochius *caſ.* 236. *numer.* 22. Ludouic. Roman. *conſil.* 33. *numer.* 7. Benius *part.* 3. *capit.* 39. *numer.* 5. Camman. *in Theſaur. diſputation.* 3. Halbriter *vbi ſupra fol.* 15. Hoc attamen priuilegium ſaltem in pluribus Hiſpaniarum Regnis non tenet, & praxis oppoſitum demonſtrat. In alijs autem Regnis ipſius noſtræ Hiſpaniæ ſpeciales ſunt leges circa torturam, vt in Regnis Aragoniæ, ac Valentiæ, & ſimilibus, in quibus leges municipales ſunt obſeruandæ. Quare præfatum priuilegium in eis locis, vbi receptum eſt, ſolummodo vim habet. Videatur Chriſtophorus Beſſoldus *vbi ſupra capit.* 9. *à pagin.* 135. Vbi de his latè agit, & docet, in cauſis criminalibus, quando de pœna corporis agitur, mitiùs puniendos eſſe Doctores, quàm plebeios; & deſignat aliquas pœnas, quæ infligi nequeunt Doctoribus. In quibus omnibus ſtandum eſt legibus cuiuſque Regni, aut Prouinciæ.

336 Omnia priuilegia Studioſis conceſſa competunt maximè Doctoribus, cum munus docendi præſtantius ſit, quàm exercitium diſcendi. Ita Diaz *regul. iur.* 213. Felinus *in proœm. Decretalium*, Mar. Socinus *in capite ſuper ſpecula, de Magiſtr.* Cęterùm in fauorabilibus, non autem in odioſis Doctores comprehendi nomine Scholarium, & Studioſorum, tradit Anchoranus *proœmio libr.* 6. Quænam autem priuilegia conceſſa fuerint Doctoribus in Gallia, refert Middemdorpius *de Academijs Orbis, libr.* 1. *capit.* 23. & inibi, *& tom.* 2. priuilegia conceſſa in vnaquaque Academia ex his omnibus, quas recenſet. Et in noſtra Hiſpania plurima eſſe conceſſa, conſtat ex conſtitutionibus, & priuilegijs ipſarum Vniuerſitatum; noſque aliqua ſuperiùs libauimus, maximè de Academia Salmanticenſi tractantes.

347 Quantis verò priuilegijs fuerint potiti Scientiarum Profeſſores Romę etiam à vetuſtiſſimis temporibus, tradit Middemdorpius *vbi ſupra lib.* 3. *à pagin.* 597. & conſtat ex Suetonio *in vita Iulij Cæſaris*; ex Iulio Solino *in Hiſt. cap.* 2. ex Blondo *lib.* 2. *Rom. triumph.* Plura etiã priuilegia tum Doctoribus, ſeu Profeſſoribus, tum Studioſis conceſſa referuntur in varijs vtriuſq; Iuris Textibus; *in leg. cum filius familias, ff de rebus creditis; in leg. ſed & reprobari, §. fin. ff. de excuſat. tutor. in §. Item maior, Inſtitut: eodem. In toto titulo, Cod. de Studijs vrbis Romæ, & Conſtantinopolit. lib.* 11. *in leg.* 1. *Cod. Theodoſ. de ſtudijs. In capit.* 2. *de priuileg. in* 6. *in Clementin. de Magiſtr. In Authentica Habita, Cod. ne filius pro patre*; & ſæpè alibi. Rurſus omnibus Doctoribus, qui Cathedram perpetuam, ſeu proprietatis per viginti annos continuos moderati ſunt, conceſſum eſt, vt polleant dignitate Comitum, ſeu Procerum. Ita docent Caſſanæus *in Catalogo gloriæ mundi, part* 10. *conſiderat.* 6. Antonius Gomez *in leg. vltim. Tauri, numer.* 16. & id colligunt *ex leg. vnica, Cod. de Profeſſor. lib. qui in vrbe Conſtantinopolitana lib.* 12. *& ibi Gloſſa.* Nec non Bartolus, & Platea *in leg. vnica, Cod. de Comitibus, & Architriatis ſacri Palatij, lib.* 12. Non abſimile priuilegium conceſſum fuiſſe Salmanticenſibus Doctoribus, aſſeruimus *ſupra num.* 142.

Id etiam eſt proprium Doctorum, ac Magiſtrorum, vt Inſignibus decorentur, quibus dignitas Gradus propalatur. Et quidē in collatione Gradus eis ornantur; Nempe conceditur ipſis liber: pileus, ſupra quem fila ſerica pendent, & annulus: deinde in Cathedram, aut ſuggeſtum aſcenditur; oſculum pacis, ſeu amplexus impertitur; & in aliquibus Academijs, maximè extra Hiſpaniam, zona ſuppeditatur. Quæ Inſignia recenſent, & eorum ſignificationē tradunt Signorus de Homodeis *conſil.* 23. *&* 129. Caſanæus *part.* 10. *conſiderat.* 36. Antonius Gomez *vbi ſupra.* Cęterùm, cum Doctores, & Magiſtri in Hiſpaniæ Academijs Actibus ſolemnibus Academicis aſſiſtunt, ſolū ſuperhumerali varij coloris iuxta qualitatem Gradus, & Academiæ cuiuſque cōſuetudinem, & item pileo, ſeu galero filis ſericis ornato vtuntur.

Inſuper Salmātini Doctores toga quadam ſuperinduuntur, quę veſtis eos maximè decet, nam vt aſſerit Gloſſa *in cap. vt Apoſtolicæ* 6. *de priuilegijs in* 6. *Non eſt pompoſitate reſpuendum, imò ratione defendendum, quòd Doctores, togati, variati, & ornati* incē-

incedant, vt per illa dignitas Doctoratus appareat. Qua toga vti possunt extra Salmanticam, & in Curia, ac in Regis conspectu; cum generaliter concessum sit Doctoribus vti suis Insignibus vbique, & in Principis conspectu. Videantur Gregorius Lopez *in leg. 8. titul. 7. partita 2. Gloss. 3.* Cassanæus *in Catalog. gloriæ mundi part. 10. cõsiderat. 36.* & apud ipsos Corsetus, & Zabarella. Delinquunt autem, & puniri possunt, qui cum non sint Doctores, insignia eorum sibi aptant. De quo vidēdus est Menochius *de arbitrarijs casu* 206. In alijs Academijs, maximè extra Hispaniã, specialibus Insignibus ornati Doctores incedũt.

§. 4. *An, & quibus competant priuilegia concessa Doctoribus, ac Magistris, & Studiosis?*

338 GAVDERE priuilegijs Studiosorum Typographos, Bibliopolas, Pharmacopolas, Pictores, Illuminatores, Officiales omnes Academiæ, cuiusmodi sunt Notarius, Bidellus, Cursor, & similes, eoquòd aliquam cognationem cum litteris habeant, aut hæ illis carere nequeant, docent Marhæus Stephan, *de Academ. capit. 7.* Bartol. *in tractat. de repressal. quæstion. 6.* Lymnus, Hunnus, & alij apud Besoldum *in dissertation. de Studiosis, capit. 2. pagin. 22.* Additque Gumpelsheimerus *de exercitation. Academ. part. 1. sec. 4. numer. 10.* eiusmodi etiam priuilegijs gaudere Pugiles, & alios, qui liberalibus exercitijs instruunt Studiosos. Præterea famulos, ac nuntios Studiosorum potiri priuilegijs eorumdem, tradunt Sousa *ad titul. ff. de pact. articul. 9. numer. 15.* Rebuffus *tractat. de priuileg. Studiosor. numer. 166.* idque ex argumento *legis cum precario, 22. ff. de precario.* colligunt Doctores, vt testatur ibidem Gotofredus; Sic enim in ea lege decernitur; *Cum precario quis rogat, vt ipsi in eo fundo morari liceat, superuacuum est, adijci*, ipsi, suisque, *nam per ipsum, suis quoque permissum vti videtur.* Cæterum de priuilegio fori Studiosorum agemus *libr. 3. à quæstion. 4.* vbi ostendemus, quinam illo gaudeant, & an famuli? Huic doctrinæ superiori opponitur Escobar, cum pluribus, *de Pontificia, & Regia iurisdiction. capit. 37. numer. 37.* asserens, Typographos, Pharmacopolas, & librorum Mercatores non gaudere Academiæ priuilegijs. Et nos de his agemus, *lib. 3. quæst. 5.*

339 Rursus vxores Doctorum viduas, dum in viduitate permanent, honestèque viuunt, & filios Doctorum, quandiù cum matre vidua degunt, vel saltem sunt sub tutela, aut cura ab Academico Magistratu constituta, potiri priuilegijs Doctorum, quorum sunt capaces, qualia sunt exemptiones à solutione aliqua, ab onere, aut officio, & similia, plures docent apud Besoldum *vbi supra à pagin. 28.* eò quòd vel ipsa priuilegia in sui concessione id contineant, vel radicata sint in huiusmodi personis ex eo tempore, quo Doctores superstites simul cum sua familia eis gaudebant. Videantur Asinius *tractat. de execution. §. 1. capit. 52. numer. penultim.* Baldus *in leg. voluntas, Cod. de fideicommiss.* Tiraquellus *in tractat. de legibus connub. leg. 15. & in tractat. cessante causa, part. 1. numer. 107.* Cokier *in tractat. de iurisdictione in exempt. quæstion. 29.* Philippus Paschal. *de patria potestate, part. 4. capit. 2.* Enenckel *de priuilegijs parent. priuileg. 3. capit. 1. numer. 17* Franciscus à Sousa *ad titul. ff. de pact. articul. 9. à numer. 15.* & alij plures allati à Don Alphonso de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdiction. capit. 30. numer. 61.* & nos *sequenti §.* latiùs de hoc agemus.

340 Priuilegia nobilitatis cõcessa Doctoribus an competant Medicis, disceptant Authores? Non competere, docent Iosias Nolden *in tractat. de nobilitat.* Tiraquellus *eodem tractat. capit. 31.* Additionator Vranij *ad capit. Iudæi, de testib. fol. 144.* Cæterum Antonius Faber *in Cod. lib. 9. titul. 29. definit. 9. & 10.* docet Medicos nobilitatem non nanciscì, sed habere immunitatem ex priuilegio; & si ipsi aliunde sint nobiles, minimè amittere nobilitatẽ ratione scientiæ Medicinæ, cum hæc sit honesta, & pernobilis: additque, Principis Medicos esse excipiendos, qui in dignitate constituti censentur.

341 Maius dissidium est, an priuilegia indulta Doctoribus competant Licentiatis? Et in primis Licentiatum non haberi pro Doctore in his, in quibus Doctoratus requiritur pro forma, certum est apud omnes, vt tradit Besoldus

vbi

vbi ſupra, cap. 8. pag. 89. Vnde, ſi ad Præbendam, aut munus aliquod exigitur, eſſe Doctorem, qui illud obtineat, non poterit obtinere Licentiatus. Deinde Doctores cenſentur habere dignitatem, ob quam, ſi delinquant, non puniuntur more ignobilium, ſed aliis pœnis diuerſis; Licentiatum verò non habere dignitatem, atque adeò propter delictum fore plectendum more ignobilium, tenent Vincentius de Franch. *deciſ. 111.* Marcus Antonius Genuenſ. *in practic. Eccleſiaſt. quæſtion. 604.* Decius *in capit. Clerici, de iudicijs.* Contrarium defendit Bartolus communiter receptus *in leg. capitalium, §. ſerui cæſi, ff. de pœnis;* vbi oſtendit, Licentiatum, etſi ſtrictè non dicatur habere dignitatem, tamen connumerandum eſſe inter honeſtiores populi perſonas, & ob delictum non poſſe puniri pœnis plebeiorum. Quod firmatur ex ſententia Chaſanæi *part. 10. Catalogi gloriæ mundi, conſideration. 34.* tuentis, Licentiatum habere dignitatem, ſed abſque adminiſtratione, quæ per Doctoratum adquiritur. Et quidem, licèt in actibus viuentium ſola deſtinatio non faciat implementum, communiter tamen deſtinatus eiuſdem iuris habetur cum eo, ad quod eſt deſtinatus; &, cum Licentiatus ſit ad Doctoris gradum deſtinatus, idcirco plura priuilegia, & honores cum Doctoribus communicat; maximè ſi proximus ſit acceptioni Gradus Doctoratus, nam potentia actui propinqua pro ipſo actu ſolet reputari, iuxta doctrinam Iaſonis *ad legem quamuis, numer. 6. Cod. de inofficioſo teſtament.* Et abſolutè quanto in honore Licentiatus ſit habendus, notat Iacobus Faber *tractat. de aliment. folio 75.*

342 Licentiatis competere priuilegium excuſationis ab onere cuſtodiendi Ciuitatem, ſeu eius portas, adhuc tempore peſtis, docet Ripa *de peſte, capit. de remedijs ad conſeruandam ſanitatem, numer. 219.* Prætereà Licentiati poſſunt eſſe Cameræ Cæſareę Aſſeſſores, Aduocati, ac Procuratores, non ſecus ac Doctores, quia in cauſis fauorabilibus pro Doctoribus reputari, indulget conſuetudo. Ita Ritter. *de homag. cap. 5. numer. 96.* Ruland. *de commiſſ. capit. 14. numer. vltim.* Vbi addunt, non ita contigere in odioſis, quare, ſi ſtatuto caueretur, ne Doctores inter Senatores referantur, Licentiati poſſent admitti. Deinde Concilium Tridentinum, vt *ſuperius* iam notaui, Licentiatos æquiparat Doctoribus, dum *ſeſſ. 24. capit. 12. de reformatione*, præcipit dignitatem Archidiaconatus conferri Doctori, vel Licentiato; & hortatur, vt, vbi id fieri commodè poſſit, Dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, conferantur Magiſtris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Iure Canonico. Et *ſeſſ. 22. capit. 2. de reformation.* ſtatuit, Prælatos Eccleſiarum Cathedralium debere eſſe Magiſtros, ſiue Doctores, aut Licentiatos in aliqua ex prædictis ſcientijs, vel ſaltem habituros publicum alicuius Academiæ teſtimonium ſuę doctrinæ. Rurſus *ſeſſ. 24. capit 18. de reformation.* decernit, Examinatores Synodales ad beneficia conferenda (niſi Regulares docti deſignentur) fore deſignandos Magiſtros, vel Doctores, ſeu Licentiatos in prædictis ſcientijs.

343 Adhuc ipſum Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 18. de reformation.* iniungit, Dignitates, quæ vocantur Scholaſtriæ, conferendas eſſe Doctoribus, ſeu Magiſtris, vel Licentiatis in Sacra pagina, aut in Iure Canonico, ſiue viris ad docendum idoneis. Et *ſeſſ. 24. capit. 8.* ſancit, Præbendam Pœnitentiariæ conferri debere Doctori, aut Magiſtro, ſeu Licentiato. Item *ſeſſ. 24. capit. 16. de reformation.* ſtatuit, Sede vacante, conſtituendum fore à Capitulo Officialem, ſeu Vicarium dioœceſis qui ſit Doctor, aut Licentiatus in Iure Canonico, vel aliàs, quantum fieri poterit idoneus. Quę omnia loca Tridentini ſtatuti, vt conſtet, quomodo Licentiati Doctoribus, ſeu Magiſtris æquiparentur.

§. 5. *An ad vxores, filios, ac nepotes extendantur priuilegia indulta Doctoribus, ac Studioſis?*

344 LIbaui ſuperiùs hoc dubiũ, & affirmatiuam ſententiam à plurimis Authoribus defendi, iam aſſerui; Nũc ſpecialiùs erit diſcutiẽdũ; nec loquor de priuilegio fori, de quo *lib. 2.* agam; ſed de cæteris immunitatibus. Et in primis generaliter loquendo, gaudere vxores viduas priuilegijs Doctorũ coniugũ, præter Authores *vbi ſupra* allatos, tuetur Eſcobar

bar *de Pontificia, & Regia iuriſdict. cap.* 36 *à num.* 1. & de communicatione nobilitatis inter virum, & vxorem probat *ibidem à num.* 14.

345 Cæterùm, vt clarior ſit deciſio, ſupponendum eſt, priuilegia conceſſa Doctoribus in triplici eſſe differentia; nam alia eis conceduntur ratione dignitatis, veluti ne torqueantur ob indicia patrati delicti: ne in carcerem ratione æris alieni detrudantur, & ſimilia. Alia, quę conceduntur ratione officij, & miniſterij docendi; veluti ne hoſpites recipere cogã tur, ne munera publica ſubeant; & huiuſmodi plura, inter quæ annumeratur priuilegium fori, quod Eſcobar *ſupra num.* 17. à nobis reiectus, cum Alciato, & Barboſa, tenet non competere, niſi Doctoribus publicè docentibus, aut iam ob diuturnitatem docendi emeritis. Alia demum priuilegia ſunt perſonaliſſima, vt ita loquar; qualia ſunt, vt vtantur inſignibus Doctoralibus, & ſimilia, quæ perſonæ ipſi adhærent.

346 Igitur planum eſt, hæc vltima priuilegia nõ competere vxoribus viduis Doctorum; Etenim nec ipſis viuentibus maritis ea competebant vxoribus: multò ergo minus, eiſdem mortuis, competent, cum non fuerint radicata in perſonis vxorum, nec vlla noua detur ratio, ob quam eis conueniant; maximè cum hæc priuilegia in fæminas vt plurimùm nõ cadant.

347 Primi, & ſecundi generis priuilegia competere vxoribus viduis, tradunt Eſcobar *vbi nuper à numer.* 25. Alciatus *in leg.* 1. *à numer.* 16. *Cod. de in ius vocando.* Horatius Lucius *de priuileg. Scholaſt. cap. fin.* Tiraquellus *de nobilit. cap.* 18. Menochius *caſ.* 379. Leſnaud. *de priuileg. Doctor. part.* 2. §. 13. Roland. *conſil.* 86. *numer.* 8. *lib.* 2. Rebuff. *de priuileg. Scholaſt. priuil.* 78. & communiter Expoſitores *ad Authentic. Habita, Cod. ne filius pro patre.*

348 Probatur hæc ſententia, quia, viuente marito, eius priuilegia vxori cõmunicantur, &, cum ſemel in ea fuerint radicata, non debet eis priuari, ſiquidem, donec ſecundò nubat, dum honeſtè viuit, ſemper reputatur perſona coniuncta cum marito; indeque vidua nomen vxorium, & dignitatem retinet præmortui viri, *leg. fæminæ, ff. de Senator. leg. mulier, Cod. de dignitat. lib.* 12. adeò vt ex ſtupro in perſonam eius commiſſo, iniuria fieri etiam mortuo viro intelligatur, Gloſſa *in leg. fideicommiſſum, Cod. de fideicommiſſ.* & Bartol. *ibi.* Et huc facit argumentum, quo vtuntur Petrus de Rauenn. *in titul.* 5. *quibus modis feudum amittatur*, §. 1. & Oſaſc. Cacheran. *deciſ. Pedemontan.* 77. Nempè viduam ſtuprum committentem amittere dotem, non ſecùs ac ſi adulterium patraret, marito ſuperſtite, Imò viduam impudicam pœnam incurrere adulterij, docet, aliquibus diſſentientibus, Antonius Borninij *in tractat. de vaſallorum ſeruitijs, cap.* 5. §. 1.

349 Confirmatur. Nam alię viduæ gaudent priuilegijs ſuorum coniugum, ergo & viduę Doctorum, cum nõ ſit diſpar ratio. Aſſumptum ſuadetur ex Ioanne Baptiſta Aſinio *tractat. de execut.* §. 1. *capit.* 52. *à numer. penultim.* vbi docet, vxores viduas Conſiliariorum Parlamenti Galliæ, & Aduocatorum Cameræ Delphinatus, & aliorum Nobilium, non teneri contribuere ſubſidia Delphinatus, quia earum maritis hæc immunitas competebat. Præterea Rolandus à Valle *conſil.* 86. *numer.* 8. *volum.* 2. & *conſil.* 15. *numer.* 15. *volum.* 3. docet, Reginam Galliæ, dum eſt in viduitate, vti, ac frui omnibus priuilegijs, quibus Rex ipſe, dum viuebat. Denum hæc doctrina ſatis ſtabilitur *ex leg. quoties. Cod. de priuileg. Scholar. libr.* 12. Et quidem viduæ, ſicut etiam liberi, manent in familia defuncti, ab eoque habent denominationem, & mutuum vinculum adhuc durat; Quod non reperitur in ſeruis, ac famulis, (vt tacitæ obiectioni ſatisfiat) vnde priuilegia, ac immunitates Doctorum, par eſt, vt vxoribus viduis, & liberis etiam competant, dum patriam poteſtatem non euaſerint. Huc etiam facit *lex* 13. *titul.* 4. *libr.* 4. *ordinat.* qua ſtatuitur, exemptionem à tributis conceſſam Officialibus Regijs competere etiam vxoribus viduis caſtitatem ſeruantibus. Et quamuis ibi addatur, non competere filijs, mortuo patre; tamen aliqui eam ſanctionem interpretãtur de filijs emancipatis; & eſto alij filij hac immunitate non fruantur, tamen id ſpecialiter exprimitur in ea exceptione. Nam certum eſt, vbi in priuilegio exprimitur, quòd vxores viduæ, aut filij eo non gaudeant, minimè ad eos extendi.

350 Doctrinæ traditæ opponitur Barboſa relatus ab Eſcobar *vbi ſupra num.* 19. contendens, priuilegia competere Doctoribus iure ſpeciali; ea autem, quæ iure ſpeciali conceduntur, non tranſgredi perſonam; ad quod probandum va-

rios

rios textus inducit. Reſpondet Eſcobar, maritum adhuc defunctum ſemper intelligi ſuperviuere tempore viduitatis ſuæ vxoris in honorem anteacti matrimonij. Inde etiam cenſetur ſuperviuere in eodem ſuo miniſterio ; quare axioma vulgare, quòd priuilegium ratione miniſterij, vel alterius certæ cauſæ conceſsum omnino ceſſat, cauſa, ſiue miniſterio ceſſante, non infringit expoſitam doctrinam, cum non iudicetur ceſſaſſe miniſterium Doctoris, qui ſuperviuere conſetur. Et præterea, licèt priuilegia conceſſa eſſent ob nudum miniſterium, tamen, quando ius ex perſona alterius ſemel fuit quæſitū, perpetuò durat, & ſi deficiant perſona, & cauſa, ex quibus ius prouenit ; *leg. ſi poſt mortem* 10. §. *Hi, qui propter alios; leg. illud* 4. §. *ſi quis eum, ff. de bonorum poſſeſſ. contra tabulas.* Roboraturque hæc doctrina *ex leg. fœminæ* 8. *ff. de Senator. leg. cum te,* 10. *Cod. de nuptijs ;* & ex alijs Iuribus, ac Pichardo, Garcia, Fabro, Cabedo, Oſſualdo, Franch. Pinelo, Giurba, Fontanell. Capiblanc. Reynoſo, Moneta, Carleual. Azeuedo, Didaco Perez, Bellug. Graſſis, Narbona, Mario, Cutello, Capione Robito, Surdo, Gergio Aacc. Ioanne Franciſco Capyc. quos refert, & ſequitur allatus Eſcobar *vbi ſupra à num.* 41. qui poteſt conſuli, ſi latius hęc doctrina agitata deſideretur.

321 Filios exiſtentes in patria poteſtate gaudere priuilegijs parentum, iam aſſeruimus. Nunc addimus, viuente auo Doctore, nepotes, & pronepotes eius priuilegijs potiri, ſi in eius poteſtate ſint. Caſus autem hic apud nos minimè valet ad praxim reduci, cum filij per matrimonium eximantur à patria poteſtate, atque adeò nequeant in aui poteſtate eſſe nepotes, & pronepotes, cum iam ſupponant parentes ſuos extra illius poteſtatem, interueniente matrimonio. De his, & de trinepotibus videatur Barboſa *in leg. quia tale à num.* 23. *ff. ſoluto matrimonio.*

352 Doctrina ſuperius probata extendi debet ad viduas Licētiati, Bachalaurei, & ſtudioſi ſcholaris, quæ etiam eorum priuilegijs gaudent, exceptis dumtaxàt his, quæ perſonaliſſima ſunt, vt de viduis Doctorum aſſerebamus. Quod eiſdem rationibus probatur, quibus doctrina ſuperior fuit ſtabilita, cum omnino aptentur in præſenti, & proportione ſeruata eamdem vim habeant ; ex eis enim conuincitur, tam priuilegium fori, quàm alias immunitates, quæ competunt vxoribus, dum viuunt mariti, ipſis competere, poſtquam illi è vita decedunt ; cum in vxoribus radicatæ iam ſint, & mariti ſuperuiuere cenſeantur, eorumque nomen durare in familia. Quæ priuilegia competent ſanè viduis tàm Doctorum, quàm aliorum, vbicumque habitent, etiā ſi in loco Academiæ non exiſtāt; cum nec illę adſcribēdæ ſint albo, ſeu, matriculæ, nec munus docendi ſubituræ ; atque adeò ſolummodo eis incumbit probare, ſe eſſe viduas Doctoris, Licentiati, Bacchalaurei, aut ſtudioſi, vt priuilegijs potiantur.

353 Additq; rectè Eſcobar *vbi ſupra à num.* 60. Viduam Scholaris toto viduitatis tempore immunitatibus gaudere. Nec obſtat, Scholarem, tranſacto quinquennio curſuum in Academia, non fore poſſeſſurum eis priuilegijs, eſto priuilegio fori vlterius gaudeat. Quippe poſſet ipſe perpetuò incumbere litterarum profeſſioni, & gaudere. Id appoſitè aliquibus exemplis præfatus Author confirmat. Qui ſimul oſtendit, viduas Officialium Academię, & Nuntiorum, ac Mulionum, qui gratia Studioſorum ea officia exercēt non gaudere priuilegijs, poſtquam mariti è vita migrarunt ; nam ea priuilegia non conceduntur maritis ratione ipſorum, vt ceteris, de quibus ſuperiùs, ſed ob nudum miniſterium, quo extincto, priuilegia extinguuntur.

§. 6. *Ad quos alios extendantur priuilegia Academicorum?*

354 CONSTAT *ex Authentica Habita, Cod. ne filius pro patre, & ex leg.* 2. *tit.* 31. *part.* 2. Nuntios Academicorum habere priuilegium ſecuritatis, ſeu Regię protectionis. Deinde nuntios, & famulos illorum gaudere ipſorum priuilegijs, tuentur Marta *de iuriſdicti. 4. part.* 111. *à num.* 13. Dueñas *reg.* 315. Rebuffus *de priuileg. ſcholaſt. priuileg.* 166. Horatius Lucius *eodem tractatu ad fin.* Bolognius, *ad Authentic. Habita.* Quæ ſententia ſuadetur ex doctrina generali, nempe priuilegia dominis conceſſa competere & famulis. De qua videatur P. Suarez *de legibus lib.* 8. *cap.* 11. Et quidem, cum prædicti miniſteria exhibeant, quę neceſſaria ſunt ad ſtudij conſeruationem, par eſt, vt priuilegijs Studioſorum gaudeant ; niſi aliud in

vna-

vnaquaq; Academia, & Regno ſtatutũ ſit, vt dicemus *lib. 3. quæſt. 5.* circa priuilegium fori: de quo eſt præcipua controuerſia in præſenti; Quippe catenus familiaribus, aut ſeruis conceduntur priuilegia, quatenus neceſſaria ſunt, vt ſtudioſis aſſiſtatur, ne hi à ſtudio diſtrahantur, ſi famuli in alio foro conueniuntur, ſuoque miniſterio, & famulitio nequeunt incumbere; qui finis obtineri poteſt, etiam ſi famulis non communicẽtur alia priuilegia, (dũ famuli etiã non ſint ſtudioſi) vt exemptiones à tributis, & ſimilia; cum non in gratiam ipſorũ priuilegia fuerint conceſſa, ſed in gratiam Academicorum.

355 Rurſus priuilegijs Academiæ gaudere Magiſtratus, ſeu Iudices illius, Rectorem, Scholaſticum Salmantinum, Iudicem ſtudij, & ſimiles, docet Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdict. cap. 38.* cum ex Academiæ gremio ſint. Addit autem, quin id probet, Epiſcopum, qui ſit Iudex Academiæ, non potiri eiuſmodi priuilegijs. Et certè is ſuum iam forum habet; alia verò priuilegia, quorum ſit capax, non eſt ratio, ob quam non participet, ſicut cæteri Academiarum Iudices, nec debet peioris eſſe conditionis, quàm illi. Circa fideiiuſſores ſtudioſorũ ipſe Author *cap. 39.* diſtinguit inter priuilegia conceſſa perſonis, & conceſſa rebus Academicorum; prima namque ex ſe conſtat, non competere fidei iuſſoribus ratione fideiiuſſionis; ſic verò ſecunda; iuxta *leg. ſi ſtipulatus 15. leg. ex perſona 32. ff. de fideiiuſſorib. leg. exceptiones 7. leg. omnes 19. ff. de exceptionib. leg. defenſiones, Cod. eodem titul.* & confirmat Herig. *de fideiiuſſor. 4. p. cap. 27.* Bouadilla *lib. 2. polit. cap. 18. à n. 246.* Hypolitus de Marſilijs *in rubric. de fideiiuſſor. à num. 276.* In quo autem foro conueniendus ſit fideiiuſſor ſtudioſi, agemus *lib. 3.* vbi conſtabit, an & quando priuilegio fori potiatur. Ibidem etiam tractabimus, an fideiiuſſores Agaſonum, ſeu Clitellariorum, qui Studioſis neceſſaria à ſua patria vehunt, ſi hi aliqua ſubripiant, aut pactis non ſtent, illi conueniri poſſint coram Magiſtratu Academiæ, quamuis extra diætas domicilium habeant. Alias etiam non abſimiles quæſtiones ibi diſcutiemus ad forum Studioſorum ſpectantes.

356 Notaueris, dum de priuilegijs Doctorum, & aliorum Academicorum tractaui, atque de his, quibus eorũ immunitates competunt, me dumtaxat Authorum opiniones, & fundamenta retuliſſe, vixque addidiſſe quidquã eorum rationibus, ita vt in pluribus potius tranſcripſiſſe poſſim cenſeri, quin meum iudicium protulerim. Id quidem conſultò ita præſtiti. Etenim cum hæc maiori ex parte res ſint facti, & ius ipſum commune per iura ſpecialia Regnorum, & Prouinciarum aliquando reuocetur, aliquando innouetur, & ſtandum ſit priuilegijs cuiuſque Academiæ, & eorum expedito vſui, ac exercitio, pendeatque ab ipſorum conceſſionis verbis, & forma, quænam immunitates, & quibus perſonis concedantur, non poteſt equidem certa, ac fixa regula pro omnibus Regnis, ac Prouincijs ſtabiliri. Quare, quid Iure communi conſtet, quid Interpretes, quos videre potui, ſentiant, appoſui; quibus pro fundamento præiactis, facile erit in quauis Academia decernere, & de priuilegiorum ſubſtantia, & de perſonis, quibus competunt.

357 Ad calcem huius quæſtionis id dixerim, dignos eſſe Academicos, quibus plurima priuilegia à Pontificibus, & Regibus impertiantur, cum tantũ Reipublicæ regimini Catholico, & politico expediat, litteras, & diſciplinas fouere, ſine quibus totus ordo gubernationis in uerteretur. Quod prænoſcentes totis retrò ſæculis Principes, ac Reſpublicæ Studioſis iugentes prærogatiuas, & immunitates indulſerunt. Dolendumque eſt, ſartas tectas non ſeruari eas, quæ vniuſcuiuſque Academiæ Studioſis, ac Profeſſoribus ſunt conceſſæ, quarum plures in deſuetudinem abierunt, vel ob negligentiam vſus, ſeu exercitij, vel defenſionis ipſarũ; ſiuè ob violentiam eorum, qui vſum impediunt.

Quæſt. XIIII. An expediat aſſumere Gradus Doctorum, aut Magiſtrorum? Vbi aliqua de illis exornantur circa nuncupationem, & originem.

358 NON eſt ſermo de Doctoribus in acceptione minus ſtricta ſumptis, in qua Doctor appellatur, qui aliquam ſcientiam rectè callet: ſic apud antiquos, & *in leg. 6. Cod. de Profeſſoribus, & Medicis lib. 10.* nuncupantur legũ Docto-

Doctores, qui eas apprimè norunt. Similiter Magiſtrorum nomen in vſurpatione latiori generícum eſt, & ſub illo comprehenduntur, quicumque eruditi alios; imò ſub illo includi Bacchalaureos, & Licentiatos, affirmant Thomas Lanſius *in tract. de Academijs pag.*71. Matthęus Stephanus *lib.3.de iuriſdict. part.* 2. *cap.* 14. *à num.* 87. Georgius Chriſtophorus Vualterus. *De ſtatu, Iuribus, & priuilegijs Doctorum, cap.* 1.§.3. Ioannes Lymnæus *lib.* 8.*de iure publico cap.*8.*à num.*28. Quin Doctores, antequam ab Imperatoribus creationem, ac dignitatem obtinuiſſent, vocari ſolebant Clerici, & Scholares. De quo videantur Ritthershus *in Commentar.ad Saluian.lib.de auarit.pag.*3. Iacobus Mandellus *conſil.*27. *num.*6. Hunnius *ad Authent. Habita, Cod. neſilius pro patre, cap.*1. *quæſt.* 4. Rebuffus *ibidem fol.*632.

359 Igitur ſermo eſt de Gradu Doctoratus, ſeu Magiſterij, qui eſt dignitas, Pontificia, aut Regia authoritate, conceſſa, præuio accurato examine ſcientiæ, certis ſolemnitatibus augurata, priuilegijſq; aucta ad Reipublicę commodum. Et quidem hūc Gradum eſſe dignitatem, conſtat, quia dignitas iuxta Bartol. *in leg.* 1.*Cod.de dignitatibus lib.* 12. eſt qualitas, quæ facit hominem differre à plebeijs; aut iuxta Ciceronem *lib.*2.*de Inuent.* eſt alicuius honeſta & cultu, & honore, & verecundia digna authoritas. Quæ ſanè in Doctore reperintur. Ita in *cap.quando, de Magiſtr.* Franciſcus Viuius *in commun. opinion. tit. Doctoratus eſt dignitas à num.*1. Mynſinger. *centur.*4.*obſerv.* 1. Benius *de priuileg. Iuriſconſultor.priuileg.*62. Rutger Ruland. *in tract.de Commiſſar.lib.*8.*cap.*2.*num.*8. Guido Papæ *deciſ.* 388. Quare reijciendus eſt Vulteius *lib.* 2. *Iuris Romane cap.*6. qui ad ciues ſine dignitate refert omnes Doctores; id enim & contra communem, & prolibito aſſeritur.

360 Igitur Gradus Doctorum diſpenſari merentibus, valde expediens eſſe, nemo cordatus dubitare valeat; ſicut enim boni, & ſollertes in quouis munere, & exercitio debent præmijs affici, id iuſtitia diſtributiua exigente; & ea præmia appetere, ac conari, nullo prauo fine, aut affectu intercedente, nullaque prohibitione obſtante, licitum eſt omnibus; ita viri in ſcientijs ſpectabiles Graduum dignitate, par eſt, vt donentur, eiſque licet, eiuſmodi Gradus appetere, & aſſumere. Et quidem Reſpublicæ ciuiles, & Eccleſia ipſa litteris, ac ſcientijs muniuntur, indeque expedit, eos Gradus in præmia litterarum diſpenſari, vt ſtudia augeantur; nam, vt aiebat Tacitus *lib.*11. *Annal.cap.*7. *Sublatis ſtudiorum pretijs, etiam ſtudia peribunt, vt minùs decora* & Symmachus *lib.*1.*epiſt.*73. *Scimus, bonas artes honore nutriri, atq; hoc ſpecimen eſſe florentis Reipublicæ, vbi honor benè merentibus tribuitur.* Paſſim refertas paginas reperies huius veritatis erudita cō mendatione. Vide poſt cęteros plura congerentem eruditiſſimum Don Ioannem de Solorzano *in Emblematibus Regio politis.emblemate* 79.&.80.

361 Ab his etiam litterarijs honoribus homines alliciuntur, vt ſtudijs ſe dedant; Quare dicebat Tullius *lib.* 1. *Tuſculan.quæſt. Honos alit artes, omneſq; incendimur glora ad ſtudia; & iacent ea ſemper, quæ aut negliguntur, aut improbantur; ſi incitamẽta honeſtatis ſcholæ ſubtrahantur, omnis quoq; diligentia, ſedulitas, & ſtudium tollentur.*

362 Quis iam crederet, fuiſſe homines, qui in Gradus litterarios acriter inueherētur? In primis enim Cinglius hęreſiarcha *in Epiſtola ad Bugenhagium* relatus à Vualtero ait, ſe cum faſtidio legere titulos Doctoris, & Profeſſoris Theologiæ, eoſque opponi dicto Chriſti, Matthæi *cap.*23.*v.*8. *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus.* Impudenter quidem ſuam ille inſaniam confirmat. Etenim Chriſtus ſolùm præcepit diſcipulis, ne arroganter ſibi veritatis documenta imputarent, & in fidei negotijs fidem ſibi, vt hominibus, haberi vellent, ſed in ipſum Chriſtum, vt veritatis normam, fidei Catholicę Authorem, Doctorem ſupremum, & Authenticum cuncta reuocarent; quæ omnia præſtant Doctores, & Magiſtri Catholici; nam Gradus litterarij eos probant eruditos, ac doctos; eruditio autē, & doctrina vera Chriſti magiſterio eſt innixa.

363 Addit inſuper ille teſtimonium Epiſtolæ Iacobi *cap.*3.*v.* 1. *Ne eſtote multi Doctores, ſcientes, fore, vt grauius iudicium accipiatis.* Sed quis ignoret, Apoſtolum ſolùm reijcere homines temerarios, ac leues, qui cenſuram in omnes affectāt, calumniandi animo, non erudiendi? Et quidem non loquitur Apoſtolus de Gradibus Doctorum, ſed de munere, ac exercitio docendi, quod non improbat ſecundùm ſe, ſed vt preſtitum prauo fine, & abſque doctrina ſufficienti. Sanè eadem interpretatione poſſet ille Cinglius ex præ-

fato

fato loco probare, prauum esse munus docendi; quod Christi dictis aduersatur, qui suis præcessit discipulis, vt docerent omnes gentes. Sed de eius Hæresiarchę erroribus damnatis non curemus.

364 Deinde Petrus de Ferrarijs, vulgò Practicus Paciẽsis *in præfat. suæ practicæ*, & Ioannes Fichardus *in vita Ioannis Sichardi*, Gradus Doctorum fugillant, asserentes, *Doctoris gradum de libertate hominem ad seruitutem redigere, cumq; magno sumptu adquiratur, etiam cum anxietate teneri.* Variè hos Authores Iureconsultos conantur interpretari Matthæus Stephan. *de iurisdict. lib. 3. p. 1. cap. 14. à. num. 38.* Vualterus *de statu, & priuileg. Doctor. c. 2. §. 5.* Gasparus Bitschius *in orat. promotionis secundæ Iuridicæ*, quę extat *in Priuilegijs Academiæ Argentinæ pag. 258.* Improbo tamen labore fatigantur, nec enim digni interpretatione sunt, qui pro libito, absq; vllo rationis momento absurdissimum quid proferunt, cum nec impugnatione sit opus, quando nulla ratione muniuntur, sed eos omnino errasse, verè, & per compendium sit affirmandum. Et sanè nullus magis liber, magisq; ingenuus est, quàm qui ex munere, & Gradu, libris, ac scientijs omnino traditur, vt mentem excolat disciplinis, ignorantiæ caliginem depellat, aliosque sua doctrina, ac eruditione ad lucem è tenebris deducat. Ille verè seruus erit dicendus, qui à scientijs alienus cæco impetu trahitur. Gradus ergo litterarij ostendunt hominem ingenuum, & in sua ingenuitate confirmant, cũ inde teneatur scientiarum studijs insistere; quod nec seruitutem generat, nec anxietatem; nullaq; amabilior, liberiorque est seruitus, quàm ea, quæ hominem studijs addicit. In promptu esset huius materiæ exornatio, nisi foret communis, & obuia.

365 Et certè omnibus ferè tetrò sæculis extiterunt viri scientia conspicui, qui titulo aliquo speciali insigniebantur, cui nunc Gradus Doctoratus, & Magisterij assimilantur. Apud Hebræos Rabbini loco Doctorum habebantur, & declarabantur Sapientes per manuum impositionem, vt testatur Heigius *z. part. quæstionum Iuris Ciuil. quæst. 11. num. 22.* Et in vrbe Hyerosolimitana Collegia floruerũt, quibus præsidebant Doctores, ex varijsque Nationibus illuc confluebant, vt constat ex *Actis Apostolorum cap. 6. V. 9.* vbi ex his Collegijs, seu synagogis exierunt, qui cũ Diuo Stephano super lege disputarent. Rabbiniq; illi Scribæ, ac Pharisæi è suggestu publicè alios edocebant; Vnde ait Christus D. *Matth. 23. v. 2. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi.*

366 Inter Græcos etiam nomẽ ac dignitas Magistri, seu Doctoris indulgebatur his, qui scientijs excellebant, & præcipuè his, qui præerant Scholis inter se diuersis, vtpote Pythagoræ, Socratis, Platonis, & Aristotelis. De quibus videantur Laertius, Plato, Cicero, & alij apud Vualterum *de statu Doctorum cap. 3. §. 7.*

367 In Scriptura Sacra extat etiam hæc *Doctoris* vox: Paulus *ad Ephesios c. 4. vers. 11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Et 1. *ad Timotheum cap. 2. v. 7. In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus (veritatem dico, non mentior) Doctor gentium in fide, & veritate.* Et sæpe in ipso Testamento nouo reperitur vox *Rabbi*, seu *Magister.*

368 Apud Romanos, ait Zasius apud Vualterum *vbi supra §. 8.* originem creandi Doctores exordium sumpsisse ab Augusto, cum scilicet concessit Iureconsultis potestatem de iure respondendi, quæ non licebat nisi de Principis authoritate, & præmisso publicorum Gymnasiorum examine. Id colligitur *ex leg. 2. §. Obiter. ff. de Origine iuris; leg. reddatur 8. C. de Professor. & Medic. lib. 10.*

369 Sub Iustiniano autem Imperatore publica Iuris Gymnasia instituta fuere Beryti, Romæ, & Byzantij, & simul ornamenta quædam appellationum, ac titulorum; Ipse enim sanciuit *in Constitut. ad Antecessores §. 2. nos verò*, appellari quosdam *Iustinianæos nouos* alios *Edictales*, quosdam verò *Papinianistas* alios *Lytas*, & *Prolytas.* Atque etiam, vt infertur *ex leg. 2. Cod. vt dignitatum ordo seruetur, lib. 12.* Doctores eo tempore in tres classes diuidebãtur; alij erant *Regentes*, qui actu docebant; alij *Vacantes*, qui docendi munere functi fuerant; alij demum *Honorarij*, qui titulum, & ornamentum absq; doctrinæ administratione honoris causa acceperant.

370 Cæterùm apud Germanos Lotharius Saxon Imperator, anno 1135. (iuxta melioris notæ Chronologicos) restituit in integrum studia ciuilia, & Doctores, ac Magistros solemnibus cęremonijs creauit, idque præstitit etiam Bononiæ, & Academiæ Bononiensi concessit ius Augustale,

guſtale, quod ipſi competebat, promouendi Doctores. Et primùm hi in Iure Ciuili fuerunt inſtituti, deinde ab eis Profeſſores aliarum Facultatũ id ipſum mutuati ſunt, vt teſtatur Franciſcus Viuius *in cõmun. opinion. verbo Doctoratus, n.16.* Quin hunc morem promouendi ſolemniter ad Gradus litterarios deſumptum fuiſſe à Sinis, (Hiſpanè *Chinas*) affirmat Sebaſtianus Schroter *tom.2. hiſtor. Geograph. pap.145.* Et profectò conſtat ex Hiſtorijs regni Sinarũ, apud eos litteras maximè iam diu efloruiſſe, Studiaque generalia ad eas tradendas fuiſſe inſtituta, & ingentibus donari præmijs viros litteris præditos; ſed Facultates, quibus incumbunt, longè inferiores ſunt his, quæ in Europæis Gymnaſijs edocentur; vt ex hiſtorijs prædictis cõſtat.

371 A Bononienſi Academia ad Pariſienſem emanauit mos creãdi Doctores ac Magiſtros; & in hac primus Theologiæ Doctor fuit creatus Petrus Lombardus, qui communiter Magiſter ſententiarum nuncupatur. Sic enarrant Ioannes Gerhard. *tom.6. de Miniſtr. Eccleſiæ §. 136.* Ioannes Linceus *lib. 8. de Iure publico, cap. 8. num. 2.* Prima autem inſtitutio Doctorum à Pontificibus facta contigit ann. 1151. vt oſtendit Chtræus *in Chronologia pag. 306.* & ſub id tempus Medici creati ſunt Doctores Piſis; vt videre eſt apud Vualterum *vbi ſupra cap. 3. §. 10.*

372 Cum autem in Doctorum creatione ingentes fierent ſumptus, de eis moderandis conſtitutio prodijt *in Clementin. 2. de Magiſtr.* in Concilio Viennenſi ſub Clemẽte V. ann. 1300. In qua fit mẽtio Inſignium Doctoralium, & Magiſtralium; de quibus videri poſſunt Matthęus Steph. *lib. 3. de edictis Imperij, p. 2. cap. 14. num. 60.* & alij paſſim. In ea autem æſtimatione apud omnes hi Gradus litterarij fuerunt, vt Principes plures, ſcientia conſpicui, maximè apud Germanos, ad illos fuerint aſſumpti, vt enarrant Melchior Adam. *in vitis Iuris Conſultorum Germaniæ*, & Thomas Lanſius *in orat. pro German. pag. 32.* Ingentem autem commendationem his Gradibus litterarijs adaugent Viri, non ſolùm doctrina, ſed & ſanctitate eximij, qui eis fuere decorati, inter quos Diuus Thomas Aquinas, Diuus Bonauentura Gradum Magiſtrorum in Academia Pariſienſi acceperunt, & tempore decurrente Diuus Ignatius de Loyola, & Diuus Franciſcus Xauerius in eadem Academia ad Magiſterij Gradum fuerunt aſſumpti.

373 Scio, antiquiorem adhuc eſſe inſtitutionem Doctorum; nam circa annum 674. Ottho Imperator II. Doctorem creauit Conſiliarium ſuum, virũ nobiliſſimum ex genere de Mangenfel, qui Saxonum veterum illuſtrauit iura, vt docet Beſſoldus *in diſſertat. de Studioſ. Magiſt. &c. cap. 9.* At hæc inſtitutio ab ipſo Imperatore duntaxat prodijt, cum eo tempore in Germania non dum erecta fuiſſet vlla Academia, in qua Gradus litterarij diſpenſarentur, vt annotat Vualterus *vbi ſupra, cap. 3. in fine.*

374 In Hiſpania noſtra conſuetudo inſtituendi Doctores, ac Magiſtros exordium deſumpſit ab eo tempore, quo Academiæ, ac Studia Generalia ſunt erecta; nec antecedenter mentio eiuſmodi Graduum apud Authores reperitur. Quo autem tempore creatæ fuerint Academiæ Hiſpanæ, diximus *ſuprà quæſt. 6.* Vbi diuerſis ſuccedẽtibus æuis plures fundatas fuiſſe, libauimus; vbiq; enim in Hiſpania litterarum diſciplina effloreſcit.

Quæſtio XV. Quam rigoroſè debeant examinari, qui ad Gradus Doctoratus, & Magiſterij aſſumũtur? Et quid præſtare debeant? Vbi de Doctoribus à Supremo Principe creatis: & de ætate ad Gradus requiſita.

375 CVM ea ſit dignitas Doctoratus, ac Magiſterj, tantumque Eccleſiæ, & Reipublicæ interſit, vt ad eam non promoueantur, niſi viri Sapientes, profectò opus eſt, eos in examen rigoroſum vocare, & non niſi doctos, ac eruditos approbare, idque adeò in conſcientia obligat, vt graue peccatum lethale ſit, aliter ſe Examinantes habere. Quippe Gradus publicum ſunt teſtimonium ſcientiæ, atque doctrinæ, quæ ſi non detur in promotis ad Gradus, publica exiſtimatio iniuſtam patitur deceptionem; & præterea eis committuntur munera, quibus nõ ſunt apti; & conſuluntur tum ad exonerãdas conſcientias, tum ad negotia, lite ſque decidendas, quin poſſint rectè ea munia obire,

obire, in fraudem eorum, qui ipsos consulunt. Demum eis fiditur traditio disciplinæ, iuuentutis instructio, gubernationis munera, consultationum decisio, & Medicis corporum, & vitæ cõseruatio; Quomodo ergo hæc præstent, qui Scientias, in quibus Gradus conferuntur, non apprimè callent?

376 Hoc quidem examen in pluribus Academijs rigorosè præstatur. Sed dolendum est, quod conqueritur Mynsingerius *in §. Responsa prudentum, n. 5. instit. de Iure naturali, gentium, & ciuili*, nihil esse facilius, quàm Doctoris titulum adipisci, eumq; nummis etiam in aliquibus Academijs posse comparari, & obtineri. Idem ait Purpurat. *in leg. 1. n. 455. de officio eius, cui mandatur, &c.* Doctorellorum numerum esse infinitum, qui scilicet solùm studuere in Titulo de ignorãtia iuris, & facti; Quibus competunt illi vulgares versiculi adducti à Georgio Valentino Vuijnther *lib. 1. cap. 11. num. 7.*

In Institutis comparo vos brutis;
In Digestis nihil potestis;
In Codice scitis modicè;
In Nouellis comparamini Asellis;
Et tamẽ creamini Doctores.
O tempora! ò mores;

Atque, vt asserit Zasius *ad leg. 2. de origine iuris, §. & vt obiter sciamus, num. vltim.* nonnulli Doctorũ titulos sibi adiscũt, qui ampullis verborum ianctanticuli, vultuoso supercilio minabundi, peritiam foris ostentat, quam asserere tam non possent, quàm sunt ob omni legali studio alieniſſimi.

377 Hinc ipsi, gradum petentes, dum se non satis sufficientes agnoscunt, le thaliter peccant, dummodo sciant, de facto ipsis fore Gradum conferendum, quã quam non sint in doctrina conspicui, de quo redibit in inferioribus sermo, Videatur Iason *in Rubrica, vt nemini liceat sine iudicis authorit. tom. 2.* Aliud erit, si quis examini, & experimẽto doctrinæ se subijciat, sciens, non fore approbandum, nisi de ipsius sufficientia constet; tunc enim peccatũ non cõmittit dũ non intendat ad Gradum assumi absque meritis, sed solùm velit probari, vtrùm idoneus sit.

387 Hinc etiam priuilegia cõcessa Doctoribus non competere his, qui indocti sunt, tuetur Bessoldus *in dissertatione de Studiosis, cap. 10. pag. 145.* Idem docet de promotis ad Gradus, si corruperint Examinatores, vt approbentur, Summa Angelica *verbo, Doctor.* Insuper ait Benius *part. 2. fol. 34.* semel laureatum propter manifestam insufficientiam posse Insignibus expoliari; Quod sanè saltem est contra praxim; & nisi vitium in Gradus obtentione probetur, fieri nequibit.

379 Et quia Doctorelli (sic apud Authores nuncupantur) rigoroso examine non probantur, nec de eorum scientia fit rigidum experimentum, sed actibus litterarijs, quasi cæremoniæ indulgendo, duntaxat libatis, promouentur ad Gradus vel in Academijs ferè ignotis, aut in aliquibus Collegijs, aut his in Studijs, in quibus perfunctorium examẽ præstatur, ideò decisum est in Curia Romana, tempore Eugenij III. vt testatur Andreas Siculus *lib. 2. consil. 57. colum. 6. vers. præterea*, eos minimè gaudere prærogatiuis, quæ Doctoribus sunt concessæ. Sufficiat illis, cum sua nomina subscribunt, se Doctores appellare; nam eorum Doctoratus solùm est quæstio de nomine, vt aiunt Philosophi.

380 Cæterùm, quamuis ablata fuerit potestas ex priuilegijs Pontificijs dimanans, vt Principes aliqui, eiusmodi prærogatiua olim gaudentes, conferant Gradus, vt vidimus *suprà quæst. 12.* tamen negari nequit, penès supremos Principes esse potestatem illos conferendi, idq; præstare poterunt, absq; examine præuio. Etenim, cum Princeps Supremus valeat erigere Academiam, consequens est, vt possit Gradus conferre, cum hi in Academia indulgeantur, & omnis potestas residens in Magistratibus Academiæ ab ipso Principe dimanet.

081 Hinc constat, aliquos fuisse creatos Doctores à Supremis Principibus; Sic Rudolphus II. Imperator Doctorem creauit Betsicum, quem Legationi Turcicæ destinauerat, vt refert Bessoldus *vbi supra pag. 313.* Vbi docet, solo verbo posse Principem Supremum creare Doctorem, asserendo, *Te in Doctorem promoueo*; quod idem tuetur Vualterus *de statu, Iuribus, & priuilegijs Doctorum cap. 4.* Quare Bulla Pij V. reuocans potestatem ad conferendos Gradus loquitur sanè de potestate, quę à Sede Apostolica emanasse dicebatur; solùmque prohibet, ne eius modi Gradus prosint ad obtinendas eas Prebẽdas aut Dignitates, quę Gradum requirunt. Etenim, cũ potestas suprà posita Principibus ratione Supremi Dominij in suo territorio congruat, à Pontifice neutiquam reuocatur. Inde, si quis ab Imperatore, seu Rege Doctor creetur, non poterit

terit eas Prebendas obtinere, cum diſpoſitio circa illarum obtentionem ad Pontificem ſpectet, iſq; ſtatuerit, eos Doctores ad illas non admitti.

382 Vnde etiam infero, non poſſe Regem noſtrum creare Magiſtrum, aut Doctorem Magiſtrum Schoiæ Salmantinum, ad cuius munus Gradus Magiſterij, vel Doctoratus exigitur. Quippe hoc requiſitum appoſitum eſt à Pontifice, vt quis munere Magiſtri Scholæ potiatur, & gaudeat iuriſdictione Eccleſiaſtica, quæ à Sede Apoſtoolica eſt ei conceſſa. Quare, & ſi poſſet Rex creare Doctorem aliquē, cui Regiam ſuam iuriſdictonem præſtaret erga Salmantinam Academiam; non vero is habere poſſet ſimul Pontificiam iuriſdictionem; ſicut nunc vtramque habet Scholaſticus Salmantinus, ita vt duæ in illum iuriſdictiones confluant, non aliter ac ſi in duas perſonas diſtinctas diuiderentur. Doctrina poſita rectè colligitur ex his, quæ tradit Don Alfonſus de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdict. à num.* 55.

383 Doctores, qui ab Imperatore, aut Rege creantur, eo quòd à digniori perſona ſint promoti, cæteris anteponit Calefatus *de dignit. Equeſtr. num.* 45. Sed, cum in Doctoribus præcipuum fundamentum ad gaudendnm honoribus ſit ſcientia, priuilegium Imperatorium, aut Regium non adeò operatur, vt hi debeant alijs anteponi; Etenim, quamuis non ſit credendum, imperitos creari Doctores à Supremis Principibus, tamen, dum examinis probatio non præit, de illorum diſciplina non planè conſtat; ideòque Authores relati *ſupra quæſt.* 12. *num.* 314. & alij docent, eos Doctores, quos communiter Bullatos nuncupamus, non gaudere priuilegijs, quæ cæteris Doctoribus conceduntur. Nec hi Doctores communiter ſolent in Academijs admitti, vt de Academia Patauina adnotat Antonius Riccobonus *tract. de Gymnaſio Patauino, lib.* 1. *cap.* 8. Et rurſus Otho Melarder *in Commentar. ad Proceſſ. Cameræ, fol.* 115. affirmat, licentiatos, & Doctores Bullatos in Collegium Aduocatorum Cameræ Imperialis admitti non debere, quia requiritur examen ad id munus in Gradu adhibitum.

384 Nihilominus obſeruat Iaſon *in leg. ſi quis maior, num.* 33. *Cod. de tranſaction.* Doctores Bullatos, ſi ſimul examinis experimentum ſubierint, cō currentes cum alijs Doctoribus debere illos loco præcedere. Et hoc caſu locum habet doctrina Calefati *vbi ſupra*; cum enim hi ex vno capite à digniori fuerint promoti, & ex alio per examen præcedens de ipſorum diſciplina conſtet, æquum eſt, vt eo honore præcedentię in loco donentur. Et quidem Princeps Supremus, antequam aliquem in Doctorem promoueat, poteſt eum ad examen rigoroſum ſubeundum in Academia, aut apud aliquos Doctores deſtinare; quod quidem valde congruit, vt tutiùs, ac laudabiliùs in promotione ſe habeat. In noſtra ſanè Hiſpania nec legi, nec audiui, aliquem fuiſſe à Regibus ſolo verbo Doctores creatos.

385 Quales autem debeant eſſe Doctores, vt ſuo muneri docendi ſatisfaciāt, iuuentutem in diſciplina litterarum promoueant, ſcientias vtiliter tradant, & Reipublicæ ſint fulcimentum, latè proſequitur Iacobus Middemdorpius duobus libris integris *Officiorum Scholaſticorum*; & breuiſſimè id ipſum ex Ludouico Romano præſtringit Cardinalis Tuſchus *practicar. concluſion. litt. D. concluſ.* 553. Ait ergo, Doctorem, ac Magiſtrum his qualitatibus fore afficiendum; Primò, vt ſciat tacere, & loqui extempore: nec enim garrulitas proficit, nec continua taciturnitate vtilitas generatur. Secundò, vt ſit diſcretus in tacendo, vtilis in loquendo. Tertiò, vt loquatur intelligentibus. Quartò, vt aptum ſe reddat audientibus. Quintò, vt humilis ſit, omni arrogantia dimiſſa. Sextò, vt doceat, quæ corrigunt, nō quę delectant, quia eſſet fons ſine aqua. Septimò, vt non omittat proſequi ſanam doctrinam. Octauò, vt ſi omnes, aut aliqui obſtaculum ſanæ doctrinę faciant, recedat ab eis. Nonò, vt non ommittat ſe opponere ad errores corrigendos. Decimò, vt omnia à Deo largitore agnoſcat, & gratias agat. Hactenus verba ſunt præfati Authoris, quæ, ſi penitus exenterentur, & non perfunctoria meditatione perpendantur, ſanè inuoluunt requiſita potiora ad munus Magiſterij rectè obeundum.

386 Id etiam Doctoribus, ac Magiſtris in primis eſt neceſſarium, librorum habere copiam, vt eruditè, ac cum electione poſſint doctrinam tradere, & conſilia præſtare. Videantur Oldradus, Neuizanus, Benius, Herig. apud Beſſoldum *in diſſertatione de*

Studioſis, c. 10. *pag.* 146. & 147. Ibiq; affirmat, priuilegia Doctorum non competere his, qui libris carent; quod ſaltem abſolutè non eſt verum, cum non ſit conditio eſſentialiter requiſita ad gaudendum his priuilegijs, habere libros ſcientiæ cuiuſcũque proprios. Sanè abſque illis munus Doctoris nequit adimpleri, indeque poſſet quis priuilegijs priuari, ſi ſuo nõ ſatisfaceret muneri. Addit Iaſon *in leg.* 1. §. *vbi, ff. de Officio Proconſulis, num.* 2. Doctorem, qui conſilia præſtat, quin libros euoluat, non poſſe petere ſalarium. Quod tunc verum iudico, cum Doctor non habet in promptu doctrinas tempore antecedẽti ſatis prẽmeditatas; Nam qui continuo ſtudio id eſt adeptus, vt in caſibus frequentibus poſſit conſilium abſq; nouo ſtudio præſtare, non tenetur ad libros de nouo lectitandos pro ſingulis euentibus. Sicut Medicus valde expertus, ac doctus non tenetur ad euoluẽdum libros, vt ſingulis ægritudinibus medeatur, cum in pluribus medendis eodem modo ſe habeat, & ſolùm aliquæ exigant nouum medicandi genus, ac normam. Ad id etiam Magiſtri, Doctores, & Profeſſores alij in Academijs tenentur, ex præcripto Concilij Tridentini *ſeſ.* 25. *cap.* 2. *de reformat.* vt ad normam Decretorum eiuſdem Concilij, doctrinam tradant, & Fidei dogmata interpretentur, ſeque ad id initio cuiuslibet anni ſolemni iuramento obſtringant.

378 De ętate requiſita ad accipiendum Gradus Magiſterij, ſeu Doctoratus, nihil certum, ac fixum ſtabiliri poteſt, cum ſtandum ſit cõſuetudini, ac Statutis cuiuſq; Academiæ. Aliqui deſignarunt vigeſimũ ætatis annum, eo quòd ante hoc tempus nemo poſſit ad honores peruenire; Alij verò ſolùm requirunt vigeſimum annum, ex eo quòd quis hac ætate affectus poſſit eſſe Iudex. Alij autem ſolùm exigunt decimum octauum annum, ſi quis in huiuſmodi ætate ſit peritus, indeq; mouentur, quia eo ætatis anno Nerua publicè de Iure reſpondiſſe inuenitur. Sed cum nulla ætas determinata ſit in Iure præfixa, dictis eſt inſiſtendum. Id omnes ferè docent, ante decimum ſeptimum ætatis annum nulli fore Gradum prędictum conferendum. Ita Socinus, Anchoran. Menochius, Benius, quos refert, & ſequitur Middendorpius *de Academijs vniuerſi orbis, lib.* 1. *cap.* 13. *pag.* 133. Non ſolùm conſuetudine, aut Statutis cuiuſque Academiæ cautum eſt, qua ætate debeant eſſe promouendi ad Gradus Magiſterij, aut Doctoratus, ſed quantum temporis in ſcientijs addiſcendis, & poſtmodum recolendis inſumpſiſſe debeant. De hoc tempore, quod requiritur, tractant, Socinus, Menochius, Vueſembechius, Mandoſius, & alij cum Middendorpio *vbi ſupra.* Sed regula certior à conſuetudine, vel Statutis eſt deſumenda. Demum quinam debeant eſſe Examinatores eorum, qui promouendi ſunt ad Gradus, in vnaquaque Academia eſt ſtatutum. In Salmantina ad Gradum Licentiatus examinant Doctores, ſeu Magiſtri eiuſdem Facultatis, qui Cathedras moderantur. Extat autem Decretum Senatus Supremi Caſtellæ expeditum anno 1571. quod eſt 64. in editione anni 1648. vbi decernitur, Doctores, qui ſunt Senatores, quamuis Cathedram non moderentur, poſſe examinare. Cum Togatis Collegij maioris S. Bartholomei promouendis ad Gradus datur ſpecialis Concordia Academiæ circa Examinatores.

Quæſtio XVI. An accipere Gradum Licentiatùs, & Magiſterij Religioſos Societatis in Academia Salmanticenſi, Complutenſi, ſeu qualibet alia, ſic contra Inſtitutum, aut aliquam Conſtitutionem, vel præceptum ipſius Societatis?

§. Primus Statuitur aſſertum.

388 NON diſquiro factum, an nẽ pè expediẽs ſit, de facto eos Gradus accipere, ſarta tecta ſeruata gubernandi forma, ac ſtylo, qui in Societate Ieſu habetur, maximè cum centũ ac duodecim annis poſt ipſam Religionẽ à Pontificibus, & à Concilio Tridentino confirmatam, nõ fuerint illi Gradus accepti in Academijs Salmantina, & Complutenſi, ac in pluribus alijs. Etenim certo certius eſt, cum iam anno 1652. aliqui Societatis præclari Theologiæ Profeſſores ad Magiſterij Gradum in Salmãticenſi Vniuerſitate ſint electi, poſt acceptũ priùs illum ipſum Gradum in Academia

Abu-

Abulēſi alijq; ex noſtris in Cōplutenſi cōcēiam Gradu inſigniātur) id valde expedire ipſi Societati, ac eius Inſtituto, & fini; vrgētiſſimaſq; rationes dari, ob quas poſt tēpus præfatū, id fuerit à Superioribus imperatū, poſt maturā, attentamq; cōſiderationem, & præuias per longa tēporis interualla cōſultationes. Quod nō eſt noſtri muneris inueſtigare, ac expendere, cū id ſpectet ad regimē Religionis, in quod nullus, præter Pontificē, ſe ingerere debet; ſicut nec in aliarū Sacrarum Religionū gubernationē, quam prudetiſſimā, rationi, & Deo cōſonam iudicare omnes tenemur, fas eſt, vt quiſquā ſe intromittat. In quibus etiā maturo cōſilio, & poſt plurimos annos à fundatis Academijs in locis, vbi eorū inſignia Cœnobia extant, ad Gradus Magiſterij ſuſcipiendos viri doctiſſimi ſemitam aperuerunt.

389 Igitur diſputatio eſt de iure; an ſcilicet contra aliquod Ius ſpeciale Societatis Ieſu ſit, eos Gradus accipere? Nec poteſt difficultas verſari circa Gradus in aliquibus Academijs ſuſceptos, cū iam diu id fuerit executioni mādatum, quin nec per ſpeciē vlla obſtiterit ratio; Indeq; in Germaniæ Academijs Societatis Religioſi plures in Artibus, & Theologia ſint Magiſtri; imò & ipſarū Cācellarij, qui authoritate Apoſtolica alijs Gradus eos cōcedūt; ac aliquæ Academię in pluribus Prouincijs tā intra, quàm extra Germaniā Societati Ieſu ſint traditæ à Principibus, Pontificia authoritate, in eaq; illi Gradus prædictos ſuſceperint. Quare dubiū præcipuè verſatur circa Gradus huiuſmodi in Academia Salmantina, & Cōplutēſi ob rationes ſpeciales, quas infrà expēdemus. Reſolutio tamen quæſtionis erit generalis.

390 Aſſero igitur, non eſſe cōtra Inſtitutū Societatis Ieſu, nec contra aliquam eius Conſtitutionem, Decretum, præceptum, aut Regulā ipſius Religionis accipere Gradus omnes litterarū, Artium, & Theologiæ, in Academia Salmantina, Complutenſi, & qualibet alia, etiam in Indijs, in quarum Academijs ſtipendia pro Gradibus ſunt ingentia. Ita generaliter docet P. Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 5. cap. 4. à num. 9.* P. Caſtro Palao *3. part. operis moralis, diſp. 4. punct. 13. §. 6. num. 3.* Qui conditiones aliquas apponunt ex Societatis Conſtitutionibus, & Regulis deductas, quas obſeruatas eſſe, & ſemper obſeruandas, eſt certiſſimum, & aliquas inferiùs attingemus, nam de nonnullis dubitatio nequit eſſe, vt de licētia Prępoſiti Generalis, & ſimilibus. Idēaſſertū tenēt Societatis Theologi, eruditione, & ingenio præſtantes.

391 Probatur aſſertum ratione irrefragabili. Nullum ius Eccleſiaſticum, nullum præceptum Pontificium, nulla Cōſtitutio, aut regula Societatis datur, quæ impediat Graduum ſuſceptionem in quacumque Academia; ergo eorum ſuſceptio nulli iuri, Conſtitutioni, aut inſtituto refragantur. Si enim ſecludatur aliquod ius ſpeciale contradicens, euidens eſt, Religioſos abſolutè ſumptos poſſe ad eos Gradus promoueri, cum hoc à ſtatu religioſo neutiquam ſit alienum. Ita D. Thomas *opuſculo 19. contra impugnantes Religionem, cap. 2. & 3.* D. Antoninus, & alij, quos refert, & ſequitur Pater Suarez *vbi ſuper, num. 10.* & Caſtro Palao *loco citato.* Et id ſtabiliuit praxis Sacrarum Religionum. Antecedēs non aliter eſt ſuadendum, quàm inquirendo, quod Ius obuiet? quæ Cōſtitutio? quæ regula? quod præceptum? Et nullū obuiare, manifeſtè conſtabit *à §. 2.*

392 Deinde poſitiuo argumento aſſertū firmatur. In primis, vt extat *in Examine, c. 1. §. 2. & in regula 2. Summarij Conſtitutionem Societatis Ieſu,* quas Pontifices approbarūt; *Finis huius Societatis eſt, non ſolùm ſaluti propriarum animarū cū diuina gratia vacare, ſed cum eadem impenſè in ſalutē proximorum incumbere.* At ex pluribus medijs, quibus Societas ſaluti proximorum incumbit, vnum eſt, docendo Philoſophiam, & Theologiam, pluraque opera Philoſophica, ac Theologica, Scholaſtica, Moralia, & Scripturaria typis excuſſa in lucē edēdo; doctrina autē, quæ traditur, plus authoritatis habet, quò diùſq; excipitur ab auditoribus, & legētibus libros, ac Codices, cum cōſtat, tū eā cum ſatisfactione in Academijs legi, ac defendi, tū Magiſtros, ac Scriptores, publico Academiarum teſtimonio eſſe probatos, ac laurea donatos; & obuiatur aliquibus obicibus, quibus poſſēt retardari, ne audirēt, ac ſectarētur Societatis Profeſſores, & Interpretes, qui etiā eſſēt obices huius adeò prę cipui medij incūbēdi in ſalutē proximorū; ergo non eſt cōtra Inſtitutum Societatis, ſed iuxta illud accipere eiuſmodi Gradus. Ratio hæc deſumitur ex verbis S. Ignatij, Parentis, & Fūdatoris ipſius Societatis, qui *Part. 4. Conſtitution. cap. 6. n. 17.* ait, loquens de his Gradibus; *Ad quos, non ob aliud, quàm vt poſſint proximis ad Dei gloriam eſſe vtiliores, promoueri debent*; Igitur ipſe Inſtituti Author

thor cēſuit mediū aptū ad finē inſtituti Societatis incumbēdi in ſalutem proximorū ſuſceptionem Graduum in Academijs.

393 Inde etiam ipſe S. Ignatius, & Sāctus Franciſcus Xauier Indiarum Apoſtolus, P. Didacus Laynez, ſecundus Societatis Præpoſitus Generalis, & in Tridentino pro Pontifice Theologus, P. Alphonſus Salmeron, & alij vſq; ad numerum denarium, qui primi ſua nomina Societati Ieſu inſcripſere, antequam id præſtarent, in Academia Pariſienſi Magiſterij ſuſcepere Gradum; noſcentes, id valdè congruens eſſe Inſtituto, quod iam meditabātur, incumbendi in ſalutem proximorum, adhibito medio ſpargendi vbique doctrinam ſalutarem. Conſtat ex Hiſtoria generali Societatis *tom.* 1. ex P. Maffeo, P. Ribadeneyra, P. Andrea Luca, P. Ioanne Euſebio Nieremberg, *in vita S. Ignatij*. Inde etiam S. Franciſcus de Borja, tertius Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis, cum iam proximus eſſet renuntiando ſęculo, adhuc Dux Gandiæ Gradum Magiſterij ſuſcepit in Academia Gandieſi in Regno Valentiæ, de Conſilio Sancti Parentis Ignatij, vtpotè iudicantis, illum Gradum valdè conducere ad finem, quem in Societate intendebat Dux ille Sanctus; vt in eius vita ſcribitur à P. Nieremberg. Ipſe etiam Patens S. Ignatius, cū mitteret P. Petrū Caniſiū, aliumq; ſocium in Germaniā, vt ibi Theologiam edocerent, eis præcepit, vt per Bononiam iter facerent, & Gradū Magiſterij in Theologia ſuſciperent in Bononienſi Academia. Refertur *tom.* 1. *Hiſtoriæ Societatis*.

394 Rurſus S. Ignatius Conſtitutiones, & Regulas condidit circa Gradus in Academijs accipiendos, quin vllam Academiam excluderet; ergo ſuſceptio eiuſmodi Graduum non eſt contra aliquā Conſtitutionem, regulam, aut præceptum Societatis Ieſu, quin potiùs valde iuxta omnia illa. Antecedens conſtat *ex Part.* 4. *Cōſtitut. cap.* 6. *n.* 17. *& cap.* 15. *num.* 4. *Ex regula Prouincialis* 64. Indeq; in Congregatione generali Societatis diſpoſita eſt *Ratio Studiorum*, quam in ea omnes ſequi debēt; in ipſaq; præfiguntur Regulæ pro his, qui in Academijs ſciētias profitentur hiſce honoribus litterarijs, & alijs quibuſcūq; affecti.

395 Præterea cōſuetudo, ac poſſeſſio ius fundat, vt omnibus eſt in confeſſo; At cōſuetudo, ac poſſeſſio ſtat pro acceptione Graduū in Religioſis Societatis in pluribus Academijs, vt cūctis eſt manifeſtū, quin cōtra acceptionē Graduū in cæteris Academijs militet aliqua ratio, vt infra cōuincemus; ergo ſuſceptio Graduū in quacumq; Vniuerſitatenō eſt cōtra ius aliquod cōmune, vel ſpeciale, ſed iuxta ius vtrumque.

396 Demū; Nulla adeſt ratio, vel fundamētū, cur potiùs Religioſi aliorū Sacrorū Ordinū, vt Benedictini, Ciſtercienſes, Patres Prædicatores, Auguſtiniani, Præmōſtratenſes, Carmelitani, Religionūq; Santiſſimæ Trinitatis, & Beatæ Mariæ de Mercede, alijq; poſſint in quacūq; Academia aſſumi ad gradus, quàm Religioſi Societatis Ieſu; ſed illi poſſunt, & quidē ſanctiſſimè, quin vlli iuri, aut ſtatuto repugnetur; igitur & poſſunt Societatis Religioſi. Maior nō aliter efficaciùs ſuadetur, quàm poſcēdo rationem, & fundamētū, quod ſanè nullū ſuppeditari poſſe video, aut reperio. Minorē probare eſſet quaſi piaculū; cū ſit certa, & euidens; omniū Doctorū calamo ſtabilita; cunctorū iudicio confirmata; & continua praxi conſtantiſſima.

397 Audio iā mihi perſtrepere, quaſi actū agā, dum rem in cōmuni ſumptā certiſſimā rationibus nitor perſuadere; cū ſolū ob ſpecialia argumenta poſſit aliqua dubitatio exoriri de Gradibus Academiæ Salmantinæ, & Cōplutēſis, aut alterius, in quibus & honor eximius promotis ad Gradus accreſcit, & magni ſumptus fiunt pro Graduum acceptione, quæ militat contra Paupertatam ſpecialem, & humilitatem, quæ in Societate Ieſu præſcribuntur. Sed ad hæc deueniamus, & has nebulas ab aliquibus ſcrupuloſis, ſi ſint, diſijciamus.

§. Secundus.

Pius IV. in Bulla Exponi nobis &c. *non contradicit ſuſcipiendis Gradibus in Academia Salmantina, & Complutenſi, ac in alia quauis, à Religioſis Societatis Ieſu.*

397 OPponi poteſt primò Pius IV. in Bulla, quæ incipit, *Exponi nobis nuper feciſtis*, expedita in fauorē Societatis, vbi ait; *Cum Scholares Societatis partim propter obligationes, & iuramēta, per inibi præſtari ſolita, partim ob nimias impenſas, quæ ibi fieri ſolent, ab eiſdem Vniuerſitatibus, eorumque Rectoribus, ac deputatis promoueri non expediat, &c.* Sed in Aca-

Academia Salmātina (idem ſemper intelligito de Complutēſi, ac ſimilibus) & plura iuramēta præſtantur à promotis ad Gradus, & maximæ impenſæ fiunt; ergo acceptio Graduum in illa eſt contra mentē, & voluntatem Pij IV. Confirmatur. In eis verbis loquitur Pontifex de Gradibus accipiendis in Academijs Italiæ, in quibus multò minores impenſæ fiunt, quàm in Academia Salmanticenſi, vt omnibus innoteſcit; & adhuc, vt vitentur illæ impenſę, & ſtrictior ſit in Societate Ieſu diſciplina paupertatis, renuit Pius eam Gradum acceptionem; ergo à fortiori renuit, ac contrariatur ſimili Graduum acceptioni in Academia Salmanticenſi, in qua pluribus impenſis plus paupertati videtur cōtrairi.

398 Quàm longè à mente Pontificis in hac obectione deuiatur! Et, vt planè ſatisfaciam, ſimilem omnino caſum prēmittam, quem deinceps ſolutioni aptabo. Profeſſores Theologiæ in illuſtri Cœnobio Sancti Stephani Salmanticenſi Patrum Prædicatorum pauperate religioſa detenti diu verſati ſunt, quin Gradus acciperent in Academia; ad Pontificem Innocentium VIII. confugerunt, qui, vt illi vitarent nimias expenſas, conceſſit, vt intra ipſum Cœnobium acciperent Gradus. Præſtitum eſt ita; ſed in Academia Salmantina illi Gradus non fuerunt acceptati. Videntes ergo, ad ſuę doctrinæ ſplendorem congruere Graduum donationem nec ſibi ſuffeciſſe benignitatem liberalem Pontificis, decreuerunt laurea in Academia donari; Quin inde poſſet contra illos argui, Pontificem reſtitiſſe nimijs expenſis; nec paupertatis rigorem laxari; nec eſſe contra aliquā ipſorum Conſtitutionem. Refertur illud Innocentij indultum in Manumentis Ordinis, *in ſecūda editione, conceſſione* 194. *fol* 75. in Compendio Priuileg. Mēdicantium, *verbo Gradus Scholaſtici, num.* 6. & ab Emanuele Rodriguez *tom.* 2. *quæſt. Regul. diſput.* 74. *art.* 1. Eius verba ſunt *Innocentius VIII. conceſſit eiſdem Fatribus, vt, quia propter magnas impenſas, quæ in ſuſcipiendis Gradibus in Vniuerſitate Salmanticenſi fiunt, Fratres prædictæ Congregationis Gradus huiuſmodi ibidem ſuſcipere commodè non poſſunt, quòd Regens, & in eius abſentia Prior Sancti Stephani Salmantinæ dictæ Congregationis poſſint conferre quoſcumque Gradus Fratribus eiuſdem Congregationis per eādem Congregationem expoſitis, & admiſſis per Capitulum, vel Magiſtrum Generalē dicti Ordinis, dummodo peregerint curſus ſuos.*

399 Pergo ad Pium IV. in obiectione propoſitum. In ea Bulla *Exponi nobis*, concedit Religioſis Societatis Ieſu, vt intra ipſam Societatem Gradus à noſtris accipiant; ne, ſi accipiāt illos in Academijs, expenſas faciant; in qua conceſſione ſuam liberalem benignitatem oſtēdit, ſicut Innocentius Cœnobio Salmanticenſi Sancti Stephani. Hi Gradus intra Societatē collati non admittuntur ab Academijs, & multò minus à Salmantina; ſicut admiſſi non fuerunt Gradus collati in inſigni S. Stephani Cœnobio; Quid ergo præſtandum, cum doctrinæ Societatis expediat, Religioſos ipſius laureà donari, ſicut expediens fuit doctrinæ Patrum Prædicatorum? Sanè expediet, eorum ſanctiſſimū exēplum imitari, & tantis Ducibus præeū tibus, eorum veſtigia ſequi; ſi quidem nec ea iuramenta, nec illæ expenſæ aliter vitari queunt, non inde ſecutis incommodis contra doctrinam. Nec propterea cōtrarium aliquid agitur menti Pontificis, qui duo optauit; aliud, vt Religioſi Societatis Gradus acciperent, oſtendens, tantū id abeſſe ab Inſtituto ipſius, vt potiùs maximè ei eſſet conforme; aliud, vt abſq; expenſis, his honoribus Scholaſticis publicè vterentur; quę etiam optauit Innocentius Patribus Dominicanis; Res non ſucceſſit optatis, nec ibi, nec hic; Ergo dicerent ambo Pontifices, ſi conſulerentur ſuper hoc; Curauimus vobis expenſas vitare, quæ Pauperibus non expediunt, ſeu quas non facilè pauperes facere poſſunt, ne graueremini; obtinere non potuimus optata, dum alijs medijs vti ad ea obtinenda in his circunſtantijs non expediat; ergo, licèt expenſæ fiant, Gradus in Academia Salmantina accipite, cum tantum inde ſplendoris, & vtilitatis veſtra documenta ſint proximis allatura; & hoc emolumentū expenſis præponderet. Ecce Innocentij animum; ecce Pij IV. mentem.

400 Firmatur amplius id ipſum; Nam ex ſerie rerū, tēporum, & circunſtantiarū animus Pontificis in ſuis Decretis eſt inferendus. Igitur hęc Bulla *Exponi nobis*, expedita fuit in fauorē Societatis, eius paupertati attēdēdo, quādo adhuc Fideliū liberalitas, & munificiētia eorū, qui Collegia Societatis poſtmodū fūdarunt, cōmoda emolumēta ad expēſas non ſuppeditauerāt; eoq; leuamine Pōtifex voluit Societati ſuccurrere; iā verò noua rerū ſerie aduenientē, Regū, ac Principū, & aliorū liberalitate,

ad expensas in his Gradibus faciendas præstita sunt emolumenta, & reditus. Quare Pontifex non cõtradiceret Gradibus propter impensas.

401 Amplius id stabilitur, nam initio nascentis Societatis (sicut in alijs Sacris Ordinibus contigit) non poterant sumptus magni fieri, adhuc valdè necessarij. Quomodo primi è Societate, qui Salmanticã ingressi sunt, & prę nimia paupertate in humili porticu Sacellum ad Sacra celebranda adornarunt, cum effigie papyracea in Altari, possent Bibliothecam emere, quæ sex, aut octo mille ducatis æstimaretur? Et tamen eam nunc habet Collegiũ Salmantinum. Quomodo, qui vix emendicare poterant, vnde vilem domunculam ad habitationem persoluerent, possent in medio Salmanticæ Vrbis eam molẽ ædificij extollere, quã Philippus III. & Margarita Fundatores, & Philippus IV. Patronus, & insignis Benefactor Collegij Salmanticensis regio sumptu voluerunt erigi, & per suos Architecturæ Magistros totam fabricam à fundamentis vsque ad fastigium delineari, præcipientes insuper, vt non liceret nostris quidquam tam ingentis machinæ detrahere, aut minuere? Itaq; temporum successũ ea datur varietas, ex qua manifestè inferatur, non eadem regula metiendas esse nunc has Graduum acceptiones, ac primęuo Societatis exordio. Et, vt ab exemplo posito nuper non recedam, inquiro, an paupertati Societatis expediat, habere ingentem Bibliothecam communem, & plures speciales? Expedire, respondebis; nam, licèt impensæ sint ingentes, cum absq; illis nequeat obtineri vtilitas, quę ex Bibliothecis dimanãt, fas est, eas pluribus impensis emere. Idem ego dico de Gradibus; & sanè nec tantæ in his impensæ fiunt; & non minor vtilitas propotionatè speratur.

402 Rursus, cum Bullam præfatam expediuit Pius IV. non adeò, ac nunc litterarum studia florebant; non aderant tot Magistri, tot libri ab Authoribus Societatis circa omnes scientias, & linguas editi, quos integræ ampliſſimæ Bibliothecę nõ capiunt; & tamen Pontifex censuit, valdè expedire, vt Gradibus insignirentur, quò esset copiosior eorum doctrinæ fructus; & beneficus voluit sumptus tollere, quantum ex se poterat; ergo nunc magis expedire censeret eorum Graduum acceptionem, cum maior adhuc fructus queat exinde deriuari, & si expensæ nequeant vitari, cum hæ non præponderent illorum ingentiori vtilitati. Et quidem certissimum est, Pontificem voluisse, ac intendisse beneficentiam suam in ea Bulla erga Societatẽ ostendere; quod igitur ille optauit esse beneficium, par est, vt vertatur in damnum? Non ea fuit mens Pontificis.

403 Vlterius tunc temporis, quo Bulla Pij fuit expedita, vt Societatis Religiosi (non adeò tunc, ac nunc in orbe accepti) authoritate erga proximos pollerent, qua faciliùs eorum spirituali saluti incumberent, plures Gradibus insigniebantur; &, cum ex alio capite paupertate premerentur, valde eis incõmodum, ac graue erat, tot, tamque frequentes expensas facere; Ideoq; Pontifex ob id motiuum eam Bullam, ac facultatem præstitit. Iam verò nec opus est ea Graduum multitudine, nec in tanta rerum inopia Collegia iacent; atq; adeo ad vnum, vel alium Gradum potest Prouincia, vel Collegium suppeditare sumptus; maximè cum Gradus ipsi in promotis emolumentum referant ipsi Prouinciæ, aut Collegio; cum stipendia soluantur Laureatis, quibus possint intra aliquot annos expensę resarciri; indeq; non sunt iudicandæ expensæ nimię, siquidem vsusfructus temporalis eidem Religioni, & non ipsis Laureatis, adquirendus est copiosus, maximè in Academia Salmantina. Itaq; impensę insumptæ in Gradibus ferè quasi capitale cuiusdam census vitalitij considerari queunt; & communiter tantum lẽ, vel amplius comparabitur ex redditibus. Id dixerim, si Superiores Societatis Iesu censuerint, non esse contra, aut præter nostrum Institutum, ea stipendia in id destinari. Quippe adhuc seuerè iniunxerunt, vt pauperib⁹ distribuãtur omnia emolumẽta prouenientia ex Gradibus. Rursus hæc stipendiorum acceptio non euertat aliquam Societatis Iesu constitutionem, aut regulã, vt infra patebit.

440 Demùm, si sola ratio impensarũ obstaret acceptioni Graduum in Vniuersitate Salmanticensi, eis impensis ablatis, non esset, vnde hi gradus impugnarentur. Da ergo, aliquem ex Externis beneficè cõferre impensas determinatè ad Gradus suscipiendos; Cessat iam impensarum, ac paupertatis ratio, & nulla alla aduersus Gradus militat; ergo, etiam si assumptum obiectionis propositæ cõcederemus, stat rectè, vt in euentibus practicis, & facilè contingentibus (quales sunt, sumptus præstari ab aliquo benefactore) Religiosi Societatis acci-

accipiant Gradus in Salmantina Academia. Vndè obiectio abſolutè illos non impugnat. Cæterùm, cum hi Gradus ſemper accipiendi ſint, factis à Religione expenſis, cui etiam prouentura ſunt ſemper ſtipẽdia, vulgò, *propinas*, & Religio à ſuis Fundatoribus temporalibus, atque à Benefactoribus aeceperit facultates, & redditus, quibus hi ſumptus fiunt; ſanè perindè res ſe habet, ac ſi illi ſpecialiter, & determinatè præbuiſſent impenſas in Gradibus inſumendas; maximè cum ipſi ſuas dederint opes, vt Societas, ac Collegia redditibus vtãtur ad victum Religioſorum, atque ad omnia, quæ neceſſaria, & vtilia fuerint Religioni, ac Collegijs; Vtiliſſimam autem eſſe acceptionem Graduum, & ex ſe ferè omnibus eſt euidens, & in hac quæſtione attingimus, & denique id pertinet ad quæſtionem facti, quam, vt initio dixi, non vtilamus, ſed ſupponimus. Obiectio hæc à Bulla Pij IV. decerpta ampliùs adhuc enodabitur doctrina tradenda §. *ſequenti*.

§. Tertius.

Sanctus Parens Ignatius commendans paupertatem ſeruandam in Gradibus, non prohibet eos ſuſcipi in Academia Salmantina, & in qualibet alia.

405 OPPONI poteſt ſecundò S. Parens Ignatius *Part.* 4. *Conſtitut. cap.* 6. §. 17. vbi monet; *Nec ſumptus, qui pauperes non deceant, in Gradibus huiuſmodi faciant.* Sed ſumptus, qui fiũnt in ſuſceptione Graduum in Academia Salmantina, pauperes non decent, vtpotè ingentes, ergo à S. Patẽte Ignatio huic Graduum acceptioni reſiſtitur. Minor videtur ſuaderi, quia ideò Religioſi ſacri Ordinis Minorum, & alij eos Gradus nõ ſuſcipiũt, quia ſumptus non decent Paupertatem, quam profitẽtur. In Societate autem Paupertas à Religioſis in particulari ſtrictiſſimè ſeruatur, ita vt in ea nulla laxatio detur, & à Profeſſis fiat ſpeciale votum reſtringendi eam potiùs, quàm laxandi; vnde non licet vlli ſtipendia accipere pro Cõcionibus, pro Miſſis, nec pro quouis alio miniſterio, nec permittuntur depoſita pecuniarum apud ſe, aut apud alium, aliaque huiuſmodi ſeruantur, ex quibus liquet, quòd, & ſi Collegia in communi habeant redditus, quibus valdè indigent, vt cuncta neceſſaria omnino Religioſis ſuppeditentur, quin ipſis vllius rei emendicatione ſit opus, paupertas tamen maximè viget.

406 Obiectionem ſic inſto. In omnibus Sacris Ordinibus votum Paupertatis eſſentiale ſtatui Religioſo emittitur, indeque indubitabile eſt, in ipſis caueri, ne fiant ſumptus, qui pauperes non deceant, cum hoc exigat votum paupertatis, & ſtatus pauperum id ipſum præſeferat; nefasque eſſet aſſerere, in aliquo Sacro Ordine licitos eſſe ſumptus, qui pauperes non decent, cum inuoluat contradictionem, licere pauperibus aliquos ſumptus, & ipſos ſũptus non decere pauperes. Vnde ſic argumentor. Religioſi aliorum Sacrorum Ordinũ ſuſcipiunt Gradus in Academia Salmantina, ſoluunturque impenſæ ingentes, quæ ibidem fiũt; ergo hæ impenſæ non decent pauperes; aliàs ſanctiſſimè ſuſciperent Gradus, & tamen impenſas facerent, quæ non decent pauperes; quę ſequela intolerabilis eſt. Igitur, quamuis Religioſi Societatis ſuſcipiant in eadem Academia Gradus, non fient impenſæ, quæ non deceant pauperes, atque adeò nullatenus cõtradicitur Conſtitutioni S. Parentis Ignatij. Quo tota obiectionis machina ruit.

407 Abſolutè reſpondeo, eos ſumptus non decere pauperes, qui nõ ſunt neceſſarij, aut vtiles ad fines licitos, ac honeſtos ab ipſis intendendos pro ſui muneris ratione; ita vt hi ſumptus non deceant, ſiuè magni, ſiuè exigui ſint; nam indecentia non deſumitur à quantitate ſumptuũ, ſed à ſuperfluitate rei, in qua fiunt; Vnde ſi quis Religioſus caligas ſericas ſibi emeret, licet ſumptus non eſſet nimius, adhuc non deceret pauperem, ob qualitatem rei emptæ. E contra verò, ſi ſumptus ſunt vtiles, aut neceſſarij ad fines licitos, honeſtos, & Religionis proprios, quamuis ſint ingẽtes, non dedecent pauperes; ſic decent illos Bibliothecæ magnis ſumptibus comparatæ; ædificia templorum, ac domorum ingenti pretio ſtructa; pretioſa vaſa, ac ornamenta in vſum Eccleſię deſtinata; quia hæc omnia ſunt vtilia, aut neceſſaria ad fines ſanctiſſimos diſcendi, docendi, inſtruẽdi proximos, viuendi religioſè, colendi Deum, alioſque ſimiles.

408 Hinc igitur ſumptus, qui in alijs Sacris Ordinibus fiunt ad ſuſcipiẽdos Gradus, non ſunt contra paupertatis ſtatum, quin potiùs valdè decent pauperes;

res; & consequenter idem sumptus à Societate facti decebunt pauperes, quin contraueniant menti sui Fundatoris Sanctissimi; qui solum modo cauit, vt vitarentur sumptus superflui, & non necessarij. Superflui autem non sunt, qui iam sunt in Academia Salmantina præfixi pro Gradibus; & aliunde Gradus acceptio est finis licitus, honestus, congruens, ac vtilissimus Instituto Societatis, ac adimpletioni Regularum ipsius.

409 Atque, vt rem à fundamentis capiamus, duo attentè considerari oportet. Primum; non aliter S. Parentem Ignatium præcauisse sumptus, qui pauperes non deceant, in receptione Graduum, ac in alijs omnibus; Nam quis dicat, permisisse in alijs sumptus, qui non deceant pauperes? Etenim cupijt, paupertatem, vt firmum murum Religionis, seruari. Et tamē non ideo vetuit sūptus, qui fiūt in magnis Bibliothecis comparandis, in templis extruendis, & in similibus; igitur non prohibuit sumptus ingentes, sed superfluos, & non ordinatos ad fines, quos Societas intēdit; nec strictiùs se habuit circa impensas in Graduum susceptione faciendas, quàm circa impensas ingentes, quæ fiunt in prędictis rebus, cum hi sumptus æquè nō sint ex his, qui non decent pauperes iuxta iam asserta.

410 Secundum; hęc Constitutionis, quę obijcitur, verba, non esse aliquod nouum, & speciale statutum, aut præceptum, sed declarationem præcepti diuini, quod obligat omnes Religiosos voto paupertatis adstrictos, vt non faciant sumptus, qui non decent pauperes. Et id cernitur, quia, si esset statutum, aut præceptum positiuū, posset à Pontifice tolli, aut dispēsari; nequit autem Pontifex illud tollere, aut dispensare, reddendo pauperibus ex voto licitos sumptus, qui non decent pauperes, aut, quod idem est, qui non licent pauperibus; quod etenim dedecet, aut non decet aliquem, nec ei licet; Pontifex autem nō potest facere, vt sint liciti sumptus, qui ex se non sunt liciti respectu status Religiosi. Vnde totum momentum deuoluitur ad obseruantiam paupertatis, quā consulit S. Parens Ignatius in Gradibus accipiendis, sicut consulit sępè in cæteris omnibus, & sicut etiam consulit obseruantiā aliorum votorum. Manet ergo res hęc in Societate Iesu, sicut in alijs Sacris Ordinibus, in quibus obseruantia paupertatis etiam enixè monetur. Vnde fit, non violari hoc consilium, & voluntatem S. Parentis Ignatij, in acceptione Graduum, cum paupertas non violetur, sicut per eiusmodi acceptionem non violatur in alijs Sacris Religionibus. Cum quo stat, esse certissima ea, quæ in obiectione adduntur de obseruantia paupertatis iniuncta omnibus Religiosis in particulari.

411 Ad id, quod de Minoribus in argumento asseritur; respondeo primò, eos aliquando in Academia Salmantīna Gradibus fuisse insignitos; nunc verò non ad nos attinet inuestigare factū, quare scilicèt id non præstent. Secundò, Minores non habere redditus annuos à Fundatoribus, ac Benefactoribus præfixos, sicut Societas habet; in quo eorum paupertas excedit nostram, sicut excedit paupertatē aliorum Sacrorum Ordinū; indeque sumptus faciendos in Gradibus plus eorum, quam paupertati prædictorum Ordinum, ac Societatis contrariari. Tertiò, eos nullo iure prohiberi, quominus lauream accipiant, etsi de facto suo iure non vtantur; In pręsenti autem non est disputatio de facto, sed de iure. Quartò, aliunde quàm à paupertate, pręsto esse rationes, ob quas nolint Minores Gradibus insigniri; nempe quia eis non indigent, vt eorum doctrina floreat, cum adeò sit celebris vbique; maximè quando in Academia Salmantina legitur publicè doctrina Scoti in ipsius Cathedra, ad id deputata. Doctrina autem Authorum Societatis, licèt, Deo fauente, adeò vigeat, & in Academijs Germaniæ, ac Galliæ, & in Hispania innumeros habeat sectatores, tamē incrementum adhuc sperat ad proprium Societatis finem, ad maioremque authoritatem Professorum ipsius, & nostrorum Scriptorum, disputantiumque quotidie cum hæreticis in Septemtrione, ac in Germania, ex Gradibus in Academia Salmātina, quæ in orbe terrarum est celeberrima. Demum nihil detrahit Iuri, quod Societas habet ad Gradus suscipiendos, quòd non suscipiantur in nonnullis Religiosis Ordinibus; in quo uis enim sua statuta, regulæ, & gubernationis stylus seruatur, nobisque sufficit, Gradus non detrahere nostro Iuri, Constitutionibus, Instituto; & habere anteśignanos ex alijs Sacris Ordinibus, quos imitemur.

(?)

§. Quartus

§. Quartus.

Sanctus Parens Ignatius non prohibet Gradus in Academia Salmantina, nec in vlla alia, dum negat ſuis determinatas ſedes in Academijs.

412 OPPONI poteſt tertiò S. Parēs Ignatius, qui *Part. 4. Conſtitut. cap. 15. §. 4.* ait; *In Gradibus tam Magiſterij Artium, quàm Doctoratus, tria obſeruentur; alterum, vt præcludatur oſtium ambitioni; nullis locis certis eis, qui ad Gradus promouentur, aſſignatis, quin potiùs honeſte inuicem præuenientes, nulla locorum differentia obſeruata, curent &c.* Ipſe rurſus *cap. 6. §. 17.* inquit; *Loca tamē certa, vt ab omni ambitionis ſpecie, atque ab alijs affectibus parum tēperatis recedatur, quāuis in ea Vniuerſitate, vbi Gradus accipiunt, dari ſoleant, non accipiant, ſed ſimul omnes extra numerum ſe conſtituant.* At in Salmantina Academia Magiſterio donati nequeunt hæc obſeruare, cū ſua cuique Magiſtro ſedes indiſpenſabiliter ſit præfixa; ergo iuxta has Conſtitutiones nequeunt Religioſi Societatis in prædicta Academia ad Gradus promoueri. Accedit, quòd à S. Parente Ignatio pluribus in locis ſuarū Conſtitutionum valdè commendatur ſuis humilitas, cui per Gradus prefatos videtur aliquid detrahi, cum hi Gradus Academiæ Salmanticenſis plurimùm in toto Orbe æſtimentur.

Inſto in primis argumentum. Nulla eſt Academia, aut ferè nulla, in qua non ſit ſua ſedes prefixa Magiſtris; & tamen non propterea cenſetur, violari Conſtitutiones præfatas, etſi Magiſterij Gradū Religioſi Societatis in eis ſuſcipiant; & in ſedibus præfixis ſedeant; ergo nec cenſendū eſt, eas violari, ſi in Academia Salmantina ad Gradus promoueantur, & habeant ſedes determinatas. Nonne Cācellarius Vniuerſitatis Pragenſis, Religioſus nuper Societatis, habebat primū locū in illa? Quis de hoc dubitet? Idem dico, & in pluribus alijs.

413 Inſto rurſus argumentū. Religioſi Societatis de licentia ſui Præpoſiti Generalis poſſunt eſſe Qualificatores Tribunalium Sanctæ Inquiſitionis, & plurimi id munus de facto habent; & tamen in Conſeſſibus Qualificatorum ſua cuiq; eſt ſedes præfixa; quin propterea reſiſtatur præfatis Conſtitutionibus, quæ à rationis paritate etiam militant reſpectu horū Cō ſeſſuum, in quibus noſtri cum alijs Fidei Cenſoribus concurrunt. Imò intra domeſticos parietes, licèt nulla ſedes ſit vlli prefixa, niſi Superioribus; promiſcuè etenim omnes ſedem occupant, ſeruata Religioſa vrbanitate; tamen in Congregationibus Generalibus, & Prouincialibus ſedes ſunt præfixę iuxta antiquitatem ad eas cō uenientium. Vnde colligitur, mentem S. Perentis Ignatij aliam eſſe ab ea, quæ opponitur.

414 Iam igitur prædicto argumento ſatisfecere P. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 5. lib. 5. cap. 14. num. 10.* & P. Caſtro Palao *tomo 3. diſp. 4. punct. 13. §. 6. numer. 5.* Quippe loquitur S. Parens Ignatius ſupponendo, in Academijs libertati noſtrorum fore relinquēdum, vt ſedeant, quocumque velint; & in eō caſu conſulēs humilitati præcipit iuxta Chriſti Domini doctrinam, ne primos accubitus, aut ſedes ambiant, ſed omnibus poſtponātur in loco, & inter ſe ipſos promiſcuæ ſint ſedes. At vbi Academiæ ſtatuta circa ſedes inuiolabilia ſunt, nec eſt liberum noſtris eligere ſedes, ſed neceſſarium obedire mandatis, quibus ad determinata loca compelluntur, nihil præſcripſit S. Parens Ignatius, ſicut in Conſeſſibus Qualificatorum Fidei eſt dicendum; atque etiam in prædictis noſtris Congregationibus.

415 Hoc ſanè inde infertur, quia S. Parens Ignatius cutauit præcludere ambitionem; &, quia ambitionis datur preſumptio, ſi quis primas ſedes voluntarius appetat, ideo ad ambitionis præſumptionem tollendam, voluit, vt primæ ſedes non occuparentur. Cæterū iuxta Theologos, & Iureconſultos, lex ſoli præſumptioni innixa non complectitur eos euentus, qui præſumptioni non reſpondent. At habere in Academia Salmantina ſedes determinatas eos, qui promoti ſunt ad Gradus, eſt euentus non reſpondens præſumptioni prædictarum legum, aut Conſtitutionum; ergo illæ non complectuntur hūc euentum. Minor ſuadetur, quia non eſt in libertate Magiſtrorum Salmanticenſium occupare ſedes præfixas, ſed eas occupant obedientia compulſi, & ſtatutis inhærentes.

416 Dices; Non promoueantur

tur Religiosi Societatis Iesu ad Gradus in Academia Salmantina, & ad eas sedes prę fixas non compellentur, suasque sic Constitutiones obseruabunt. Præclara argumentatio. Dicas etiam; Nõ sint, adhuc de licentia Præpositi Generalis, Cẽsores Tribunalium Fidei, & ad sedes determinatas non compellentur, vt sic suis obediant Cõstitutionibus. Dicas id etiam de his, qui in alijs Academijs externorum Regnorum ad Magisterium promouentur ex nostris, & qui in eis Cancellarij sunt. Nihil ergo probat argumentum, quia multum. Igitur assero, Gradus à S. Parente Ignatio nõ prohiberi, sed potiùs optari, & præcipi; solùmque prohiberi ambitionem, & præsumptionẽ illius, vbi potest dari; At in promotis in Academia Salmantina non habet locum præsumptio ambitionis propter sedes determinatas. Et per Constitutiones præfatas non intenditur iuxta dicta, quòd, si ab Academia sint præfixæ sedes iuxta sua statuta, aut consuetudinem, non accipiantur in eis Gradus, etiam si nostri eas sedes habituri sint; quippe hoc casu cessat ratio ambitionis, & non cessat ratio vtilitatis accipiendi Gradus, quam vtilitatẽ intendit promouere S. Parens Ignatius, obuians, quantum fieri potest, incommodis, culpis, & ambitionis labi.

417 Itaque non prohibentur in Constitutionibus præfatis sedes fixæ absolutè, sed sedes fixæ cum ambitione, aut periculo illius. Et quidẽ omnibus est hoc præceptum commune, cum ambitio honorum sit intrinsecè mala, ab omnibusq; ex præcepto naturali, ac diuino vitanda; quare in prædictis Cõstitutionibus id præcipuè monetur, quod & cæteris Religiosis, ac fidelibus etiam est cautum, ne scilicèt ambitioni indulgeant; solùmque præcauetur quoddam illius periculum, quod posset dari, si pro libito sedes essent in Academijs optandæ; quod periculum in Salmantina non datur.

418 Ad id, quod in obiectione de humilitate additur, facilè respondetur. Quippè hi gradus à Religiosis Societatis Iesu (sicut nec ab alijs, quibus id etiã est commune) non ob vanitatem, & plausum externum sunt accipiendi, sed ad maiorem Dei gloriam, ad Religionis bonũ, ac incrementum, ad doctrinæ authoritatem, & ad proximorum commodũ. Quæ etiam militant in his Societatis Religiosis, qui in alijs Academijs non solùm promouentur ad Gradus, verùm ipsi concedunt Gradus alijs externis, tum sæcularibus, tum Religiosis, atque eas Academias gubernant; & sanè, cum illę sint celebres, & in Principum Curijs constitutæ, magni æstimantur hi honores, quin ideò nostri debeant à Gradibus, & gubernatione abstinere, cum ipsi eos honores non ambiãt, sed obedientia compulsi suscipiant, respicientes profectò ad Dei maiorem gloriã, animarumque salutem. Quod idem in promotis ad Gradus in Salmantina Academia contingit; quos à nostris ambiri, esset piaculum; solùmque illi promouebuntur, quos ab omni ambitionis specie alienos iudicauerint Superiores pto re nata esse magis idoneos.

§. Quintus.

Constitutiones prohibentes Religiosis Societatis Iesu accipere stipendia pro Ministerijs non opponuntur promotioni ad Gradus in Salmantina Academia.

419 OPPONI potest quartò, Constitutionibus Societatis cautum esse, ne quis pro Concionibus, Missis, Confessionibus, nec pro aliquo ministerio ex his, quæ Societas exercere potest, stipendia accipiat. At promoti ad Gradus in Salmantina Academia accipiunt stipendia, quæ vocantur *propinas*; ergo Constitutionibus opponuntur. Confirmatur; nam in Academijs, in quibus nostri promouent alios ad Gradus, non possunt stipendia ab eis accipere; Ita extat *Part. 4. Constitut. c. 15. §. 4.* vbi asseritur; *Vt quemadmodum gratis docet, ita ad Gradus Societas gratis promoueat*; igitur à paritate, vel à fortiori non valent ea stipendia in Salmanticensi Academia reportare.

420 Hoc argumentum non impugnat ius accipiendi Gradus, de quo est disputatio; sed post eorum acceptionẽ contendit, stipendia accipi non posse. Sed nec hoc vllo modo euincit. Quippè ea accipi possunt, non vt stipendia propter ministerium, sed vt redditus ad sustentationẽ eorum, qui laurea sunt donati; sicut à pluribus relinquuntur nostris Collegijs reddi tus annui, vt sustententur Lectores, Mis-

sio-

ſionarij, aut Concionatores; qui redditus non accipiuntur propter illorum miniſteria, ſed ad eos ſuſtentandos, quod expreſsè fieri poſſe aſſeruit S. Parens Ignatius, dum loquēs de his redditibus, *Part.4. Conſtitut. cap.7.§.3.* ait; *Quamuis pro eorum ſuſtētatione, qui communi bono Collegiorum ſeruiūt, vel propter illud ſtudent, admittantur.* Deinde ea ſtipendia accipiuntur non ob miniſteria, ſed ad reſarciendos ſumptus, qui fiunt in promotione ad Gradus; Quo etiam occurritur primæ, & ſecundæ obiectioni poſitis §.2. *& ſuperius*; paupertatique conſulitur, dum ſumptus fiunt, ſed tamen reſarciēdos eſſe vel ex toto, vel ex parte, prudenter iudicatur. Itaque accipiuntur ea ſtipendia quaſi redditus ſummæ, quæ in Gradibus eſt impenſa.

421 Dices, independenter ab ſtipēdijs donati laurea Salmantina habent, vnde ſuſtentētur, ſeu Collegiū gaudet redditibus quibus ſuos Profeſſores ſuſtētet; ergo titulo ſuſtētationis nequeūt ea accipi ſtipēdia. Reſpondeo in primis, poſſe promoueri ad Gradus, aliquos, qui nec eſſent Profeſſores Ordinarij in Collegio Salmātino, nec illis opus haberet Collegium, vnde ad eorum ſuſtentationem rectè illi redditus, ſeu ſtipendia recipiuntur. Deinde aſſero, non eſſe deſignatos redditus ad ſuſtentandum Profeſſores Gradibus inſignitos, ſed Profeſſores abſque Gradibus; plus autem neceſſarium eſt ad illos, quàm ad hos; Nam, vt ſunt Gradibus inſigniti, reduplicatur ſupra impenſas factas in acceptione Graduum; atque adeo ad ſuſtentandum eos, & ſoluendos eos ſumptus, non datur ſufficiēs ſuſtentationis adminiculum, niſi accedant prædicta Academiæ ſtipendia.

422 Ad confirmationem obiectionis reſpondeo, diſparitatem in prōpru eſſe; nam ad accipiendum ſtipēdia pro miniſtratione Graduum in noſtris Academijs non datur titulus prædictus ſuſtentationis, nec ea reduplicatio ſuper expenſa; nec titulus reſarciendi impenſas; quibus titulis ceſſantibus, voluit S. Parens Ignatius, vt ſui Religioſi puri eſſent à pecuniarum acceptione, & præſtarent gratis, quantum penes ipſos eſſet in collatione honorum, exercitijſque litterarum. Hinc ipſe *Part.4. Conſtitut. cap.15.§.4.* monuit, vt cū aliqui ex externis in Academijs noſtris gradum acciperent; *Non niſi admodum exigui ſumptas (licèt voluntarij ſint) externis permittantur*; cupiens, ſuos, quantum ex ſe eſſet, conari ad ſumptus omnes vitandos, tū nihil accipiendo à promotis ad Gradus, tū curando, vt in promotione non grauarentur alijs impenſis.

423 Nec rectè ex his verbis retorquetur aduerſus nos argumentum aſſerendo, in ea Conſtitutione præcipi, in promotione ad Gradus non niſi admodum exiguos ſumptus eſſe permittendos adhuc externis, quantum in nobis eſt; ergo à fortiori, cum non exigui, ſed ingentes ſumptus fiant in promotione noſtrorū ad Gradus in Salmantina Academia, non erunt permittendi, & conſequenter nec ipſi Gradus accipi poterunt. Quippè in promptu eſt diſparitas; nam ſumptus, qui ab arbitrio Societatis dependent, ab eaque ſanciuntur, æquiſſimum eſt, vt circunſcribātur, & omnis immoderatio impenſarum vitetur; At non pendet à Societatis arbitrio, nec in ipſius eſt poteſtate, vt ſumptus in Gradibus Salmantinis ſint admodum exigui, cum ab ipſa Academia fuerint præfixi; & aliunde nulla eſt ad huiuſmodi Gradus accipiēdos prohibitio, quin potius acceptio eſt valdè conformis Inſtituto, Conſtitutionibus, ac Regulis Societatis, vtiliſſimaque ad fines ab illa intentos, vt ſatis probauimus; non ergo ex præfatis verbis poteſt contra ſtabilitam aſſertionem vrgeri argumentum. Ad quod etiam reſponderi poteſt, non eſſe miniſterium ex illis, pro quibus prohibetur in Societate accipere ſtipendia, id de quo in præſenti. Quod conſtat ex natura ipſius, & ex diſſimilitudine cum alijs, quæ in noſtris Conſtitutionibus deſignantur vt miniſteria. Indeque, quamuis hęc ſtipendia non accipiantur ad ſuſtentationem, ſed ad ſuccurendum pauperibus, non contraitur Conſtitutionibus.

§. Sextus.

Conſtitutiones Societatis Ieſu prohibentes ſuſcipere ſæcularia negotia non aduerſantur promotioni ad Gradus in Salmantina Academia.

424 OPPOni poteſt quintò, in noſtris Conſtitutionibus prohiberi ſuſceptionem negotiorum ſæcularium; Ita *Part.6. Conſtitution. cap.3.§.7. & Part.9. cap.6.§.4.* Ex quibus deſumpta eſt *Regula 41. inter Communes*; Cuius verba ſunt

sunt; *Nemo cuiusquam negotij, etiam pij, sine facultate Superioris curam suscipiat; sæcularia verò negotia, quæ sunt à nostro Instituto aliena, & vehementer à spiritualibus auocãt, multò magis auersari conuenit.* Sed, si promoueantur ad Gradus Religiosi Societatis in Salmantina Academia, necessariò sæpè plura negotia sæcularia tractabunt, & eorum curam suscipient; cum plurima inibi in Consessu Promotorum agitentur, quæ ad regimen politicum Academiæ, ad eius facultates, & administrationem reddituũ annuorum, aliaque similia, pertinent; & plura agenda tum Salmanticæ, tum extra illam, tradantur Magistris, ac Doctoribus in speciali, designando eos Commissarios negotiorum; ergo non licet Religiosis Societatis promoueri ad huiusmodi Gradus. Confirmatur; quia Pius IV. in Bulla *Exponi nobis*, relata *suprà* §. 2. pronuntiauit, non esse congruens Societati Iesu, vt Religiosi promouerentur ad Gradus in Academijs, *propter obligationes, & iuramenta*, quibus iuramentis adiguntur operam impendere negotijs sæcularibus ab ipsorum Instituto alienis.

425 Respondeo primò in ea Regula permitti cum licentia suscipere negotia pia; solùm enim iubetur, ea non suscipi sine Superioris licentia; ergo, si negotia sint pia, & Superior licentiam concedat, non geritur quidquam contra prædictas Constitutiones, dum Religiosi Societatis promouentur ad Gradus in Salmantina Academia. Cæterùm negotia Academiæ pia sunt, vtpotè ad vtilitatem publicam animorum, & disciplinarum incrementa, iuuentutisque Christianam educationem spectantia, eòque tendentia. Licẽtia autem Superiorum impetrabitur, cum opus fuerit, Nostros ea suscipere negotia, à quibus abstinebunt, si non impetretur; cum Academia, vt sciẽtiarum pia mater, rectè calleat, non debere suos alumnos cõtra Institutum suæ professionis quidquam agere; nec præsumi valeat, eam esse illos coacturam ad quidquam huiusmodi peragendum.

426 Hinc respondeo secundò, negotia sæcularia à nostro Instituto aliena quæ vehementer à spiritualibus auocant, prohiberi Nostris in regula præfata; negotia autem Academiæ Salmantinę nullatenus sunt eiusmodi. Et quidem illa sæpè cõmittuntur Magistris aliorum Sacrorum Ordinũ, de quibus, vtpotè valdè Religiosis, & suæ professionis amantibus, nequit præsumi, quòd suscipiant negotia, quæ eos à spiritualibus vehementer auocẽt. Quippè magna est varietas negotiorũ sæcularium; illa verò, quæ Academiarum sunt propria, longè distant ab alijs, quibus homines sæculares irretiuntur.

427 Respondeo tertiò, ea *Parte 6. Constitut. cap. 3. §. 7.* ad quem locum cæteri allati in obiectione referuntur, iniũgi, vt Societas abstineat à negotijs sæcularibus, non quidem absolutè, sed *quoad eius fieri poterit.* Vnde, si laureati in Academia Salmantina non possint subterfugere ea negotia, non agunt contra Constitutionẽ; si autem possint, subterfugiendo illa, Constitutioni obeditur. Nec valet replicari, quòd non promoueantur ad Gradus, & sic non deuenietur ad eas angustias; Nã huic replicæ satis, superque est satisfactum superiùs in similibus.

428 Respondeo quartò, posse à Præposito Generali dispensari in prohibitione susceptionis negotiorum, vt ibidem habetur, imò à Superiore, cui ipse rem considerandam commiserit; *Superiori tamen ad casum aliquem necessitatis, vel maioris momenti ad finem diuini seruitij præfixum facultas dispensandi ad tempus relinquetur.* In negotijs autẽ prædictæ Academiæ omnia hæc requisita inuenientur, si nostri ad ea suscipienda cogantur; nempè esse in casu necessitatis, resque momenti ad diuinum seruitium tendentes.

429 Respondeo demum, Constitutiones præfatas nunquam iudicatas esse contrarias promotioni ad Gradus in alijs Academijs, in quibus nostri promouentur, cum tamen in eis plura, & varia negotia pertractentur non absimilia his, quæ in Salmanticẽsi sese offerunt. Cur ergo cõtrariæ censebũtur promotioni ad Gradus in ea? Vel explica sensum illarum Constitutionum respectu aliarum Vniuersitatũ, & ego explicationem aptabo respectu Salmantinæ. Plures argumento dedi solutiones, vt si quis scrupulosè nimiùm aliquam non approbet, eligat aliam; nam sanè vel seorsim, vel simul saltem sumptæ manifestè obiectionem elidunt.

430 Ad confirmationem ex doctrina *suprà* §. 2. tradita respondeo, longè aliam fuisse mentem Pij IV. qui in Societatem Iesu beneficus, prospiciens vtilitatem, ac necessitatem accipiendi Gradus, ne grauaretur Religio tum sumptibus, tũ alijs oneribus, quæ Gradus in Academijs acceptos sequuntur, concessit, vt possent

nostri

noſtri Gradus intra Societatem accipere, eiſque inſigniti potirentur in ipſis Academijs externis omnibus honoribus, qui eos Gradus comitantur. Quod adhuc non ſolùm reſpectu noſtrorum, ſed etiam ſæcularium, in aliquibus Prouincijs obſeruatur. Et cum in vrbe Manila in Philippinis id in noſtro Collegio præſtaretur, Graduſq; concederentur, eos impedire nonnulli conati fuerunt; indeque lite exorta, & ad ſententiam deducta, totum negotium ad Curiã Matritenſem eſt allata, & in Supremo Indiarum Senatu hoc anno 1652. menſe Nouembri, pro Collegio Societatis Ieſu vltima ſententia eſt pronuntiata.

431 Verùm cum in pluribus regionibus, maximè in Hiſpania, hoc non admittatur, & vtilitas, ac neceſſitas promotionis ad Gradus, ad quam attendere cenſuit neceſſarium Pius IV. ſemper inſtet, hinc eſt, vt cogantur noſtri nõ parcere ſumptibus, iuramentis, & obligationibus; cũ maximis tamen commodis decurſu expenſis; quæ compenſant ſumptus, & onera minuunt. Quare in his circunſtantijs non cõtra Pij IV. mentem agit Societas, ſed potiùs valdè iuxta ipſam, vt in ſuperioribus manè conuictum.

§. Septimus.

Non impugnatur ius accipiendi Gradus in Academia Salmantina, ex eo, quòd Religioſi Societatis Ieſu per plurimos annos non acceperint illos.

432 DEMVM opponi poteſt. Plurimis iam annis Religioſi Societatis Ieſu Salmanticæ habitant, & Theologiam docent, & tamen vſque ad annum hunc 1652. non accepit vllus ex eis Gradum Licentiatus, & Magiſterij in Academia Salmantina; ergo, quia ipſi arbitrati ſunt, non poſſe iuxta ſuas Conſtitutiones illum accipere; alioquin iã diu ſuſcepiſſent Gradus, cum eadem vtilitas, ac neceſſitas olim eſſet, & forſan maior; nec ad ſumptus faciendos potuerint media exhauriri, quin ſuppeteret, vnde fierent.

433 Sanè vellem, mihi diceres, cur potiùs infers ex non facto, nõ potuiſſe Gradus ſuſcipi, & ſic eſſe iudicatũ; quàm ex facto poſſe ſuſcipi, & ſic iudicatũ eſſe? Profectò quòd non fuerint Gradus anteà ſuſcepti, ex ſe non tollit ius ad eos ſuſcipiendos, vt ex ſe conſtat; Quod enim in meo arbitrio eſt, facere, aut non facere, quandocũque velim, nõ propterea priuor iure, & poteſtate faciendi ex eo, quòd diu non fecerim. Ius autem, & poteſtatem accipiendi Gradus in Societate Ieſu euidenter in hac quæſtione ſtabiliuimus. Cæterũ quòd adhuc per tot annos non fuerint ſuſcepti, res eſt facti; & in præſenti iam ſuppoſui, me non diſquirere factum, ſed ius.

434 Nec factum inueſtigari oportet, cum id pertineat ad regimẽ internum Religionis, pro cuius recto dictamine iudiciũ ſtare debet. Equidem multa fuerunt religioſa, ac prudentia motiua, ob quę promotiones ad Gradus hucuſque ſunt dilatę. Vnum ego, vt ſatisfaciam obiectioni, ſufficiens excogitaui; ſcilicèt voluiſſe Societatem ſequi veſtigia aliorum ſacrorum Ordinum, qui ſuos Profeſſores Artium, ac Theologiæ non niſi poſt plurimos annos ad Gradus promoueri permiſerunt. Cõtra quos idem poſſet efformari argumentum, eademq; põderatione ſtabiliri. Sed omnibus eſt communis reſponſio iam ptæſtita. Prolixa alicui viſa fuerit forſan hæc quæſtio, ſed licuerit in materia adeò graui fuſiùs diſputationem texuiſſe.

Quæſt. XVII. An Religioſi Societatis Ieſu poſſint eſſe Oppoſitores ad Cathedras in Academijs?

435 RESOLVTIO huius quæſtionis eſt certa, ſcilicèt nõ poſſe Religioſos Societatis Ieſu eſſe Oppoſitores ad Cathedras in Academijs, cuiuſq; illæ Facultatis ſint. Ita conſtitutum eſt *in Canone 15. primæ Congregationis Generalis*, quę in Societate eſt habita; his verbis; *Cathedræ publicæ in Vniuerſitatibus, aut alibi, cum ea diſceptatione ſuffragiorum, & oppoſitione, quæ ſolet fieri, non ſunt admittendæ. Si tamen ſpontè offerantur ab Vniuerſitatibus, aut Rectoribus earum, & gratis prælegatur, nec quiſquam ſe opponat, cum quo ſit diſceptandum, admitti poſſent; conſulto Generali.* Affert etiam hunc Canonem, & hanc reſolutionem, vt indubitatam, prę ſtigit P. Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 5. cap. 4. num. 9.*

436 Itaque Religioſis Societatis prohibitũ eſt, non ſolùm in Academijs, ſed in quibuslibet ſtudijs, & publicis gymnaſijs,

Ecclesijs,& locis,in quibus Cathedræ obtinentur media disceptatione Oppositorum,eas hoc oppositionis medio obtinere. Et quamuis non interueniant Scholarium suffragia, sat est, si oppositio intercedat, quam omnino vetari,est manifestum. Nec vnquã datur oppositio ad Cathedras,quin intercedant suffragia Iudicum,qui de Cathedra obtinenda decernũt; vel Doctorũ, ac Magistrorum,qui Iudicem,aut Iudices informant,seu apud illos suffragium consultiuum habent; vel demum ipsorum Scholarium.

437 Imò etiam si ad Cathedram vacantem nullus opponeretur, cum tamen posset,qui vellet, opponi, nequit Religiosus Societatis ad eam opponi;etenim,esto tunc non daretur disceptatio Oppositorũ, tamẽ daretur oppositio ex parte illius; media autẽ oppositione nequit ab eo Cathedra obtineri. Et certè tunc per accidẽs cõtingeret, quòd Oppositores deessent, nec attendendum est ad id,quod euenit omnino per accidens.

438 Præter prohibitionem expressam supra positam, in qua nequit Præpositus Generalis dispensare iuxta doctrinam in Societate stabilitam, de qua P. Suarez *tomo 4.de Relig.lib.10.cap.14.num.14.* accedit,eam esse conformem Instituto Societatis,eiusque visceribus ingenitam. Nihil enim adeo cauetur Nostris in Constitutionibus,in Congregationibus Generalibus, in Ordinationibus,& præceptis,ac vt nullam dignitatem,honorem,munus,officiũ, seu occupationem ex se honorificam ambiant,petant,vel procurent,per se,aut per alium, directè, vel indirectè; vt sic promptiùs suam voluntatem obedientiæ destinent,ac parati sint potiùs amare, & amplecti officia humilia, & abiecta. Huc tendit votum emissum à Professis Societatis nõ ambiendi,aut procurandi vllam Prælaturam,nec dignitatem, nec intra, nec extra Religionem;huc tendũt præcepta nõ procurandi munus Qualificatorum Tribunalium Fidei;nec munus eundi Romam ad Congregationem Generalem cum suffragio;imo nec eundi ad Cõgregationes particulares cum munere Procuratoris Prouinciæ ad negotia illius tractanda, & alia id genus,quæ aliquam honoris speciẽ habent, ambitioque aliqua in eis procurandis posset interuenire. Quantò ergo magis præclusum est ostium in Societate ad obtinendas Cathedras media oppositione; cum earum regimen sit valdè honorificũ, & oppositio ipsa,atque alia media,quę adhibentur ad illarum obtẽtionem,non modicam sollicitudinem exigant in procurando fœlicem rei exitum? Res per se est manifesta;animaduertantur, quæ communiter eueniũt in oppositione ad Cathedras, ipsarũque petitione, & constabit, nihil adeò esse alienum à Constitutionibus, ac Ordinationibus Societatis, necnon regimine,ac gubernatione illius. Quare nõ licet amplius immorari in suadenda resolutione proposita, quæ est plana, manifesta, indubitabilis, & euidens. Nec vnquam in Societate Iesu,Deo iuuante,quidquam cõtrarium eueniet, nec in ea, vel vnus apex, immutabitur.

439 Conceditur tamen in eodem Canone relato, posse Religiosos Societatis moderari Cathedras in Academijs, (scilicet earum Facultatum,quas ipsi profitentur) si nulla detur oppositio,& Academiæ ipsæ,vel Rector(dum in eius sit potestate) earum regimẽ ipsis propter Academiæ bonum,& vtilitatem,concedant; dummodo gratis id Nostri præstent, nullo accepto stipendio,& priùs Præpositus Generalis consulatur,& licentiam præbeat. Hinc,si Cathedræ,quæ à Nostris reguntur in Academia Salmantina,mane,& vespere,de præscripto Regio, hora, & gymnasio designatis,incorporarentur ipsi Academiæ,& hæc illas,vt suas admitteret, essentque Cathedræ propriæ Vniuersitatis, sicut Cathedræ Durandi, Sancti Thomæ, & Scoti (esto illis inferiores)possent adhuc Professores Theologię nostri Collegij Salmantini, quamuis non essent promoti ad Gradũ Magisterij in ipsa Academia, eas moderari, Præposito Generali Societatis annuẽte, & nullo stipendio ab Academia concesso.

Quæstio XVIII. Quæ Gradus insignia sint allaturi in actibus publicis Religiosi Societatis Iesu promoti in Academia Salmantina, & in qualibet alia?

440 IN aliquibus actibus publicis, præsertim in his, qui comitantur promotionem alicuius ad Gradus Licentiatus, Magisterij, & Doctoratus, omnes promoti insignia propria

pria ſuorum Graduum ferunt iuxta ſtylum, & normam Academiarum. Vt ergo quæſtio dilucidetur, agamus de Salmantina (idem enim cæteris eſt aprandum) In ea promoti ad Magiſterium in Theologia, ſi ſint Religioſi Sacrorum Ordinum, ferunt pileũ, & ſupra eum lemniſcum album, ſeu fila ſerica alba; Si verò ſint Clerici, vltra pileum ſibi aptãt quoddam ſuperhumerale, quo humeros vndequaque circumdant, holloſericum nigrũ, & ſuperius album. Inquirimus ergo, quæ ex his inſignia Magiſtri è Societate ferre debeant?

441 Aſſero, eos allaturos eſſe illa ipſa Inſignia, quæ Clerici promoti ad Magiſterium ferunt. Quippè Religioſi Societatis Clerici ſunt; Ita ipſam Societatem approbat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. de Regularibus, capit. 16.* ibi; *Per hæc tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Ieſu, iuxta pium eorum Inſtitutum à ſancta Sede Apoſtolica approbatum, Domino, & eius Eccleſiæ inſeruire poſſint, &c.* Idem repetunt Pontifices in Bullis Apoſtolicis, quarum plures refert Pater Suarez *tom. 4. de Relig. libr. 1. cap. 5. num. 2.* Vbi efficaciter probat, Religionem Societatis Ieſu non ſolùm ratione habitus, (nam habitus non facit Monachum) ſed verè, ac propriè dici, & eſſe Clericorum; & quia Clericorum eſt, portare habitum Clericalem.

442 Hinc ſequitur, prefatos Magiſtros in prædictis actibus publicis allaturos eſſe inſignia, quæ portant alij Clerici Magiſtri, quia illa inſignia ſunt habitus Magiſterij Clericorum. Sicut etiam Religioſi Societatis vtuntur ſuperpelliceo, cũ exercent eos actus, ad quos exercẽdos Clerici etiam vtuntur ſuperpelliceo, quia ille eſt habitus Clericalis Eccleſiaſticus. Et quidem Clerici Regulares ad inſtar ſunt Clericorum ſæcularium, tum in Inſtituto, vt probat ibidem P. Suarez; tum in habitu exteriori; eſto in cõmuni incedendi modo modeſtiùs, & humiliùs debeant eo habitu ornari; Cum autem inſignia Magiſterij nõ ſint habitus cõmunis, ſed ſpecialis ad certos, & non frequentes actus deſtinatus, & ab Academiæ ordinationibus diſpoſitus, fit, vt non humiliora inſignia, ſed omnino ſimilia debeant Noſtri portare, ac alij Clerici Magiſtri portant.

443 Nec eſt contra aliquam ipſius Societatis Ordinationem, Magiſtros ferre ea inſignia. Nam loquens S. Pater Ignatius de Academijs ipſi Societati tradendis, vt ſub eius regimine eſſent, *Part. 4. Conſt. c. 17. §. 8.* ait; *De aliquibus Inſignijs, nũ eis Rector, Cancellarius, Bidelli, Doctores, & Magiſtri; vt in Vniuerſitate cognoſcantur, vel ſaltem in actibus publicis vti debeant, necne; &, ſi vtantur, qualia eſſe debeant, cõſideratioui Generalis tunc exiſtentis, cum aliqua Vniuerſitas admittitur, relinquetur.* Agit autem de Rectore, qui ſit Societatis Religioſus, & de Magiſtris tum domeſticis, tum externis, vt ex toto capite conſtat. Itaque permittit, vt etiam in noſtris Academijs ea inſignia portentur, deliberante priùs Præpoſito Generali, an, & quæ inſignia ſint deſignanda; Quæ deliberatio penès eum ſtabit, cum Academiæ Societatis gubernationi traduntur, non verò, cum Academiæ ſunt externæ; atque adeò nequit deſignare noſtris Magiſtris Salmãticenſibus, quæ inſignia ſint laturi, cum hoc ab ipſa Academia Salmantina dependeat, iamque ſit ſtabilitum. Cęterùm, cum licentiam præbet vt in ea Noſtri promoueantur ad Gradus Magiſterij (abſque ea enim promoueri nequeunt) ſimul deliberat, an oporteat in actibus publicis ea inſignia afferre, & ex cõ ſequenti præbet licentiam afferendi; cum velit, noſtros aptari ſtylo Academiæ, eiuſque Ordinationibus obedire, aliorumque normam ſectari in his, quæ cum gradu Magiſterij ſunt connexa.

444 Præterea annuit prima Congregatio Generalis Societatis Ieſu, *Canone 19.* cuius verba ſunt; *Quæ inſignia ferre debeant Doctores, & Magiſtri de Societate in Vniuerſitatibus, cum publicis actibus præſident, pertinet ad Præpoſitum Generalem determinare, vt ipſe Conſtitutiones Vniuerſitatum declaret. Non autem incommodum eſt, ſi noſtri in his publicis actibus portent aliqua inſignia, in pileo præſertim, vt ſunt fila ſerica, quæ ponuntur in medio pilei.* Ecce iudicat Congregatio Generalis, quòd adhuc in noſtris Academijs, in quibus id facilè impedire poſſet, aliqua inſignia à noſtris Magiſtris portentur; & ea verba *præſertim in pileo*, denotant, etiam alia ſimul poſſe portari; alioqui aſſereret, *ſolùm in pileo*; quanto ergo magis de eius mente eſt, & ab ea iam conceſſum eſt iudicandum, vt in Academijs externis, quarum ſtylus, & regimen extra noſtrum arbitrium eſt, Noſtri, qui de licẽtia Prępoſiti Generalis promouentur ad Gradus Magiſterij, ea inſignia

portent in actibus publicis? Et quidem iã ab ipſis Præpoſitis Generalibus fuit conceſſum,& approbatum, vt noſtri promoti ad Gradus Magiſterij, ſeu Doctoratus in alijs Academijs, vt in Conimbricenſi in Regno Luſitaniæ, portarent non ſolùm fila illa ſerica in pileo, verùm & integra Inſignia, quibus alij Clerici Magiſtri, ſeu Doctores vtebantur. Inde etiam firmatur, in Academia Salmantina debere noſtros Magiſtros in actibus publicis vti eiſdem Inſignibus, ac alij Clerici Magiſtri vtuntur, cũ hoc ita in praxi contingat in alijs Academijs. Tandem aſſertio ſtatuta confirmatur ex eo, quòd Noſtri, cum Cardinales S.R.E. creantur, integro purpureo amictu ornantur, cum non ſic ornentur Religioſi Fratres Sacrorum Ordinum Cardiles; ex ea nimirum cauſa, quòd noſtri ſunt Clerici verè, & propriè, ſed Religioſi ſimul.

Quæſtio XIX. An Religioſi è Societate Ieſu, in Academia Salmãtina Magiſterij laurea donati poſsint habere in ea munus Vice Cancellarij?

445 SCHOLASTICVS Salmantinus, ſeu Magiſter Scholæ eſt eius Cancellarius, Iudexque Ordinarius in Ciuilibus,& Criminalibus reſpectu omnium, qui Matriculæ Academiæ Salmanticenſi adſcribuntur. In caſibus autem, in quibus hoc Munus vacat, ratione promotionis ad aliam dignitatẽ, vel mortis eiuſdem Magiſtri Scholæ, Senatus ipſe Academię Doctorum, & Magiſtrorũ ſuis vtens priuilegijs per ſuffragia deſignat Vice Cancellarium, donec alius Cancellarius adueniat; & indifferenter ſolent vel Theologum, vel Iureconſultum ex eodem gremio eligere. Quærimus ergo, an poſſint id munus gerere Religioſi Societatis ad Gradum Magiſterij promoti?

446 Aſſero primò, illos non poſſe ambire, petere, procurare, nec negotiari prædictum munus, nec per ſe, nec per alium; nec directè, nec indirectè. Et in primis, ſi ſint Profeſſi quatuor votorum (raròque euenit, non eſſe Profeſſos) impediti ſunt voto, quod poſt Profeſſionem emittunt inter alia vota ſimplicia; quod eſt huiſmodi; *Promitto prætereà, nunquam me curaturum, prætenſurumvè extra Societatẽ prælationem aliquam, vel dignitatẽ.* Hæc forma præſcripta eſt *in prima, & tertia Congregatione Generali Societatis*, & deſumpta ex Cõſtitutionibus ipſius, ac probata à Gregorio XIII. in Bulla, quæ incipit *Aſcendente Domino*; Ibi dicitur; *Neque prætenſuros, ne indirectè quidem, vt in aliquam prælationẽ, vel dignitatem intra, vel extra Societatem eligantur.*

447 Tunc ſic. Munus Vice Cancellarij eſt prælatio, ſeu dignitas; ergo Noſtri Magiſtri nequeunt illã ambire, aut procurare, ne indirectè quidem. Et ſanè, licèt aliqui inter prælationem, & dignitatẽ apponant diſcrimen, alij verò maiorem ſolũ explicationem verborum agnoſcant, attamẽ eſt certum, in vna, vel alia, aut in vtraque ſignificari munus Superioris habens iuriſdictionem ordinariam, aut delegatã in ſubditos, & quamcumque prælationẽ, ac dignitatem Eccleſiaſticam. Ita cum pluribus P. Suarez *tom.4.de Relig.lib.6. cap.7. num.13.* P. Caſtro Palao *tom.3.diſp.5. punct.5.* Vbi notat prælationem, & dignitatẽ eſſe idem, & declaratum iam eſſe in noſtra Congregatione Generali ſeptima, *Decreto* 44. Ita etiam P. Thom. Sanchez *in ſum. libr.6.cap.18.n.15.* Nec immoror in explicando, quid ſit indirectè ambire; & an deſideriũ prælationis huic voto opponatur; Hæc enim communia ſunt nõ ſolùm huic quęſtioni, quam ventilamus, ſed omnibus dignitatibus, quæ ambiri poſſunt. Videat, qui velit, Patrem Suarez *vbi nuper num.9.* At munus Vice Cancellarij eſt dignitas, & prælatio, vt ex ſe eſt manifeſtum; quippè habet Vice Cancellarius eãdem iuriſdictionem in ſubditos in Ciuilibus, & Criminalibus, ac habet Cancellarius; igitur nullatenus poteſt ambiri, aut procurari à noſtris Magiſtris voto adſtrictis.

448 Quòd ſi in aliquo euentu Profeſſi quatuor votorum non ſint, nec eo voto ſimplici adſtringantur, adhuc iuxta Societatis Inſtitutum nequeunt id munus ambire, aut procurare. Solemne enim eſt in Conſtitutionibus, Ordinationibus, & Regulis Societatis, oſtium præcludere ambitioni, & negotiationi Munerum, ac Dignitatum, etiam multò inferiorum; nec hoc vnquam vlli permiſſum; ſeueriſſimèque puniretur, qui in re tanti momenti reperiretur à ſuo Inſtituto deficere, totque Conſtitutiones, & Ordinationes tranſgredi. Quarè, & ſi contra votum non

adhuc

adhuc emissum ambientes munus præfatum non delinquerent, tamen transgressores essent legum sanctissimarum sui Instituti; iuxta quas non valent illud ambire, nec negotiari.

449 Assero secundò, casu quo Religiosus è Societate in Academia Salmantina Magister eligeretur, absque sui negotiatione in Vice Cancellarium, non posse admittere id munus, nisi cogeretur per obedientiam eius, qui ipsi potest præcipere sub pœna peccati. Et primò, si Magister sit Professus quatuor votorum, adstrictus est voto ad non admittendum, nisi detur obedientia prædicta; Nam post solēnem Professionem illud emittitur inter alia vota simplicia; *Nec consensurum in electionem, quantum in me fuerit, nisi coactus obedientia eius, qui mihi præcipere potest sub pœna peccati.* Nomine autem eius, qui potest præcipere sub pœna peccati, intelligitur aut Summus Pontifex; vt supponitur à P. Suarez *tom.* 4 *de Relig. libr.* 6. *cap.* 8. *numer.* 15. P. Castro Palao *tom.* 3. *Oper. moral. disputat.* 5. *punct.* 6. *in ipso titulo*; aut Præpositus Generalis Societatis eo modo, qui ei præscribitur *in part.* 9. *Constitut. capit.* 3. §. 13. aut demum alius, qui ad præceptum imponendum delegationem habeat ab eo, qui potest illam concedere. Cum ergo supra posuerimus, munus Vice Cancellarij esse dignitatem, seu prælationem, fit, vt ratione voti nequeat admitti, si obedientia eiusmodi nō coegerit. Quòd si velis agnoscere, non sufficere ad admittendas dignitates in Societate Iesu simplicem obedientiam, seu mandatum, sed requiri præceptum sanctæ obedientiæ; & præterea, licèt communiter hoc præceptum debeat esse positiuum, tamen sufficere, si in aliquo casu obliget præceptum diuinum charitatis propter aliquam vrgentem fidelium vtilitatem, consule Patrem Suarium *ubi supra*; nam hęc non sunt specialia nostri instituti in hac quęstione, vt iam prænotaui.

450 Quòd si Magister è Societate non esset Professus quatuor votorum, & eligeretur in Vice Cancellarium, esto contra votum non peccaret admittendo munus, at illud admittere non valeret absque licentia expressa Superiorum; quam ei non fore cōcedendam (si fortè aliquando casus eueniret) mihi est indubitatum, nisi specialissimæ, ac vrgētissimæ essent causæ. Quippè in primis nullum munus, officiū, aut occupatio suscipi potest absque facultate Superioris in Societate, & maximè quæ sunt eius cōditionis, quale est munus Vice Cancellarij; quod passim habetur in Constitutionibus, Regulis, & Ordinationibus ipsius Societatis. Deinde S. Parens Ignatius, qui voluit, Professos votis suprà præfixis adstringi, sanè optauit, vt sui, etiā nō Professi, longissimè abessent ab his muneribus, ac prælationibus exercēdis, vt sic humilitatis amantes à periculo, & specie ambitionis, ostio ad illam pręcluso, omnino remouerentur. Id sæpè in suis Constitutionibus serio admonet; eiusque spiritui inhærentes Superiores numquam, nisi causa vrgens sit, eam fore cōcessuros facultatē: mihi suaserim. Et quamuis, vt constat ex dictis *suprà quæst.* 7. §. 7. Pontifex permittat eligi in Vice Cancellarium quēlibet Magistrum, etiam Regularem, sanè eius mens ibi non est, cōtraire statutis proprijs Religionis; nec eius verba denotant, velle dispensare in illis.

451 Dices, plures sunt Academiæ in Germania, Polonia, & alijs Prouincijs, in quibus Religiosi Societatis sunt Rectores, & Cancellarij; non ergo id est contra Societatis Institutum; nec à Superioribus erit deneganda facultas, si casus daretur, admittendi munus supra dictum, cum solum sit in substitutione, & per exiguum temporis interuallum; cum eam facultatem concedant ad similia munera, non in substitutione, nec per breue tempus obtinenda.

452 Vt satisfaciam, animadto, prælationes alias esse intra Societatem, alias extra; & inter earum acceptationem dari discrimen. Etenim respectu vtrarumque Professi Societatis Iesu emittunt votum non ambiendi illas; & etiam Constitutiones, & Regulæ impediunt, ac prohibēt ambitionem, & negotiationem vtrarumque. Cæterùm non sic se res habet in acceptatione; siquidem non emittitur à Professis votum non acceptandi prælationes intra Religionem, vnde quis acceptare potest, & acceptat munus Præpositi Generalis, cum à Congregatione Generali eligitur, & munus Prouincialis, Præpositi, aut Rectoris, cum designatur à Præposito Generali, etiam absque vllo præcepto; & hanc acceptationem non prohibent Constitutiones, & Regulæ Societatis, quin potius illam suadent, hortādo indifferentiam voluntatis ad exercendum quodlibet officium à Superioribus designatum. Etenim id exigit recta Religionis gubernatio, vt eius munera

non quidem ambiantur, ſed tamen acceptentur, cum neceſſario ſint exercenda ab ipſis Religioſis. At votum emittitur non acceptandi dignitates, ac prælationes extra Societatem; cum ab earũ acceptione nequaquam dependeat recta Religionis gubernatio, & aliunde pluta ſint motiua pia, ac licita, atque ad maiorem perfectionem ſpectantia ad id votum emittendum, vt probant P. Suarez, & P. Caſtro Palao *vbi ſuprà*. Et eadem ſeruata conformitate, etiam in non Profeſſis, nec eo voto adſtrictis, optatur, ſuadetur, & procuratur eadẽ non acceptatio prę lationum, ac dignitatũ extra Societatem.

453 Hinc facilè obiectiunculæ reſpondeo, Academias, in quibus Religioſi Societatis ſunt Rectores, & Cancellarij, eſſe traditas à ſuis Fundatoribus Societati Ieſu, ſeu à Principibus, qui id præſtare poterant; earumque acceptationem eſſe noſtro Inſtituto conformem, vt ex dictis in ſuperioribus *quæſt.* 16. conſtat; quare earum gubernatio eſt penès ipſam Societatem, quæ eodemmodo deſignat Cancellarios, & Rectores illarũ, ſicut deſignat Rectores Collegiorum, & Prouinciales; vnde ſunt dignitates, ac prælationes intra ipſam Societatem, quæ, licet ambiri non queant, tamen poſſunt, & debent acceptari, cum id recta, ac neceſſaria gubernationis ratio ſuadeat; At munus Vice Cancellarij in Academia Salmantina eſt dignitas, ſeu prælatio extra Societatem; atque adeò non ſolum nõ poteſt ambiri, ſed nec acceptari, modo ſupra dicto.

454 Dices rurſùm; Magiſtros Academiæ Salmantinę teneri obedire eius Rectori ſub pœna præſtiti iuramenti; quod de obediendo ei in licitis, & honeſtis enuntiant quotannis in profeſto Sãctę Catharinę, die 24. Nouembris; & præterea Magiſter Scholæ poteſt eis iuſta præcipere ſub pœna excommunicationis, & conſequenter ſub pœna peccati, cum excommunicatio maior nequeat ferri niſi propter peccatum mortale inobedentiæ; ergo, ſi Rector, aut Magiſter Scholæ Salmantinæ, qui parat abſentiam ab Academia, præciperet Magiſtro, vt munus Vice Cancellarij admitteret, teneretur admittere.

455 Reſpondeo, Magiſtros teneri obedire Rectori, & Magiſtro Scholæ in licitis, & honeſtis; & quamuis acceptatio, & exercitium muneris Vice Cancellarij ex ſe ſit licitum, & honeſtum, at reſpectu Religioſi Societatis, cum ſit affectum circunſtantijs voti repugnantis, aut prohibitionis, non eſt honeſtum, nec licitum, atq; adeò Religioſum huiuſmodi Magiſtrum non teneri obedire illis. Etenim iam diximus, ſolùm poſſe admitti prælationẽ, aut dignitatem, cogente præcepto eius, qui poteſt iubere ſub pœna peccati; cuius nomine intelligitur Pontifex, vel Præpoſitus Generalis, modo ſupra dicto, aut aliquis de eius delegatione ſpeciali. Nec ſufficit, poſſe præcipere alias res ſub pœna peccati, vt poſſit etiam præcipi admiſſio dignitatis; nam Prouincialis, & Rector Collegij poteſt ſub pœna peccati, & ſub cenſuris plura præcipere Profeſſis ſubditis ipſorum; & tamen nequit præcipere, vt admittant Epiſcopatum, ſeu dignitatem Cardinalitiam, & ſimilia. Hoc confirmatur, quia ſi Rector, aut Magiſter Scholæ præciperent Religioſis Societatis, ſub eorum obedientia matriculæ adſcriptis, vt opponerentur ad Cathedras, nec tenerẽtur, nec poſſent obedire; quia, licèt ea Oppoſitio ex ſe ſit licita, non eſt tamẽ eſt licita illis, vtpotè per ſuas leges prohibita. Itaque iuriſdictio Magiſtratuum Academiæ in Regulares non extenditur ad ea immutanda, quę ſunt eſſentialia Religioni, aut his annexa, nec valet eneruare regimẽ domeſticum, Religionis proprium, vt latè dicam *lib. 2. quæſt. 29.*

459 Nec quidquam inconuenit acceptioni Graduum in Academia Salmantina, quòd noſtri nequeant vnam, vel aliam functionem exercere ex his, quæ alij Magiſtri exercent; eę enim functiones non ſunt cum gradibus connexæ, & per accidens ſe ad illos habent; cũ vnus, aut alius ſolùm eas exerceat, cæterique ab illis vacent. Et abſolutè Magiſtri poſſunt ſe liberare & a muneribus, & ab oneribus Academię, cum valeant abeſſe ab vrbe Salmãtina, imò in ea degentes non cogantur frequentare Academiam, nec adeſſe Actibus litterarijs, alijſque Conſeſſibus; niſi fortè aliquando pœna præſtiti iuramenti intercedat; quæ tamen pœna quid ſignificet, & ad quid obliget, dicemus *lib. 3. q. 10. & libr. 2. q. 13.*

457 Cæterùm in Academia Salmantina ſunt aliqua munera, ſeu potius miniſteria, quę Noſtri promoti ad Gradus licitè gerere poſſunt; quippè non ſunt dignitates, aut prælationes cum iuriſdictione ſpirituali in ſubditos; imò nec honores, quorum exercitium ambitioni locum aperiat; Eiuſmodi eſt officium Primicerij

rij, Deputati, aliaque huiuſmodi. Similiter, ſi quis ex noſtris Magiſtris tandiu viueret, vt antiquior omnibus remaneret, poſſet omnia ea peragere, quæ Decani Collegij, ſeu Senatus Theologici ſunt propria; ea enim prærrogatiuę antiquitatis ſunt annexa, quin iuriſdictionem propriè talem inuoluat Decanatus.

458 Conſequenter ad doctrinam traditam, & obiter eſt animaduertendum, nec præfatos Magiſtros, nec alium quemuis è Societate poſſe eſſe Iudicem negotij forenſis Eccleſiaſtici, nec Iudicis aſſeſſorē, nec arbitrum, nec delegatum, niſi de licentia expreſſa Præpoſiti Generalis Societatis Ieſu. Quam facultatem ideò ablatam fuiſſe, videtur, vt nō ſolùm à dignitatibus, & prælationibus, quæ permanente iuriſdictione gaudent, Religioſi Societatis elongentur, verum & ab his functionibus, & actibus, quæ iuriſdictionem aliquam, & ſi breui tempore, ac pro limitatis negotijs, durantem requirunt, aut ſpeciem habent prælationis, vt ſic firmiùs ambitioni oſtiū præcludatur. Ita cum alijs docent, P. Franciſcus Pellizarius *in Manuali Regularium, tr. 6. cap. 12. num. 3.*

459 Etenim alijs religioſis interdictum non eſt, eſſe eiuſmodi iudices, interueniente vtilitate Monaſterij, & licentia Prælati, iuxta *cap. ex parte, de poſtulando; cap. Monachis ſecundo, 16. quæſt. 1.* Quam licentiam eis concedere poſſunt Prælati locales, vt docet Pater Thomas Sanchez *in ſum. lib. 6. cap. 13. num. 8.* A quo ſolùm excipiūtur Religioſi Ordinis Minorum *in Clementin. exiui, de verbo. ſignificatione*; vbi eis prohibetur quælibet in iudicio aſſiſtētia; eſto poſſint eſſe iudices arbitratores, quia ad hoc non requiruntur actus iudiciales; vt tuetur P. Layman *lib. 4. Sum. tract. 5. cap. 11. num. 6.* cū Thom. Sanchez, & alijs. Attamen in Societate Ieſu eam licentiam nequeunt præbere Superiores locales, nec Prouinciales, ſed ſolummodo Præpoſitus Generalis; vt extat *Part. 6. Conſtitutionum, cap. 3. §. 7. in declaratione littera D.*

460 Multò minus poſſunt eſſe Iudices Conſeruatores, cum ad hoc tam reſpectu illorum, quàm reſpectu aliorum detur prohibitio expreſſa, præter eos, qui deſignantur *in cap ſtatutum, de reſcriptis in 6.* Quippe, quidquid ſit de aljs iuribus, & priuilegijs, Clemens VIII. edidit Cōſtitutionē anno 1591. & Gregorius XV. eam innouauit, anno 1621, quibus decernunt, nullum alium Iudicem Conſeruatorem poſſe eligi à Regularibus, niſi eum, qui habeat qualitates præſcriptas in dicto *cap. ſtatutum*, & ſit deſignatus Iudex in Synodo Prouinciali, aut diœceſana; Qualitates autem illæ ſunt, vt Conſeruator ſit Epiſcopus, aut eius Superior, Abbas, aut obtinens dignitatem, vel Perſonatum in Eccleſia Cathedrali, aut Collegiata. Vnde conſulta Sacra Cardinalium Congregatio die 6. Octobris, anno 1617. an poſſet Conſeruator eligi Prælatus regularis, reſpondit, non poſſe. Ita Barboſa relatus à P. Caſtro Palao *tom. 3. oper. mor. tract. 16. diſp. 4. punct. 12. §. 1. num. 9.* Et prædictarum Conſtitutionum tenor ab eodem Barboſa affertur. Inde euincitur, præter alias prohibitiones ſpeciales, his communibus impediri Religioſos Societatis Ieſu, quominùs Iudices Conſeruatores eſſe queant. Hæc incidenter attigi, vt firmiùs roboretur aſſertio ſupra poſita de munere Vice Cancellarij in Academia Salmantina, & in quauis alia externa; cū munus ille ſit Iudicis, & hæc munera prohibita ſint Religioſi Societatis, niſi de licentia Præpoſiti Generalis; & præterea ſit prælatio, ſeu dignitas, quam noſtri habere non poſſunt.

Quæſtio XX. An in Magiſtratibus Academiæ detur merum imperium? & quàm mites eſſe debeant in puniendis Studioſis?

461 SVPPONIT hæc quæſtio, ciuilem iuriſdictionem, mixtumque Imperium competere Magiſtratibus Academicis; quippe gubernatio Academiæ abſque iuriſdictione nequit executioni mandari; & cum Magiſtratibus fuerit gubernatio cōceſſa, etiā illud cēſetur conceſsū, ſine quo commodè ad illam peruenīri nequit; argumento *legis 6. ff. de uſu, & habitat. l. 111. ff. de verborum obligat.* Idq; ſatis ex dictis, & dicendis fit manifeſtum, & euidens. Quare quæſtio præſens de mero Imperio procedit in cauſis criminalibus.

462 Ad quam quæſtionem etiam ſupponi debet, vt certum, Magiſtratum Academiæ, ſi ſit Eccleſiaſticus, non poſſe ob delictum damnare aliquem capite, aut membri mutilatione, aut alio ſupplicio

plicio, quo nimius sanguis effundatur. Id enim cõmune est omnibus Iudicibus Ecclesiasticis, ne irregularitatem contrahãt; quare, cum delinquẽs supplicia huiusmodi meretur, traditur brachio sæculari, & Iudex Ecclesiasticus ab eo poscit, vt leniter cum eo se gerat. Alia autem supplicia, quę irregularitatem non inducunt, possunt à iudice Ecclesiastico infligi pro qualitate delicti. Inquirimus itaque, an Magistratus Academiæ, si sit Ecclesiasticus, possit in causis criminalibus procedere infligendo supplicia, quæ elicient, aut tradendo delinquentem sæculari Iudici; vel, si sit sæcularis, an etiam pœna mortis valeat punire merentem. Vtor autem hac voce *Magistratus*, nam pro diuersitate Academiarũ, diuerso nomine, ac dignitate insigniuntur Iudices, quibus præstita est iurisdictio erga Academiam: & omnes sub ea voce includuntur.

463 Igitur Magistratus Academicos habere merum Imperium, latè probat Ioannes Frischen *ad Authenticam Habita, Cod. ne filius pro patre*, hanc quæstionem consultò instituens, & ex vi eius Authenticæ merum Imperium colligens; suamque sententiam plurimorum Interpretum authoritate confirmat, qui apud ipsum videri possunt. Eam censeo verissimam, & pluribus locis tradit, aut supponit illam Don Alfonsus de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdict.*

464 Probatur hæc sententia. Nam erectio Academiarum de Regalibus est, & solum potest institui authoritate Summi Pontificis, aut Principis Supremi, vel Reipublicæ exemptæ, vt nõ semel in hoc libro tradimus, & præter alios plures docet Bocerus *de Regal. cap. 2. n. 121. & in tract. de iurisdict. cap. 1. num. 43.* In illis autem omnibus, certum est, dari merum Imperium, atq; adeò posse illud committere his, quibus iurisdictionem cõcedunt. Tunc sic. Principes prædicti suã iurisdictionem concedunt Magistratibus Academicis, vt constat tum ex relata Authentica, tum ex diplomatibus, ac priuilegijs in fauorem Academiarum, & Magistratuum expeditis, ergo illis præstant merum imperium; nam, quoties Princeps suam iurisdictionem concedit, intelligitur etiam merum imperium conferre; vt ostẽdunt Ferdinandus Vasquez *illustrium quæst. controuers. 3. n. 9.* Baldus *in leg. beneficium, num. 3. ff. de constitut. Princip.* Alexander *consil. 135. num. 1. lib. 4.* Tiberius Decian. *respons. 43. num. 8. vol. 3.* Menochius *de præsumpt. 79. à num. 93.* Vuesembech. *consil. 95. num. 8.* Ratio est, tum quia beneficium latè est interpretandum, & causa Studiorum est omni fauore digna; tum quia, cum iurisdictio indefinitè concedatur, non est finitè accipienda, quin potiùs verba generalia sunt generaliter accipiẽda, ita vt omnia comprehendant, nihilq; intactum relinquant; cum à generali dispositione nullus omnino casus excipi, aut eximi debeat. Quod ex Iuris dispositione, & Interpretũ doctrina statuit Ioannes Frischen. *vbi suprà à pa. 172.* vbi plura congerit, quæ suadẽt, in præfata Authentica hoc merum imperium stabiliri, cum Imperator commodo Studiosorũ prospexerit, cosque speciali dilectione fuerit prosecutus, voluerit que laborí litterario subsidia, ac solatia præbere, ac singularia beneficia, seu priuilegia largiri.

465 Confirmatur assertum. Iudex ordinarius loci nullam potest sibi vendicare iurisdictionem in causis Academicorum ciuilibus, ergo multò minùs in criminalibus; nam cui denegatur, quod est minus, denegatur quod est maius in eo ẽ ordine; *leg. 7. §. fin. de interdict. & relegat. leg. 5. §. fin. ff. de dolo mali. & metus except. cap. cum illorum, extra, de sent. excomunic.* Et absurdum est, posse quempiam in alicuius vitam, & famam proferre sententiã, de cuius re pecuniaria cognoscere nõ potest; *leg. fin. Cod. de agentibus in rebus, libr. 12.* Cum ergo iurisdictione in criminalibus non gaudeat Iudex ordinarius loci, restat, vt Magistratus Academiæ ea potiatur, si quidem in altero eorum debet dari, ne delicta maneant impunita.

466 Et quidem ratio congruentiæ id suadet; nam si in criminalibus causis Studiosorum haberet iurisdictionẽ alius Iudex, nisi Academiæ Magistratus, posset timeri, Studiosos fore nimis vexandos, ac premendos, indeque studiorum minueretur frequentia contra mentem Imperatorum, & Principum. Huius timoris rationabiliter præhabiti causam annotanit Bocerus *in orat. de dignitate, & vtilitate Academiar. p. 2.* vbi sic ait *Obuersantur cuiuis ante oculos vbique Gentium, qui singulari æstu diaboli in litterarias Vniuersitates à laudatissimis Principibus singulari pietate, Dei omnipotentis in honorem, & communis commodi causa institutas, hucusque ab eorundem successoribus conseruatas, ea æstuant inuidia, vt, si non modò eas radicitus tollere,*

se

ſed & memoriam ipſarum delere poſſent, omnes ſuos in hoc intenderent neruos quàm maximè. Hanc igitur ob cauſam, ſingulareque odium iure meritò cauendum, ne Studioſi iniquè premantur.

467 Accedit, quòd Iudices Academiæ ordinariam habent iuriſdictionẽ in Academicos, vt hoc libro ſtatuemus *quæſt.* 24. Iuriſdictio autem ordinaria cõplectitur cauſas ciuiles, & criminales. Præterea in *dicta Authentica* conceditur iuriſdictio Magiſtratibus Academiarum ad lites, & negotia Studioſorum; ſub nomine autem litis, & negotij, in Iure non ſolùm ciuiles, ſed criminales cauſæ cõprehẽduntur. Rurſus exercitiũ meri Imperij de facto exercetur à Magiſtratibus Academiarum, quin vllus refragetur; vnde eorum iuriſdictio in criminalibus eſt manifeſta, ſiue ea concedatur *in Authentica Habita*, ſiue non; eſto in ea concedi, iudicem verum; ſed non ſolùm in illa, imò pluries alibi; & in ipſa diſignatione Magiſtratuum Academiæ facta à Principibus, mediatè, vel immediatè, etiam ea iuriſdictio præſtatur. Id conſtat in noſtræ Hiſpaniæ Academijs, & plurimas ex alijs Nationibus refert Ioannes Friſchen *ſupra pag.* 114. in quibus datur ius gladij. Ipſe alijs rationibus confirmat doctrinam expoſitam, quæ nec neceſſariæ ſunt, nec ſolidæ meo iudicio; ſcilicet quia Clerici à Iuriſdictione laicorum ſunt exempti in criminalibus, ſuumque forum habent, ergo etiam ſtudioſi; eamdemque paritatem à militibus trahit, contendens, ſtudia eſſe quid ſacratum, & leges dici ſacratiſſimas, & vocari ſacrilegum eum, qui iniuriam irrogat Studioſo; ac præterea litterarium laborem non eſſe imparem militari; Quæ omnia plus metaphoræ, & exornationis, quàm ſoliditatis continent. Præterea intendit, competere Academijs ius ſceptri, quod eſt maius, quàm merum imperium, cum hoc non ampliùs extendatur, quàm ad vitam adimendam, illud verò ad donandam, liberandumque morte damnatos. Quod non aliunde probat, quàm ex dictis quorumdam Authorum, qui profecto non ſunt locuti iuxta iuris rigorem, ſed exornatoriè, & per exaggerationem.

468 Contrariam tamen ſententiam negantem merum Imperium Magiſtratibus Academiæ defendunt Vlricus Hunus *in tract. de priuileg. Studioſor. cap.* 2. *quæſt.* 1. Donellus, Vulteius, & alij apud Friſchen *ſuprà pag.* 222. Arguunt primò; contẽdentes non dari *in Authentica Habita* præfatam iuriſdictionem; quia in ea ſolùm ſimplex iuriſdicto conceditur, quæ opponitur mero imperio; & iure communi delinquens in loco delicti conueniri debet, cum reatus omnem excludat honorem, & fruſtrà leges inuocet, qui contra eas delinquit. Quod confirmant, quia iuriſdictio ibi conceſſa ſolùm eſt ad *lites, & negotia*, quæ voces nõ ſignificant cauſas criminales, ſed hominum commercia, & actiones ciuiles ex illis profluentes.

469 Reſpondeo, & ſi in relata Authentica non concederetur merũ imperium, aliunde conſtare, illud competere Magiſtratibus Academiæ, vt ſuprà diximus. Deinde ſatis ſtabilitum eſt, in ea fuiſſe conceſſum, cuius contrarium non probant propoſitiones aduerſariorum, quæ ſimilem vim habent contra iuriſdictionem in cauſis criminalibus Clericorum, & militum, quorum delicta, certum eſt, puniẽda eſſe à ſuis proprijs Iudicibus. Eas autẽ voces extẽdi non ſolùm ad cauſas ciuiles, ſed ad criminales, ſupra ſtatuimus; & probat Gloſſa *in præfata Authentic. verbo, ſi litem; Cuiacius lib.* 6. *obſeru.* 21. & innumeri alij.

470 Arguunt ſecundò. Nõ maior iuriſdictio, ſed æqualis, conceditur Magiſtratui Academiæ, quàm Epiſcopo, in relata Authentica; ſed Epiſcopo *in relata Authentica*; ſed Epiſcopo non competit merum Imperium, cum debeat à ſanguine, & vltimo ſupplicio abſtinere: *cap. ſi nobis in fin.* 21. *quæſt.* 8. cum pluribus alijs, ergo nec competit Magiſtratui. Reſpondeo ex dictis ſupra, Iudicem Eccleſiaſticũ habere merum imperium, ſed executionem meri imperij debere Iudici ſæculari committere. Epiſcopo autem competere merum imperium, conſtat *ex cap. in Archiepiſcopatu, extra de raptoribus; cap. fin. Ne clerici, vel Monachi in* 6. *leg. Epiſcopale* 9. *de Epiſcop. audient.*

471 Arguunt tertiò ex inconuenienti, quia, ſi delinquentes Studioſi non poſſent puniri à Iudice ordinario loci, tuti, & immunes à pœna redderentur, & hoc valdè eſſet Reipublicæ perniciosum. Sed in primis aduerſarios rogo, an hoc argumentum habeat vim contra Clericos delinquentes? Et quod pro his reſpõderint, applicabo Studioſis. Deinde aio, delinquentes Studioſos ſanè fore puniendos, ſed à ſuo Iudice; quòd ſi abſit, poterunt à Iudice loci cõprehendi, & ad illum remitti,

remitti, in quo nulla est Reipublicę pernicies.

472 Arguunt quartò. In generali iurisdictionis concessione non comprehenditur merum imperium; *leg. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio*; &, cum forum priuilegiatum conceditur, non extenditur ad causas criminales; *leg. fi. Cod. vbi Senatores, vel Clarissimi, &c.* ergo, quamuis Magistratui Academiæ concedatur generalis iurisdictio, & Studiosis forum priuilegiatum, non extenditur ad causas criminales. Sanè hoc argumentum multum probat, atque adeò nihil; nã etiam probat, forum priuilegiatum Clericorum non protrahi ad criminales causas; & præterea ferè nullum esse Iudicem ordinarium, cui competat merum imperium, cum communiter concedatur illis iurisdictio sub ea forma generali. Et quidem lex prima adducta non agit de mero imperio, quod in concessione iurisdictionis præstatur, sed de eo, quod lege dabatur specialiter, & iure Magistratus non competebat; cuiusmodi nullum iam extare, docet Cuiacius *in leg. 1. & sequentib. ff. de iurisdict.* Etenim sub voce iurisdictionis merum imperium contineri, constat *ex leg. 2. §. & quia 23. ff. de origine iuris.* Præterea quòd in aliqua lege speciali restringatur forum priuilegiati ad causas ciuiles tantùm, non probat, semper esse restringẽdum; imò vbi non datur specialis restrictio, intelligenda est cum amplitudine cõcessio: vnde soluitur secunda argumenti propositio. Adde, vt constat ex titulo, sub quo subiacet illa *lex 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio*; ibi agi de concessione iurisdictionis delegatæ, in qua non transferuntur, quæ iure Magistratus, sed quę specialiter competunt.

473 Arguunt quintò. Magistratus Academię carent territorio; at subiectum meri imperij territorium est; ergo carẽt etiam mero Inperio. In primis alibi hoc ipso libro agimus de territorio Iudicum Academiarum. Deinde assero, subiectum meri imperij esse personã Magistratus, non territorium; & sufficit, dari subditos, in quos possit merum imperium exercere; nec iurisdictio sequitur territorium; quare non rectè sequitur; Academia est in territorio huius ciuitatis, ergo est sub iurisdictione huius Ciuitatis. Nec obstat, Magistratus Academiæ non habere carnifices, qui merum imperium exequãtur. Etenim merum imperium non consistit in nudo actu executionis, sed in potesta te iubẽdi illum. Nec adeò frequentia sunt supplicia, vt carnifice speciali indigeatur, maximè cum ea potestas suauiter sit exercenda, vt infra asseremus. Et sanè defectus carnificis multum probat, cum in plurimis locis non detur, quorum Magistratus merum imperium habent.

474 Arguunt sextò. Aliqui Principes, dum erigunt Academias, cõcedunt iure priuilegij Magistratibus illarum merum imperium; igitur iure communi illud non habent; frustranea quippe esset ea concessio gratiosa, si iure communi id imperium competeret. Respondeo, sæpe ius ipsorum commune redigi inter statuta municipalia, atq; adeò non inde probari, iure communi non esse imperium merum stabilitum. Deinde possunt Principes, cum sint in sua ditione Legislatores, ius commune ciuile in aliquibus causis, & casibus non admittere, & id solet contingere, ac in Tribunalibus iuxta leges Regni iudicatur, cum Iuri Ciuili communi aduersãtur; atq; adeò concessio meri imperij non denotat, eam non extare in Iure communi, sed est admissio, & confirmatio eius Iuris, & denotat, non coarctari cõcessionem in eo factam; sicut in aliquibus Academijs restringitur, & negatur Magistratibus potestas ad quasdam causas criminales grauissimas; teste Ioanne Frischẽ *vbi supra pag. 248.* Apud quem possunt videri alia argumenta leuiora, & quæ facilè enodantur.

475 Doctrinam adhuc sancitam non leuiter confirmat praxis communis in competentijs, quę versari solent inter Magistratus Academiarum, & Iudices Ordinarios locorum, cum hi aliquem Studiosum delinquentem comprehendũt; si enim renuunt illũ tradere, coguntur vel per cẽsuras, vel per sententiã Iudicũ Superiorũ ad eum tradendum. Frequentia sunt exẽplaria, & nõ solùm in Hispania nostra, sed in Exteris Nationibus; Aliqua referuntur à Thoma Lanfio *in Differt. de Academijs fol. 49.* Petro Dinais *disput. de iure meri Imperij pag. 25.* Scipione Gentili *de iurisdict. lib. 3. cap. 17.*

467 Iam vero, & si merum Imperium, & tota iurisdictio in Criminalibus stet penes Magistratus Vniuersitatũ erga Academicos, non ea in toto iuris rigore debent vti, pœnas delictorum in Iure designatas omnino infligendo, sed potius eas ex æquitate moderando, attentis circunstan-

cunſtantijs, quæ ſuadent, eam eſſe mẽtem Legiſlatorum, adeòque ius non violari, ſed æqua interpretatione adimpleri. Id etenim plures rationes ſuadent, vt non ſemel hoc ipſo libro repeto; nunc verò, vt amplius cõſtet hæc Magiſtratuum obligatio, & lenitas, qua ſe debent habere erga Studioſos, attentè prælegantur Thomæ Lanſij *vbi ſuprà* verba ſequentia.

Equidem, qui omnia Studioſorum peccata ad rigorem legum exigere ſatagunt, illi plerumque, aut neſciendo, quid, & quantum Studioſorum libertati tribuẽ dum, imprudentiam, & ſtultitiam ſuam produnt inepti: aut perperam puniendo, Sacroſanctum Reipublicæ litterariæ corpus diſturbant iniuſti. Vtrumque malè. Sicuti enim Conditores nouarum Vrbiũ ſolent ſecuritatem, ædificatis aſylis, promittere, Ciuium copia ne deſit; ita & eos, qui Scholas publicas, quas regunt, volunt eſſe florentes, celebreſque, ſæpiſſimè oportet indulgere; Et quod patres in filiorum faciunt erratis, multa, conniuendo, diſſimulare. Aliter, ſi faciant Regentes iſti, præter culpam diſſipatarum Scholarum, quam verè ſuſtinent, etiã audiant, neceſſe eſt, quæ minùs ordine ſuo ſcommata, conuicia, dicteria aculeata, & quæ inde, ſparſo latiùs odio, in innocentes, atq; im neritos Imperij Scholaſtici ſocios nonnumquam iaciantur. Non ergo audiendi ſunt illi Catones Pædagogici, qui libertatem Academicam in anguſtias planè ſeruiles, ac tremendi obſequij cogere, & tantùm non ferulę ſubijcere tentant; nec erubeſcũt profari, perinde ſibi eſſe, pauci, an multi Studioſi adſint in Schola, æquè ſibi ſtipendia *deberi, ſoluique*. Hæc bellè Thomas Lanſius.

Quæſtio XXI. An, & in quibus cauſis Iudices Academiarum iuriſdictionem exercere valeant in Clericos Studioſos, etiam vbi Epiſcopus, eorum Prælatus, adeſt? Et item in alios exemptos?

477 SVPPONIT quæſtio, Iudicem Academiæ habere iuriſdictionem Eccleſiaſticam, qua vti poſſit erga Clericos gaudentes priuilegio fori. Quo poſito, aſſero, ſi Clerici ſint Studioſi aut Academiæ albo inſcripti, exceptis aliquibus cauſis, de quibus agendum erit infra, in cæteris ſubiectos eſſe Iudici, aut Magiſtratui Academię, & ad hunc pertinere cognitionem cauſarum ciuilium, & criminaliũ eiuſmodi Clericorum. Docet ita cum alijs Don Alfonſus de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdict. cap. 33. num. 12.* Ratio eſt, quia iuriſdictio Academica priuatiua eſt, vt conſtat *ex Authentica Habita, Cod. ne filius pro patre,* & tradit Oſſualdus *lib. 17. Comment. cap. 20. litt. K.* & nos hoc ipſo libro ſtabilimus; quare ad Magiſtratus Academicos, & non ad alios pertinet ea cognitio cauſarum; Sicut, quia in cauſis Fidei ſunt Iudices priuatiuam habentes iuriſdictionem ipſius Fidei Quęſitores, ad eos ſpectat cognitio earum cauſarum, quamuis ſint clerici, vel Religioſi, qui de eis conueniuntur.

478 Vnde fit, Clericum Academicum poſſe declinare iuriſdictionem Epiſcopi, etiam ſi ab eo capiatur, & conueniatur; nec ſolùm Epiſcopi, ſed quorũcumque Iudicum Eccleſiaſticorum, excepto Pontifice, & Nuntio Apoſtolico. Fit etiam, ſi Clericus Studioſus in delicto comprehendatur à Iudice ſæculari, ab ipſo remittendum eſſe ad Magiſtratum Academiæ, non ad Epiſcopum, quia ille eſt proprius, & priuatiuus Iudex.

479 Hæc tamen doctrina limitanda eſt, ſi aliter fuerit in Academia aliqua ſancitum per conſtitutionem Pontificiam. Sic in cauſis Clericorum ciuitatis, & diœceſis Salmãtinæ datur locus prę uentioni inter Illuſtriſſimum Epiſcopum Salmanticenſem, & Scholæ Magiſtrum; ſic enim decreuit Martinus V. *in Conſtitut.* 23. Quæ diſpoſitio niſi fuiſſet expreſſa, omnino pertineret ad Scholaſticum Salmantinum cognitio cauſarum pertinentiũ ad Clericos Studioſos, cum ei, & Rectori Academiæ, vnicuique in cauſis ad ipſos ſpectantibus priuatiua iuriſdictio concedatur ab eodem Pontifice *conſtit.* 22. & ab Hiſpaniæ Regibus *in leg.* 18. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recopilat.* Ea autem eſt vis iuriſdictionis priuatiuæ, vt à quolibet alio Iudice ordinario iuriſdictio circa eas cauſas tollatur.

480 Hinc, ſi Salmantinus Clericus Studioſus in delicto comprehendatur à Iudice ſæculari, & nullus cauſam præuenerit, poterit ab eo remitti vel ad Epiſcopum, vel ad Scholaſticum. Attamen id obſeruat Eſcobar *vbi ſupra, n.* 20.

reum

ream Clericum poſſe optare, non ſolùm ante cauſæ præuentionem (vt in caſu propoſito) ſed etiám cauſa præuenta, dummodò non ſit conteſtata; ſiue Clericus ſit Reus, ſiue actor; quòd ſi vterque litigans ſit Clericus Studioſus, optare poterit Reus. Etenim hæc optio iure communi competit ſtudioſis, quoties plures Iudices habent, vt ex *Authentica Habita* probant Baldus,& Donellus, & docent Martha *de iuriſdict.4. part.caſu 39.* Oſſualdus, Socin. Gregorius Lopez,& alij relati à Don Alfonſo de Eſcobar *vbi ſupra à num.21*

481 Aliqua in præſenti obſeruanda ſunt. Primò, in cauſis, quæ pertinent priuatiuè ad Epiſcopum, non poſſe Scholaſticum Salmantinum, nec vllum Academiæ Magiſtratum ſe intromittere, quamuis Clericus ſit Studioſus, atq; adeò Epiſcopum poſſe illum inhibere;& è contra Epiſcopum non poſſe cognoſcere de cauſis Clerici Studioſi reſpicientibus dūtaxat Scholaſticam profeſſionem, cum in his non ſit præuentioni locus, nec ſint cauſæ mixti fori, ſed ſpectent per ſe ad Academiam, quare de illis non loquitur Martinus V. dum præuentioni locum præbet.

482 Secundò obſeruandum eſt, non dari locum præuentioni in Studioſorum Laicorum cauſis, etiam ſi hæ ſint eiuſmodi, quòd poſſet Epiſcopus de illis cognoſcere, ſecluſa iuriſdictione Scholaſtici Salmantini. Etenim Martinus V. ſolùm reſeruat Epiſcopo Salmantino ſuam iuriſdictionem in Clericos Studioſos ſuæ diœceſis,& dum hos ſolùm excipit, alios excludit, cum exceptio firmet regulam in contrarium; Verba Pontificis ſunt; *Per præmiſſa tamen iuriſdictioni Epiſcopi Salmātini, quātum ad ſibi ſubditos Clericos ſuæ ciuitatis, & diœceſis, in aliquo nolumus derogari, quin valeant coram eo, prout coram præfato Scholaſtico, conueniri.*

843 Tertiò eſt obſeruandum, ſtatutum eſſe de Clericis habentibus Prębendas, aut beneficia in ciuitate Salmantina, (quod non extenditur ad totam diœceſim) vt priuilegio fori,& Studij non gaudeant, etiam ſi matriculæ ſint adſcripti, niſi conſtet, verè eſſe Studioſos. Ita cautum eſt *in leg.18.tit.7.§.5. lib.1. Recopilat.* Et quidem æquiſſimo iure, ob vehementem fraudis præſumptionem; ne ſcilicet matriculæ aliqui adſcriberentur abſq; animo frequentandi Academiā, ſed dumtaxat vt iuriſdictionem Epiſcopi in ipſos vitarent. Arbitrio autem Scholaſtici probandum eſt, an verè ſint ſtudioſi; quòd ſi non ſint, ad Epiſcopum eorum cauſæ ſunt remittendæ.

484 Quartò obſeruari debet, quoſdam Iudices exemptos Ciuitatis Salmantinæ, vt ſunt Prior Eccleſiæ Beatæ Mariæ Magdalenæ, Ordinis Alcantarenſis, & Prior Sancti Ioannis de Barbalos, Ordinis Sancti Ioannis, & ſimiles, cōtendiſſe, habere iuriſdictionem erga Clericos Studioſos, qui ſunt in ſuo territorio, ſi cauſam pręueniant; non ſecùs ac habet Epiſcopus Salmantinus, idque eis competere virtute Conſtitutionis nuper appoſitæ Martini V. eo quòd iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuo territorio retineant, Epiſcopoque æquiparentur; Et aliunde ſunt in territorio diœceſis Salmantinæ. Sed ex nullo capite eis competit hæc iuriſdictio; non ex eo, quòd gaudeant iuriſdictione quaſi Epiſcopali; cum etiam omnes Epiſcopi Hiſpaniæ potiantur iuriſdictione ampliſſima Epiſcopali; & tamen nequeant cognoſcere de cauſis ſuorum ſubditorum, qui Salmanticam veniūt ſtudiorum cauſa, exceptis aliquibus, de quibus ſtatim dicemus. Deinde nec eis ſuffragatur, quòd ſint in territorio diœceſis Salmātinæ; nam ipſi, vt aiunt, ſunt nullius diœceſis; nihilq; iuuat, eſſe in territorio Salmantino, cum ſolùm Epiſcopus fuerit à Pontifice expreſsè exceptus, & ſub exceptione non poſſint illi comprehendi; priuilegia enim Epiſcopo Diœceſano conceſſa non extenduntur ad Iudices exemptos, qui in eius territorio ſunt; nec propriè dicitur territoriū Salmātini Epiſcopi id, in quo ipſe Epiſcopus iuriſdictionem non habet, eum ſola vicinitas materialis loci non cōſtituat territorium, ſed locus,& iuriſdictio ſimul illud conſtituant.

485 Cauſę cæterùm, quæ priuatiuè pertinent ad Epiſcopum, ſunt illæ, quæ concernunt ordinem Epiſcopalē, quales ſunt examen, & approbatio ad audiendas Confeſſiones, licentia ad celebrādum, collatio Ordinum, conſecratio Eccleſiarum, indulgentiarum conceſſio, & his ſimiles de quibus *infra quæſt.23. num. 496.* ad quas ſolus Epiſcopus poteſtatem, ac iuriſdictionem habet, adeò vt non ſolùm Studioſi Clerici, verùm & Magiſtratus Academiarum, & Scholaſticus Salmātinus, ſi aliquo ex illis egeant, ad Epiſcopum debeant confugere; & cauſæ ſuper his rebus ortæ ad illius Tribunal pertineant. Imò ſi Magiſtratus Academiæ violaret

laret Eccleſiam extrahendo ab illa delinquentem non ſubditum, aut quem ex vi iuæ iuriſdictionis nequiret extrahere, poſſet Epiſcopus cenſuris eum cogere, vt extractum Eccleſiæ reſtitueret.

486 Erga Regulares matriculæ Academiæ adſcriptos habent etiã Magiſtratus Academici iuriſdictionem in ciuilibus, & in cęteris, quę ad ipſam Academiam ſpectant; ſecùs in alijs, cum illi ſint exempti, & ſuis proprijs Prælatis ſub iaceant, à quibus nullus Pontifex ſuſtulit iurisdictionem, eam committendo Iudicibus Academiarum; quare à Prælatis proprijs debent pro culpis puniri, nec ad alios ſpectat regimem eorum perſonale, vt alibi hoc ipſo libro ſtatuo.

487 Adde, iuriſdictionem Magiſtratuũ Academiæ extendi ad quoſcumque alios exemptos in cauſis concernentibus ad ipſam Academiam, ſi ſtudioſi ſint, & albo matriculæ inſcripti, quamtuis eſſent Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Optimates, Equites, Ordinũ Militarium, ſeu quiuis alij; quia abſolutè, & generaliter conceditur iuriſdictio in omnes Academicos Magiſtratibus Vniuerſitatum; & licet exemptus nequeat ſuis priuilegijs renuntiare, & alterius iuriſdictioni ſe ſubmittere, id tamen limitationem habet, quando Pontifex, ſeu Princeps ſupremus, aſſiſtit ſubmiſſioni ſuorum ſubditorum, qui priuilegijs cõceſſis ab ipſis erant exempti; cum enim permittunt hanc ſummiſſionem, hi fiunt ſubditi, & ſubiacent iuriſdictioni Academicæ. Quod verum eſt, etiam ſi iam Exempti non ſint Studioſi, dum agatur de cauſis, quæ, dum erant ſtudioſi, contigerunt; ſicut obſeruatur cum non exẽptis. Vide Don Alfonſum de Eſcobar latè hoc punctum diſceptantem *vbi ſupra cap.* 34. Et ibi addit, tam exemptos, quàm alios, etiam ſi abſint à loco ſtudij, poſſe reuocari ab Scholaſtico Salmantino, ſeu à Magiſtratu Academico, ſi res id exigat, vt per ſe, vel per procuratorem, ad eius arbitrium, compareant. Ita tamen, vt ſi in reuocatione vtatur iuriſdictione Regia, valeat eos trahere à quocumque loco intra fines Imperij Hiſpanici contento, non tamen aliunde. Si verò vtatur Pontificia iuriſdictione, (quod iuxta qualitatem ſubditi debet attendi) à quacumque orbis plaga poſſit illos reuocare. Quare conſtat, Scholaſticum Salmantinum expediuiſſe litteras contra aliquos exiſtentes in Aragoniæ Regno, in Indijs, & in Vrbe Romana, eaſque fuiſſe executioni mandatas, vt idem Author obſeruat. Iam demum circa cauſas, de quibus cognoſcere poteſt Scholaſticus Salmantinus; vide *legem* 18. *lib.* 1. *tit.* 7. *Recopilationis.*

Quæſtio XXII. An in Tribunalibus Academiarum Regnorum Hiſpaniæ ad inſtrumenta conficienda vtendum ſit papyro ſignata?

488 IN pluribus Hiſpaniæ Regnis nequit vllum inſtrumentum publicum à Tabellionibus confici, niſi in papyro ſignata, ita vt ad valorem illius ſit ea conditio eſſentialis. Quod tamen ad Tribunalia Eccleſiaſtica non extenditur. Inde dubium oritur de inſtrumentis, quæ conficiuntur in Tribunalibus Academiarum, cum iam ſtatuerimus, Academæ Salmantinę, & ſimilium iuriſdictionem eſſe duplicem, & bipartitam; aliam, ſæcularem prouenientem à Rege in ſtudioſos laicos: aliam Eccleſiaſticam dimanantẽ à Pontifice in Studioſos Clericos, & potuiſſe in duobus Iudicibus conſtitui, ſed ob regiminis recti rationem, in vno, eodemque Scholaſtico, ſeu Magiſtratu confluxiſſe, qui pro varietate ſubditorum exercet vnam, vel aliam, & in aliquibus caſibus vtramque. Hinc in cauſis, in quibus exercetur iuriſdictio Eccleſiaſtica, indubium eſt, non fore vtendum papyro ſignata, vulgò *papel ſellado*. Reſtat, vt videamus, an in cauſis, in quibus Regia exercetur iuriſdictio, ſit eo genere papyri vtendum ad conficienda inſtrumenta quæcũque?

489 Si ſtemus rigori iuris, videtur planè, ea inſtrumenta debere confici in papyro ſignata; cum enim cauſæ in eo caſu procedant non ſecus ac ſi apud Tribunalia Regia, & ſæcularia tractarentur, conſequens eſt, vt eodem modo ac apud Iudices ſæculares inſtrumenta conficerentur. Verùm praxis, ratio, & æquitas aliud ſuadent. Et in primis eſt conſtans, in eiuſmodi

Tribunalibus Academicis non dari vſum papyri ſignatæ, ſiue cauſa ſit Studioſi Clerici, ſiue ſæcularis; & cum id Regi noſtro ſit manifeſtum, eiuſq; Supremis Miniſtris, & his, qui ad Tributorũ collectionem ſunt deſtinati, ſit, Regem voluiſſe excipere Tribunalia Academica à lege, & pragmatica generali, qua papyri ſignatæ vſum iniunxit. Quare iam pro ſe ea Tribunalia habent praxim, conſuetudinẽ, & tacitam Principis conceſſionem ſufficienter manifeſtatam permiſſione, ac cõſenſu.

490 Idipſum ratio ſuadet, nam, cum mixtim, & abſque diſtinctione omnes cauſæ Studioſorum, quicumq; hi ſint, in Tribunali Academiæ agitentur, maxima eſſet confuſio, nec facilè diſtingueretur, quę, & quorum inſtrumenta in hac, aut illa papyro forent conficienda. Et quidem, cum vtraque poteſtas, Pontificia, & Regia in eadem perſona concurrunt, Miniſtri eius Tribunalis prorſus ſunt, ſicut Miniſtri Tribunalis Eccleſiaſtici; vt videre eſt in Tribunali Scholaſtici Salmantini, & Epiſcoporũ, qui ſunt Domini temporales alicuius ciuitatis, aut loci, in eoq; iuriſdictionem in radice ſęcularem exercent, vbi dũt axàt Notarij inſtrumenta conficiunt; Notarij autem ſunt Officiales proprij Tribunalium Eccleſiaſticorum; quare inſtrumenta etiam quæcumque confici debere videntur, ſicut in Tribunalibus purè Eccleſiaſticis; et ſic cõficiuntur in Tribunalibus Epiſcoporum, ad huc in cauſis ſæcularibus temporalis iuriſdictionis; Ac, ſicut temporalis iurisdictio annexa iam eſt iuriſdictioni Eccleſiaſticę in præfatis Epiſcopis, ſic, proportione ſeruata, in Magiſtratibus Academiæ coniuncta eſt Regia iuriſdictio cum Pontificia. Scio, aliquam eſſe inter eos diſſimilitudinem, & iuriſdictionem prædictã Epiſcoporum fuiſſe quaſi in Eccleſiaſticã redactam; at nemo negabit, non ineffaciter militare paritatis rationem quoad præſens dubium. Et deinde, ſi Epiſcopus Gubernatorem in ſua ditione conſtituat, cui iuriſdictionem ſæcularem tribuat, in eiuſque Tribunali non agantur res per Notarios, ſanè vtendum erit papyro ſignata.

491 Accedit etiã, quòd Magiſtratus Academię aliquos actus exercent vtentes vtraq; poteſtate; ſic cõferũt Gradus Pontificia, & Regia authoritate, aliaq; ſimilia perficiũt. Quis autẽ dicat, in his euẽtibus duo fore cõficienda inſtrumenta, aliud in papyro ſignata, aliud in cõmuni papyro, vt in illis proferatur teſtimoniũ Gradus? Rurſus, ſi in vnica papyro inſtrumẽtũ ſit exarandũ, non in ſignata debet præſtari; quia, concurrente vtraq; poteſtate; potior eſt cauſa iuriſdictionis Eccleſiaſticæ vtpotè dignioris, atq; adeo inſtrumẽtũ coficiendum eſt in papyro comuni, qua vtuntur Eccleſiaſtica Tribunalia.

492 Poſtulat id etiã æquitas; nã, cum in fauorem Studioſorũ ſemper Principes priuilegia plura expediuerint, eoſq; à pluribus vectigalibus reddiderint immunes, vt ſic poſſint faciliùs litterarũ ſtudia proſequi, cum ad Academias ex diſtantibus Prouincijs aduenient, ingenteſq; ſumptus faciãt, quibus domus paternæ, & facultates anguſtantur, ac minuũtur, æquũ valdè eſt, & Principũ placito conſonũ, vt in ſuis cauſis nõ grauẽtur tributo papyri ſignatæ; Et ſicut in ipſis par eſt, vt pœna pecuniaria nõ mulctẽtur, vt alibi hoc ipſo libro aſſero, ita eſt etiã rationi cõſentaneũ vt ſumptibus papyri eiuſmodi non onerentur.

Quæſtio XXIII. An Magiſtratus Eccleſiaſtici Academiarum fungantur aliqua poteſtate circa relaxationem votorum, & abſolutionem à caſibus reſeruatis erga ſuos ſubditos?

493 LATE egi *in tractatu ſuper Bullam Cruciatæ diſputat. 25. & 26.* quibus modis votum relaxariqueat, & à quibus, ac quęnã vota; præterea quis poſſit abſoluere à reſeruatis, quos, & quomodo. Et ex dictis ibi, quę nõ ſunt repetenda, facilè quæſtiones propoſitas reſoluemus. Non loquimur in præſenti de poteſtate, quæ Magiſtratibus Academię ex alijs capitibus cõpetere poteſt; ſcilicet ratione priuilegij alicuius, aut Bullæ Cruciatæ habitæ à pœnitente, qui velit, ſua vota commutari, ſeu abſolui à caſibus reſeruatis; vel ratione alicuius Iubilæi, vel demum ſi Magiſtratus ſit ſimul Epiſcopus; ex omnibus enim his capitibus poteſt ei competere poteſtas circa votorum relaxationem, & abſolutionẽ à reſer-

à reſeruatis, maior, aut minor, iuxta qualitatem priuilegij, vel muneris, ſeu Dignitatis; vt locis relatis *in meo tractatu de Bulla Cruciat.* & pluries alibi ibidem ſtatuo. Agimus ergo de Magiſtratibus Eccleſiaſticis Academiarum, præcisè quà Magiſtratus earum ſunt.

494 Tenendum ergo eſt, prædictos Magiſtratus nullam poteſtatem habere circa relaxationem votorum, nec circa abſolutionem à caſibus reſeruatis, niſi cenſuræ ab ipſis ſint latæ. Et in primis vota Studioſorum irritari nequeunt à Magiſtratibus Academicis, quia ad irritationem requiritur poteſtas dominatiua, quæ non datur in illis reſpectu ſubditorũ, ſicut nec in Epiſcopis inuenitur reſpectu eorum, qui ſubijciuntur ipſis; vt *loco præfato* fusè oſtendo.

495 Deinde nequeunt Magiſtratus Academici relaxare vota ſubditorum per diſpenſationem, aut commutationem, nec abſoluere eos à peccatis, ſeu cenſuris reſeruatis Sedi Apoſtolicæ, vel Epiſcopo, ſiue Prælato alicui. Ratio eſt, quia ad id non habent ſpeciale priuilegiũ, & aliunde iuriſdictio Eccleſiaſtica, qua funguntur, ad idipſum non extenditur. Quippe, vt poteſtas relaxãdi vota, aut abſoluendi à reſeruatis competat alicui Superiori Eccleſiaſtico, neceſſum eſt, vt hi, in quos exercenda eſt eiuſmodi poteſtas, ſint eius ſubditi non ſolùm quoad forũ iudiciale, ſed quoad forũ pœnitẽtiale, vt ex Barb. Fragoſ. ac P. Suarez tradit D. Didacus Antonius Frances de Vrrutigoyti *In Foro conſcientiæ, ſiue Paſtorali interno, tract. 1. quæſt. 3. n. 1.* Academici autem non ſunt ſubditi Magiſtratus Academiæ, præciſè quà talis, quo ad forum conſcientiæ, ſed dumtaxat quoad forum iudiciale.

496 Conſtat id apertè, quia Magiſtratus Academiæ, quamuis ſit Iudex, & Superior omnium, qui albo Academiæ ſunt adſcripti, attamen non eſt paſtor eorum, nec hi, vt oues, ſub eius regimine verſantur; Quare Magiſtratus non curant de his, quæ ſunt propria muneris paſtoralis; nec ad eos attinet inquirere, an Studioſi ſatisfecerint præcepto Eccleſiæ annuæ Confeſſionis, & Communionis Paſchalis, aliiſq; ſimilibus. Præterea, ſi matrimonium Academici contrahant, nequit Magiſtratus loco Parochi aſſiſtere, nec deſignare alium, qui aſſiſtat, nec diſpenſare in denuntiationibus; nec item valet baptizare ſolemniter filios Academicorũ; rurſus nec eis litteras dimiſſorias concedere, vt Ordinibus initientur; Quæ omnia priuatiuè pertinent ad eum, qui fungitur iuriſdictione Epiſcopali, aut quaſi Epiſcopali; & ſunt cauſæ, quæ non pertinent ad Tribunalia Academica, vt ſupra dicebamus *quæſt. 11.*

497 Itaque, licèt Magiſtratus Academicus habeat iuriſdictionem Pontificiam, & immediatam Sedi Apoſtolicæ, tamen ea eſt, quæ requiritur ad forum externum, & iudiciale, non verò ad internũ conſcientiæ; Et, cum dicimus, gaudentes iuriſdictione Epiſcopali, aut quaſi Epiſcopali poſſe præſtare munera nuper apoſita, & abſoluere à certis caſibus reſeruatis, necnon aliqua vota relaxare, non eſt ſermo de gaudentibus iuriſdictione Pontificia in ordine ad forum externum duntaxat, ſed ad vtrumque forum, qui ſimul ſint Iudices, & Paſtores animarum, Eccleſiarumvè Prælati, aut Legati Sedis Apoſtolicæ.

498 Cæterùm, quia ad iuriſdictionem externam attinet poteſtas proferendi cenſuras, & reſeruandi abſolutionẽ, poteſt Magiſtratus Academicus id præſtare, ac conſequenter abſoluere à cenſuris ſiuè reſeruatis, ſiue non, quas ipſe inflixit, cum eius ſit ſoluere, cuius eſt ligare. Notaui tamen *in tract. de Bulla Cruciat. diſp. 25. num 45.* virtute Bullæ poſſe Academicos abſolui à quolibet Confeſſario, ſi cõtraxerint excommunicationem latam generaliter ab Scholaſtico Salmantino, quantumuis hic abſolutionem ab illa ſibi reſeruauerit. An autem poſſit quis nominatim ab homine excommunicatum abſoluere pro foro interno, ſi parti eſt ſatisfactum, & an Iudex debeat admittere eã abſolutionem à Confeſſario præſtitam, dũ de illa conſtet, egimus latè *loco relato diſp. 25. à num. 152.*

499 Sed aduerſus dicta forſan aliquis cõtendens, poſſe Magiſtratum Academiæ irritare aliqua vota ſubditorũ, ſic arguat. Si Cathedræ moderator v. g. emittat votũ alicuius peregrinationis piæ lõginquæ, poterit illud irritare Magiſtratus, eo quòd ſit impeditiuum adimpletionis muneris proprij ad Academiæ vtilitatẽ ſpectãtis; ergo aliquã poteſtatẽ habet circa relaxationẽ votorũ, ſaltẽ irritando. Antecedẽs à parita te videtur ſuaderi; nã dominus poteſt irritare vota ſerui, quę impediunt operas, & laborem, ad quem ſeruus tenetur; & coniux poteſt irritare votum alterius

coniugis, quod vsum matrimonij impediat; & Prælatus regularis valet irritare subditi vota; vt hęc omnia cum Syluio, Emanuele Rodriguez, Claui Regia, Basseo, P. Valentia, Suarez, & Thoma Sanchez tradidi *tract. de Bull. Cruciat. disp. 26. num. 11.*

500 Ex dictis tamen ibidem respondeo, vota non posse irritari nisi ab eo, qui habet dominium perfectum vouentis, aut materię, de qua votum emittitur, vt contingit in omnibus exēplis allatis, in quorum singulis id cerni valet; Id tamen perfectum dominium non datur in Magistratu Academiæ; irritatio autem non oritur à iurisdictione, sed à potestate dominatiua; indeque apparet ratio disparitatis ad obiectionem propositam. Et quidem idē argumentum posset fieri de quouis Iudice sæculari, de Prętore, de Duce belli, & alijs, qui ob similem causam, proportione seruata, possent irritare vota subditorum, cū aliunde ad irritationem non requiratur iurisdictio, nec potestas Ecclesiastica: & tamen in his vim non habet argumentum, nec vllus excogitauit, posse ab eis vota subditorum irritari. Et quod amplius vrget, nec ab Episcopis possunt vota subditorum irritari, cum Episcopi habeant ampliſſimam iurisdictionem Ecclesiasticam, & argumentum supra factum possit etiam efformari in subditis Episcoporum, si emittant vota sui muneris impeditiua. Igitur in his casibus, si Magistratus, aut Superior potestatem habet ad cogendum, vt, qui votum emisit, in alio munere detineatur, poterit cogere præcipiendo, non irritando votum; vouēs autem excusabitur à voti adimpletione, (si ei non licet transgredi præceptum:) donec adimplere illud valeat.

Quæstio XXIV. An Iudices Academiarum sint ordinarij, an delegati?

501 QVAESTIONI facilè satisfiet, si ob oculos proferamus differentias satis tritas inter iudicem ordinarium, & delegatum; Quinque recensentur. Prima, quòd iudex ordinarius iurisdictionem habet à lege, non ab homine; delegatus verò ab homine, nempe à iudice ordinario iurisdictionē habet. Secūda: iurisdictio ordinarij sequitur non personam, sed officium, & ideò agit nomine proprio, non alieno; at delegati iurisdictio sequitur personam, & agit ille nomine alieno, eius scilicèt, qui delegauit. Tertia: iudex ordinarius habet territorium assignatum, ac circa illius personas vniuersitatem causarum; at delegatus non habet vniuersitatem causarum, nec personarum, nec territorij; sed vnam, vel alteram causam, & cum personis, ac in loco præfixo, nec potest in illa speciali iurisdictione transgredi fines mandati.

502 Quarta; iudex ordinarius potest delegare causas aliquas, aut partem iurisdictionis; *leg. more maiorum 5. ff. de iurisdict. omn. iudic. leg. solet prætor 16. ff. eodem tit.* Delegatus autem nequit suam iurisdictionem alteri subdelegare, nisi sit delegatus Pontificis in Ecclesiasticis, aut Principis supremi in sæcularibus, quorum delegatis concessum est id priuilegio speciali; *leg. à iudice, Cod. de iudicijs; cap. Pastoralis, de offic. iudic. delegati; cap. cum causam, §. vlt. de appellat.* Quinta; iurisdictio iudicis ordinarij non expirat morte concedentis; quia datur officio, non personæ; officium autem sine iudice manere nō debet, etiam mortuo concedente. Verùm iurisdictio delegati cessat, mortuo concedente, quia huius nomine ille agit, nisi iam causa fuerit cæpta. Videantur de his P. Layman *tom. 1. tract. 6. cap. 2.* P. Petrus de Oñate *tom. 2. de contract. tract. 15. disp. 35. à num. 92.* & alij passim; ego etiam attigi *tom. in Bull. Cruciat. disp. 37. num. 13. & 34.*

503 Ex his plana fit solutio quæsiti; Assero igitur Magistratus Academiarum esse Iudices Ordinarios. Quippe iurisdictionem habent à Pontifice, aut Principe Supremo, aut ab vtroque; seu à lege per illos suis sanctionibus stabilita, nō secus ac alij omnes Iudices ordinarij; & ea iurisdictio sequitur officium, aguntq; nomine proprio; habentq; territoriū assignatū, nempè, Academias, & itē personas, omnes scilicet, quæ ad Academias spectāt; & simul vniuersitatē causarū siue ciuiliū, siue criminaliū; & delegare queūt causas aliquas, & suæ iurisdictionis partē; nec eorū iurisdictio expirat morte Pontificum, aut Principū, aut cuiusuis alterius Iudicis Ordinarij; ergo quintuplici notione Iudicum ordinariorū à iure, & ab Authoribus, & à cōsuetudine, ac praxi præfixa insigniūtur, proindeq; iurisdictione ordinaria gaudent.

Hinc

504 Hinc mortuo Magistratu Academiæ, per statuta, ac leges ipsius alius solet subrogari, donec à Principe alius designetur. Sic in Academia Salmãtina, mortuo, aut ad aliam Dignitatem promoto Magistro Scholæ, per suffragia Magistrorum, & Doctorum eligitur Cancellarius, qui eadem fungitur iurisdictione, donec alius Magister Scholæ à Rege Hispaniarum præsentatus, & confirmatus à Pontifice possessionem Dignitatis apprehendat. Qui Iudicem etiam Scholæ constituit, amboque vnum tribunal constituunt, vt Vicarius Episcopi cum Episcopo; adeoque à Iudice ad illum appellari nequit in causis, in quibus sententiam profert; esto possit ille pœnas inflictas temperare. Plura de iurisdictione Iudicum Academiarum reperies apud Don Alfonsum de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdictione, cap.* 9. Et nos ferè omnia tum in præcedentibus attigimus, tum in sequentibus attingemus.

Quæstio XXV. Ad quid teneantur Iudices Academiarũ ratione sui muneris, & ratione iuramenti præstiti initio sui officij? Vbi etiam de obligatione Notariorum, Tabellionum, aliorumq; Officialium.

505 NON est animus agere de obligationibus in communi Iudicũ, Tabellionum, Notariorum, aliorumq; Officialium, quibus Tribunalia cõstant. Etenim, & si in Tribunalibus Iudicũ Academiæ dentur omnes illi Ministri, & Fiscales, atq; Aduocati, tamen obligationes, quibus illi tenentur, communes sunt omnibus Iudicibus cuiuscumq; Tribunalis, & omnibus Officialibus; & nostri instituti non est, generales adeò quæstiones vétilare, nisi quando aliqua ratio specialis ad id cogit; & quidem hæc materia latissima est. Videri circa eam possunt Sylvester *verbo Iudex, Tabellio.* Trullench *tom.* 2. *in præcepta Decal. lib.* 7. *cap.* 8. Machado *tom.* 2. *de perfecto Confessario. lib.* 6. *p.* 3. *tr.* 2. P. Oñate *tom.* 2. *de Contractibus, disp.* 35 *sect.* 5. *& disp.* 45 *sec.* 1. P. Hermannus Busembau *in Summa.* Et ego *in Bullam Cruciat. disp.* 34. *à cap.* 10. *&* 11. Sotus, Menchaca, Salon, Villalobos, Ludouicus à Cruce, Nauarrus, Tuschus, Diana, Rodriguez, Clauis Regia, Monlesius, Cardinalis Lugo, PP. Molina, Rebellus, Lessius, Suarius, Thomas Sanchez, Fagundez, Dicastillo, Henriquez, Layman, & plures alij, in locis, quę ibi refero.

506 Igitur id solum potiùs suppono, quàm assero, Iudices Academiarum, siuè sint Ecclesiastici, siuè sæculares, Aduocatos, Fiscales, Notarios, Tabelliones, & cæteros quoscumq; Officiales eiusmodi Tribunaliũ eisdẽ astringi obligationibus quibus cæteri omnes, qui extra Academias ea munera exercent. Nec enim ad non operandum rectè, & muneri suo satisfaciendum, potest eis suffragari aliqua immunitas, vel priuilegium. Aliqua tamen oportebit circa prædictos libare.

507 Et primò quidem, eiusmodi Iudices, ac Officiales non solùm iis adstringuntur obligationibus, quibus in cõmuni cæteri idem munus gerentes; verùm etiã alijs in speciali iuxta diuersitatẽ Cõstitutionum, & Statutorum cuiusuis Academiæ. Quare tenentur inuigilare, vt à subditis ea obseruentur, violatoresque punire, ac in litibus sententias ferre iuxta statuta municipalia, si quæ sint præter leges cõmunes. Sicut enim in Aragonia, Nauarra, Catalaunia, & Valentino Regno, sua iura sunt, iuxta quæ debent ibi Iudices proferre sententias, sic etiam in Academijs ex concessione Principum, & indultis Pontificũ sunt immunitates, & priuilegia, quæ constituunt ius speciale, iuxta quod iudicandũ est. De quibus aliqua iam in superioribus attigimus, & plura decursu attingemus.

508 Deinde Iudices Academiarum non debent punire delicta Scholasticorum iuxta omnem iuris rigorem, communiter loquẽdo. Etenim Scholastici vt in plurimũ teneræ, aut iuuenilis ętatis sunt, quæ ætas exigit, vt pœnæ, ac supplicia minuantur, cum sæpè in illa culpæ ab inconsideratione proueniant, & primus ætatis vigor ęstuantes animi motus soleat excitare, quin eos attenta consideratio præueniat. Et sanè Iudex Scholasticorũ adolescẽtiũ se circa illos gerere debet vt pater, & amore simul ac seueritate eos in officio suo continere. Hinc vitanda sunt ab eo, quantum fieri possit, pœnæ, ac supplicia, quę inducãt infamiam, ea enim proteruis, & sceleratis hominibus sũt apta, pueris verò, ac iuuenibus, vix noscẽtibus grauitatẽ

delictorum, quę patrant, aut saltem eam non considerantibus, nequaquam sunt cõsentanea, maximè, si illi nobilitate præfulgeant

509 Hinc etiam Iudices minuere debent pœnas pecuniarias; cũ enim Scholastici ad Academias communiter aliunde adueniant, & alimentis à sua patria missis victitent, ęquũ non est, illos pœnis pecuniarijs grauare, tum quia non facilè in alienis locis suppetet eis, vnde suæ necessitati subueniant; tum quia ea pœna potius parentibus Scholasticorum infligitur, quàm ipsis Scholasticis, cum hi non habeant, nisi alimenta, quæ eis parentes suppeditant; & hi quidem sæpissimè, vt filios suos in Academijs educent, domesticos sumptus angustant; & par non est, vt præterea pœnas luant, quas non merentur. Iudicum ergo paterna seueritas, & amor, quantum fieri possit, non grauandis Scholasticis cõsulere tenetur; poteritq; pęnam pecuniariã alia pęna cõpẽsare, v.g. Scholasticos in suo carcere per plures detinendo dies, aut quid simile eis iniungendo. Cæterùm is modus procedendi contra crimina, dum iudicialiter agitur, est seruandus, qui cæteris Tribunalibus, maximè Ecclesiasticis, est communis. De quo vide passim Authores, & inter eos Laurentium Landmeter *de vetere Clericorum, & Monachorum victu, & disciplina, lib. 2. cap.* 180. apud quẽ etiam *c.* 109. pœnas reperies in Tribunalibus Ecclesiasticis infligi solitas

510 Vnde rursus ingenti sollicitudine Iudices Academiarum præcauere tenẽtur, ne Notarij, Tabelliones, Fiscales, Custodes carceris, alijq; ministri pecuniã immoderatã ab Scholasticis extorqueãt, nec lites differant, vt plus auferant; nec carò quodcumque instrumentũ, aut actionem vendant. Quippe Scholastici, vt suã redimant vexationem, multò plus debito illis solent impendere, indeq; suos parentes sumptibus grauant, ac ipsi angustissimis posteà alimentis victitant. Iudices igitur sedulò, ac sollerter suis Ministris inuigilent, & secretò, ac frequenter explorent eorum procedendi tenorem; & acriter animaduertãt in eos, qui pecunijs inhiãt, Scholasticosq; expoliãt; restitutionem eis iniungant, &, si opus fuerit, ab officio amoueant

511 Aliqua sunt specialia, ad quæ tenentur vigilatissimè attendere præfati Iudices, scilicèt vt vitentur tumultus inter ipsosmet Scholasticos ad inuicem, atque inter eos, & ciues loci, vbi degunt; Vt noctu extra domos Scholastici non vagentur; Vt Studio vacent, atq; Academiæ, & lectionibus assistãt, quin strepitu, & clamoribus legentes perturbent; Vt arma prohibita non retineant; Vt honesto vestitu incedant; Vt meretrices è loco ejiciãtur, ne iuuentuti periculum parẽt; Vt vi, aut fraude non extorqueant, pecunias, aut quid simile à tyronibus, seu incipientibus, nec à quouis alio. Quę omnia vt expleant, domos ipsorum frequenter, & diuersis horis, visitare debent; secretòq; à conscijs, & expertis explorare damna, quæ occurrunt; & vbi suspicio fuerit de aliquo, quòd tempus in ludo (qui, si immoderatus sit, debet præcaueri) aut in otio terat, eius mores inuestigare, & remedium opportunum adhibere. Et sanè, si hæc cuncta non præstent, mũneri suo non satisfaciunt, & grauiter peccant; quippe hanc omnem sollicitudinem exigit rectum regimen iuuentutis Scholasticæ; & qui illud suscipit, ad ea onera subeunda tenetur.

512 Dixi supra, *communiter loquẽdo*, Scholasticorum delicta non esse puniẽda iuxta omnem iuris rigorem decernentis pœnas pro delictis, absq; distinctione personarum. Etenim expedit valde aliquando acriter Scholasticos punire, si detur casus, in quo enormia delicta patrent, scandalosa, aut publico bono nociua; maximè si iam pueritiam excesserint, iuuenilique ętate vigeant. Potest enim contingere, vt aliqui nomine, & habitu, non re, sint Scholastici, qui velint flagitia ingentia patrare fisi in leuitate pœnæ, qua Scholastici alij minùs delinquentes plecti solent. His autem non debet esse suarum iniquitatum vmbraculum habitus scholasticus; sed puniri debẽt ex toto iuris rigore; quod potius est in fauorem, quàm in odiũ Scholarium, ne scilicet immeriti, & flagitiosi in eorum numero recensеantur. Eiusmodi sunt, qui armati, & velata facie in tyronũ, aut aliorum domos ingrediuntur, & extorquent pecunias, seu vestes, aut suppellectilem; & etiam hi, qui etiã aperta facie, minis, & territoribus petunt sibi dari munus aliquod, vulgò *patente*. Itidem hi, qui noctu per compita alios pallijs, & armis expoliant; Hi etiam, qui noctibus digladiantur; qui duellis publicis certant; qui ex consulto ad certamina cum alijs, se periculo vitę exponẽtes cõgrediuntur. Etenim hi Academias turbãt; metũ inijciunt; Rẽpublicã in scandalum, & maleuolentiam vertunt; tempus studij tumultibus occupant

pãt;id efficiunt,vt parentes vereãtur ſuos filios ad Academias mittere, vnde harum minuitur frequentia ; alijſque grauiſſimis damnis ianuam aperiunt;& re ipſa indigni nomine Scholarium, rectè nuncupabuntur fures,& latrones,ſeditioſi, & turbatores Academię, & Reipublicæ. Hos ergo punire acerrimè Iudices tenentur.

513 Notarij Academiarũ, ſi Iudex ſit Eccleſiaſticus;ſeu Tabelliones, ſi Iudex ſit ſæcularis, Fiſcalis, Lictores,atq; alij Officiales ſedulò, & fideliter ſua munera obire tenentur; & abſque incuria ſuo quiſq; officio vacare. Et quod præcipuum eſt,ſtipẽdia immoderata ferre nõ poſſunt; deberent potiùs aliquid remittere de pretio aſſignato per leges,& taxato per pragmaticas;quod ſi non præſtent, ſaltem eas nullatenus poſſunt excedere(iuxta tutiorẽ ſententiam,& conſulendam) & reſtituere tenentur , ſi vltra taxam aliquid amplius ferant;Et quidem id iurant initio ſui officij ſuſcepti,& præterea lex diuina,& naturalis præcipiunt, ne quis auferat ab alio quidquam indebitum; id enim eſt auferre alienum,abſque aliquo titulo,aut iure.

514 Nec obſtat,quod aliquãdo ipſi delinquentes, incarcerati, aut litigantes,illud pretium excedens taxam perſoluant,quin ab illis id extorqueatur, aut petatur. Nam illi ideò perſoluũt, quia noſcunt,vel ſaltem ſibi perſuadent,non aliter ſibi inſtrumenta conficienda, aut exequendas eas actiones,quibus ad ſuam litem indigent;ſuamque vexationem redimere volunt præſtatione pecuniæ ; quam & ſi ſpecie tenus volentes,& libentes elargiuntur, at re ipſa nolentes, & coacti tradunt, mallentque non pręſtare. Vnde ab eis accipi nequit pretium,aut ſtipendium vltra taxã; &,ſi accipiatur , exceſſus omnino reſtitui debet,vtpotè iniuſtè adquiſitus.

515 Nec præterea obſtat, quòd eo tempore,quo taxæ fuerunt præſcriptæ, res omnes viliori pretio vendebantur, & non poſſe nunc eos officiales ſuam familiam ſuſtentare, ſi pretium vltra taxã non accipiant. Nam in primis reſpondeo cum P. Caſtro Palao *tom.3,oper.mor.diſp.2.punct.7.§.5.num.4.* hanc excuſationem eſſe falſam. Hic enim Author ait , ſe conſuluiſſe plures Tabelliones,eoſque reſpõdiſſe,poſſe optimè ſe ſuſtentare,ſeruata pretiorum taxa,ſi negotia,quæ expedire poſſunt, habeant. Ergone, quia negotia deficiunt, ex vno volũt hi accipere,quod ex pluribus eſſent accepturi? Hęc eſt iniquitas manifeſta. Deinde non poſſunt allegare conſuetudinem cõtrariam ; etenim clam accipiũt, quod ſupra taxam eſt,& à Viſitatoribus Officiorum puniuntur,ſi excedant. Demum reſpondeo,ideò non poſſe ſe ſuſtentare pretio in taxa præſcripto,quia lautè volunt victitare;veſtes ſuperfluas induere;cibis delicatis veſci. Ego ab his abſtineant;vel nõ ſuſceperint hæc officia conſcij ſtipendiorum,& taxæ;nam ad hanc ſeruandam,nulla facta tergiuerſatione,aut excuſatione tenentur. Hæc dixerim in ſententia communiori,tuente eas taxas obligare in conſciẽtia. At in ſententia probabili aſſerente, ſolùm eſſe leges pœnales,nec peccatur accipiendo aliquid vltra taxam , dum non ſit quid exceſſiuum;nec datur obligatio reſtitutionis. Vtramque ſententiam appoſui latè,& ſecundam practicè tutam aſſerui, *tomo ſuper Bull.Cruciat.diſp.34.à num.* 142. Ibi ſum videndus,ne eadem repetam. Oparem autem Iudices ſequi ſententiã primam,vt ſic vigilantiùs curarent, ne ſtipendia vltra taxam acciperentur, maximè ab Scholaſticis ob rationes ſupra libatas.

Quæſtio 26. Quid ſint, & quam iuriſdictionem habeant Conſeruatores Academiarum? Vbi de Conſeruatore Academiæ Salmanticenſis.

516 CONSERVATORES ſunt Iudices deſignati ad curandum, priuilegia,& ſtatuta Academiarum ſarta tecta ſeruari,& procedendum contra quoſcumque,qui eis contraire,eavè labefactare tentauerint. Quorum poteſtas, ac iuriſdictio valdè affinis eſt poteſtati Executorum Iudicum Academiarum , qui in id deſtinantur,vt conentur, prædicta priuilegia,ac ſtatuta in executionẽ redigi. Quare ſolet in vna,eademque perſona concurrere munus Cõſeruatoris,& Executoris. Sic Scholæ Magiſter Salmanticenſis eſt ſimul Conſeruator,& Executor Academiæ Salmantinæ,vt conſtat *ex Conſtitut.33.in Statutis*,idque habet ex Pontificia , & Regia conceſſione,& vtramque refert Don Alfonſus de Eſcobar *de Pontificia , & Regia iuriſdictione,c.10.à n.* 2.

517 Hic Author *cap.11.& ſequentibus* , latè diſputat de iuriſdictione, quæ additur Conſeruatori ſupra eam, quã ha-

habet Magiſter Scholæ, vt Iudex Ordinarius, & poſt aliorũ dicendi modos impugnatos, ſentit primò, caſu quo aliquis virtute reſcripti poſſet obſtare, aut derogare iuriſdictioni Magiſtri Scholæ, vt Iudicis Ordinarij, & reſcriptum eſſet anterius litteris Conſeruatorijs Eugenianis in fauorẽ illius conceſſis, tunc harum virtute addi iuriſdictionem Magiſtro Scholæ aduerſus eum, qui tentaret obſtare, aut derogare eius poteſtati; quam, vt Iudex Ordinarius, non habebat.

518 Sentit ſecundò, iure communi, ac iuriſdictione ordinaria inſpectis, actorem ſequi forum rei, *iuxta leg. crimina li, Cod. de iuriſdiction. omnium iudic. cap. cum ſit generale, de foro competenti.* at virtute iuriſdictionis Cõſeruatoriæ Studioſus actor trahit reum ad ſuum iudicem; de quo Rebuffus *priuileg.* 161. & 162.

519 Sentit tertiò, independenter à iuriſdictione Cõſeruatoria, in aliquibus caſibus non poſſe appellari à ſententia prolata in fauorem Studioſorum; vt, quando agitur de expellendo Fabro obſtrepente iuxta Scholas, vel iuxta domos Scholarium; de quo Scauia *de appellat. quæſt.* 17. *limit.* 6. *memb.* 2. *num* 36. Antonius Gomez *in leg vltim. Tauri, num.* 17. Item, quando profertur ſententia in bibliopolam, vt libros ſtudioſo tradat; à qua non admittitur appellatio, quia libri ſunt ingenij alimenta, & inſtrumenta ſapientiæ, atque eis indigere ſemper præſumitur Studioſus. Nec appellatio admittitur in cauſa alimentorum; quod etiam non Studioſis eſt commune; verùm in alimentorũ quãtitate tribuenda Studioſis etiam eſt attendendum ad libros, & alia ſpecialia, quibus indiget. Vide Horatium Lucium *de priuileg. Scholaſt. priuileg.* 2. *verſ. minus;* Tiraquellum *de pia cauſa, in præfat. verſic. Item relictum.* His poſitis, in litteris Conſeruatorijs additur ea iuriſdictio, quòd in quacumque cauſa, in qua Studioſi ſunt actores, & reum ſequi ſuum forum efficiũt, procedit Scholæ Magiſter, appellatione remota, cum non, vt Iudex Ordinarius, ſed vt Conſeruator operetur; ſecùs eſt, quando Studioſi conueniũtur, vt Rei apud ipſum, tunc enim vt Iudex Ordinarius erga illos procedit, & virtute iuriſdictionis Conſeruatoriæ non habet, vt appellatione remota, operetur.

520 Attamen prædictus Eſcobar *ſuprà c.* 16. probat, Magiſtrũ Scholæ, vt Iudicem Ordinarium, etiam in Reorum Studioſorum cauſis, poſſe procedere appellatione remota, & ſuam ſententiam exequi; quod ex indultis Pontificijs ſuadet, in quibus id ei cõceditur, vt ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura iudicij, appellationeq; remota poſſit procedere. Notat verò, hanc conceſſionem eſſe facultatiuã, ita vt poſſit, ſi velit, Scholæ Magiſter appellationem admittere. Deinde notat, & ſi in cauſis ciuilibus valeat exequi ſententiam, remota appellatione, at in criminalibus, vbi caſus eſt talis, vt à iure permittatur in eo appellatio, non poſſe non admittere appellationem. Rurſus obſeruat, idem prorſus dicendum de Rectore Academiæ in cauſis, quæ ad illum ſpectãt, ac de Scholæ Magiſtro. Demum aduertit, omnia ſuperiùs dicta (idemque eſt de dicẽdis) poſſe aptari Iudicibus tum Conſeruatoribus, tum Ordinarijs aliarum Vniuerſitatum, ſi ſimilibus priuilegijs gaudeant, ac Iudices Salmantini, quod ex eorum tenore eſt colligendum.

521 Notauerim obiter, in diœceſi Salmantina Clericos, adhuc cũ Actores ſunt contra ſæculares in quacumque cauſa, eos trahere ad Tribunal Eccleſiaſti cum; &, quamuis ſæculares ſæpè reclamauerint, & declinauerint iuriſdictionem, idque detulerint ad Regiam Valliſoletanã Cancellariam, contra eos ſemper lata eſt ſententia, indeque coacti, vt, quamuis ſint Rei, ſequantur forum Actoris, ratione conſuetudinis diuturnę, qua hic mos fuit præſcriptus. Et forſitan ex Studioſorum priuilegio iam propoſito ſuperiùs Clerici Salmantini id ipſum introducere cœperunt, Eccleſiaſticique Iudices ſuam inde iuriſdictionem propagarunt, cum non conſtet de ſpeciali priuilegio, aut de conceſſione Regia, ac Pontificia, ſicut mihi teſtati ſunt ipſi Epiſcoporum Officiales, ac Generales Vicarij, quos doctrina, ac notitia conſpicuos conſului.

522 Iam verò decidere oportet, an iuriſdictio Iudicum Conſeruatorũ, item, & Executorum ſit Eccleſiaſtica, vel ſæcularis? Quod dubium non difficilè diluemus, cum fundamenta iam ſuperiùs *quæſt.* 8. ſtatuerimus, quæ non ſunt nunc repetenda, ſed recolenda, & aptanda. Vnde aſſero, Iudices eiuſmodi gaudere iuriſdictione Eccleſiaſtica erga Academicos Eccleſiaſticos, ſeu Clericos priuilegio fori gaudentes; & iuriſdictione ſæculari erga Academicos ſæculares. Et quidem iuriſdictio Eccleſiaſtica eis conceſſa eſt in litteris Apoſtolicis

Con-

Conseruatorijs; sæcularis autem à Regibus,dum illæ per eos approbatæ sunt *in lege* 18.*tit.*7.*lib.*1.*Recop.*quæ approbatio est quædam quasi Regia constitutio indulgens iurisdictionem, quæ ad Principem spectat.

523 Quare posset vtraque iurisdictio separari,ac in diuersis personis cõstitui;& valet tam Pontifex, quàm Princeps suam reuocare iurisdictionem.In quibus autem causis Scholæ Magister,vt Ecclesiasticus Iudex,& in quibus, vt sęcularis,procedat,diximus loco relato. Id autẽ præ oculis est habendum, in causis, in quibus procedit vt Iudex Ecclesiasticus, siue Ordinarius,siue Conseruator, vel Executor,debere iudicare iuxta Iuris Canonici sanctiones;in alijs vero causis,in quibus Iudicis sæcularis munere fungitur, teneri ad obseruandum Ius Ciuile,& Regium.

524 Inde etiam stabiliendum est,ad quem appellandum sit a Iudice Cõseruatore,vbi appellatio permittitur;nam eadem tenenda sunt,ac de Iudicibus Academiarum statuimus *loco relato*. Quæ autẽ sint obseruanda, si recusetur Iudex Conseruator,inferenda sunt ex his,quæ de recusatione Iudicum asseram *quæst.*29. inspiciendo tamen,an recusetur vt Iudex Ecclesiasticus,an vt sæcularis, cum diuersimodè res se habeat in recusatione vnius, & alterius,iuxta ibi dicenda.

525 Sed restat adhuc inquirere,vtrum hæc iurisdictio Iudicum Conseruatorum sit ordinaria,vel delegata? Tenendum est,delegatam esse. Ita Parladorius *different.* 129.*num.*6.Petrus Gregorius *lib.*47.*syntagmat.cap.*22.*num.*24.Don Alfonsus de Escobar *vbi supra,cap.*19.*à num.* 2. Ea etenim iurisdictio delegata dicitur, quæ iurisdictioni ordinariæ additur,& circa rem,quam aliàs Iudex exequi non posset;*leg.& si prætor,*3.*ff.de officio eius,cui mãdata est iurisdictio;leg.*4.*tit.*6.*lib.*2.*Recopil.* Ostendimus autem in litteris Cõseruatorijs iurisdictionem addi.Deinde, quia communiter,vt cernere est in litteris Conseruatorijs Salmantinis, additur in cõcessione vox *Authoritate nostra*, quæ inducit iurisdictionem delegatam;*cap.cum aliquibus, de rescript.in* 6.Docent Barbosa *in leg.cum prætor* 12.§.1.*à num.* 29.*ff. de iudic.* Tiberius Decian.*tom.*1.*crimin. lib.*4.*cap.* 25. & alij.Et sanè regulariter Conseruatores dicuntur delegati, *cap.*1.*iuncta rubrica,de officio delegati;* Emanuel Rodriguez *tom.* 1. *quæst. regular. quæst.* 65.*art.* 1. Moneta *de Conseruatorib.cap.*7.*à num.* 36. Gratianus, Forens.Narbona, Iasson, Petrus Gregor. Macerarensis,Zeuallos apud Escobar *vbi supra num.*5. Vbi diluit aliqua leuia argumenta,& exponit,aliquando Iudicem Cõseruatorem, & si reipsa delegatus sit,pro Ordinario haberi, & sic reputari Conseruatorem Academiæ Salmantinę;tum ob amplissimam concessionem in litteris Apostolicis ei factam;tum ob perpetuitatẽ, atque adeò non expirare morte concedentis,vt ex ipsis Conseruatorijs Eugenij IV. Iulij II.& Leonis X.fit planum.

526 In præsenti obserua primò,Patrem Molina *de iustit.tract.* 5.*disp.* 29.*num.*7.asserere Conseruatores Academiæ Euorensis, & Conimbricensis omnino ordinarios Iudices esse,nec aliquid habere Conseruatoriæ iurisdictionis; & eos in Salmantina, & Complutensi Vniuersitate alijs nominibus nuncupari. Sed esto id accidat in Lusitanis illis Academijs, & in eis nomen Conseruatorum sine re Iudicibus fuerit impositum, quod ex ipsarum priuilegijs constare debet;at in Salmanticensi Academia Conseruatorem iurisdictione superaddita potiri iam exposuimus quod forsan Molinam,virum aliàs sapientissimum,latuit.

527 Obserua secundò,in litteris Conseruatorijs Academiæ Salmanticẽsis fuisse à Sede Apostolica designatos in Conseruatores Archiepiscopum Toletanum,& Episcopum Legionensem, necnõ Magistrum Scholæ; at duo primi nunquã suam iurisdictionem exercuerunt,quod tamen non obstat,quominus ab ipso Vniuersitatis gremio,seu à quolibet Academico possint eligi,& nominari ad suas causas decidendas;quippè lapsus temporis,sicut litterarum Apostolicarum vim non minuit, ita nec præiudicat iurisdictioni eorũ, quibus in illis est delegata.

528 Quòd si vnus ex illis eligeretur ad aliquam causam,in qua Scholæ Magister posset procedere vt Iudex Ordinarius,si hic causã non præuenerit,& dolus in Studioso eligente eũ Iudicem nõ detur,sanè præferẽdus erit Iudex electus Magistro Scholę, cũ in ipsis litteris Conseruatorijs detur optio Studioso eligendi Iudices.Cęterùm hi,qui dumtaxàt Iudices Cõseruatores sunt,nequeunt se intromittere in causas,quæ iurisdictioni subiacent ordinariæ; quòd si se intromittant, possunt à Iudice Ordinario inhiberi.Sic decisum est à Sacra Rota coram Lanceloto, eamque de-

deciſionem affert Marcheſan. *de commiſſ. 1 part. c. 2. deciſ. 40. pag. 144.*

529 At ſi eueniat caſus, quo Studioſus vt reus conueniatur coram Iudice, qui non ſit Academiæ proprius Iudex, quamuis cauſa ſit ex his, quæ iuriſdictionem ordinariam tantummodo deſiderant, poterit nominare vnum ex illis Conſeruatoribus ad hoc, vt inhibeat Iudicem, apud quem conuenitur; & Cõſeruator poterit eum inhibere, ſed debebit poſtea cauſam remittere ad Iudicem Ordinarium Academiæ; nam, eſto dixerimus, Studioſum poſſe eligere Conſeruatorem in Iudicem, attamen id eſt intelligendum, ſi Studioſus ſit Actor, non verò, ſi Reus ſit; tunc enim, cum Reus eſt, non eligit Iudicem, ſed ſolùm habet ius, vt coram ſuo proprio Iudice conueniatur; eligere namque Iudicem, proprium eſt Actoris, qui dat initium cauſę coram Iudice, atque adeò cum primam actionem in cauſa Reus exequitur, iam ſupponitur Iudex, apud quem conuenitur, & ſi is ſit competens, tenetur coram illo ſtare, ac reſpondere; ſi autem competens non ſit, declinare debet iuriſdictionẽ, nec reſpondere cogitur, donec coram Iudice competente conueniatur; vnde ei nõ licet Iudicis electio. De Iudicibus Conſeruatoribus vide plura *in lib. 1. tit. 4. Recopilationis.*

Quæſtio XXVII. An Iudices Academiarum priuatiuam, vel cumulatiuam iuriſdictionẽ habeãt? & an ſint mixti, ſeu ſolùm ſtatutorum meri Executores?

530 TVNC datur iuriſdictio cumulatiua, cum Iudex ſpecialis ad cauſam aſſignatur, non derogando iuriſdictioni Iudicis generalis reſpectu perſonarum, aut territorij; priuatiua verò, cum derogatur cuilibet aliorum iuriſdictioni. Certum igitur eſt, Iudices Studioſorum gaudere priuatiua iuriſdictione, etiam iure communi attento, vt conſtat *ex Authentica Habita, Cod. ne filius pro patre; & ex leg. 7. tit. 31. partit. 2.* Videatur Oſſualdus *libr. 17. commentar. c. 20. lit. K.*

531 Quod certius redditur ex priuilegijs plurium Academiarum; & in Salmantina Rector, & Scholæ Magiſter in ſuis quilibet cauſis Iudex eſt priuatiuus, vt conſtat *ex Conſtitut. 22. & 23. & ex lege 13. tit. 7. lib. 1. Recopilat.* Solummodo in ea *Conſtitutione 23.* ſi cauſa ſit Clericorum Diœceſis Salmantinę, præuentioni datur locus inter Epiſcopum Salmanticenſem, & Scholę Magiſtrum; Et ſanè, niſi ea exceptio daretur, priuatiua eſſet iuriſdictio Scholaſtici Salmantini aduerſus Studioſos Clericos eius Diœceſis; Nã cũ ibi à Põtifice conceditur Iudici Academiæ iuriſdictio generalis, vt Iudici ſpeciali, in fauorem certarum perſonarum, nempè Studioſorum, priuatiua eſt cenſenda; vt in cõmuni docet explicans iuriſdictionem priuatiuam Garcia *de Nobilitate, Gloſ. 1. num. 6. verſ. item facit*; atque adeò ſublata videtur omnis alia iuriſdictio, niſi expreſsè reſeruetur.

532 Ad aliam quæſtionis partem breuiter etiam reſpondetur, certiſſimum eſſe, Iudices Academiarum non eſſe meros Executores ſtatutorum; Is enim nudus Executor eſt, cui nuda ſententiæ executio committitur, & pènè nudum factum; *leg. executorem, leg. ſi vt proponis, Cod. de execution. rei iudicatæ*; nullaque cognitio cauſæ, neque iuriſdictio ei conceditur, *cap. paſtoralis, §. quia verò, de officio delegati*; Iudex autem mixtus nuncupatur, qui cognitionem, ac definitionem cauſæ habet, & ſimul executionem, vt notat Abbas *in prædicto cap. paſtoralis, num. 3.* Cum ergo Iudicibus Academiarum non nuda executio cõmittatur, ſed iuriſdictio in ſubditos plena, ad ſtatutorum obſeruantiam curandã, fit planum, nõ eſſe meros Executores, ſeu mixtam, vt aiunt, iuriſdictionem habentes.

533 Hoc in Magiſtro Scholæ Salmantino, in Rectore Complutenſis, Valliſoletanæ, pluriumque aliarum Academiarũ cernitur; qui cognoſcunt, in quibus locum teneant ſtatuta, & priuilegia; quibus competant; & aduerſus quas perſonas; aduerſus rebelles autem coercitionẽ habent, criminaleque iudicium exercent; necnon exceptiones legitimas admittũt, ac de eis pronuntiant; quæ omnia conſtituunt executorem mixtum, vt probãt Doctores *ex leg. & ſi non cognitio, Cod. ſi contra ius, vel vtilitat. public.* Quòd ſi agatur de nullitate, aut iniuſtitia alicuius ſtatuti, tũc meri Executores ſunt; Caſu verò, quo euidens nullitas opponeretur, eam definire nequeũt, ſed tenẽtur remittere ſupremo Iudici,

dici,à quo ſtatutum,vel priuilegium dimanauit, nempè Pontifici, aut Principi; ad quos etiam ſpectat verba dubia,aut dubiã mentem ſtatuti, vel priuilegij declarare. An autem Iudex Executor ſtatutorum ſit Ordinarius, vel Delegatus, idem dicendũ eſt,ac de Conſeruatoribus *quæſt. præcedenti* diximus,ob affinitatem vtriuſque muneris,quæ tanta eſt,vt ſoleat vtrumq; confundi. Videatur Don Alfonſus de Eſcobar *de Pontificia,& Regia iuriſdict.c.*18.

Quæſtio XXVIII. An Ius Canonicum,& Ciuile,quod in Academijs traditur, habeat vim legis obligantis? Et an Iudices teneantur illud ſcire?

534 QVINQVE continet partes Ius Canonicum, ſeu Eccleſiaſticum, prout in Scholis communiter edocetur,& de ſingulis ſeorſim eſt dirimenda quæſtio. Prima pars eſt Decretũ, quod Gratianus Monachus Ordinis S. Benedicti compilauit ex ſacræ Scripturæ ſententijs: ex Decretis, ac Reſponſis Summorũ Pontificum: ex dictis Sãctorum Patrum, & Eccleſiaſticorum Hiſtoricorum: ex legibus Romanorum Pontificum: ex Commentarijs ipſius Gratiani, & Paleę eius diſcipuli. Decretum in tres ſubdiuiditur partes;in prima ſunt diſtinctiones centum & vna,ſuis capitibus diſtinctæ; In ſecunda ſunt triginta ſex cauſæ, ſuis quęſtionibus diuiſæ, & inſuper ipſæ quęſtiones capitibus ſeecernuntur;& in cauſa trigeſima tertia,quæſtione tertia, ſeptem Diſtinctiones de Pœnitentia continentur. In tertia ſunt quinque diſtinctiones de Conſecratione.

5 5 Solet aliqua reprehẽſione notari Gratianus, quòd nonnulla congeſſerit ex ſuſpectis Authoribus: alia verò tribuerit Sanctis Patribus Hieronymo, Auguſtino,& Chryſoſtomo,quæ deprompta ſunt ex aliorum,interdum hæreticorũ ſcriptis;& demum ſententias aliquas Cõciliorum, Pontificum, et Sanctorum Patrum,non ex originali deſumpſerit, ſed ex Iuonis, et aliorum tranſcriptis acceperit, ac non ſemel proprijs verbis, et gloſematis intermiſcuerit. Videatur Cardinalis Bellarminus *de Scriptorib. Eccleſiaſtic. in Gratiano.* Hinc ſub Gregorio XIII. anno 1580. viri doctiſſimi plura Decreti capita emendarunt, et reſtituerunt.

536 Decretum non adhuc cõfirmatum eſt ab vllo Pontifice,vt tradunt Ioannes Maior *in 4.diſt.27.quæſt.6.* Emanuel Rodriguez *tom.1. quæſt.regular.quæſ. 6.art.2.* Caniſius *in ſumma Iuris Canonici lib.1. tit.1. in annot.* P. Suarez *de legib. libr. 4.cap.5. num.6.* P. Layman *tom.1.lib.1. tract.4. cap 6.§.3. num.12.* Vnde ſingula capita ad propriam originem reuocanda ſunt; et, quæ deſumpta fuerint à decretis Summorũ Pontificum,aut Concilij alicuius œcumenici, imò etiam non œcumenici,dum tamen ſit Pontificia authoritate confirmatum,habent vim legis, ſeu iuris Eccleſiaſtici obligãtis omnes fideles. Quę autem deſumpta fuerint ex conſtitutionibus,aut reſcriptis Imperatorum,habent vim legis,ſeu Iuris Ciuilis,de quo inferiùs agemus,& de eius obligatione. Quæ demum à Sanctis Patribus ſunt deprompta, aut à Gratiano,& Palea conſcripta,in externo foro,obtinuit conſuetudo, vt ad cauſarum deciſionem aptẽtur, dum Eccleſiaſticis regulis, ac moribus nõ obſiſtant;eſto per ſe nullam habeant iuris authoritatem cum ad ius condendum ſit neceſſaria poteſtas,*cap.1. diſtinct.* 20. poteſtas autem non extitit penès prædictos.

537 Secunda pars Iuris Canonici continet quinque libros Decretaliũ, quę ſunt reſponſa variorum Pontificum, quæ Gregorius IX.coniunxit,ac in varios titulos ſuis capitibus diſtributos diſpoſuit. Tertia pars librum ſextum Decretalium, appoſito hoc numero ad quinque priores libros; hęc etiam Summorum Pontificũ ſunt reſponſa,ac conſtitutiones, quas Bonifacius VIII congeſſit,ac in titulos,&capita ſeparauit. Quarta pars complectitur ſanctiones Clementis V. quæ *Clementinæ* nuncupantur, & quinque libris per capita etiam diſtinctis conſtant. Denique quinta pars cõtinet Cõſtitutiones Ioannis XXII. aliorumque Pontificum,quæ appellantur *Extrauagãtes*,quia prius quaſi incerta ſede vagabantur extra corpus Iuris Canonici,& poſtea in illud redactæ ſunt.

538 Igitur omnia, quæ cõtinentur in his vltimis quatuor partibus Iuris Canonici,habent vim legis obligantis, & iuxta illa cauſæ ſunt definiendæ;eſto reſpõſa plura non omnibus, ſed alicui Eccleſiæ, vel perſonæ præſtita fuerint; Etenim ad omnes extendi debent,quia habent authoritatem

tem Pontificiam, & præterea publicam vim Iuris, cũ in illius corpus fuerint redacta; & id ipsum obseruatur in Imperatorũ responsis, quæ in Iuris Ciuilis corpus aggregantur, iuxta *leg. 1. ff. de Constitut. Princip.* Id tamen obseruari debet, vtrum responsa Pontificum, sicut & Imperatorum, speciales habuerint circunstantias causæ, personæ, loci, aut tẽporis; quæ enim sunt huiusmodi, non sunt extendenda ad alias causas, similibus circunstantijs non affectas, vt annotat Gratianus *dist. 29.* Videatur Miranda *in Director. Prælator. tom. 2. quæst. 26. art. 3.*

539 In ipsis rursus Pontificũ, & Conciliorũ Constitutionibus, aliæ sunt, quæ continent definitiones Fidei; aliæ, quæ solummodo decreta circa mores, & causas. Primæ immutari nequeunt, nec ab vllo Pontifice, aut Concilio abrogari. Secundę possunt pro temporum varietate, ac circunstantijs à Pontificibus, & Concilijs œcumenicis immutari, aut aboleri, imò & ipsa desuetudine possunt mutationem, vel derogationem pati. Quod idem tenendum est de alijs Cõstitutionibus, seu Decretis Summorum Pontificum, aut alicuius Concilij œcumenici, siue non œcumenici, confirmati tamen authoritate Põtificia; quæ Constitutiones, etsi in corpus Iuris non fuerint redactę, vim legis obligantis habent, proportione seruata; & de harum immutatione, aut derogatione eodem modo philosophandum est, ac de supra dictis; vt obseruant de vtrisque Authores communiter *in tractat. de legibus.*

540 Ius ciuile in communi sumitur pro eo, quod quisque populus ipse sibi constituit, propriumque est ciuitatis, & neque in totum à naturali Iure, vel à iure gentium recedit, nec per omnia ei seruit, efficiturque Ius ciuile, & proprium, cum aliquid additur, aut detrahitur iuri cõmuni omnium gentium; vt apud Iureconsultos est solenne. Loquimur autem in præsenti de Iure ciuili, prout in Academijs traditur. Etenim in corpus iuris redacta sunt responsa Iureconsultorum, & Imperatorum Romanorum, tum ante Christi D. tẽpora dominantium, tum post illa, eorumque constitutiones, ac sanctiones in varios libros sunt distributæ.

541 His ciuilibus legibus nõ obligantur nisi subditi eius, qui illas condidit, vel qui saltem eis vim obligandi sua authoritate adiunxit. Vbi verò ab alijs nõ subditis admittuntur, aut à potestate dominatrice confirmantur, ipsaque præcipit, vt obseruentur, ac vt iuxta illas causæ dirimantur, obligatio obseruationis inducitur. Attamen, cum in suis ditionibus Imperatores, Reges, Principes Supremi, & Respublicę liberæ valeant leges speciales condere, quæ sint contrariæ legibus in corpore Iuris ciuilis insertis, dicendum est, nõ obligare leges huiusmodi, nec iuxta eas fore causas decidẽdas, vbi in propria regione alię leges contrariæ extant; cum legislatori in propria ditione liberum sit, admittere leges Iuris ciuilis, aut eas pro sua regione abrogare, aliasque condere. Cæterum, vbi nec desuetudo eas aboleuit, nec quid contrarium stabilitum est, habent leges in corpore Iuris ciuilis insertæ vim obligandi, & secundum eas causę sunt dirimendę. Quippè ea iam præstita est authoritas eiusmodi Iuri ciuili ab omnibus potestatibus legislatricibus, vt eas leges velint obseruari, vbi nihil ab ipsis potestatibus, aut à consuetudine cõtrarium fuerit sancitum.

542 Vnde constat vtilitas edocendi Ius ciuile in Academijs; nam quamuis plurimæ illius leges, vel in desuetudinem abierint, vel contrarijs legibus in proprio regno fuerint abrogatæ; attamẽ, quæ abrogatæ non sunt, vim retinent obligandi, & iuxta illas est iudicandum; & cum nequeant leges vigentes à non vigẽtibus separari, tum quia omnes simul insertæ sunt in corpore Iuris ciuilis; tum quia quotidie iuxta placitum legislatorum potest vis obligandi restitui, aut detrahi ipsis; tum demum, quia in vnaquaque regione diuersæ leges vigent; ideò conuenienter omnes Iuris ciuilis leges traduntur in Scholis; quod etiam eam affert vtilitatem, vt Scholastici rectiùs postea leges speciales sui regni calleant; &, si extra regnum discedant, leges alibi florentes agnouerint. Cæterũ oportet Professores notitiam nõ perfunctoriam habere legum specialiũ regni, & annotare, ac docere, quęnam leges Iuris ciuilis vigeant, quænam non vigeant; aliàs cõtinget, Studiosos post quinquennium, aut prolixius tempus, omnino ignaros legum Regni, nec posse esse Iudices, nec causarũ Aduocatus, imò nec ipsos Professores posse hęc munera gerere, nisi post plures annos insumptos in Iuris ciuilis studio, incipiant leges Regni addiscere, cum iuxta illas incipiunt iudicare. Sanè ingeniosi Professores Iuris ciuilis aliquando nauseant ad legum Regni studium, & quasi erubescunt legum practicam addiscere; & magis

gis erubeſcere deberent, in Iudices aſſumi, & leges, iuxta quas ſententias prolaturi ſunt, ignorare; Quomodo enim ſe ſufficiẽtes Iudicaturæ arbitrentur, qui adhuc non didicerunt leges, iuxta quas debent exercere Iudicaturam? Poſt munus iudicandi acceptum, iudicant, ſe, ſupra fundamenta præiacta, facilè erecturos molem Iuriſprudentiæ peculiaris Regni. Id etiam ego credam, cum ingenijs florentiſſimis polleãt; ſed liceat timere, aliquando eam molem non adeò facilè erigendam, & priùs fortaſſè litigantes experturos eſſe ruinam. Hæc dixerim, quia conſcientiam concernunt; nec enim ago Concionatorem.

543 Et quidem iudico, grauiter peccare eum, qui proximus eſt muneri Iudicis obeũdo, niſi leges Regni ediſcat, earũque incumbat ſtudio, nec poſſe munus illud acceptare cum earũ ignorantia, niſi de ſe recto iudicio arbitretur, antequã ad iudicandũ accedat, poſſe eas ſufficiẽter calle re. Quippè aliter indignus eſt eo munere, & periculo ſe exponit ferendi iniuſtas ſententias, cum prçiudicio litigantium, quos ſi lædat propter culpabilem ignorantiam, damnum eis illatum compenſare tenebitur. Huic autem periculo ſe exponere, graue peccatum eſt, vt ex ſe conſtat. Præterea, dum quis ea ignorantia, ſine eo recto iudicio, laborat, inſufficiens eſt ad id munus publicum; indignum autem, & inſufficientem acceptare eiuſmodi munera, peccatũ eſſe lethale, omnibus eſt in confeſſo.

544 In noſtra Hiſpania plures ſunt leges Regni propriæ, quæ extant in libris nouæ Recopilationis, & in Partitis, & in legibus Tauri, aliæque paſſim notæ. Habent etiam vim legis obligantis Pragmaticæ ſanctiones, quæ pro Regni adminiſtratione à Rege noſtro Hiſpaniarum prodeunt, dũmodo ab ipſo non reuocẽtur, vel in deſuetudinem abeant. In Regnis etiam aliquibus Hiſpanæ ditionis, vt in Aragonia, Valentia, Catalaunia, Luſitania, & in Regnis, ac Prouincijs Italiæ, quæ Hiſpano Monarchæ ſubijciũtur, leges ſunt ſpeciales. Iuxta quas omnes, proportionatè in quolibet territorio, cauſę definiendæ ſunt, & eis ineſt vis obligandi. Vnde, vbi Iuri Ciuili contrariantur, huic ſtandum non eſt, ſed illis. An verò omnes leges obligent ad culpam, an aliquæ ſolùm ad pœnam ſubeundam; rurſùs an ad pœnam ante Iudicis ſententiam, vel poſt illam; præterea quomodo leges condi debeant, vtrùm cũ populi conſenſu, aut in Comitijs Regni, vel ſolo legislatoris placito, aliçque huiuſmodi quæſtiones, longam diſceptationem poſtulabant, ſed inſtituti præſentis nõ propriam. Videantur Authores *in tractatu de legib. & in tract. de iuſt. & iure.*

545 Debẽt præterea Iuris Ciuilis Profeſſores ſcire, & in doctrinæ traditione annotare, quænam leges ciuiles ſint per Canonicas derogatæ. Etenim, vt obſeruat Abbas *in c. Clerici, de iudic. n. 2.* & P. Laym. *to. 1. lib. 1. tract. 4. c. 8. §. vnic. n. 8.* ſi circa materiã Eccleſiaſticã detur in Iure Canonico aliquod decretũ contrariũ legi Iuris Ciuilis, lex hæc correcta, & ſublata cẽſenda eſt, & decreto Eccleſiaſtico, ſeu Canonico ſtãdũ. Quòd ſi contrarietas ſit circa materiã ciuilẽ, vnaquæq; lex in proprio foro eſt ſeruãda; ſcilicet lex ciuilis in ſæculari foro, & Canonica in Eccleſiaſtico. Demùm ſi aliquid Iure Canonico ſancitũ ſit circa materiam ciuilẽ, cui nulla lex ciuilis repugnet, tunc iuxta *c. 1. de noui operis nuntiatione*, ea ſanctio Canonica in vtroq; foro eſt obſeruanda. Hinc liquet, non poſſe quem perfectum eſſe Iureconſultum, & aptum exercẽ dis muneribus Iudicis, Fiſcalis, ſeu Aduocati, niſi Ius Canonicum calleat, cum id ignorãs nequeat dirimere cauſas, quæ materiam Eccleſiaſticam concernunt, abſq; periculo errandi, ſi fortè leges ciuiles ſint per Canonicas derogatæ; nec item poſſit eiuſmodi cauſis ferre patrocinium, aut cita eas Fiſcalis obire vices.

546 Hinç prouidè in aliquibus Academijs, vt in Salmantina, ſtabilitum eſt, vt Scholaſtici, qui in Iure Ciuili aecepturi ſunt Gradum, dum ſuos litterarios curſus peragunt, ſimul lectionem Iuris Canonici deſignatam audiant; & è contra, qui matriculæ adſcribũtur, vt in Iure Canonico Gradum recipiant, ſimul alicui determinatæ lectioni Iuris Ciuilis aſſiſtant; Quo ſtatuto intenditur, vt vtriuſquè Iuris notitiam habeant, ad fines propoſitos neceſſariam. Vnde ad vtrumque ſtudium cum proportionata moderatione coniungendum debent Profeſſores hortari Scholaſticos, vt ſic ſtatuta cõdẽtiũ mẽti ſatisfiat, ac media opportuna ad fines intentos ſuppeditẽtur. Reprehenſibile quippè eſt, adeò alienos eſſe Studioſos Iuris Ciuilis à notitia Iuris Canonici, & à diſciplina legum propriarum Regni; cum vtrumque omnino ſit conueniens, ac neceſſarium, & ideò cautum fuerit, aut ab Inſtitutoribus, aut à Viſitatoribus Academiarum poſt diligentẽ, & ſedulam inueſtigationem mediorum,

quæ opportuniora sunt commodis,& profectibus Scholarium.

547 Ex dictis constat, etiam Professores,qui Theologiam moralem,seu materias disciplinę moralis,& casuum conscię tiæ tradunt,debere in Iure Canonico esse versatos,cum in illo contineantur Decreta,& Constitutiones Pontificum,vel statuta saltem habentia authoritatem publicā ex insertione in Ius , circa Sacramenta Ecclesiæ,censuras,& plurima alia , quæ si ignorentur, nequit solidè tradi doctrina moralis;ea enim constant consonātia Ius ciuile,& Canonicū inter se,ac ita connectuntur(quod annotauit P. Layman *vbi supra*)& item Ius Canonicum , ac Doctrina moralis inter se,vt vna scientia absq; alia non habeat complementum;nec Iurisconsultum ciuilem dixeris omnino sapientē, qui Ius Canonicum non calluerit, & è cōuerso;Nec Theologum moralem disertū, qui Iuris Canonici notitiam sufficientem non habuerit;sicut etiam & Conciliorum tum Generalium , tunc non œcumenicorum, tam eorum , quæ à Sede Apostolica approbata sunt,quàm aliorum , quæ licèt hāc approbationem non obtinuerint , authotitate tamen non exigua pollent. Etenim in Concilijs œcumenicis,& in approbatis leges positiuę obligantes continentur,nisi derogatæ fuerint, aut in desuetudinem abierint.

Quæstio XXVIIII. An Vniuersitas,eiusque Superior , Collegia, & Rectores Collegiorum possint à litigantibus recusari? Et an Examinatores ab examinandis ad Gradus?

548 SVPPONO,recusationem esse declinationem iudicis,vel audientię causa suspicionis propositam; *cap. suspicionis,de offic.delegat.leg.apertissimi. C. de iudic.* Cuius effectus est,quòd recusatione pendēte,iudex nequit in ea causa ad vllum actū procedere,erit enim nullus processus;Ita Iurisprudentes communiter *in leg.quia poterat,ff.ad Trebellianum;* Francus *in c. iudex .de offic.deleg.n. 2.* Castro *volum.2 consil. 121.* Quę autē sint causæ iustæ suspicionis ad recusandū iudicē,tractāt Marāta *de ordin.iud.2.p.partis 6.in 2.actu suspēsiuo, à n. 27.* Siluest.*verbo,recusari,*&alij passim.

549 Recusatio iudicis Ecclesiastici distat à recusatione iudicis sæcularis,tū quia iudex Ecclesiasticus tā ordinarius,quā delegatus potest in totum recusari;*c.cum speciali,de appell. c.si quis contra Clericum,de foro cōpetenti,*& ibi Interpretes;at iudex sæcularis ordinarius nequit in totum recusari,sed illi datur adiunctus,atq; adeò nō desinit esse iudex in illa causa,vt tenent Bartol.& communis *in dict.leg.apertissimi, C. de iudicijs;* & iudex sæcularis delegatus,si sit ad vniuersitatem causarum ; non potest in totum recusari, sed ei socius adiūgitur. Ita Maranta *de ordin.iud.4.p.d.5.n.50.* Et licèt iure ciuili alij iudices delegati recusari in totum possint,non verò iure Hispano,vt constat *ex leg.1.tit.6.lib.4.nouæ Recopilationis;* vbi modus adiungendi Sociū disponitur.Tum etiam distat vterque iudex,quòd de Iure Canonico ad recusandum iudicem Ecclesiasticum iusta causa requiritur,&quòd probetur;*c.cum speciali, de appell.c.suspicionis.de offic.delegat.c.legitima, de appellat.in 6.* De iure autem ciuili non requiritur causa recusationis ad iudicem sęcularem recusandum,nisi quòd recusans iuret,se non ex malitia recusare illum ad litem protrahendam, sed ob suspicionem,& metum,*leg.apertissimi, Cod. de iudic.* & ibi Glossa;*leg.22.tit.4.partit,3. l.1.tit.16.lib.4.nouæ Recopil.* Et notāt Gregorius Lopez,ac practici Interpretes. Solùmq; iure nostro Hispano requiritur causa ad recusandū Regios Senatores, & Cancellarię Iudices;*leg.1.& 2.tit.10.lib.2.nouæ Recopilationis.*

550 His positis ad dilucidā quæstionis resolutionem,dico primò, Vniuersitates,& earū Superiores,ac Iudices , necnō Collegia,corūq;Rectores (si sint Iudices) posse à subditis litigātibus,&ab actoribus, seu reis aliūde nō subditis,corā ipsis tamē pro lite stantibus recusari. Probatur;Ii soli iudices recusari non possunt , de quibus nullo modo præsumitur,quòd iniustitiā faciāt,cęteriverò possunt recusari;At illi solùm sunt Pōtifex, Princeps Supremus,Cōcilium generale, quod errare nequit , & Cardinales propter eorū iustitiam,fidem, & probationem;vt tuentur Francus , *cap. cum speciali,de appellat.n.32.& cap. vlt. n. 14.& seqq.* Panormitan. *in cap. querelam, de elect.* Possunt autē cæteri recusari , quia de eis non id certò præsumitur;Quare recusari potest Cōcilium Prouinciale,& delegatus Pontificis, ac cuiusuis Principis pro-

proprio motu datus, vt docent Francus vbi ſuprà, Nauarrus *lib.2.conſil.tit.de appellat.conſil.1.* vbi id extendit adhuc ad Cardinalem Legatum à latere; ergo pariter ij Iudices, de quibus eſt quæſtio, recuſari valent; cum nec maiori gaudeāt priuilegio, nec præſumptio de ipſis debeat eſſe melior, quàm de Cōcilio Prouinciali, aut Iudice delegato Papæ, præcipuè ſi ſit à latere, & demum nullibi excipiuntur quominùs recuſari queāt; &, vbi non eſt exceptio, Iudex generaliter recuſari poteſt.

551 Dico ſecundò, prędictos, ſi ſint Iudices Eccleſiaſtici, poſſe in totum recuſari, ita vt Iudices eſſe deſināt in lite, ad quam recuſantur; Requiritur autem iuſta cauſa recuſationis, & quòd ea probetur. Vtraque hęc propoſitio conſtat expri mo ſuppoſito, vbi affectiones, ac cōditiones recuſationis Iudicum Eccleſiaſticorū attigimus. Et quidē denegandum non eſt litigantibus hoc remedium naturale, quo ſe tueantur, ſi ſuſpectum iudicem habeāt. Quando autem interponēda ſit recuſatio, quæſtio eſt cōmunis recuſationi cuiuſvis iudicis, nec propria noſtri inſtituti ſingularis. Conſulantur Gregor. Lopez *leg.22.titul.4.p.3.* P. Thom. Sanchez *tom.2. conſil. mor.lib 6.c.8.dub.3.n.19.* Et certè recuſatio fieri debet non ſolùm ante litis cōteſtationem, (niſi poſteà noua cauſa emergat) verùm eſſe debet prima exceptio ante omnes dilatorias.

552 Rurſùs etiam eſt quæſtio omnibus recuſationibus cōmunis, an ab aliquo poſſint tolli, & ſolùm poſſe à Principe Supremo, eſt cōmunior sētētia; qui, vt poteſt omnē appellationem auferre, cōmittendo iudici cauſam, omni appellatione ſemota, ita & omnē recuſationē, dū adſit grauis cauſa eam auferēdi. Videātur Ioann. Andreas *c.cū inter, de except.* Speculator *tit.de recuſ. §.1.* Minus quippè eſt auferre recuſationē, quàm appellationem; cū, illa ſublata, adhuc reſtet appellationis remedium.

553 Præterea etiam cōmune eſt cuiuis recuſationi, vt nō probetur eius cauſa cotā Iudice recuſato, ſed eligātur arbitri, à quibus cognoſcatur; electio autē fieri debet à partibus; vel ſi iudex ex officio procedat, debet fieri à Iudice, & Reo; *c.cū ſpeciali.de appell.c.legitima, eodem tit.in 6.* Quòd ſi non approbetur recuſationis cauſa, procedit Iudex in illa; ſi verò approbetur, ad Superiorem, vtpotè in noſtro caſu ad Pontificem, vel eius Nuntium, cauſa principalis eſt deferenda; vel ad alium, ſi detur reſpectu Academiarum aliquarum, aut Collegiorum Iudex ſuperior. Eiuſmodi tamē Iudices ordinarij poſſunt, poſtquam recuſantur, antequam arbitri ſententiam pronuntient, etiam inuitis partibus, cauſam principalem alteri delegare. Ita Marantà *de ord.iud.4.p.d.5.n.41.* Panormit. *c. cum ſpeciali, de appell.*

554 Dico tertiò, in Academijs, in quibus prętер Superiorē Iudicē alius eſt iudex, qui cū illo vnū tribunal conſtituit, v.g. Salmanticæ, vbi Scholaſticus Salmātinus Iudicem habet ſibi ſubordinatum, ſi hic Iudex recuſetur, debet recuſationis cauſa probari ante Scholaſticum Salmantinum. Etenim, licèt non poſſit ab vno ad aliū appellari, attamen ideò hoc prouenit, quia appellatio iuriſdictionem concernit, quæ in vtroq; eſt eadē, cū vnū tribunal cōſtituant; at recuſatio reſpicit perſonam; poteſt autem Iudex eſſe ſuſpectus, quin ſuſpectus ſit Scholaſticus Salmantinus, niſi cauſa recuſationis æquè ſuper vtrumq; cadat. Quod firmatur à paritate; nam, ſi Vicarius Epiſcopi, qui cū eo vnum conſtituit tribunal recuſetur, coram Epiſcopo eſt probanda recuſationis cauſa, niſi ad eum pariter attineat. Ita Ancharran. *c.ſi contra, de offic. deleg.in 6.* Oldradus *conſil.268.*

555 Cæterùm, ſi ipſe Scholaſticus Salmantinus in caſu recuſationis Iudicis abeſſet Salmātica, nec eſſet in loco vicino, aut diu protracturus eſſet abſentiā, quin poſſet cōmodè coram illo cauſa recuſationis agitari, ad arbitros erit confugiendum. Ad ipſos etiā confugietur, ſi ipſemet Scholaſticus Salmantinus recuſetur. Sed nota, iudices recuſatos poſſe deſignare arbitris terminum, intra quem definiant recuſationis cauſam; quòd ſi non definiant, cauſa recuſationis eſt deſerta; niſi eis terminus minus competens deſignetur, tunc enim partes poterunt à deſignatione appellare. Circa hæc vide *c.legitima, de appell.in 6.* & ibi Gloſſam, Francū, Dominicū, & cōmuniter Interpretes. Nota etiā arbitris diſcordantibus, ab ipſis aliū tertium eligendum, qui cū vno ipſorum in definitione cauſæ recuſationis concordet. Infertur id *ex c.cū ſpeciali, de appell.* & ibi Francus cū plurib⁹.

556 Iuſtę cauſæ recuſationis, ob quas rationabiliter timetur de integritate iudicis ſunt; ſi ille ſit cōſāguineus partis; ſi ciuſdē patriæ, ac vinculis amicitiæ, ac cōnubiorū inter vtrāq; familiā valdè cōiūctus; ſi inimicū ſe oſtenderit in alijs euentibus, reſpectu vnius ex partibus; Simileſq; alię cauſæ

excogitari queunt, vt recuſatio ſit iuſta; nã illis verè exiſtentibus, valde probabiliter poteſt vereri litigans, iudicem ab animi conſtantia deflexurum, & in partem aduerſariam inclinaturum fore. Quare in Tribunalibus ea eſt praxis, vt cauſæ prædictæ ad recuſationem iuſtæ cenſeantur.

Dico demùm, Iudices Academiarum, ſi ſint ſæculares, poſſe etiam recuſari, dummodo ſeruentur conditiones ſuperiùs appoſitę circa recuſationem Iudicis ſęcularis ſeruandæ, & adſit cauſa ſufficiẽs recuſationis. Hoc aſſertum non indiget alia probatione, quàm fundamentis adhuc ſtabilitis, quæ repetere non eſt neceſſe. Vide Don Alphonſum de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdict. cap. 24. à num. 17.* Ex dictis infertur, poſſe etiam recuſari eos qui examinant in Academijs candidatos Graduũ, cum poſſit adeſſe iuſta cauſa recuſationis; & illi in eo Actu ſint Iudices, à quorum ſententia pendet admiſſio Candidati ad Gradum. Non tamẽ facilè hæc recuſatio eſt toleranda, ne aditus ad plura incommoda pateat; quare cauſa debet eſſe vrgens, ac manifeſta, vt, ſi inimicitię graues, vel capitales inter Examinatorem, & Examinãdum agnoſcerẽtur, aut alia ſimilis. De cauſa autem recuſationis, an ſit iuſta, necne, quis debeat cognoſcere, ſtandum eſt ſtatutis vniuſcuiuſque Academiæ; Ex ſe autem ea cognitio attinet ad Magiſtratum, qui iuriſdictione gaudet erga Gradus conferendos, (cuiuſmodi eſt in Salmãtina Academia Magiſter Scholæ) eſt quippè quid connexum, & conſectarium ei iuriſdictioni, vt valeat integrè, & perfectè exerceri. Videatur Don Franciſcus Carraſco *in tom. ad al. quas leges Recopilat. cap. 9. num. 31.* Vbi hoc punctum Iuribus, & Authoribus exornat.

Quæſtio XXX. An, & ad quem à Iudicibus Academiarum poſsit appellari?

557 FACILE, & breuiter quæſtionem dirimemus, ſi aliqua certa, et cõmunia ex Iuris principijs ſuppona mus. Appellatio eſt prouocatio à ſententia, vel grauamine Superioris ad alium maiorem iudicem, ſeu Magiſtratum; *cap. placuit, 2. quæſt. 6.* Eſtque remedium inſtitutũ ad defenſionem innocentię, non iniquitatis; *cap. cum ſpeciali, de appellat.* Inde in cauſa notoria ob Rei cõfeſſionem, aut aliam notorietatis viam; et à ſententia lata contra abſentem contumacem, appellatio non ſuſtinetur; *leg. 1. Cod. Quorum appellationes nõ recipiuntur.* Appellatio alia eſt iudicialis, de his, quæ circa iudicium accidunt, quæ à definitiua ſententia, non ab interlocutoria auditur; *leg. ante. Cod. Quorum appellationes;* ab interlocutoria tamen auditur, ſi grauamen poſteà nequeat reparari per appellationẽ à definitiua; Approbatur id à Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 1. de reform.* Alia extraiudicialis, quæ extra iudicium interponitur ob grauamen illatum, aut inferẽdum; *cap. Concertationi. de appellat. in 6. cap. conſiderauimus. cap. cum nobis, de electione.*

558 Debet interponi appellatio intra decẽ dies à lata ſentẽtia, vel grauamine illato; *Authentica, hodie, Cod. de appellat.* cum vulgatis; aliàs tranſit ſententia in rem iudicatam, niſi de iniquitate illius certò cõſtaret; *cap. Concertationi, iam relato.* Et à ſententia in cauſa matrimonij lata pro valore illius coniux appellans ſemper auditur. Docet cum alijs P. Layman *tom. 1. libr. 3. tract. 6. c. 6. n. 4.* Grauatus etiam per modum querelæ adhuc à Superiore auditur, vt notat Abbas, *in c. cum ſit Romana, n. 22. de appell.*

559 Appellatio, iudicialis præcipuè, rationabili cauſæ innitens ſuſpendit iuriſdictionem iudicis, à quo appellatur, circa eam cauſam; *cap. ſi à Iudice, de appella. in 6.* Et nihil innouatur, ea pendente, nec mandatur executioni ſententia; *leg. vnic. ff. Nihil nouari appellatione interpoſita.* In appellatione extraiudiciali, cognita veritate cauſæ à Superiore Iudice, reſcinduntur acta prioris iudicis; *c. non ſolùm, c. Romanæ, de appell. in 6.* Deuolutiuum etiam effectũ producit appellatio; Iudex enim appellationis alium inhibet, & ipſe cauſam cognoſcit; iuxta *relata c. ſi à Iudice, c. non ſolùm.* Alĩ quando autem hic effectus datur ſine ſuſpenſiuo; nam per apdellationem nõ ſuſpẽditur cenſura iam lata; *c. paſtoralis, §. verùm de appell.* Eſto ſuſpendatur per appellationẽ ſententia, qua declarat Iudex, aliquem in cenſuram incidiſſe, iuxta Nauarrũ *conſil. 5. n. 2. de ſentent. excom. in edition. 2.*

560 Intra triginta dies à ſententia lata petendæ ſunt litteræ à Iudice, à quo appellatur, ad Iudicem appellationis, quarum ſpecies ſunt, dimiſſoriæ, refutatoriæ, & reuerentiales, iuxta Abbatem *in cap. bonæ, num. de appellation.* alias cenſetur quis appellationi renuntiaſſe; *leg. iudicibus, Cod. de*

de appellation. In appellatione extraiudiciali, si sit Iudex, qui eas litteras dare possit, etiam sunt petendæ; Glossa *in cap. 1. de appellation. in 6. verbo, vel extra.* Appellatio autem si nequeat fieri in Iudicis præsentia, præstatur sufficienter coram Notario, aut duobus viris honestis. Ita Abbas *in Clement. si à iudicibus, num. 4. de appellat.* Plura alia de appellatione videat, qui velit, apud Expositores Canonicos, & Ciuiles, *tituli de appellationibus,* & apud P. Layman *vbi supra*; Andream Gaill. *lib. 1. obseruat. 27.* P. Thom. Sanchez *lib. 6 sum. cap. 8. & sequent.* P. Castro Palao *tom. 3. oper. mor. tract. 16. disp. 4. punct. 15.* apud quem circa aliquas appellationes relatos reperies Nauarrum, Rodriguez, Sayrú, Couarrubias, Barbosam, P. Sa, Azor, Suarium, & alios.

561 Ex his affero, à Iudicibus Academiarum appellari posse, seruatis his, quæ supposuimus, tum appellatione iudiciali, tum extraiudiciali. Quippè cum appellatio sit remedium institutum in defensionem innocentiæ, non est, cur litigantes in Tribunalibus eorum Iudicum, vel ab eis aliquo grauamine molestati non gaudeant eo remedio, si velint. Sed ad quem Iudicem pertineat appellatio, nequit fixa regula tradi; nam diuersi sunt Iudices pro Academiarum diuersitate; alij Ecclesiastici; alij sæculares. Videndum ergo est, quis sit Superior iudex respectu eorum, & ad illum facienda est appellatio. In Academia Salmantina, cum Magister Scholæ sit iudex immediatus Pontifici, & Regi, ab eius Tribunali in causis Ecclesiasticis ad Nuntium Pontificis existentem in Regis Curia est appellandum. In alijs verò causis etiam ad Senatum Regium Supremum appellari valet, vt alibi iam superiùs asseruimus *loco infra referendo.* Hinc, vbi Iudex esset ipse Romanus Pontifex, aut in sæcularibus aliquis Supremus Senatus loco Principis, non posset appellari, cum respectu Pontificis, et eiusmodi Senatus non detur Superior. Posset tamen apud Pontificem, seu Regem supplicari super sententia lata, aut grauamine imposito. Cæterùm in causis sæcularibus quomodo possit appellari à Magistro Scholæ Salmantinæ, tractaui *hoc lib. quæst. 8. §. 4.* Et de materia proposita in hac quæstione vide D. Alfonsum de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdict. cap. 21. §. 9.*

Quæstio XXXI. Qua authoritate possint erigi Collegia? Vbi aliqua de illis obseruantur.

562 SIVE Collegium sit ex his, quæ in Academijs intuitu litterarum eriguntur, siue quoduis aliud (hoc enim nomen *Collegium* solet ad varias hominum Congregationes extendi) eo ipso quòd non sit approbatú à Iure, vel à Principe, censetur reprobatum. Ita *in leg. 1. ff. de Collegijs illicitis;* Glossa *in leg. 3. verbo, illicita, eodem titulo;* Bartol. *in leg. si quis à filio, §. si parti, ff. de legatis 1. & in leg. ex hoc iure, num. 7. ff. de iust. & iur.* Boerius *in tract. de seditiosis, c. 5.* Nicolaus Losæus *de iure Vniuersitatum part. 1. cap. 2. num. 75.*

563 Cæterùm de Iure Communi sunt approbata Collegia Doctorum, seu Scholarium, seu litteras profitentium, vt infertur ex *Authentica Habita, Cod. ne filius pro patre, &c.* Glossa *in leg. 1. ff. quod cuiusque Vniuers. nom. verbo, aliorum.* Bartol. *in leg. vlt. numer. 7. ff. de Collegijs illicitis.* Hinc licet eiusmodi Collegia erigere, sicut & Academias; & sanè bono publico, & vtilitati Reipublicę maximè ea conducunt. Vt autem Collegium erigatur, standum est legibus Regni, in quo erigitur, vt inde cōstet, an facultate Principis, vel Reipublicæ sit opus ad eius fundationem. Cōstitutiones verò ad eius rectam gubernationem dispositæ, vt vim obligandi habeant, indigent approbatione, seu cōfirmatione, quæ à Pontifice solet impetrari; quæ posita, nisi ille dispenset, nequit eis contrairi. Vide latè hoc punctum agitatum à D. Alfonso de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdictione, cap. 21. à num. 291.* Et videnda sunt, quæ dixi *hoc lib. num. 242.*

564 Tritum, & vulgare est, constituī Collegium, quodcumq; hoc sit, ex tribus personis; *leg. Neratius, ff. de verbor. significa. leg. sicut, §. vltim. ff. quod cuiusque vniuers. &c.* & ibi Glossa, ac Bartol. Idem *in leg. 4. num. 1. ff. de vi bonorū raptorum; & in rubric. ff. de Collegijs illicitis.* Baldus *in rubric. Cod. pro socio, num. 3.* Et solet à Iureconsultis afferri de eo ratio; quia in vno, vel duobus non inuenitur, nec designari potest maior pars; quare, si esset discordia inter suffragia, non posset à duobus expediri, iuxta *leg. si vnus, §. si in duos, ff. de recept. arbitr.* Glossa *in cap. 1. de electionib.*

565 Collegium Monachorũ constitui nõ solùm ex tribus, sed adhuc ex duobus, tenet Glossa *in cap. 1. verbo, vbi congregatio, 10. quæst. 1.* fateturque, iuxta leges ciuiles, non sufficere duos ad Collegiũ constituendum. Sed quidquid de Congregatione, aut Collegio Religiosorum sit, de Collegijs, de quibus nobis est sermo, certum est, ea non nisi ex tribus saltem constare. De eo autem Iure Canonico consulantur Immola, & Abbas *in cap. 1. de elect.* Marcus *volum. 1. decis. 799. n. 1.*

566 Obseruandum tamen est Collegium manere idem semper, quãuis personæ mutentur; & si vnus solus de illo remãserit, ius tamen, & nomen in eo cõseruatur, quod accidit in qualibet personarũ vniuersitate; Ita Glossa *in leg. 7. §. in decurionibus, verbo, nomen vniuersitatis, ff. quod cuiusque vniuersit. nom.* & ibi Baldus, & Castrensis; necnon Iason *in leg. si grege, à num. 7. ff. de legatis 1.* Quippè, & si homines extinguantur, remanent tamen res, & iura ipsorum hominum, & propter ea iura repræsentatur in vno tota Communitas. Imò mortuis omnibus de Collegio, aut Vniuersitate, non extinguitur Collegiũ, aut Vniuersitas, quæ remanet quasi in habitu, vt per futuros substitutos redeat in actum. Etenim, quod vniuersale est, non valet perire, sicut homo in genere nequit mori. Quæ doctrina tunc locum habet, cum ex aliquo casu fortuito omnes personæ pereunt, vt ex peste, aut hostium incursu, vel simili. Nam, si Collegium, Vrbs, aut quæuis vniuersitas authoritate Principis, siue Superioris extingueretur, desineret omnino esse, omniaque priuilegia, & iura cessarent, quamuis personæ superstites remanerent; quod ratione delicti euenire posset, tuncque delictum, & pœna à Superiore lata cassaret, & annullaret titulum, & nomẽ Collegij, seu Vniuersitatis; non autem cassatur, aut annullatur per casum fortuitum alicuius calamitatis superuenientis. Ita Innocentius *in cap. cum ex iniuncto, num. 2. de operis noui nuntiat.* Ioannes Mauritius *in tract. de restitut. in integr. c. 404. à num. 3.* Castrensis *vbi suprà num. 7.* Baldus *ibidem, & in Constitut. de pace Constantiæ, verbo, Nos Romanorũ Imperator.*

567 Hinc constat, aliud esse Collegium, vel Vniuersitatem, aliud singulos de Collegio. An autẽ nomine personæ comprehendatur Collegium, seu Vniuersitas, quæstio est ad aliquas Iuris ciuilis controuersias vtilis; De qua videantur Lossæus *de iure Vniuersitat. part. 1. cap. 1. n. 38.* Alexander *volum. 6. consil. 17.* Franciſc. Curtius *in leg. vnica, §. hoc etiam, Cod. de iure iurando propter calumniam dando;* Cagnolus *in leg. si quis maior, à num. 17. Cod. de transact.* Bartolus, Baldus, Iason, Ludouicus, Immola, & alij à prædictis Authoribus relati; & communior sententia tenet, non contineri propriè sub nomine, & appellatione personæ Collegia, & Vniuersitates, maximè in statutis odiosis, esto in alijs sumantur veluti quædam persona ficta, ac repræsentata.

568 Quæ in Consessu, aut Communitate Collegij statuuntur circa ipsius gubernationem, aut reformationẽ, obseruari debent non solùm ab his, qui tunc in eo versantur, sed etiã à successoribus; eaque statuta, siue ordinationes sunt stricti iuris, quia fiunt quasi per stipulationem, quę stricti iuris est, nempè præcedente consultatione, seu interrogatione facta ab eo, cui id munus incumbit, & subsequente cæterorum responsione. Id colligitur ex doctrina Baldi *in leg. 1. ff. de legib. §. constat, versu ex esi; & ibi Glossa, verbo, veluti, & verbo, consule, Institut. de iur. nat. gentium, & ciuili.* An autem debeat fieri propositio, aut consultatio, aliquo, vel aliquibus diebus ante resolutionem; & an prius negotiũ debeat inter Consiliarios ventilari, standum est cõsuetudini cuiusque Collegij.

569 Nec solùm ea, quæ ab integro Collegio stabiliuntur, vim obligandi retinẽt, verùm & ea, quæ ab aliquo, vel ab aliquibus decernuntur, quando ad id ab ipso Collegio authoritas illis committitur. Sic assolent aliquando, cum plura sunt Collegia, vt in Salmanticensi Academia, ex singulis antiquior cum alijs conuenire, vt negotia pertractent, ac decernant, quæ ad eorum spectant vtilitatem; esto soleãt ad suas Communitates deferre, quod inter ipsos cõuenit, vt approbetur; at potest Collegium absolutè authoritatem committere alicui, vel aliquibus, vt res decernant. Etenim quod fit ab his, qui habent authoritatẽ à Collegio, Vniuersitate, aut Communitate, cẽsetur factum ab eis, qui authoritatem commiserunt, vt in Iure est notissimũ; *leg. 6. §. si decuriones, ff. quod cuiusque vniuersit. nom. leg. 1. Cod. de veter. iur. enucl.* Hinc, si hi, qui eiusmodi authoritatẽ acceperunt, eligant officialem ad res, & negotia Collegij, hic censetur specialiter electus, & nominatus à Collegio, quod eligenti dedit potestatem; quare electus non acci-

accipit ius ab eligente, ſed ab eo, qui eligendi tradidit poteſtatem; argumẽto textus *in leg. 6. nuper relata, & leg. vnum ex familia*, §. 1. *ff. de legatis* 2. Vbi Bartolus, & Caſtrenſis; ac exornat Loſſæus *de Iure Vniuerſitatum part.* 1. *cap.* 3. *à num* 100.

570 Cęterum ſi hi, quibus conceſſa eſt poteſtas eligendi ad aliquod munus, ſeu officium, eligant inhabilem, controuertitur inter Doctores, an alium poſſint eligere? Cenſuit Caſtrenſis *in leg.* 69. §. 1. *num.* 3. *ff. de legat.* 2. non poſſe, quia functi ſunt officio ſuo, ſicut iudex delegatus, qui tulit ſententiam nullam, aliam ferre non poteſt, iuxta *leg. iudex poſtea quã, ff. de re iudicata.* At Bartolus *in leg.* 2. *ff. de option. legat.* & cũ eo Loſſæus *vbi ſuprà n.* 104. diſtinguunt, & aiunt, veram eſſe deciſionem traditam, quãdo à Communitate traditur poteſtas delegata; ſecus verò, quando ordinaria; ſicut iudex ordinarius, qui pronuntiauit ſententiam nullam, poteſt aliam pronuntiare, *leg. ſi præſes, Cod. quomodo, & quando iudex &c.* ibidemq; Bartolus tradit regulas diſcernendi, quando intelligatur conceſſa poteſtas ordinaria, aut delegata.

571 Hæc ſecunda ſententia abſolutè vera eſt, & habet locum reſpectu aliquarum Communitatum, quales ſunt Reſpublicæ, & aliæ ſimiles, quæ poteſtatem, ac iuriſdictionem ordinariam poſſunt tradere. Cęterum Collegia, de quibus loquimur, non committunt negotiorum, & electionum expeditionem, niſi vt velut nomine ipſorum operentur hi, quibus committitur, quin ad hoc iuriſdictione ſit opus; Hinc, cum ipſa Collegia poteſtatem eligendi ſuos Officiales habeant, & alios eligendi, ſi illi forſan inhabiles ſint, id ipſum poterunt præſtare hi, quibus commiſſa eſt eligendi poteſtas, niſi reſtricta fuerit per clauſulam, quòd pro vna vice electionem faciant. Fateor, Collegia, quæ habẽt iuriſdictionem erga ſubditos, poſſe conſtituere Iudicem, qui ordinaria iuriſdictione fungatur; & hunc poſſe eam delegare, & præſtare ea omnia, quæ Iudicibus Ordinarijs competunt. Attamen in caſibus propoſitis, cum ad aliquod negotium tractandum, aut electionem faciendam, committitur poteſtas vni, vel pluribus è Collegio, non habent ea locum, nec poteſt ea facultas delegari ab illo, cui commiſſa eſt. Id verò eſt animaduertendum, cum aliquid decernitur ab ijs, quibus à Collegio poteſtas eſt cõmiſſa, non poſſe reuocari niſi ab ipſo Collegio, vel de ipſius authoritate ab alijs, quibus Collegium concedat authoritatem reuocandi ordinationes ab ipſo Collegio diſpoſitas. Aliud erit, ſi quis è Collegio ratione officij, aut antiquitatis aliquid ſtatuat, nam tunc ſucceſſor eius poterit id reuocare, vt in ſimili docet Bartol. *leg.* 2. §. 1. *num. vlt. ff. de optione legata.*

Quæſtio XXXII. Quo pacto Academiæ, & Collegia in ſuis cauſis munus Actoris, & Rei obeant? Vbi de Actibus Iudicialibus ad eas pertinentibus aliqua libantur.

572 APTANDA ſunt Academijs, ac Collegijs Studioſorum, quæ communia ſunt cuilibet gentiũ Vniuerſitati. Igitur Procuratores ad ſuas cauſas valent conſtituere, ſeu negotiorum geſtores, qui poſſunt intentare, & mouere actiones competentes Academijs, ſeu Collegijs, &, ſi eis tribuant liberam, ac generalem adminiſtrationem, mandatũ, ſeu poteſtatem, valent illi omnia negotia gerere, quamuis hæc requirant ſpeciale mandatum, hoc enim in libera illa adminiſtratione tacitè videtur ineſſe. Vide Caſtrenſ. *in leg. vltim. ff. quod cuiuſque vniuerſitat. nom.* Baldum *in leg.* 30. *Cod. de decurionib. lib.* 10. Gloſſam *in leg. mandato generali, ff. de procurator.* Decium *conſil.* 292. *num.* 2. Alexandr. *in leg.* 12. *Codic. de tranſact. & in leg.* 16. *Cod. de procurator.* Curtium iuniorem *in leg. Præſes num.* 2. *Cod. de tranſact.* Marcum *deciſ.* 780. *num.* 8. *volum.* 1. Iaſon. & Bartol. *in leg.* 12. *Cod. de tranſact.* Loſſæum *de Iure Vniuerſit. part.* 1. *cap.* 3. *à num.* 108. Hinc, ſi ſuper re dubia tranſigant, tenet trãſactio, dummodo id pręſtent bona fide, & non ambitioſè. Pacta enim ambitioſa facere nequeunt, ea ſcilicet, quę continent donationem, ſeu iuris, aut debiti liquidi remiſſionem iuxta *leg. ambitioſa, ff. de decret. ab ord. faciend.* cum alijs. Attamen, vt obſeruat Caſtenſ. *in leg.* 38. *num.* 3. *ff. de pactis*, licèt hi procuratores nequeant debita liquida remittere, ſi fateantur, ea eſſe iam ſoluta, ad ipſoſque pertineat, ſo lutionem accipere, ei con-

ei confessioni statur.

573 Cum itaque Academiæ, & Collegia possint esse actores, & Rei, seu agere, & conueniri, *leg. 1. & sequentibus, ff. quod cuiusque Vniuersitat. nom. leg. procuratores, C. de decurionib. lib.* 10. & per se nequeant in iudicio stare, sed per suos procuratores, per quos ipsæ Cõmunitates repręsentantur *leg.* 8. *ff. de pollicitationib. leg.* 27. *iuncta Glossa, ff. ad S. C. Trebellianum; leg.* 10. *§. qui manumittitur ff. de in ius vocando;* hinc fit, non solùm posse constituere procuratores, siue negotiorum gestores, verùm posse cogi, vt eos cõstituãt, ad hoc vt conueniantur, & vt creditores contra illos agant; *leg. 4. ff. de fideicommiss. libertat.* vbi Bart. *in §. creditoribus eiusdem legis.* Etenim quælibet vniuersitas æquiparatur pupillo, *leg. 3. C. de iure Reipublicæ lib.* 11. quare, sicut actor debet petere, vt pupillo constituatur tutor, curator, aut defensor, sic etiam debet, vt Vniuersitati constituatur; aliàs ei imputabitur; *leg. 1. Cod. de iure Reipub. lib.* 11. Et ibi Bortol. *num. vlt.*

574 Imò, quia Ius valde conatur, vt Reipublicæ, & cuiusuis Vniuersitatis sit melior conditio, earumque interest plurimos ad suam causam defendendam habere, *l. 4. ff. de operis noui nuntiat. leg. 1. §. vlt. ff. quod cuiusque Vniuersit. nom.* si nullus procurator sit ab Vniuersitate constitutus, aut constitutus absit, vel sit impeditus, admittitur ad eius defensionẽ quilibet etiam extraneus, cum cautione de rato, seu cautionem faciens de iudicato soluendo, sicut cum ea cautione admittitur quilibet ad defensionem absentis, nã per cautionem firmatur persona, de cuius mandato dubitatur; *leg. 6. §. actor Vniuersitatis, ff. quod cuiusque Vniuersit. nom. leg. 9.* iuncta *Glossa, ff. rem ratã haberi.* Eam autẽ cautionem præstare non debet procurator constitutus à Republica, Academia, seu Collegio, vt docet Iason *in leg. 4. n. 19. ff. de re iudicata*, & communiter omnes.

575 Vt autem procuratoris ad causas constitutio teneat, necessum est, Vniuersitatem, seu Collegium ad cõcedendam potestatem, seu administrationem conuocentur mandato Superioris, *leg. obseruare, C. de decurionib. lib.* 10. Quòd si superior non esset, antiquiori competit conuocatio, vt tradunt Doctores *in leg. 3. ff. quòd cuiusque Vniuersit. nom.* Quot autem ex Vniuersitate sufficiant ad procuratorem constituendum, sicut & ad alias ordinationes stabiliendas, & an maior pars suffragiorum debeat intelligi de maiori parte canonicè sumpta, standum fore arbitror consuetudini, & statutis ipsarum Vniuersitatum, & Collegiorum. Quid autem de iure communi tenendum sit, explicat cum pluribus Lossęus *de Iure Vniuersitat. part* 2. *cap.* 1. *à num.* 21.

576 In præsenti animaduerte, solere distingui inter syndicum, actorem, & procuratorẽ ab Vniuersitate quauis constitutos (vt omittam œconomum, qui ab Episcopo in rebus Ecclesiasticis designatur) Quippe syndicus constituitur tã ad negotia, quàm iudicia, ad lites presẽtes & futuras, & mandatum generale habet cum libera administratione; actor verò designatur ad lites præsentes, & potest nõ solùm ab ipsa Vniuersitate, sed ab huius administratoribus constitui, sicut potest à tutore, vel curatore. Videantur Doctores *in leg. neque, Cod. de procurator.* Procurator autem in effectu idem est ac syndicus; & potiùs solet interuenire distinctio in forma constituendi, quàm in ipsis; & licèt procurator videatur esse nomen eius, quĩ causas personę priuatæ defendit, tamen etiam competit ei, causas agere Vniuersitatis, cum huius causæ eo ordine tractentur, quo causæ singularium personarum. An autem possit syndicus, actor, seu procurator post litem contestatam reuocari, & vtrùm ipsi queant cessare ab officio vel cogi, vt prosequantur? Rursus, quo pacto constituendus sit actor, vel procurator, quando Vniuersitas, seu Collegium agere tentant aduersus suum Superiorem, vide apud Lossæum *suprà à num.* 55. Bartol. & Castrens. *in leg. 6. ff. quod cuiusque Vniuersitat. nom.* Marcum *volum.* 1. *decis.* 55. Alexandr. *volum.* 2. *consil.* 135. *num.* 2. Innocentium *in cap. e doceri, de rescriptis.*

577 Qualiter autem ad iudicium sit citanda quęuis Vniuersitas, inter Authotes disceptatur. Non est dubiũ, sufficere, si ipsa citetur, dum in suo Consessu, aut Concilio est congregata. Sufficere autem, citari syndicum, aut procuratorem, tenent Baldus *in leg. 6. num. 3. Cod. de rem. ff. pignor. & in leg.* 1. *§. omnibus, ff. quod cuiusque Vniuersit. nom.* Guido, & alij contra Bartol. & Socinum. Videantur Hieronymus de Monte *tract. de finib. reg. cap.* 72. *à num.* 23. Lossæus *de iur. Vniuersit. part.* 2. *cap.* 1. *à num* 63.

578 Debet cæterùm conueniri

niri Vniuersitas coram Iudice proprio, ita vt si Iudex sit Ecclesiasticus, coram eo, & non alio conuenienda sit. Absolutè verò, an omnes Studiosorum Vniuersitates sint Ecclesiasticæ, *supra quæst.* 8. agitauimus. Quòd si non detur Iudex proprius alicuius Academiæ, vel Collegij, sed sint sub Iudicibus territorij tunc videndum est, an maior numerus sit Clericorum, necne? Si sit maior conuenienda est Academia, seu Collegium coram Iudice Ecclesiastico; si verò maior sit numerus laicorum, coram iudice sæculari; scilicet quandò vniuersim conueniuntur; nam, cum singuli vocantur ad iudicium, coram Iudice singulorum, iuxta ipsorum qualitatem, causæ sunt peragendæ.

579 Scio, iuxta aliquos Authores relatos suprà *quæst.* 8. non remanere locum distinctioni appositæ, cum arbitrentur, Studiorum Vniuersitates, & Collegia esse Ecclesiastica, quamuis minor numerus sit Clericorum. Sed nō enervatur assertio nostra; Quippe præscindimus nunc ab hac quæstione, *ea quæst.* 8. satis discussa, vtrùm Academiæ, & Collegia sint Ecclesiastica, absolutè loquendo; solùmque enuntiamus, casu quo Academia, aut Collegium non habeant designatos Iudices Ordinarios Ecclesiastica iurisdictione pollentes, sed fundata, erectaq; sint cum subiectione ad Iudices proprios territorij, tunc esse inspiciendum numerū, eorum, qui in eis subscribuntur, & iuxta maiorem, aut minorem numerum Clericorum, eas Communitates in iudicio esse conueniendas coram Iudice Ecclesiastico, aut sęculari ipsius territorij.

580 In progressu autem iudicij, si causa sit ciuilis, procurator in libellis, seu instrumētis, nomine Vniuersitatis, illud præfigendo, agere debet, ne proprio nomine agere dicatur; at in criminalibus proprio nomine debet cōcipere libellū; vt docēt Marāta *in sua practic. in* 4. *p. principio, distinct.* 11. *fol.* 296. *num.* 7. Baldus *in leg.* 1. *in* 2. *lectura, num.* 2. *ff. quod cuiusque Vniuersitat. nomine &c.* Rursus de iure cōmuni in causis cuiusuis Vniuersitatis per syndicum, aut procuratorem præstandum est iuramentum de calumnia, quippe in hoc pariter se habent causæ Vniuersitatū, & causæ priuatorum; *leg.* 2. *§. hoc etiam, C. de iureiurando propter calumniam dando,* iuncta Glossa *in verbo plurima.* Innocent. *cap.* 2. *num.* 9. *de testib. & attestation.* Iuramenti autem forma præstari ita debet, vt iuretur in animam constituentium, nō in animam Vniuersitatis, hæc enim caret anima; cum Vniuersitatis nomina sint iuris, non personarum. Quòd si Vniuersitas citata esset contumax, contra eam procedi potest, sicut contra singulares personas. Quando autem contumax censendasit, & quis modus seruandus in procedēdo cōtra cōtumaciā ipsius, agit cum pluribus Lossęus *vbi suprà à n.* 70. Vbi *à n.* 77. exponit, Vniuersitatem posse etiam condemnari in expensis litis, quando litigat iniustè.

581 Sed quęritur, an in causis Academiæ, seu Collegij admittendi sint ad testificādum illi ipsi, qui sunt de eadē Academia, vel Collegio? Respondeo sub distinctione. Si causæ sint ciusmodi, quæ nequeunt per alios testes probari, vtpotè elections, aliaque, quę intra ipsam Communitatem peraguntur, idonei tunc sunt testes de ipsa Vniuersitate; argumento *legis consensu, Cod. de repudijs.* Si verò causæ probari queant tum per ipsos de Vniuersitate, tum per alios, adhuc est subdistinguendum. Quippe, si negotium præcipuè tendat ad honorem, & commodum ipsius Vniuersitatis, possunt quilibet de illa deponere in eo, quia id, quod Vniuersitati debitum est, non est debitum singulis, atque adeò non est causa propria singulorum; *leg. sicut,* §. 1. *ff. quod cuiusque Vniuersit. nom.* Glossa *in leg.* 1. *circa finem, ff. de Collegijs illicitis.* Quòd si negotium principaliter spectet ad cōmodum singulorum de Vniuersitate, tunc idonei testes nō sunt, quia est causa propria; v. g. si controuerteretur, an singuli de Vniuersitate possent præcidere ligna ex nemore ipsius Vniuersitatis, vel ad pascua illius suos greges mittere, & similia. Verumtamen an plus sit deferendum, in causis pertinentibus ad cō modum Vniuersitatis, testibus de ipsa in fauorem illius testificantibns, quàm alijs testibus contra ipsam deponentibus, consulantur Iason *in leg.* 10. *num. vlt. ff. de in ius vocando;* Mascardus *de probat. conc.* 318. Rolanus *volum.* 2. *consil.* 72. Bartolus *in tract. de reprobat. testium, num.* 12. *& in leg.* 1. §. *Vniuersitatis. ff. de rerum diuis.* Afflict. *decis.* 400. Hyppolitus de Marsilijs *in leg.* 1. §. *seruum municipum. ff. de quæstionibus.*

582 Quæritur præterea, an Vniuersitas cōpromissum facere queat? Affirmatiua decisio est certissima; &, quāuis plures de Vniuersitate, qui compromissum fecerunt, deficiant, Vniuersitasq; minuatur, adhuc validum est, quia Vniuer-

uerſitas non mutatur, ſed vna, eademque manet, vt iam expoſuimus. Videantur Bartol. *in leg. quod in rerum. §. & ſi nauem, num. 3. ff. de legat. 1.* Iaſon. *ibidem num. 6.* Caſtrenſis *in leg. proponebatur, ff. de iudicijs.*

583 Demum circa vltimum actum iudicij, qui eſt ſententia, obſeruãdum eſt, ſententiam definitiuam latam contra Vniuerſitatem indefenſam eſſe ipſo iure nullam, ſicut eſt contra minorem, & pupillum; *leg. 1. Cod. de iure reipubl. lib. 11.* interlocutoriam autem eſſe validam, *leg. 1. §. quibus; leg. ciuitates, ff. quod cuiuſque Vniuerſitat. nom.* Si autem ſit læſa Vniuerſitas, debet reſtitui; argumento *legis Rempublicam, Cod. de iure reipubl. libro 11.* Poſt ſententiam autem latam, etiam ſi tranſiuerit in rem iudicatam, ſi noua inſtrumenta reperiantur, & ſubſit cauſa, poteſt ſententia retractari; *leg. 35. ff. de re iudicata,* & ibi Gloſſa, & Iaſon *à num. 8.* Executio denique ſententiæ nequit fieri contra procuratorem illius, nec contra ſingulos de illa, ſed contra ipſam Vniuerſitatem. De quo vide plura apud Loſſæum *vbi ſuprà à num. 88.*

Quæſtio XXXIII. Quæ bona poſsint habere Academiæ, & Collegia, & quos contractus facere?

584 INDVBITATI iuris eſt, Academias, & Collegia poſſe habere bona, redditus annuos, & res in cõmuni, ſicut quælibet perſona ſingularis poteſt habere bona propria, & ſicut poſſũt Reſpublicę, & quæuis Vniuerſitas etiã non ſtudioſorum; & præterea ad ſumptus neceſſarios pecuniam in ærario; vt conſtat *ex leg. 1. §. quibus autem, & §. vltim. ff. quod cuiuſque Vniuerſit. nom. leg. bona ciuitatis. leg. inter publica, ff. de verbor. ſignific. leg. 2. Cod. de diuerſ. prædijs vrban. lib. 11.*

585 Ea autem bona poſſunt eſſe in duplici differentia, Alia, vtputà paſcua, nemora, & ſimilia, quibus moderatè vti poſſint ſinguli de ipſis Academijs, aut Collegijs, ligna cædendo, venãdo, piſcando, aut greges paſcẽdo; quæ vel omni tempore anni eis liceant, vel aliquo liceant, alio verò ſint prohibita; ſicut in bonis Reipublicæ ſæpè contingit. Alia ſunt bona (& id communiter euenit) quæ ſolùm ſpectãt ad ipſas Academias, & Collegia in communi, vt inde ſumptus communes fiant, & ſtipendia ſoluantur, Collegijſq; neceſſaria ſuppeditentur, quin ſingulis ſit liber eorum vſus; quod etiam cernere eſt in aliquibus Reipublicæ bonis. Vide Gloſſam *in leg. 7. §. 1. verbo, non debetur, ff. quod cuiuſque Vniuerſit. nom.* Bartol. *in leg. 20. §. 1. ff. ſi ſeruitus vindicetur;* Marcum *volum. 1. deciſ. 223. à num. 1.* Hieronym. de Monte *in tractat. de ſnib. reg. cap. 72. num. 21.* Loſſæum *de iure Vniuerſitat. part. 3. cap. 1. num. 5.*

585 Contractus celebrari queunt ab Academijs, & Collegijs, tum per ſuos procuratores, tum per ipſam Communitatem ad id conuocatam; contrahereque valent tam cum alijs, quàm cum ipſis in ſingulari, qui ex eadem Academia, aut Collegio ſunt. Quæ doctrina certa, & communis eſt apud omnes; Videantur Iaſon *in leg. 1. §. ſi autem Collegium, num 6. ff. ad S. C. Trebellianum* Alexand. *ibidem num. 3.* Ripa *ibi n. 9.* Bartol. *ibidem.* Caſtren. *in leg. 1. §. 1. ff. quod cuiuſque Vniuerſit. nom.* Gloſſa *in leg. nulli, ff. eodem titulo.* Inde poteſt Academia obligari, cum enim vicem perſonæ ſuſtineat, conſenſum valet in cõtractibus adhibere. Nequit tamen obligare bona ſingularium perſonarum ex eadem Communitate, niſi ipſi conſentiant; imò ipſis conſentientibus, eorum ſucceſſores nõ remanent obligati; nam, vt propria bona obligationi, & contractui ſubiaceant, conſenſus requiritur, qui nequit præſtari ad id, nomine ſuperuenientium, ab his, qui præſentes exiſtunt. Ita communiter omnes, qui de contractibus tractant, P. Molina, Rebellus, Oñate, Dicaſtillo, Cardinalis Lugo, Leſſius, & alij paſſim, & Iuris periti tàm antiqui, quàm recentes.

587 Ex contractu mutui obligatur Academia, ſeu Collegium, ſicut ciuitas, & Eccleſia; *leg. ciuitas, ff. ſi certum petatur; Authentica Hoc ius porrectum, Cod. de Sacroſanct. Eccleſijs;* Hinc, ſi præſente Communitate, pecunia mutuò accipiatur ab eius ſyndico, aut procuratore, vel Æconomo, non incumbit danti mutuum probatio, quòd ea pecunia verſa fuerit in vtilitatem Academiæ, aut Collegij, id enim præſumitur, ſicut, cum datur mutuò pecunia Eccleſiæ, præſente Prælato, & Capitulo; Gloſſa *in prædicta Authentica Hoc ius, circa finem.* Idem eſt, ſi pecunia mutuò accipiatur à ſyndico, vel procuratore habente

bente ſpeciale mandatum, & ad certam cauſam; imò, & ſi mandatum non ſit ad certam cauſam, ſed ad accipiendum mutuò pecunias in genere, non tenetur mutuans probare eam vtilitatem, cum ex eo mandato iuſtè præſumatur; nec debeat ille decipi, cum mandato confidat; argumento *legis, qui habeat, ff. de inſtitor. act. leg. 1. §. vbi autē, leg. fin. ff. de exercit. action. leg. 1. §. magiſtrum, ff. eodem titulo.*

588 Cæterùm ſi Adminiſtrator Academię, aut Collegij, non habeat ſpeciale mandatum ad accipiendam mutuò pecuniam, & accipiat, obligatur Academia, ſi in eius vtilitatem verſa eſt pecunia, ſecus aliter; ſicut non obligantur Eccleſia, minor, aut pupillus, ſi pecunia recipiatur mutuò à tutore, curatore, aut æconomo, cum in eorum non cōuertitur vtilitatem, iuxta *dictam Authent. hoc ius porrectum.* Quare adminiſtrator, ſi non probet, vertiſſe pecuniam in Academiæ cōmodum, poteſt cōueniri in iudicio, vt ſoluat; & quidem, ſi non probet, ſe legitimū eſſe adminiſtratorem, aut mandatum non habuiſſe, tenebitur de dolo, cum dolo fecerit, dū ſub eo titulo pecuniā accepit; *leg. quidam debitor, leg. ſi legatarius, ff. de dolo malo;* Si autem ſit legitimus adminiſtrator, & non probet, ſe conuertiſſe in Academiæ vtilitatem pecuniam, poterit conueniri condictione ob cauſam, cum ipſi fuerit mutuata pecunia in eam cauſam, vt ipsā expenderet in Academiæ commodum, quæ cauſa non fuit ſecuta, vt cōſtat *ex toto titulo ff. de condictione ob cauſam.* Cui autem incumbat, & qualiter onus probādi, pecuniam verſam eſſe in Academiæ vtilitatem, an adminiſtratori, an creditori, aliaq; huiuſmodi, vide cum alijs Loſſæum *de iure Vniuerſitat. part. 3. cap. 4. à num. 17.*

589 Circa alienationem bonorum mobilium, & immobilium, in iure eſt certum, poſſe Rempublicam vel per ſe, vel per ſyndicum, cui ſpeciale mandatum præſtetur, contractum huiuſmodi celebrare, dummodo alienatio in maius cōmodum, & vtilitatem ipſius tendat, cum in proprijs rebus quilibet ſit arbiter, & moderator, *leg. in re mandata, Cod. mandati.* Quomodo autem ſit inſtruenda de vtilitate informatio, & quot ſuffragia requirantur ad eam alienationem, tractant antiquiores Conſulti; Rolandus à Valle *volum. 1. conſil. 90. à num. 19.* Bartolus *in leg. 2. num. 1. Cod. de prædijs decurion. lib. 10. & in leg. ambitioſa, num. 10. ff. de decret. ab ord. faciend.* Ludouicus *deciſ. 93. à. num, 37.* Ripa *in leg. ſi is, cui bona, num. 2. ff. de pignorib.* Marcus *volum. 1. deciſ. 595. num. 2.* Baldus *in leg. vlt. ad fin. Cod. de ædilit. action.* Et ex recentioribus alij paſſim. Hinc ex æquiparatione idem eſt aſſerendum de alienatione bonorum Academię, aut Collegij; niſi bona ſint Eccleſiaſtica, aut Eccleſiaſticis annexa, & à Pontificibus alienari prohibita.

590 A fortiori poteſt Academia, ſeu Collegium per ſe, vel per Adminiſtratorem locare prædia, domus, aut alia iura, vt ex eorum redditibus, ipſorum ſumptibus, ac neceſſitatibus ſubueniatur; argumento *legis 2. Cod. de prædijs decurion. lib. 10.* In qua locatione fideiiuſſorem idoneum debent præſtare ij, quibus res locātur; Quòd ſi adminiſtrator abſque eo fideiiuſſore locationem faciat, & cōductor non ſit ſoluendo, tenebitur ipſe ad damni ſolutionem pro tempore in locatione expreſſo, *leg. 4. §. 1. cum leg. vlt. §. 3. ff. de adminiſtrat. rerum adciuitat. pertinent.*

591 Ex bonis Academiarū, ſiue Collegiorum nequeunt adminiſtratores facere donationes; erunt enim vel ipſo iure nullæ, vel venient reſcindendæ. Ipſæ verò Academiæ poſſunt donationes facere, cum vnuſquiſque in re ſua ſit moderator, & arbiter; maximè cum ad eiuſmodi donationes ſemper cauſa ſubſit, maiorque erit cauſa, ſi ſit remuneratoria; donationeſq; rectè fiunt, cum attenditur ad merita remunerandi, atque ad magnitudinem remunerantis. Etenim, licèt tutor, vel curator nequeant ex bonis minoris donare, *leg. pactum curatoris, Cod. de pactis.* poſſunt tamen donare ex cauſa remunerationis, *leg. cum plures, §. penult. leg. tutor, ff. de adminiſtrat. tutor.* Vnde id etiam poteſt quęlibet Vniuerſitas, quę pupillo cōparatur, & qui eam regunt, quaſi tutores, vel curatores ſunt habendi; Et quidem donationes remuneratoriæ pluribus muniuntur priuilegijs, & ex cauſa remunerationis multa à Iure permittuntur, quæ aliàs non permitterentur *leg. Aquilius. ff. de donationib.* Hinc Academiarum Princeps Salmanticenſis iuxta ſuam magnitudinem plures donationes facere ſolet, tū ex cauſa remunerationis, tum vt feſtiuiùs celebret aliquam Hiſpaniæ fœlicitatem ſuperuenientem, tum demum vt egentitibus ſuccurrat.

592 Donationes etiam, quæ ab alijs in ipſas Academias, & Collegia præ-

præſtantur,ſunt validę,ſicut quę in Rempublicam fiunt; *leg.hoc iure vtimur,ff.de donation.leg.fin.Cod.de Sacroſanctis Eccleſ.* Et his donationibus poteſt conditiones apponere donator,quæ,ſi nociuæ ſint Vniuerſitati, ſicut & Reipublicæ,reijciuntur, & validæ ſubſiſtunt donationes; *leg. Imperatores,ff.de pollicitation.leg. 5.infin. ff. de adminiſtrat.rer.ad ciu. pertinent.* Vnde,ſi donatio ſit traditione rei confirmata, reuocari nequit per donatoris pœnitentiam; *leg.3.ff de appellation.* Similiter pollicitationes factæ Academijs,vel Collegijs de opere aliquo faciendo, vel de re donanda ob aliquam iuſtam cauſam (qualem ferè nunquam deeſſe, arbitrandum eſt) validæ ſunt. Quæ autem iuſta cauſa cenſeatur, tractat Loſſęus *de Iure Vniuerſit. part. 3.c. 12. à num.4.* Vbi pollicitationes abſque iuſta cauſa factas Reipublicæ inualidas eſſe,tuetur,*ex leg.1.ff. de pollicitat. leg. Iuris gentium,§.ſed cum nulla,ff.de pactis*; niſi caſu quo opus promiſſum fuerit inceptum, aut res promiſſa cæperit tradi,quia hoc pactum nudum veſtitur rei principio,& inde producit actionem, ac obligationem parit. Ibidem attingit diſcrimen inter pollicitationes, ac donationes factas priuatæ perſonę, quæ etiam abſque cauſa tenent, ſecùs vero factæ Reipublicæ. De quo vide Accurſium *in gloſſ.vlt.in leg. hoc iure, ff. de donation.* Hæc igitur doctrina de pollicitationibus per æquiparationem videtur aptanda Academijs,& Collegijs.

195 Competunt etiam Academijs,& Collegijs vſucapio,& præſcriptio; Etenim,& ſi quælibet Vniuerſitas hominum ſit perſona ficta, & repræſentata, dominium,ac poſſeſſio penes ipſam eſt,& non penes ſingulos de ipſa, indeque poteſt poſſidere,& vſumfructū habere; *leg. vſusfructus ff.de ſtipulat.ſeruor.* Hinc,cum poſſidere,valet itidem præſcribere,& vſucapere. Cum autem titulus,& bona fides requirantur, obſeruādū eſt,ſi à principio aliqui de Vniuerſitate haberēt ſcientiam rei alienæ,etiam ſi poſtea alij ſucceſſores bonam haberent fidem, non daretur præſcriptio, quia Communitas cenſetur ſemper eadem, & mala fides continuata iudicatur,niſi centum iam anni tranſierint à poſſeſſionis principio,cum eo tempore iudicandum ſit, omnes eos de Vniuerſitate obijſſe,adeoque incipere ex tunc bona fide præſcriptionis tēpus. Sic docent Borgninus *deciſ. 45. in addit. num.59.fol.365.* Hieronym.de Monte *in tract. de finib. regund.cap. 72.& alij.*

594 Ipſæ autem res Vniuerſitatum etiam ab alijs præſcribi valent; *leg. vlt. Cod.de Sacroſanct. Eccleſ. leg. omnes, Cod. de præſcript. triginta annorum; leg.ſi finita.§. ſi de vectigalibus, ff. de damno infecto.* Et certè, cum res Vniuerſitatum, certa forma, & ſolemnitatibus adhibitis, alienari queant, valent etiam præſcribi. Quo itur obuiam argumento deſumpto à bonis minorum,quibus Vniuerſitates cōparantur,& quę communiter alienari nequeunt; nam huiuſmodi etiam bona poſſunt in aliquibus euentibus alienari, eſto certæ ſolemnitates requirantur. Nec obſtat,publicas res præſcribi non poſſe, iuxta *leg.Præſcriptio, C.de operib.public leg.2. ff.de via publica; leg.9. leg. vltim. de vſucapion.* Etiam hæ leges loquuntur de his rebus,quæ in vſu publico ſunt, vt via, platea,theatrum,& ſimilia, quę nunquam præſcribi valent; noſtra autem aſſertio de alijs bonis Vniuerſitatum ſtatuitur. Tempus autem requiſitum ad præſctiptionem bonorum cuiuslibet Vniuerſitatis, decernitur *in leg.1.3. & 4. Cod. de præſcript. triginta annorum.* Vbi Imperator Theodoſius triginta annorum ſpatium deſignat; & Imperator Anaſtaſius ſpatium ad quadraginta annos protendit. Poſt ipſos autem Iuſtinianus tempus præſcriptionis bonorum immobilium inter præſentes ad decem annos,inter abſentes ad viginti reſtrinxit; *Princip. Inſtitut.de Vſucapion. & longi temporis præſcript.* & tempus vſucapionis rerum mobilium ad triennium reuocauit, emendans etiam Ius Italici ſoli, quo minori tēpore res præſcribebātur, & vſucapiebantur; eſto ibi nihil circa præſcriptiones longi temporis innouauerit.

595 Animaduerte tamen, bona poſſe eſſe ſacra, & item Eccleſiaſtica; Quippe bona ſacra nec vendi,nec poſſideri, nec præſcribi vnquam poſſunt, vtpotè quæ nullius ſunt in bonis, bona autem Eccleſiaſtica & poſſideri, et alienari valent,atque adeò præſcribi; eſto longius deſideretur tempus ad præſcriptionem, nempè quadraginta annorum; quam differentiam obſeruat Pichardus ad prædictum *tit.6.de vſucap. §.ſed aliquando, n.4. & ibidem num. 5.* annotat diſcrimen inter ſepulchrum, et ius inferendi mortuum in illud; hoc enim præſcribi valet,non verò illud,quia res eſt religioſa,et religioſæ res nec alienari,nec præſcribi queunt;ius autem inferendi mortuum non eſt quid religioſum.

gioſum. Ex his introſpiciendum eſt, cuius qualitatis ſint bona Vniuerſitatis, vt inde conſtet, an vſucapi, & præſcribi, & quãto temporis ſpatio, valeant.

596 Ad finem huius quæſtionis illud etiam libauerim, Adminiſtratores Academiarum teneri ad reddendam rationem fructuum, & reddituum, quorũ adminiſtrationem gerunt, atque, vt id præſtent, libros dati, & accepti apud ſe habituros; quòd ſi ipſorum culpa damnũ Academijs, ſeu Collegijs ſequatur, ad id compenſandum teneri; & ipſis non valentibus compenſare, fideiiuſſores obligari. Quòd ſi per dolum quidquam peragant, de dolo tenebuntur; imò etiam tenentur de lata culpa, & leui, ſed non de leuiſſima, nec tenentur de caſu fortuito, nec de eo, quod vitio naturali in bonis acciderit. Eaque ſit regula fixa; Quoties Adminiſtrator id præſtat, quod quilibet bonus paterfamilias in ſuis bonis adminiſtrandis præſtaret, liberatur à dolo, lata culpa, & leui. Ratio verò reddenda ab Adminiſtratoribus vel poteſt ſumi coram Academia, vel Collegio in ſuis Conſeſſibus congregatis; vel, vt communiùs exerceri ſolet, coram aliquibus de Academia, vel Collegio deſtinatis. De Adminiſtratorum ratione plura videantur apud antiquiores, Borgninum *deciſ. 37. fol. 268.* Bartol. *in leg. 2. §. graui, ff. de adminiſtrat. rerum ad ciuitat. pertinent.* Rolan. à Valle *volum. 2. conſil. 84.* Caſtrenſ. *in leg. 40. ff. de negot. geſt. & in rubric. ff. ad leg. Iul. peculatus;* Ozaſiũ *deciſ. 109. num. 8.* Peregrin. *in tract. de iure fiſci, lib. 6. tit. 7. num. 6.* Hieronym. de Monte, *in tract. de finib. reg. cap. 32. num. 6.* Bald. *in leg. 6. num. 13. Cod. de bonis, quæ liberis &c.* Socinum *conſil. 24. & 27.* Loſſæum *de iure Vniuerſitat. part. 3. cap. vlt.* Et apud nouiores *in tit. ff. de adminiſtrat. rer. ad ciuitat. pertinent.* Nec non apud Machado, & P. Oñate, qui latè de obligationibus eorũ, qui quoduis munus, aut officium gerũt, pertractant. Hæc enim in præſenti ad noſtrum inſtitutum attigiſſe ſufficiat. Adminiſtratoris autem Academiæ Salmantinæ electio, & qualitates extant in *Conſtit. 8.* Martini Quinti.

Quæſtio XXXIV. An Academiæ, & Collegia poſsint ex delicto, vel quaſi delicto obligari? Vbi aliqua Iura luce donantur.

597 INTER Iure Conſultos ea verſatur cõtrouerſia, an quæuis Vniuerſitas, ſeu Collegium, ſiue ſit Studioſorum, ſiue aliorum quorumcumq; poſsit verè, ac propriè delinquere, & ex delicto obligari? Affirmatiua ſententia, cum limitationibus infra adſtruendis, eſt vera. Quippe in primis Vniuerſitas poteſt metum incutere, *leg. Metum, §. animaduertendum, & ibi gloſſa, ff. quod metus cauſa;* Inductio autem metus ſecum trahit delictum; *toto tit. ff. & C. quod metus cauſa.* Deinde, quia Vniuerſitas, ſicut & ciuitas, poteſt puniri, *leg. vſusfructus, ff. quibus modis vſusfructus amittatur;* ergo & valet delinquere, cum non ſit pœna, vbi non eſt delictum, *leg. ſancimus, & toto titulo, C. de pœnis.* Rurſus poteſt Vniuerſitas obligari ex cõtractu, vt ſuperiùs ſtabiliuimus, ergo & obligari ex delicto; rectè enim fit argumẽtum ex contractibus ad delicta, & è conuerſo; *leg. omnem, & ibi Gloſſa ff. de iudicijs.* Demum, quia in iure reperiuntur pœnæ latæ contra Communitates, ex quibus deducitur poſſe illa, delicta committere; Ita in *Authentic. Item quæcumque communitas, Cod. de Epiſcop. & Cleric. cap. 1. §. ſi quis verò, de pace tenenda, & iuramento firmando; cap. Romana, §. in Vniuerſitate, de ſentent. excommun. in 6.*

598 Hanc ſententiam defendunt Couarrubias *lib. 2. variar. reſol. capit. 8. num. 9.* Bartolus *in leg. ciuitas, ff. ſi certum petatur; & in leg. metum, §. animaduertendum, ff. quod metus cauſa,* & ſæpe alibi. Baldus *in leg. 6. §. 2. à num. 3. ff. de his, qui notantur infamia;* Iulius Clarus *in practic. crimin. quæſtion. 16. num. 7.* Albericus de Roſate *in leg. ſi quis in tantum, column. 3. Codic. vnde vi;* Loſſæus *de Iure Vniuerſitat. part. 4. capite. 1.* Pariſ. *conſil. 16. num. 30. libro 4.* Iaſon *in leg. ciuitas, ff. ſi certum petatur;* pluresq; alij.

599 Opponitur tamen primò *lex ſed ex dolo, 15. §. 1. ff. de dolo malo,* in qua Vlpianus decidit, cõtra municipiũ nõ dari actionẽ de dolo, ergo quia Cõmunitas nequit delinquere. Quare Gothofr. in notis.

ad hunc textum ait; *Vniuersitas, municipiũ, corpus, nomina sunt iuris, animo, & intellectu carentia. Ex his Vniuersitas delinquere, aut dolùm admittere posse non videtur.* Opposuit sibi hunc textum Lossęus *de Iure Vniuersit. part. 4. cap. 1. num. 8.* & respondet; *Vniuersitatem posse metum, & dolum committere, & alio modo delinquere, licèt non cum eadem facilitate, qua singulares, & particulares personæ.* Sanè non satisfacit, cum nec explicet præfatum textum, nec aliud præstet, quàm suam conclusionem repetere,

Respondeo ergo, ideo in eo textu non dari actionem de dolo contra municipium, quia in ipso supponitur, municipium non habere administrationem suorum bonorum, sed per Administratores priuatos ea bona tractari; cessante autem administratione, & contractibus, quomodo possit municipium agere quidquã dolo malo, cum dolus solũ in administratione, & contractibus adesse queat? Vnde in ipso textu admittitur, dandam esse actionem de dolo contra municipium, si dolo Administratorũ aliqua bona adquisiuit. Verba legis expende; ex quibus, nullo duce, explicationem desumpsi *Sed, an in Municipes de dolo detur actio, dubitatur? Et puto, ex suo quidem dolo, non posse dari; quid enim Municipes dolo facere possant? Sed si quid ad eos peruenit ex dolo eorum, qui res eorum administrant, puto dãdam.* Itaq; si dolus ab Administratoribus committitur, ipsi de dolo tenentur, nisi res dolo obtenta ad Vniuersitatem peruenerit; quare actio de dolo contra Vniuersitatem non datur in primo euentu, sic verò in secundo. Cęterùm plures alij sunt casus, in quibus Vniuersitas congregata delinquere potest, vt in probatione conclusionis ostendimus; & quidem adhuc præter illa potest committere alia delicta, & preterea suam iurisdictionem, aut potestatem excedere in statutis condendis, in electionibus, & in similibus.

600 Opponitur secundò id, quod Gothofredus nuper relatus aiebat, Vniuersitatem esse nomen iuris, intellectuque, ac animo carere, & inde non posse delinquere; *cap. Romana, §. In Vniuersitate, de sentent. excommunic. in leg. 1. ff. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur; leg. infans, ff. ad leg. Corneliam de sicarijs.* Hoc argumentum multum probat; Ex eo enim pariter contendi posset, Vniuersitatem nequire contractus celebrare, nec puniri, quæ supra iam manent stabilita. Respondeo ergo, Vniuersitatem, vt non semel attigi, sustinere vicem personæ: quare obligari tum ex contractibus, tum ex delictis potest.

601 Igitur, vt delicta committere Vniuersitas dicatur, sat est, primò si ipsa teneatur aliquid facere, & omittat; quamuis enim omissio ab Administratore immediatè proueniat, in ipsam culpa refunditur; argumento *legis, iubemus nullam nauem, Cod. de Sacrosanctis Eccles. iunct. leg. si procurator, §. tutoribus, ff. mandati.* Secundò, si in his, quæ solùm per ipsam Vniuersitatem fieri queũt, vt sunt electiones, statuta, & similia, in quibus necessaria est iurisdictio, aut potestas, excessus aliquos committat; *Authentic. nulla communitas, Cod. de Episcop. & cleric.* Nequit autem delinquere in his, quæ exigũt opus, & operam priuatæ personæ, vt homicidium, criminaque huiusmodi exigunt; esto possit in iussione delinquere. Vide de his Mynsingerium *obseruat. 78. centur. 4.* Boerium *in tract. de seditiosis, cap. vlt. à. n. 6.* Gaillium *de pace publica lib. 2. cap. 9. fol. 326.* Bartol. *in leg. aut facta, §. nonnumquã, à num. 2. ff. de pœnis.* Quem sequuntur Baldus, Castrensis, Lossæus, & alij plures ex recentioribus.

602 Deinde necessum est, vt Vniuersitas congregata delictum committat ex deliberatione cætus congregati, aliàs, quamuis singuli de Vniuersitate, vt priuatę personæ sunt, delictum committerent, delictum illud non esset imputandum Vniuersitati, vt Vniuersitas est. Videantur Couarrubias *lib. 2. variar. resolut. capit. 8. num. 9.* Benintendus *decis. 128. Auenionensi, num. 6.* Ozasius *decis. 88. num. 3.* Glossa *in leg. aliud §. refertur, ff. de regul. iur. & in leg. sed ex dolo malo; & in leg. sicut, §. 1. vers. non debetur, ff. quod cuiusque Vniuersitat. nom.* Hinc, si Vniuersitas in aliquos cætus diuidatur, & vnus ex illis delictum committeret, non obligatur ex delicto Vniuersitas, sed ille cætus; aliàs insontes, & innocentes immeritas pœnas luerent, quod iniquũ est; *leg. sancimus, Cod. de pœnis.* Quare, etiam si ex deliberatione totius Vniuersitatis congregatæ delictum committeretur, & vnus, vel alius reclamaret, ac protestaretur, se in eam deliberationem non præstare consensum, postea posset hac exceptione à punitione defendi.

603 Quòd si delictum non sit ex his, quę momento committuntur, sed

ſucceſsiuè, qualis eſſet rebellio continuata, iuriſdictio vſurpata, aut ſimilia, non eſt opus probare contra Vniuerſitatem, id delictum fuiſſe ab illa commiſſum ex deliberatione in ſuo Conſeſu facta, nã propter tolerantiam cenſetur Vniuerſitas illud delictum tolerare, et intentio, ac animus declaratur euidentiùs factis, quàm verbis. Inde etiam ex ratihabitione ſequuta poſt delictum cenſebitur Vniuerſitas delinquere, nam ratihabitio etiam in delictis mandato comparatur, *leg. finali, Cod. ad S. C. Macedonianum*; et ratihabitio non ſolùm verbo, ſed facto valet præſtari, imò plus eſt, aliquid præſtare facto, quàm verbo; *leg. Paulus reſpondet, ff. rem ratam haberi; leg. de quibus, in fin. ff. de legib. cap. dilecti, de appellat.* Ea autem ratihabitio tunc maximè vim mandati habet, quando ex delicto prouenit vtilitas, et commodum Vniuerſitati, et ab ea non contradicitur, imò commodum percipitur, ſeu poſsidetur; Tunc etiam ratihabitio manifeſtatur, cum Vniuerſitas non punit committentes delictum, cum poſsit, et ad eam punitio pertineat. Videantur Mynſingerius *obſeruat 79. num. vlt. cent. 4.* Caſnol. *in leg. 1. num. 60. Cod. qui admitti ad honorum poſſeſſ.* Et Hieronym. de Monte *in tract. de fin. regund. cap. 72. num. 15.*

604 Diſputant verò Iureconſulti, qualiter propter delictum Vniuerſitas puniri queat; eſto id præcipuè de punitione Reipublicæ tractent, diſtinguẽdo delicta, propter quæ etiam innocẽtes, & filij pro patribus puniri valeant, & alia delicta, ob quæ ſolùm nocentes pœna afficiposſunt. Et hanc pœnam iuxta delicti qualitatem deſignant, vel capitalem, vel minorem, aut pecuniariam; quin & vrbis, aut oppidi deuaſtationem aliquando poſſe decerni ſtabiliunt. Sic Imperator Henricus protulit cõtra ciuitatem Brixiæ ſententiam propter rebellionis crimen in ipſum, vt ſubijceretur aratro; quam pœnã poſtea remiſit, vt teſtatur Bartol. *in leg. aut facta, §. nonnumquam, num. 6. ff. de pœnis*; Et noſtris temporibus Pontifex Innocentius X. vrbem Italiæ ponitùs deuaſtari præcepit ob crimen enorme ſacrilegij in Epiſcopum ſuum patrati, quem violentis manibus interfecerunt ciues. Ex his itaq; ſeruata proportione, philoſophandum eſt, ſi Academiæ, aut Collegia delinquant, quænam ſit eis pœna irroganda; nam iuxta delicti qualitatem erit punitio decernẽda in eos, qui in cœtu conſenſere in delictum, aut ſua ratihabitione, vel mandato approbarunt. Quin & eiuſmodi poteſt eſſe delictum, vt in pœnam valeat Academia, vel Collegium extingui. Conſule Loſſæum *de Iure Vniuerſitat. part. 4. cap. 1. à n. 27.* Boeriũ *in tract. de ſeditioſ. cap. vlt. à n. 15.* Iulium Clar. *in pract. crimin. quæſt. 16. num. vlt.* Curtium iuniorem *in leg. ſi familia, n. 18. §. de iuriſdict. omn. iudic.* Igneum *in leg. 1. §. hoc reſcriptum, num. 13. ff. ad S. C. Syllanianum.* Gallium *lib. 2. de pace publica, cap. 9. num. 18. & à num. 33.*

605 Præter delicta, quæ ab ipſa Vniuerſitate, aut Collegio committi poſſunt, ſunt alia quaſi delicta, nempe ea, quæ in territorio ipſius Vniuerſitatis, vel Collegij ab alijs patrantur. Etenim, ſi Vniuerſitas teneatur ea delicta prohibere, & valeat id præſtare, ſi non prohibeat, obligatur ad damnum; argumento textus *in §. 2. ſimul cum §. penult. Inſtitut. de obligat.* vbi is, ex cuius cœnaculo, ſeu ædibus, in quibus habitat, aliquid eſt proiectum, vel effuſũ, quod alicui nocuit, obligatur, quaſi ex delicto, cum id præcauere teneretur. Aliud erit, quãdo ex culpa alterius, nulla poteſt culpa in admittẽdo, aut cõmittẽdo imputari Vniuerſitati. Quòd ſi damnum ſit inflictũ in via, quæ eſt communis duarum Vniuerſitatum territorio, & ſit eis imputabile damnum, vtraque in ſolidum tenebitur ad illud compenſandum, ſed per ſolutionem ab vna præſtitam altera liberatur, vt docet Alexand. *in leg. 5. §. 1. num. 7. ff. de legat. 1.* Quænam autem pœna ob quaſi delicta infligi debeat, ſtatuitur ab Authoribus ſuperiùs allatis & ab alijs, quos adducit Loſſæus *vbi ſuprà à num. 16.* Cæterũ, cum pœna pecuniaria indicitur, aut pecunia ad damni compenſationem ſoluitur, dubitari poteſt, an ſinguli è corpore Vniuerſitatis, ſeu Collegij ſoluere debeãt, an ex facultatibus in communi ipſius Vniuerſitatis ſit ſoluenda? Et ſanè, ſi in communi non ſuperſint facultates ad ſolutionem, ſinguli contribuere tenentur; quòd ſi vnus ſoluat, cæteri liberantur. At, ſi in ærario facultates ſuperſint, ex illis erit ſolutio præſtanda, niſi ob aliquam circunſtantiam delicti, vel quaſi delicti, pœna à Iudice in ſingulos decernatur.

Quæstio XXXV. Quæ bonorum successiones Academijs, & Collegijs competant?

606 POSSE Academias, & Collegia capere hæreditatem, legata, & fideicommissa ex vltimis voluntatibus, certissimum est, & manifestè infertur ex *leg. 8. Cod. de hæredib. instituend. leg. 25. §. 1. ff. de adquirenda hæreditat. leg. 1. Cod. de sacrosanct. Eccles. leg. si quis à filio, §. si parti, ff. de legat. 1. leg. vnica, ff. de liberis municip. & aliorum vniu. leg. cum Senatus, ff. de rebus dubijs, leg. 1. §. si autem Collegium. ff. ad S. C. Trebellianum*, cum alijs innumeris. Vnde, quodcumque sit legatum, potest peti ab Academijs, & Collegijs, quamuis legatum sit vsusfructus; quia Vniuersitas quælibet approbata repræsentat personam viuentem, vt sæpè asseruimus, atque adeò capax est vsusfructus. Et quidem, quamuis id sit de essētia legati vsusfructus, quòd extingui possit, etiam extingui potest legatum vsusfructus Vniuersitati relictum; *leg. Mæuius, §. final. ff. de legat. 2.* vbi Bartol. *& in leg. 8. ff. de annuis legatis*; quippe, si ob delictum Vniuersitas illa extingueretur, vel ob aliam causam aboleretur, cessaret, ac extingueretur illud legatum.

607 Imò post centum annos extinguitur legatum vsusfructus relictum Reipublicæ, aut cuiuis Vniuersitati; cùm enim Vniuersitas morte, nec capitis diminutione non pereat, nec facilè alijs modis soleat extingui, ne fiat vsusfructus perpetuus, indeque proprietas domino reddatur inutilis, sancitum est, vt id legatum extinguatur transactis centum annis, quorum periodo vita hominis longæui circumscribitur; *leg. an vsusfructus 56. ff. de vsufructu:* Bartol. *in leg. 26. numer. 5. ff. de stipulation. seruor.* Castrens. *in leg. 68. §. vltim. ff. de legat. 2.* Eamdem doctrinam tradunt Bartolus *in leg. si vsusfructus municipibus, ff. de vsufructu legato*, & Alexander *volum. 1. consil. 60.* circa legata annua Vniuersitatibus, aut Collegijs, siue Ciuitatibus relicta, nempè centum annorum spatio extingui, nā legatū annuū, & legatū vsusfructus æquiparātur, nisi in his in quibus dissimilitudo apparet expressa, *l. & in singul. 2. l. pen. cū Gloss. ff. de annuis legat.* Legesautē affirmātes legata annua perpetuò deberi, prædicti Authores explicant, vt perpetuitas satis verificetur in spatio centum annorum.

608. De legatis autem, quę in certum, ac determinatum vsum relinquitur Academiæ, aut Collegio, obseruandi est; quòd, si pecunia legetur ad opus, quod fieri non licet, potest conuerti in alium vsum, authoritate Superioris, causa cognita, & his vocatis, quorum interest; vt colligitur à paritate *ex leg. legatum, ff. de vsufructu legato; leg. 5. & 6. ff. de admnistr. rerum ad ciuit. pertinent. leg. 13. & ibi Glossa, verbo, non debere, ff. de pollicitation.* At, si pecunia ad opus licitum legetur, & ad illud sufficiat, in id debet expendi, nec potest in alium vsum conuerti, nisi Superioris, scilicet Principis, authoritate; *leg. 1. & 5. in princip. ff. de administrat. rerum ad ciuitat. pertinent.* imo authoritas Pontificis erit necessaria, saltem, si in vsus pios legatum sit relictum. Quòd si pecunia legata non sufficiat ad opus, ad quod relicta est, posse, etiam absque Principis authoritate, in alium vsum conuerti, constat ex *leg. 5. in fine, ff. de administrat. rer. ad ciuitat. pertinent.* Vbi Bartolus, *& leg. vltim. ff. de oper. publicis.* Vbi *& in leg. 3. ff. de pollicitat.* innuitur, si magis expediat Reipublicæ, aut Vniuersitati, in alium vsum conuerti legatum, posse id præstari, quamuis sufficiens aliunde sit ad opus, ad quod testator illud reliquit; Idque, authoritate Principis interueniente, intelligendum est, quam regulariter requiri, vt pecunia legata Reipublicę, vel Vniuersitati ad certum opus in alium vsum conuertatur, docet Castrens. *in rubric. ff. ad leg. Iuliam pecul. numer. 2.* An autem de his legatis relictis Reipublicæ (idemque est de relictis Academię, aut Collegio) inspecto iure ciuili Falcidia detrahi valeat, consule Lossæum *de Iure Vniuersitat. par. 5. à n. 12.* Alexandr. *in leg. 1. §. ad municipium, ff. ad leg. Falcidiam*; Castrensem *in leg. 3. §. 1. ff. eodem titul.*

609 Rursus dubitari potest, an Academia, seu Collegium succedat in hæreditatem, aut legatum, quod testator reliquit omnibus de Academia, aut Collegio? Distinguēdū est; Si legatum, aut hæreditas relicta est omnibus de Academia, aut Collegio, indefinitè, & nominibus nō expressis, censetur relicta ipsi Communitati, & non priuatis personis; Si autem relinquatur singulis, eos exprimendo, quamuis omnes sint de gremio Academiæ, aut Collegij, tunc singuli, vt priuatæ personæ

sunt,

ſunt, gaudere debent commodo legati, aut hæreditatis. Quòd, ſi dubium in eo caſu detur, fauendum eſt communitati, cum eius bonum ſit publicum, & bono priuato anteponendum. Idem dicito, ſi hęreditas, aut legatum relinquatur Adminiſtratori, aut Procuratori Vniuerſitatis cuiuslibet; Etenim ipſi, vt priuato, cenſebitur relictū, ſi, expreſſo nomine illius, & non, vt ad Vniuerſitatis commodum inſpiciatur, relinquitur; ſecùs verò, ſi relinquatur, vt Adminiſtrator ea bona relicta in hæreditate, vel legato, inter bona Vniuerſitatis annumeret, & adminiſtret. Quam doctrinam exornatam reperies apud Loſſæum *de Iure Vniuerſitat. part. 5. à num 13.*

610 Poteſt prętetea Academia, ſeu Collegium capere fideicommiſſa tum generalia, tum particularia; quinimò fideicommiſſum Vniuerſale relictum. Vniuerſitati tranſire ipſo iure in illam, quin ſit opus, vt, is, cui relinquitur ad hoc, vt reſtituat illud, præſtet eam reſtitutionem nec verbalem, nec realem, docet Iaſon *in leg. vlt. à num 8. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ.* Adhuc ipſa Vniuerſitas poteſt grauari per fideicommiſſum, vt ipſa alteri reſtituat hæreditatem, vel partem hæreditatis, ſicut poteſt grauari perſona priuata, cuius vicem Vniuerſitas gerit; Et ſi ſoluere diſtulerit, ad damnum compēſandum tenebitur, quod ipſi Adminiſtratores ſoluere cogentur, ſi per ipſos ſteterit ſolutionis dilatio. An autem iure ciuili inſpecto, poſſit Vniuerſitas grauata fideicōmiſſo detrahere quartam Trebellianicam, vide *leg. omnibus cum Gloſſa, leg. recuſare, §. item ſi municipes, ff. ad S. C. Trebellianum*; Gloſſam *in rubric. Cod. de iure Reipublic. libr. 11*, & ibidem Interpretes.

611 Denique poteſt quæri, an Academiæ, ſeu Collegia ſuccedant aliquando ab inteſtato in alicuius bona? Per ſe loquendo, non ſuccedere, mihi eſt certum; Et loquendo in primis de his, qui extra Academiam, & Collegium ſunt, nullum eſt caput, aut ratio, ob quā bona eorum ab inteſtato decedentium ad eas Cōmunitates ſpectent. Deinde, etiam ſi è cœtu Academiæ, aut Collegij ſit is, qui ab inteſtato decedit, nullum eſt ius Vniuerſitati tribuens ea bona, cum ſint bona perſonæ priuatæ, in quæ vel conſanguinei, vel fiſcus iuxta leges municipales regionis ſuccedunt; ſicut, licèt ciuis ſit membrum ciuitatis, non ideò in bona illius decedentis ab inteſtato ciuitas ſuccedit; *leg. 3. §. à municipibus, ff. de bonorum poſſeſſ. leg. 1. Cod. de bonis vacantibus, lib. 10. & ibi Gloſſa, verbo, legitimo.*

612 Dixi, *per ſe loquendo*; nam ſi conſuetudine, aut lege ſpeciali ſit introductum, vt ſi quis è Collegio, vel Academia ab inteſtato decedat, in eius bona Academia, aut Collegium ſucceſſionem habeat, id vtique erit obſeruandum. Imò aliqua Collegia ſunt, non Studioſorum, in quibus, attento iure ciuili, datur ea ſucceſſio ab inteſtato, vt videre eſt *in toto titulo, Cod. de hæredibus decurion. leg. 1. Cod. ſi Imper. liberalit. ſocius ſine hærede deceſſerit, libr. 10.* Gloſſa *in leg. 1. verbo, legitimo, Cod. de bonis vacant. libr. 10.* Conſulantur Benedictus *in repetit. capit. Raynutius, fol. 126. numer. 815.* Peregrinus *tractat. de iure fiſci, libr. 4. titul. 3.* Baldus *in leg. 2. in fin. Cod. de conſtit. pecun.* Loſſæus *de Iure Vniuerſitat. part. 5. à num. 43.* Vt omittam alios recentiores Iuris Interpretes, quos cōmuniter conſulto non refero.

Quæſtio XXXVI. An Academiæ poſſint inducere conſuetudinem, & ſtatuta condere?

613 SI generaliter loquamur de Vniuerſitate qualibet etiam nō Studioſorum, certum eſt, poſſe inducere conſuetudinem; *leg. de quibus. ff. de legib. §. ex non ſcripto, Inſtit. de iur. natur. gent. & ciuil.* Gloſſa *in lege 2. Cod, quæ ſit longa conſuetudo*, & ibi Doctores communiter. An autem ſit neceſſaria Superioris confirmatio, vt ea conſuetudo vim legis habeat, tractat Alexand. *in leg. 31. num. vltim. Cod. de teſtament.* Idemque dicendum eſt de conſuetudine, ac de ſtatutis, de quibus infrà. Ex his per æquiparationem cenſeo, Academias poſſe inducere conſuetudinem obligantem eos, qui ſub Academiæ ſtatutis militant, & non alios. Cur enim Ciuitas poſſit eam inducere, ita vt ciues obligentur, & Academia non poſſit inducere, ita vt Academici adſtringantur? Quantum autem temporis requiratur, vt conſuetudo vim legis habeat, conſtat *ex titul. Codic. Quæ ſit longa conſuetudo*; vbi Doctores hanc quæſtionem, quæ eſt cuilibet con-

ſuetudini obliganti cõmunis, pertractant. Ex qualitate verò materię grauis, aut leuis, inſpectis circunſtantijs, penſari debet, an conſuetudo introducta grauiter, aut leuiter obliget; Et contingere poteſt, conſuetudinem introductam fuiſſe abſque animo, ac vi obligandi ad culpam.

614 Maior eſt inter Authores controuerſia, an quęlibet Vniuerſitas valeat condere ſtatuta? In primis, ſi Academia habeat iuriſdictionem, poteſt ſtatuta condere, nam in iuriſdictione inuoluitur facultas, & authoritas condendi ſtatuta, nempè cum iuriſdictio non eſt duntaxat iudicialis, ſed etiam politica, Ita Bartol. *in leg. omnes populi, ff. de de iuſtit. & iur.* Antonius de Butrio, & Immola *in c. cum omnes, de conſtitut.* Quod quidem commune eſt cuiuis Vniuerſitati, ſeu Reipublicæ eiuſmodi iuriſdictione gaudenti. Deinde quamlibet Vniuerſitatem iuriſdictione carentem non poſſe ſtatuta condere, docuit Bartolus *vbi ſuprà*; ſed eius doctrina ſumpta generaliter, & abſque limitatione cõmuniter reijcitur.

615 Quare cum communiori ſententia dicendum eſt, Academiam (ſicut & Rẽpublicam) adhuc iuriſdictione carentem poſſe condere ſtatuta circa ea, quæ ad rerum ſuarum adminiſtrationem ſpectant, & quæ priuata negotia ipſius concernunt. Colligitur *ex leg. vltim. Cod. de iuriſdict. omnium iudic. leg. vlt. ff. de Collegijs illicit. leg. 1. ff. quod cuiuſque Vniuerſitat. nom.* Docent paſſim Interpretes *in leg. receptitia, Cod. de iuriſdict. omn. iudic.* Maranta, Papiẽſis, Ozaſius, Baldus, Ripa, Socinus, & alij, quos refert, & ſequitur Loſſæus *de Iure Vniuerſitat. p. 3. c. 15. à n. 3.* vbi tractat, an poſſit Vniuerſitas pœnam addere Statutis, & docet, non poſſe niſi id conſuetudine obtinuerit, quia inflictio pęnę eſt actus iuriſdictionis, nec poſſe ſtatuta condere in præiudicium particularium, maximè ſi hi non ſint è corpore ipſius Vniuerſitatis; Diſputat etiam, an hæc ſtatuta ſemel condita ſint perpetua? & tenet, perpetua eſſe, ſi fiant ab Vniuerſitate habente iuriſdictionem, cum tunc legis vim retineant, & actionem ex illis conſequenter oriri perpetuam.

616 Circa hæc omnia meum iudicium eſt, ſtandum eſſe Vniuerſitatis cuiuſque ſtylo, ac conſuetudini, necnon & poteſtati à Principibus eiſdem traditæ. Quare explorãdum eſt, qui mos in qualibet Academia vigeat; & an in ſuo cœtu congregata ſoleat ſtatuta condere, non ſolùm ſpectantia ad priuatam facultatũ ſuarum gubernationem, verùm & ad omnia alia, quæ pertinent ad Gradus, ad moderationem Cathedrarum, ad Studioſorum regimen, & ſimilia. Idemque tenendum eſt de confirmatione Principis, aut Pontificis; quæ confirmatio, ſi requiratur, vt vel conſuetudines, vel ſtatuta vim habeant, erit ſanè expectanda, & cõmuniùs ea requiritur; ſin verò abſque ea confirmatione ſtatuta condita vim ſeruent, illicò obligationem parient. Præterea idemmet eſt cenſendum, ſi Reformator, aut Viſitator Academiæ à Principe deſtinatus, ſtatuta, aut leges, poteſtate ad id ſibi commiſſa, ſtabiliat; hæ enim obligabunt, ſi confirmatio non deſideretur, ſtatim ac ſunt ſtabilitæ; ſecus, ſi confirmatio requiratur, quę erit expectanda, vt obligent. Et hæc quidem vt plurimùm pendent à Fundatione, & gubernationis, ac legũ diſpoſitione, qua quęlibet Academia eſt erecta; vnde pro omnibus nequit ſtatui fixa doctrina. De tota hac quæſtione conſule Don Alfonſum de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdictione, capit. 23.*

Quæſtio XXXVII. An Academiæ, & Collegia in regnis Hiſpaniæ debeant ſoluere Eccleſiaſticum ſubſidium, vulgò, Subſidio, y Eſcuſado.

617 ORIGO huius auxilij pecuniarij, quod ex redditibus Eccleſiaſticis noſtro Regi Hiſpaniarũ perſoluitur, & plura circa illud expoſita ſunt à me *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 38. à n. 8.* vbi vide ri poſſunt. Ad quęſtionem ergo propoſitam deuenio, & aſſero primò, Academias, & Collegia, quæ redditus ex beneficijs Eccleſiaſticis non percipiunt, & aliũde ſunt ſæcularia, quia maior pars illorum conſtat ex laicis, quin ex ſtatuto requiratur, vt Clerici ſint, non debere ea auxilia pecuniaria perſoluere. Ita docent Lara *in compend. trium gratiar. lib. 2. pag. 3.* Bellencinus *de charitatiuo ſubſid. quæſt. 35. & 37.* D. Alfonſus de Eſcobar *de Põtificia, & Regia iuriſdict. cap. 22. à num. 19.* cum Archidiacon. Rebuffo, Barboſa, P. Açor, P. Moli-

lina, & alijs; quorum aliqui, etſi non loquã tur expreſsè de Academijs, & Collegijs, tamen generaliter tradunt, non deberi ea ſubſidia, nec exigi poſſe à laicis.

618 Et quidem loquendo de auxilio pecuniario, quod dicitur *excuſatum*, id non debetur niſi ex beneficijs Eccleſiaſticis; conceſſum enim fuerat à Pontificibus, vt ex vnaquaque Parochia reſeruaretur vnus, qui decimas ſuorum fructuum Regi perſolueret, & ille vocabatur *excuſatus*, nempè à ſoluẽdo Eccleſiæ eas decimas, indeque nomen *excuſati* huic ſubſidio inditum eſt; Deinde vt contentiones aliquæ vitarentur, Eccleſiæ certam quantitatem Regi ſoluendam deſtinarunt, quin fieret illa ſeparatio eorum, qui decimas Regi ſolucrent; ſicque omnes ſuis Parochijs decimas perſoluere tenentur. Igitur, cum hoc auxilium pecuniarum ex decimis proueniat, ſi Academiæ, & Collegia non habeant beneficia ſibi annexa, non eſt caput, vnde teneantur illud perſoluere.

619 Rurſus nec in caſu ſuppoſitionis debent ſoluere aliud pecuniarium auxilium, vulgò *ſubſidium*; quia, vt conſtat ex Bulla Pontificia, qua id cõceſſum fuit, & quam quolibet fine quinquenij Pontifices renouant, & confirmant ad aliud quin quennium, hoc ſubſidium ſolis Eccleſijs, & bonis Eccleſiaſticis fuit iniunctum, nec à laicis ex ſuis bonis exigitur, nec exigi valet, vt videre eſt apud Lara *vbi ſuper*; vnde ſi Academiæ, & Collegia non habeant bona Eccleſiaſtica, nec ipſa Eccleſiaſtica ſint, non tenentur ad id ſubſidium perſoluendum.

620 Nec obſtat, Academias, & Collegia prædicta vt plurimùm fuiſſe erecta, aut confirmata authoritate Pontificum; Etenim ob id præcisè non redduntur eorum bona Eccleſiaſtica, nec ipſa fiunt Eccleſiaſtica Collegia, aut Academiæ, cũ ea confirmatio præcisè ſumpta ſolùm efficiat, quòd ſint licitè illæ Academiæ, ſeu Collegia; quippè vnum, aut præcipuum caput, vnde prouenit, prædictas Academias, & Collegia licitè erigi, eſt authoritas Pontificis, vt docet Eſcobar *vbi ſuprà*.

621 Aſſero ſecundò, ſi Academiæ, & Collegia ſint Eccleſiaſtica, teneri ad ſolutionem præfati auxilij pecuniarij in ſubſidium belli contra Infideles. Hoc aſſertum eſt certiſſimum; conſtat quippè ex Bulla Pontificia, ex omnibus bonis Eccleſiaſticis id eſſe ſoluendum; & idcirco omnes habentes beneficia Eccleſiaſtica, & omnia Monaſteria redditibus gaudẽtia illud perſoluunt. Quantitas autem ſoluenda in vnaquaq; diœceſi deſignatur ab Eccleſia Matrice, cui id committitur à Congregatione Eccleſiarum; & attentis redditibus Eccleſiaſticis deſtinatur cuique ſoluturo ſua portio, vt ſumma conficiatur, quæ pro tota diœceſi eſt colligenda.

622 Sed dubitatur, an Academia ſæcularis, cui à Pontifice applicatæ ſunt in perpetuum decimæ, aut quæ Hiſpanè dicuntur *las tercias*, teneãtur ſoluere prædictum ſubſidium? Etenim ea bona videntur commutata fuiſſe in bona laica, atque adeò poſſe ipſam proprietatem alienari ab Academia eo modo, quo alia bona titulo laico poſſeſſa alienari queunt; imò ſi ea bona alienentur à laicis, ſoluitur ab ipſis gabella; quod ſignum eſt, eas decimas eſſe bona laica poſt applicationem, cum ſolùm ex alienatione bonorum laicorum debeatur gabella. Quare iam exempta à iuriſdictione Pontificis iudicantur, & propterea nec ipſe Pontifex videtur poſſe ex ipſis ſubſidium ſolui ſua conſtitutione iubere. Cõſulantur P. Molina *de iuſt. & iur. diſp. 663. à num. 9.* Sotus *de iuſt. lib. 9. quæſt. 7. artic. 3.* Garcia *de expenſ. cap. 9. num. 97.* Gregorius Lopez *leg. 22. tit. 20. partit. 1. verbo, no los deben*; Caſtillo *de tertijs cap. 11. num. 3.* Gutierrez *lib. Practicar. quæſt. 14.* Menchaca *illuſtrium cap. 89. à num. 2.* Paulus Chriſtinus *deciſ. 235. à num. 7.* Bouadilla *lib. 2. capit. 18. num. 146.* Cabedus *deciſ. 63. p. 2. n. 5.* Zeuallos *commun. quæſt. 897. num. 646.* Burſat. *lib. 1. conſil. 10. num. 14.* P. Suarez *de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 1. c. 26.*

623 Verior ſententia in propoſito dubio docet, deberi ſolutionem ſubſidij præfati ex decimis, aut tertijs prædictis. Sic cum Laſarte, Garcia, Barboſa, Azeuedo, Lara, & quàm plurimis alijs tuetur Don Alfonſus de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdictione, cap. 22. à num. 31.* Probatur primò ex praxi, ac conſuetudine & ex concordijs factis inter Regem, & laicos, Academias, & Collegia ſuper ſolutione ſubſidij ex decimis, quibus potiũtur. Videatur Lara *in compend. trium gratiar. lib. 2. fol. 31.* Et id etiam præcipitur in ſtatutis Academiæ Salmantinæ *tit. 50. §. 30.*

624 Probatur ſecundò. Quia ius percipiendi decimas, vt ſibi debitas, eſt ſpirituale, nec in laicos poteſt transferri; *cap. cauſam, de præſcription. cap. decimas. 16. quæſt. 7. cap. ad hæc, de decimis; cap. final. de rerum permutat. cap. 2. de iudic.* Docent D. Tho-

Thomas *2.2.quæst.87.art.3.& quæst.100. art.4.* Couarrub.*lib.1.variar.cap. 17.num. 5.* Balboa *in cap.causam,de præscript.* P. Azor *tom.1.instit.moral.lib.7.cap.36. num. 11.*& plures alij. Vnde Pontifex solùm cõcedit laicis facultatem percipiendi decimas Ecclesijs debitas, non verò ius percipiendi illas,vt debitas sibi,cum huius iuris incapaces sint; atque adeò ius hoc penès Ecclesiam, & Pontificem manet ; & quidem non absque effectu, cum exinde prouenìat,posse eas decimas adhuc translatas in laicos tributo reali onerare, vt præstat, cum præcipit, solui ex eis prædicta subsidia pecuniaria;quare ad ea soluenda Academiæ sæculares, & Collegia obligantur.

625 Hinc facilè diluuntur, quæ pro contraria parte suprà libauimus. Etenim,etsi facultas,aut ius laicum percipiẽdi decimas possit alienari,& gabella ex alienatione debeatur, & id à Pontificis iurisdictione maneat exemptum, tamen ius spirituale percipiendi decimas, non vt debitas alij,sed sibi,penèsEcclesiam manet, nec id alienari valet, nec transferri in laicos,qui illius sunt incapaces.

626 Sed dices cum P. Molina,saltem non deberi subsidium pecuniarium Regi ex his decimis, quæ applicatæ fuerunt laicis à Pontificibus,antequam ipsi Pontifices concessissent Regi præfatum subsidium. Quippè ille decimę fuerunt donatæ laicis liberæ ab omni tributo , vnde postea nequeunt onerari;maximè cũ perfecta donatio conditionem non capiat;*lege,perfecta donatio,Cod de dona.quæ sub mod.* Respondeo,verum esse,regulariter nõ posse donationem à Principe factam reuocari absque causa, si in natura ipsa donationis non imbibatur capacitas recipiẽdi grauaminis, seu oneris. At hęc capacitas imbibita est in donatione decimarum , cum non transferatur in laicos omne ius percipiendi illas , nec sit transferibile in eos ius spirituale suprà designatum;&,cũ hoc ius penès Ecclesiam maneat , quæ adhuc primariam,& magis directam proprietatem iuris decimarum habet,fit,vt Põtifex, qui est administrator omnium bonorum Ecclesię,possit onerare, seu grauare præfato subsidio eas decimas,iusta,ac vrgente causa eum sollicitante,qualis reperitur in grauamine subsidij,quod Regi conceditur ad defensionem Fidei,& Ecclesiæ, ad expugnationem Infidelium , & Fidelium tutamen. Videantur Sotus *de iustit. & iur. lib. 9.quæst.4.art.3.* Barbosa *de potestat. Episcop.allegat.87.num.22.* Cenedo *ad Decret. collectan.79.num.2.* Gregor.Lopez *leg.25. tit.20 partit.1.verbo,tomen diezmo.* Et sanè Principem ex iusta causa posse reuocare donationes,&gratuita priuilegia,& hac limitatione temperandam esse præfatam *legem,perfecta donatio*, affirmant Molina *de primogen.lib.4.cap.3.num.16.* Mieres, Burgos de Paz, Peregrin. Silua, Castillo,& alij,quos refert,& sequitur Escobar *vbi suprà à num.49.*

627 Nec rursus assertum positum eneruatur ex eo,quòd aliqui laici nõ soluant subsidium Regi ex decimis , quibus potiuntur,vt de aliquibus in Regno Gallæciæ affirmat Garcia *de expensis, cap.9.n. 97.* Etenim,si id ita contingat , aut exemptionem ab illis obtẽtam fuisse à solutione subsidij dicendum est,aut consuetudine id fuisse introductum;non verò concedendum erit, Pontificem non posse grauamẽ præfatum eis iniungere. Plures alias quæstiones circa hãc materiam videat, qui velit, apud Authores relatos; nec enim diutiùs in eis immorari licet , cũ prædicta ad rei notitiam, & nostrum institutum sufficiant.

628 Id pro praxi animaduerto,Iudices delegatos Cruciatæ , ad quos pertinet exactio subsidij,non posse generaliter sequestrare redditus Academiæ Salmantinæ,sed tantùm expedire executionis decretum aduersus ipsius Academiæ œconomum;ad id enim extat Decretum supremi Tribunalis Cruciatæ, de quo *in statutis,fol.402.* Additque Escobar *vbi suprà n. 52.* id esse iuri conforme,adeòque seruandum fore in omnibus Academijs. Cæterũ nunquam valent hi Iudices exerutionem incipere censuras ferendo, quod commune est omnibus Iudicibus Ecclesiasticis in executionibus realibus, & personalibus, iuxta Tridentin.*sess.25. cap.3. de reformat.*

Quæstio XXXVIII. An Academiæ,& Collegia teneantur soluere gabellas ex contractibus, quos celebrant?

629 INSISTENDVM est distinctioni appositæ inter Academias, & Collegia sæcularia , & inter Ecclesiastica, vt inde clariùs decidatur quæstio.

Quip-

Quippè, si Academiæ, & Collegia sint Ecclesiastica, non debent soluere gabellas ex contractibus, quos celebrant, cum ab illis immunes sint Ecclesiastici; nisi ex Pontificis speciali cõcessione, vrgẽtissima ex causa præstita, hoc grauamen aliquando Ecclesiasticis imponatur; alias, qui imponeret, in Bullæ Cœnæ excommunicationẽ incurreret. Id tamen in praxi ita in Hispania frequenter obseruatur, vt, si Ecclesiasticus rem vendat laico, ab emptore laico gabella exigatur; & rursus, si laicus vendat Ecclesiastico rem, à venditore poscatur gabella, vt semper Ecclesiasticus maneat immunis. In quo inspiciendum est, vt licita sit exactio gabellę, (exactores enim ob sui commodum solent excedere facultatem, & iurisdictionem, qua gaudent, nec Princeps connuet, nec spontaneè tolerat) an gabella debeatur à venditore, an ab emptore: & in nostra Hispania communiter à venditore debetur. Vnde, si Ecclesiasticus sit venditor, gabella nequibit exigi, nisi fortè emptor, ex dispositione soluẽdi gabellam, ad eam teneatur, & non venditor; tunc enim si emptor sit laicus, illam pendere debebit. Iniquè autem, & dolosè agunt exactores, ac cum onere restituendi, dum eam semper exigunt à laico contractum celebrante cũ Ecclesiastico, siue laicus sit emptor, siuè venditor, cum non debeatur solui, nisi determinatè à venditore communiter; vel si emptor eam debeat, non debebit ipsam venditor. Quarè Confessarij cum huiusmodi exactoribus, quãcumque adhuc causam prætendentibus, nullatenus se pios exhibeant, sed acres, & rigidos; nec eos absque restitutione præcedente, vel sufficienti cautione absoluant; Solent enim Rempublicam vexare, & iniustè, vt ipsi ditescant, aliorum facultates infringere.

630 Nec rursus gabellam debent Vniuersitates, & Collegia, quæ non erecta sunt precisè in studiorum finem, & vt in illis addiscant, & doceant scientias, qui in id intendunt; sed fundata sunt ad sustentationem studentium pauperum, seu in aliam piam causam, sic enim sunt opera pia à gabellis exempta; vt docent Martha *de iurisdict. 4. p. c. 14.* P. Molina *de iustit. to. 3. disp. 671.* Gironda *de gabellis, 7. par. n. 42.* Salazar *de vsu, & consuetud. 6. 8. n. 22.* Lasarte, Gutierrez, Azeuedo, Auendaño, & alij, quos refert, & sequitur Don Alfonsus de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdict. cap. 22. à num. 103.*

131 Si autem Academię, & Collegia sint sæcularia, & aliũdè in finem pium, vt nuper dixi, non erecta, ac exemptionem à Principe non habeant, debent soluere gabellas ex contractibus celebratis, cum in hoc euentu nulla resset ratio, ob quam ab eiusmodi solutione excusentur; & sic tuentur ferè omnes, quos *numer. præcedenti* adduximus.

612 Hinc ipsi Academici, tum Præceptores, & Officiales, tum Studiosi soluere etiam tenẽtur eiusmodi gabellas, vt docent Gutierrez *de gabellis, quæst. 95. num. 40.* Gironda *vbi suprà num. 49.* Parladorius *lib. 1. quotid. cap. 3. §. 1. num. 24.* & in ordine ad Hispanos nostros statuit *lex 3. tit. 7. lib. 1. nouæ Recopilat.* Et quamuis Academici exemptionem habeant à plurib⁹ tributis, & oneribus realibus, ac personalibus, vt non semel in hoc tractatu attingimus, tamen in solutione gabellæ, quæ ob contractum venditionis debetur, non sunt exempti, nec ab alijs tributis ad hanc potest deduci argumentum, vt notauit Lasarte *tom. 2. c. 19. num. 101.*

633 Illud tamen certum iudico cum Escobar, *vbi suprà à numer. 111.* immunitates omnes, & priuilegia concessa Professoribus scientiarum, & Studiosis ratione muneris studiorum, extendenda esse ad ipsum corpus Academiæ, quamuis non exprimatur, adest enim ratio identitatis; Et huc adduci potest illud Philosophorum proloquium, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.* Quippè propter Academiam, studiorum matrem, conceduntur ea priuilegia Professoribus, ac Studiosis; multò ergo magis ipsi Academiæ concessa debent censeri; iniquumque esset, matrem, & nutricem Studiosorum non gaudere priuilegijs eorum, qui ab ipsa edocentur, & educantur.

634 Hinc, cum *in leg. 5. tit. 7. partit. 5.* concedatur Studiosis immunitas vectigalis, quę nostro idiomate vocatur *portazgo, y peagè*, eadem immunitate gaudent Academiæ; Gaudẽt præterea his immunitatibus, quæ Professoribus, & Studiosis conceduntur *in leg. Medicos 6. Codic. de Professorib. & Medic. lib. 10. & in leg. vltim. §. fin. ff. de muneribus, & honoribus, & in leg. 8. tit. fin. partit. 2.* ac sępè alibi. Et demum Academia Salmantina gaudet omnibus priuilegijs, et immunitatibus concessis à Regibus Hispaniarum, quarum fit mentio *in Prologo Constitut. ipsius Academiæ pag. 1. & 9.* Igitur quibuscumque priuilegijs,

gijs,quorum capax est Academia, sumpta non pro singulis personis, sed pro ipso corpore, quod est quædam persona ficta, gaudet, ac potitur, etiam si concessa sint ipsis Academicis intuitu studiorum; nam ea,quæ fortè his,vel illis alio intuitu possunt concedi,Academiæ non participant.

635 Nec possum non vehemẽter dolere, quòd adeò plurima Academiarum, & Studiosorum priuilegia in desuetudinẽ abierint, vt neutiquam iam obseruentur; & cum id maximè Regum Hispaniarum cordi fuerit, vt Studiosi, & Academici pluribus immunitatibus realibus, ac personalibus vterentur, quo & aliquod præmium sui præclari laboris haberent, ac expeditiùs, commodiùs, & minori cum sumptu litterarum studium prosequerentur, tamen huic Regum animo non fit satis; In quo sanè plures, & diuersos culpæ cooperatos fuisse, animaduerto, tum ob vim exigentium tributa, tum ob incuriam eorum, qui obseruantiam priuilegiorum debuissent sartam tectam defendere,& curare. Et, cum ea reuocata non fuerint, sed quasi violenter suspensa, Academię ipsæ tenentur omnia,& singula sua priuilegia, ac immunitates, quasi ex obliuionis, & violentiæ carceribus extrahere, vt illæsa seruentur; quippe Academici, & studiosi ex ea desuetudine nõ exigua detrimenta patiuntur; & ipsi singuli nequeunt euincere,quòd eis vsus suorum priuilegiorum liceat,sed hoc ad ipsas Academias spectat.

Quæstio XXXIX. An Academiæ possint imponere collectã soluendam à singulis Academicis?

636 SICVT ad aliquod opus publicum solet imponi ab habente potestatem collecta, quę soluatur à singulis personis,loci,territorij,aut Prouinciæ,sic in præsenti inquirimus,an eam imponere queat Academia, seu Conciliũ vel Senatus Academiæ ad aliquam ipsius publicam necessitatem,aut opus omnibus conueniens,& vtile?

637 Equidem Vniuersitates æquiparantur Reipublicæ, vt constat *ex leg.1.§.quibus,ff.quod cuiusque Vniuersit. nom.* Quare,quod cautum est legibus municipalibus cuiusque Regni circa potestatem Reipublicæ in impositione collectarum respectu suorum ciuium, id obseruãdum est in Academijs respectu Studiosorum. Quid autem præstari debeat in nostra Hispania, stabilitum est *in leg.1.tit.6. lib.7.& in leg.15.tit.7.lib.7.& in leg.25. tit.6.lib.3.nouæ Recopilat.* Tractant id Azeuedo *ibidem.* Flores *lib.2.variar.quæst. 21.an.12.* Bouadilla *lib.5.cap.5.num.13.*

638 Inconsulto Rege, non licet has collectas imponere, nisi essent valdè exiguę; vel nisi omnes, & singuli conuenirent in solutione, aut contributione pecuniarũ in ordine ad aliquem finem bono ipsorum congruentem; nam in hoc casu non esset vocanda collecta imposita ab Academia, sed quædam obligatio,pactum,seu conuentio inter ipsos Academicos facta; vt posset fieri inter quoslibet alios, atque adeo posset id præstari, quamuis summa congreganda ex singulis esset ingens. Vide Don Alfonsum de Escobar *ac Pontificia,& Regia iurisdiction.in studijs,cap.23.à num.69.*

639 Pro inscriptione Studiosorum in alno Academiæ,designata est exigua pecuniæ summa, quæ non est collecta,sed stipendium Officialiũ,aut emolumentum Rectori designatum; sicut & summa,quæ persoluitur pro graduum acceptione,est stipendium, & emolumentũ tum ipsius corporis Academiæ, tum singulorum, q n ad eos gradus concurrunt, et quibus iam est destinata summa persoluenda,iuxta cuiusque Vniuersitatis statuta, vel consuetudinem; quippe iuxta Academiarum diuersitates variatur summa prædicta, et communiter plus penditur in Academijs, quæ celebriores sunt, cum æstimabilior sit honos Gradus in eis acceptis,quàm in alijs non adeò illustribus. Quare in Hispania nostra Gradus acceptĩ in Academia celeberrima omnium Salmantina,plures sumptus, et maiorem afferunt splendorem.

Quæst.XXXX. An Academiæ, & Collegia,quæ habẽt ius patronatus, possint post primam præsentationem variare, & alium præsentare?

640 HABENT aliquę Academiæ, & Collegia ius patronatus ad præsentãdum ad beneficia Ecclesiasti-

cleſiaſtica; & in illis quæſtio hęc locum habet. Ad quam decidendam clariùs breuiter aliqua ſupponemus, quæ lucem præferant. Suppono ergo, ius patronatus aliud eſſe laicum, aliud Eccleſiaſticum; quæ non talia ſunt, eo quòd eis gaudeant laici, aut Eccleſiaſtici, cum poſſit Eccleſiaſticus habere ius patronatus laicum; ſed in eo differunt; quòd ius patronatus laicum tunc cõpetit, quando quis ex proprijs, & patrimonialibus bonis Eccleſiam fundauit, eique redditus applicauit, quibus alantur miniſtri; vel capellanias, aut alia beneficia ex illis bonis inſtituit, ſibi, & ſuis hæredibus ius preſentandi reſeruans, atque adeò, quoties beneficium, aut capellania vacat, præſentat aliquem, quem idoneum reperiens Ordinarius admittit, eiq; collationem beneficij tribuit. Ius patronatus Eccleſiaſticum tunc datur, quando ex bonis Eccleſiæ, ſeu beneficiorum dotatur Eccleſia, aut inſtituuntur beneficia; vel quando comperit alicui ratione Eccleſiæ, ſiue Eccleſiaſticæ dignitatis.

641 Ius patronatus Eccleſiaſticum numquam poteſt tranſire in ius patronatus laicum; at ius hoc laicum, ſi ab initio, vel poſtea donatione, teſtamento, aut quouis titulo transferatur in Eccleſiam, ſeu in Communitatem Eccleſiaſticam, fortitur quoad omnia rationem iuris patronatus Eccleſiaſtici. De diuerſitate, ac proprietatibus, alijſque pertinentibus ad ius patronatus Eccleſiaſticum, & Laicum, conſule Expoſitores Iuris Canonici *in tit. de iure patronatus in Decret. lib. & in Clementin.* Lambertum *de iure patronat. lib. 1. part. 1.* Rochum *eadem tract.* Sylueſtrũ, Angelum, Tabienam, ac Summiſtas *verbo Ius patronatus*, Spino *ſpeculo teſtam. gloſſ. 4.* Rebuffum *praxi benef. 3. part. ſignaturæ, num. 7.*

642 Quoad præſens attinet, ſupponendum etiam eſt, patronum laicũ poſſe variare, hoc eſt, poſt primam præſentationem, antequam Epiſcopus eligat, alium præſentare ad beneficium; nam poſt inſtitutionem, & electionem factam non poteſt, quia primus præſentatus iam adquiſiuit ius; *cap. ſi tibi abſenti, de præbend. in 6.* Patronum autem Eccleſiaſticũ non poſſe variare; *cap. cum autem, cap. paſtoralis, de iure patronat.* cum Eccleſiaſticum minùs deceat inſtabilitas, & aliunde plus temporis ei, quàm laico, concedatur, vt maturè eligat, aut præſentet. Non autem erit variare, ſi primus præſentatus renuntiet præſentationi in manibus Epiſcopi, vel ipſius patroni; tunc enim alium valebit præſentare. Extat de hoc deciſio Rotæ allata à Lamberto *vbi ſupra lib. 2. p. 1. quæſt. 2. art. 4.* Nec eſt variare, ſimul præſentare plures, vt Epiſcopus eligat; quod in praxi ſolet præſtari tum à Patronis Eccleſiaſticis, tum à laicis, & conſtat ex *Clementin. 2. de iure patronat.*

943 His ſuppoſitis, manifeſtè infertur, quid aſſerendum ſit circa quæſtionem propoſitam. Dico itaque, Academias, & Collegia authoritate Pontificia fundata, & gaudentia foro Eccleſiaſtico, & ſub Iudicis Eccleſiaſtici iuriſdictione conſtituta, ſi habeãt ius patronatus ad præſentandum beneficia, aut capellanias, non poſſe variare, poſtquam ſemel præſentauerint; poſſe tamen ſimul præſentare plures, & rurſus, ſi præſentatus renuntiauerit præſentationi, poſſe alium præſentare. Etenim ius patronatus illis competens eſt Eccleſiaſticum, vt potè in Communitate Eccleſiaſtica exiſtens; & patronus Eccleſiaſticus nequit variare, eſto queat plures ſimul præſentare; &, renuntãte præſentato, aliũ præſentare; quæ omnia conſtant ex ſuppoſitis, quæ vel certa principia ſunt in hac materia, vel ſententiæ probabiliores, ac communiores.

944 Quòd ſi ſint Academia, aut Collegium ſæcularia, Regia, aut alia laicorum authoritate erecta, & ſubiecta ſæculari iuriſdictioni, habeantque ius patronatus laicum, poſſunt variare, vt ex dictis liquet. Nec benè oppoſitum contendunt Syluеſt. *verbo, ius patronatus, quæſt. 8. dicto 1.* Milis *in repertorio, §. patronus, verſic. Patronus laicus*; fundamentum ſumentes *à cap. cum autem 24. de iure patronat. in fin.* vbi videtur aſſimilare Collegium patrono Eccleſiaſtico. Vt diluatur hoc fundamentum, aduerte, in principio eius capitis aſſeri, penes electionem Epiſcopi manere, ſi laicus poſt primum præſentatum, & non refutatum, alium præſentauerit, eligere, quem maluerit; & in fine capitis addit Gregorius IX. *Verùm, ſi Collegium, vel Eccleſiaſtica perſona præſentationem haberet, qui prior eſt tempore, iure potior eſſe videtur.* Vbi nota, contraponi Collegium, ac Eccleſiaſticam perſonam ad laicum, de quo prius egerat; ergo loquitur de Collegio Eccleſiaſtico, non de ſæculari. Deinde coniungit cum particula aſſimilatiua *vel* Collegium, & Eccleſiaſticam perſonam; ergo intelligit etiam Eccleſiaſticum Collegiũ;

& quia

& quia ius patronatus Ecclesiasticum po-
test existere penes personam, & penes Cō-
munitatē, ideò de vtroque sit mentio. Vn-
de non opponitur asserto prolato.

645 Aliqua aduertenda sunt in præsenti. Primum cum P. Thom. Sanchez *tom. 1. consil. lib. 2. cap. 3. dub. 67.* & alijs Authoribus ab ipso relatis, Collegium dupliciter posse variare; nempè accumulatiuè, non excludendo primum præsentatū; & priuatiuè, excludendo illum; Ad variādum accumulatiuè requiritur consensus omnium, nam ad contraueniendum statuto, aut facto Collegij, necessarius est ille consensus, nisi necessitas cogat; nulla autē potest cogere ad præsentandum eo modo. At, quia potest esse causa cogens ad reijciē dum primum præsentatum, & designandū alium, ideò ad præsentādum priuatiuè sufficit consensus maioris partis Collegij.

646 Secundum, non posse totiès quotiès variare, sed prima dumtaxàt vice; quia, licèt laicis patronis simpliciter cōcedatur variatio, at in odiosis præcipuè, sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice; *leg. boues, §. hoc sermone. ff. de verbor. signific.* & ea gratia sæpè est damnosa Ecclesijs, quarum non respicit vtilitatem, sed patronorum. Ita contra Decium, Berouium, Cardinalem, tuentur Gregorius Lopez *l. 6. tit. 15. part. 1. Glossa 1.* Calder. *consil. 16. de iure patronat.* Ludouicus Gomez *cap. in multis, de rescriptis.* Gutierrez, Felinus, Nauarrus, Rochus, Lambertus, & alij. Apud quos plura de hac materia reperies, quæ in præsenti congeri non oportet.

Quæstio XXXXI. An Academiæ gaudeant beneficio restitutionis in integrum?

647 AFFIRMATIVA decisio est tenē da. Ita tuentur Panormitan. *cap. 1. de in integrum restitut. à num. 14.* Bartolus, & alij, quos referunt, ac sequuntur Gregor. Lopez *leg. vltim. titul. 19. partit. 6.* Maranta *de ordine iudiciali, part. 6. cap. secundus actus, numer. 85. & 87.* P. Lessius *de iustit. lib. 2. cap. 17. dub. 9. num. 67.* P. Layman *in Theolog. moral. tom. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 11. num. 5.* Cum enim hæ Communitates multos habeant minores, & quasi ex illis magna ex parte componantur, beneficium restitutionis in integrum concessum minoribus, ad eas debet extendi.

648 Vt autem hæc decisio clarior reddatur, breuiter nonnulla sunt præstringenda. Restituere est, reducere aliquē in eum statum, in quo erat ante læsionem, vt ait Gloss. *in cap. auditis, de in integrum restitut.* Quod beneficium est remedium extraordinarium iuris; Prætor enim naturali æquitate motus, cognita causa, subuenit læsis, aut deceptis, eos in integrū restituendo; *leg. 1. ff. de in integrum restitut.* Hinc, si iure communi aliqua alia actio competat læso, ad hoc remedium, vtpotè extraordinarium, confugere non potest; *leg. in causa, 2. ff. de minoribus viginti quinque annis;* Et, si læsio modica sit, non conceditur hoc remedium, tum quia est extraordinarium; tum quia minima non curat Prætor.

649 Igitur, si læsio sit enormis, quamuis infra dimidium iusti pretij, gaudent Academiæ eo beneficio restitutionis non secus ac minores, & Respublicæ. Exē pla sint; si ex contractu emptionis, aut ditionis debita cum solemnitate instituto Academia læsa fuit, quia emit iusto pluris, aut vendidit rem minoris iusto, restituenda erit, reducendo ad æqualitatem pretiū contractus; Quòd si læsio inde prouenit, quia non expediebat ei emptio, aut venditio, rescindetur contractus, & dabitur ei actio aduersus possessorem; Id enim respectu minoris, cui assimilatur, contingit, iuxta *legem in causæ 1. ff. interdum, ff. de Minorib.* Et docēt communiter Interpretes. Videantur Anton. Gomez *lib. 2. var. resolut. cap. 14. num. 7.* Panormitan. *in cap. constitutus, de restitut. in integ. num. vlt.* P. Molina *de iustit. tom. 2. disp. 573.* P. Lessius *de iustit. lib. 2. cap. 17. dub. 9. n. 63.* P. Layman *vbi suprà. num. 1.*

650 Deinde, si Academia læsa sit ob negligentiam procuratoris, v. g. non producentis in iudicio probationes necessarias, competit ei beneficium restitutionis in integrum; vt ex simili casu competit minoribus, *leg. etiam, Cod. si tutor, vel curator, &c.* Rursus, si Academia adijt hæreditatem minùs lucrosam, aut repudiauit legatum, vel hæreditatem sibi vtilem, beneficio restitutionis gaudet; Id enim minoribus conceditur, *leg. ait prætor. ff. de Minorib.* Ex qua constat, non solùm in damno, verùm in lucro cessante restituendum fore minorem; licèt, vt tradit P. Molina *tom. 2. de iust. disp. 573. §. illud verò*, discrimē intercedat inter restitutionem damni accepti,

cepti, et inter restitutionem lucri cessantis, illa enim generalior est, ac plenior, hæc autem non conceditur, nisi res, verbi g. hæreditas repudiata, adhuc integra sit: secùs, si iam sit distracta à substituto hærede.

651 Cæterùm restitutio in integrum ex quacumque causa petenda est intra quadriennij spatium; *leg. vltim. Cod. de temporibus in integrum restitutionis.* Et, quamuis hoc quadriennij spatium inchoetur ab eorum ætate legitima, siue ab impleto vigesimo quinto ætatis anno, vt obseruat Pater Layman *vbi suprà, numer. 4. & eodem libr. 3. tractat. 1. capit. 8. numer. 21.* at in restitutione Academiæ inchoatur à tempore factę læsionis; equiparatur enim Reipublicæ, aut Ecclesiæ, respectu quarum ab eo tempore quadriennij spatiũ incipit numerari, iuxta *caput 1. de in integrum restitution. in 6.* Nec alius suppetere potest congruens modus computandi id tempus. Annotant tamen Panormitan. in *capit. tum ex litteris, de in integrum restitution. à numer. 10.* Pater Molina *vbi suprà, d sput. 574.* Pater Layman *vbi nuper*, & Glossa *in capit. 1. de in integrum restitution. in 6.* etiam post elapsum quadriennium, si iusta causa postulet, restitutionem in integrum posse peti, et concedi Reipublicæ, et Ecclesiæ; quod pariter omnino de Academia est asseuerandum: Iusta autem causa censetur, si læsio sit valdè enormis iuxta viri boni arbitrium, vt præfata Glossa, et Panormitan. *ibidem numer. 2.* testantur, necnon Couarrubias *libr. 1. resolution. var. capit. 3. numer. 11.* P. Lessius *vbi suprà, capit. 17. numer. 66.* Est etiam alia causa iusta, nempè, si interuenerit inculpata ignorantia, aut aliud iustum impedimentum, quominus non valuerit restitutio in integrum poscì; quippè legitimè impedito non transit, nec finitur tempus iure definitum; argumento textus *in capit. 1. & 2. de in integrum restitution. in 6.* Vbi non admittitur petitio restitutionis in integrum, elapso quadriennij spatio, si intra illud negligenter fuerit omissa; ergo è contra admittenda est, si non fuerit omissa negligenter, cum exceptio firmet regulam in contrarium. Hinc, si læsio, cum facta est, non apparuit, spatium quadriennij inchoandũ est à tempore læsionis apparentis. Demum iuxta Glossam in *prædicto capite 1.* Si Prælatus malè Ecclesiam administrat, eaque læditur, quin ab ea restitutio petatur, non elabitur spatium quadriennij, dum ipse viuit, sed incipit quadriennium à tempore successoris in Prælatura, cum delictum personæ non debeat in detrimentum Ecclesiæ redundare. Quod aptari potest Academiæ, cuius administratio sit sub Prælato, aut Superiore malè eam administrante, si fortè contingat, in vnius Superioris arbitrium totam administrationem redigi; Secùs erit, si Academia Administratore vtatur, à quo exigat rationem sui muneris.

Quæstio XXXXII. Quæ præcedentiæ in ordine sedendi debeant obseruari in Academijs, & Collegijs? Vbi de Academia Salmanticensi, & eius Rectore, ac Scholæ Magistro.

652 SERMO est de Actibus publicis, in quibus Academici, aut Togati concurrunt; & etiam de Actibus, qui, etsi non publicè, fiunt tamen per modum Academiæ, aut Collegij congregato Concilio Academico, aut Communitatis. Et, vt res pateat dilucidè, notandum est, non idem esse Concilium Academicum, & Academiam; Nam Senatus, seu Concilium Academicum solùm importat viros determinatos aliqua dignitate, aut munere speciali in Academia fungentes, penes quos stat gubernatio politica Vniuersitatis, & negotiorũ ad illam spectantium tractatio. Academia autem latiùs se habet, cum includat & omnes prædictos, & præterea Togatos, Professores, & Studiosos scientiarum, aliosque Ministros, ac Officiales Academię obsequijs specialiter incumbentes. Sicut non est idem Ciuitas, & Senatus, seu Concilium Ciuitatis, nam hoc dumtaxàt continet Caput Ciuitatis, & Senatores, vel alios similes, quibus Ciuitatis regimen circa occurrentia, ac necessaria incumbit; Ciuitas autem, & illos, & cæteros omnes Ciues comprehendit.

653 Don Alfonsus de Escobar *tractat. de Pontificia, & Regia iurisdictione, cap. 24. §. 2. à num. 111.* aliquas regulas tradit, quibus in præcedentijs sedium debeat stari; Et sanè reipsa, & practicè sola prima ab ipso præfixa est præci-

pua, & ſequenda, nempè inſpiciendam eſſe conſuetudinem, eique ſtandum. Etenim nulla eſt Communitas Eccleſiaſtica, aut ſæcularis, in qua conſuetudo, aut ſtatutum non detur ordinis præcedentiæ tum inter ipſos, qui è gremio illius ſunt, tum inter eos, & alios, qui fortè adueniant, & è gremio non ſint. Quare huic conſuetudini, ſeu ſtatuto, ſi detur, omnino ſtandum eſt; licèt enim ſpeculatiuè re introſpecta, non videatur omnino aptus ordo, qui in vna, aut alia Communitate eſt introductus, attamen practicè non mutabitur, quamuis rationes quælibet aduerſus illum expendantur, cum præualeat conſuetudo longæua. Hinc odioſam arbitror obiurgationem, qua prædictus Author ferit Academiæ Salmantinæ Concilium in deſignatione ſedium, quæ Deputatis deſtinatæ ſunt, eſto ſint vndequaque illuſtres Viri, qui in Deputatorum Concilio aliis poſtponuntur; Sed ſic voluere Maiores, & ſanè non deſtituti ratione, ſi omnes circunſtantias temporum, perſonarum, Graduum, & ſimiles alias penſemus. Plura etenim iuſtè olim introducta fuere, quæ, ſi nunc temporis inciperent executioni mandari, aliter diſponerentur.

654 Aliqua nihilominus oportet obſeruari; In primis inſpiciendos eſſe actus, ex quibus conſuetudo probari intenditur, an ſcilicèt fuerint meræ facultatis, & vrbanitatis, an debitæ ſubiectionis, ita vt vtraque pars animum præſetulerit præeminentiæ conſtituendæ, aut aliqua tranſactio, vel pactum interuenerit; nam in primo caſu actus non probant conſuetudinem, cum non detur præſcriptio vrbanitatis voluntariæ; ſic verò in ſecundo caſu.

655 Deinde communiter ſi Dignitati non ſit annexa præcedentia, antiquitati conſulitur, & antiquior præcedit, quod idem cõtingere in Concilijs Epiſcoporum aduertunt D. Ferdinandus de Mẽdoza *ad Concilium Illiberitanum capit. 10. in ſubſcrip. Fœlices, verſu, decet*; Loaiſa *in Concil. Hiſpan. in defenſ. pro Primat. Tolet. §. 3. litter.* B. & Concilium *Bracharenſe 1. Canon. 24.* Ea autem dignitas, cui præcedentia debetur, non eſt conſideranda ſecundum ſe, ſed in ordine ad illum actũ, qui exercetur; nam poteſt quis vel abſolutè dignior eſſe, quàm alius, vel in ordine ad aliquos actus, & non in ordine ad vnum, vel alium in particulari. Sic Rector Academiæ Salmantinæ præcedit ſemper in ſede Magiſtrum Scholę, dum non ſit in actibus, in quibus Gradus Licentiatus, & Magiſterij, aut Doctoratus conferuntur; in his enim ab eo præceditur. De præcedentijs conſulantur Ferro, ac plures deciſiones Rotæ, & Dominus Don Laurentius Ramirez de Prado *tractat. de præcedent.* ac alij paſſim.

656 Rurſùs attendendum eſt, vbi Actus fiant, nam ea Communitas, cuius Actus ſunt proprij, debet præcedere cuiuis alteri Communitati; Quare, ſi in Eccleſia Matrice concurreret Collegium, vel Academia ad actum, cui, vt proprio, adeſt Eccleſia, hæc ſanè præferenda eſt, & è contra, ſi Eccleſia aſſiſteret actui, cui, vt proprio, intereſt Academia: niſi conſuetudine aliud obſeruetur.

657 Hinc cernitur, cum Candidatus ex aliquo Collegio pro Cathedræ vacantis conſecutione recitat extemporaneè in Academiæ gymnaſio, ſi Collegij Communitas ibi ſimul aſſidet, Collegium occupare locum valdè præcipuum, & à Senatu Academiæ vt tali, communiter non præcedi, ſeruata forma Senatus Academici; eſto Doctores, & Magiſtri, qui ſponte volunt aſſiſtere, ſuum honoratiorem locũ retineant. Quippè Actus ille, etſi ſit proprius Academiæ, quatenus Academia latè patet, & extenditur ad omnia ſua mẽbra, (vt initio quæſtionis notaui) tamen non eſt proprius Concilij, vel Senatus Academiæ, quando ad eum non pertinet iudicium, & conceſſio Cathedrarum; vnde potiùs Collegium, quod eſt Vniuerſitatis pars, aſſiſtit ei recitationi, vt actui proprio, quàm Concilium Academiæ, indeque illud debet deſignatum locum obtinere; quarè nunquam præceditur à Concilio Academico, vt tali, nec in his actibus aſſiſtit ſeruata forma, & ordine Academicus Senatus. Cæterùm Rector Academię primum locum obtinet, ipſe enim Superior eſt omnium membrorum Academiæ in his, quę ad Cathedras ſpectant, ſicut & in pluribus aliis in Academia Salmanticenſi; Quòd ſi Magiſter Scholę velit his recitationibus extẽporaneis aſſiſtere, poſt Rectorem debet aſſidere, ſicut in Sacello, & in Conſeſſibus, qui vocantur *Clauſtros*, aſſidet. Attamen ſolet à Rectore beneplacitum obtinere aſſiſtendi aliquando recitationibus prędictis, & tunc Rector ſe abſtinet ab ingreſſu in gymnaſium, vrbanitati conſulens, & Magiſtro Scholæ primum

mum locum permittens. Asseruit Don Alfonsus de Escobar, Collegium præesse, cum assistit in Academia recitationi, eo quòd sit actus proprius illius. Sed equidē, cum Collegium sit membrum Academiæ, hæc semper præest. Quare, si Senatus Academicus, qui eam repræsentat, assisteret, præesset: imò Doctores, & Magistri, qui ibi assistere volunt, in sede præcedunt, esto non se Collegio intermisceant, sed ei suum locum destinatum relinquant.

658 Et quia ad Academiam Salmanticensem deuenimus, quid in ea contingat, breuiter referamus. Rector Academiæ, vt asserui, præcedit omnes Academicos in quolibet actu, vel confessu, dummodo gradus præfati non conferantur. Immediatè post illum, seu latus sinistrum occupans assidet, vel incedit Scholæ Magister, cum scilicet in duos ordines à dextris, & à sinistris Academicus Senatus diuiditur, vt fit in confessibus, seu Claustris; in Sacello, dum Festa celebrantur; in Funeribus alicuius Magistri, vel Doctoris; in Cōmitatu publico Rectoris, & in similibus alijs. Postmodum inter Magistros in Theologia, Doctores in Iure Canonico, seu Ciuili mixtim inter ipsos solùm attenditur antiquitas in Gradu, antiquiorque præcedit. Deinde subsequuntur Doctores in Medicinæ Facultate, & demum Magistri in Artibus

659 Quòd si actus, cui assistunt, sit proprius vnius gremij, verbi g. Magistrorum in Theologia, & accedat Doctor in alia Facultate, huic post vnum Magistrum in Theologia, qui semper præcedit, sedes immediata conceditur; idemque fit, si ad actum proprium Doctorum in Iure accedat Magister in Theologia; quam consuetudinem induxit vrbanitas. Idem præstari solet, si accedat vir aliquis illustris, qui non sit è gremio Academiæ, sæcularis, aut Ecclesiasticus, vel etiam Religiosus, siuè Magister, vel Doctor in alia Academia insigni; Quibus omnibus prima sedes post vnum Magistrum, seu Doctorem è gremio Salmantino conceditur.

660 Cæterùm si Episcopus Salmantinus ad actum Academiæ accedat, præcedit omnes, etiam Academiæ Rectorem, quod ex Regio Decreto statutum est; & consonat statutis Academiæ. Hinc Episcopus Salmanticensis, dum actibus litterarijs adest, debet primus salutari à Recitante extemporaneè, seu à Defendente assertiones litterarias, & arguentibus. Non tamen propterea debet omitti salutatio, seu venia, quæ deposcitur in his omnibus actibus, à Rectore, seu à Scholæ Magistro; sed immediatè post Episcopum salutatum, ea debet venia implorari; aut si, postquam Episcopus iam consedit, & salutatus fuit, Rector, vel Scholæ Magister ingrediatur, subsistere debet actus, & postmodum is salutari, breuiterque præstringi, in quo tunc ea Actio versetur, sicut præstatur, cum ibi Episcopus non adest. Etenim assistentia huius non tollit, quòd Rector, aut Scholæ Magister in eo actu sit superior; & sedes prima Episcopo tunc conceditur ratione Dignitatis, & quia in territorio Salmantino, in quo est Academia, Præsul, & Pastor est; non tamen facit, vt sit Superior in eo actu; quamuis sit Superior, et Pastor eorum, qui ibi adsunt in ordine ad alia animas concernentia ipsorum. Quare vidi ego Illustrissimum Dominum Don Christophorum de Camara, et Murga assistere in Academia Salmantina assertionibus publicis Theologiæ, primam sedem occupantem, vtpotè Episcopum Salmanticensem, anno 1634. et incepto Actu, ingressum fuisse Don Hieronymum de Auellaneda Scholæ Magistrum, quem Defensor assertionum non salutauit; ipse verò præcepit, vt omnes subsisterent, nec vlteriùs procederetur, donec ei debitum fieret salutationis obsequium; et ita fuit præstitum. Si alius Episcopus fortè assisteret Actui Academiæ, etiam præcedere debere Rectorem, infert Escobar *suprà capit. 24. numer. 94.* ex eo, quòd *Constitution. 22.* statuitur, Magistrum Scholæ in actibus conferendi Gradus præcedere *Rectorem, & quoscumque alios, præter Episcopos, & eorum Superiores.* In plurali autem vox *Episcopos*, nequit intelligi solū de Salmantino. Tunc sic. Magister Scholæ in Actibus, in quibus præcedit Rectorem, & cæteros, non præcedit vllum Episcopum; ergo pariter Rector in Actibus, in quibus præcedit Magistrum Scholæ, ac cæteros, non præcedit vllum Episcopum. A fortiori non præcedit Archiepiscopum Compostellanum, quia comprehenditur ibi, *& eorum Superiores*; & præterea est Metropolitanus diœcesis Salmantinæ. Imò erga Academiam aliqua authoritate gaudet ex vi Constitutionum; nam *Const. 8.* Rector, & Senatus Academicus præcipiuntur præsērare corā

Archiepiſcopo Adminiſtratorem ſuorum bonorum, & ille eum confirmat, ac requiſitus amouet. Id tamen in deſuetudinem abijt. Quòd ſi aliquis Epiſcopus, non vt Epiſcopus, ſed vt Doctor, vel Magiſter, aſſiſteret actibus Academiæ, præcedendum eſſe à Rectore, & Scholaſtico Salmantino, probat Eſcobar *vbi nuper, num. 97.* Dicta intellige, quando Senatus Academię Salmantinæ abſque proprijs Inſignibus Graduum adeſt, & inſimul Rector; Etenim, ſi in aliquo actu ſolemni Senatus Academicus incedat, vel adſit, ſeruato ordine, ac forma Academię, & ſimul Magiſtri, & Doctores ſuorum ſinguli Graduũ Inſignibus ſint ornati, tunc Rector nulli alij locum cedit, niſi Epiſcopo Salmanticenſi. Sic cauetur *in ſtatutis Academiæ, titulo 58, §. 16, pagin. 301.* Cęterùm nunquam contingit caſus concurrentiæ alterius Epiſcopi, quàm Salmantini, cũ Rectore; Quòd ſi cõcurreret, omnes Salmanticenſes in ea mente ſunt, Rectorem non fore loco ceſſurum, etiam ſi abſque inſignibus Doctores adeſſent.

661 Ex dictis tamen refutandus eſt Eſcobar *vbi ſuprà, cap. 46. num. 19*, aſſerens, candidatum Cathedræ, qui in recitatione extemporanea, intrante in gymnaſium Rectore Academiæ, non ceſſaret à lectione, nec impetraret veniam, nec breuem enarrationem eorum, quę tunc recitabat, attexeret, nullum crimen, culpam vè commitere, dum tamen aperto, vel inclinato capite eum ſalutaſſet, vt iuri reuerentiali ſatisfaceret. Id probare contendit primò, quia ea forma ſalutationis impetrãdo veniam, & enarrando, quæ recitantur, eſt actus meræ facultatis, ac vrbanitatis, atque adeò nulla conſuetudine, etſi longa, eſt præſcriptibilis. Secũdò à paritate, nam ſupremus Senatus Regius prohibuit, ne Togati, cum extemporaneas recitationes pro Cathedris obtinendis conficiunt, ceſſarent à recitationibus ſubſiſtendo pauliſper, cum Rectores ſuorum Collegiorum ingrederentur in gymnaſium; quæ ceſſatio, & cœremonia longo tẽpore fuit peracta, non reſiſtentibus Magiſtratibus Academiæ; Quod decretum denotat, eam conſuetudinem nullam induxiſſe præſcriptionem, eo quòd illa actio merè facultatiua eſſet, & ex vrbanitate ſolummodò orta.

662 Sed oppoſitum eſt tenendum, quia conſuetudo in actione, de qua loquimur, reſpectu Rectoris Academiæ (& idem dico reſpectu Magiſtri Scholæ in aſſertionibus publicis, alijſque actibus, in quibus ex munere adeſt) obligationem induxit, & ei non ſatisfacere culpa, eſt aduerſus Rectorem, qui in illam poteſt animaduertere; cum enim Rector ſit Superior, & Iudex in his, quæ ad Cathedras ſpectant, & totius Academię ſit caput, debetur ei venia ſpecialis, & enarratio eorum, quæ peraguntur, cum ipſe aduenit, vt agnoſcat, quæ tunc tractentur; & aliunde actus reuerentiæ diuturna conſuetudine approbati reſpectu Superioris ex ſe denotãt quaſi pactum vtrinque factum, & obligationem à ſubditis acceptatam; ſiquidem, quod eſt merę facultatis, ac vrbanitatis, erga eos peragitur, reſpectu quorum non datur ex iure obligatio; cum autem reſpectu Superioris obligatio ſalutationis exiſtat iure cõmuni, vt omnes Interpretes aduertunt *in l. 2. & 3. C. de offic. diuerſ. iudic*, hinc eſt, vt ſalutatio iam introducta conſuetudine rigoroſè obliget ſubditos.

663 Explicatur ampliùs. Salutatio aliqua debetur in caſu prædicto Rectori, vtpotè capiti, vt in confeſſo eſt omnibus ac ipſi Authori, quem refutamus; & nõ eſt deſignata in iure, quę forma ſalutationis ſit obſeruanda; ergo ea deſignatio per conſuetudinem introducta non eſt actus meræ vrbanitatis, ſed eſt determinatio debitæ ſalutationis in communi ad hanc formã in particulari. Quod non reperitur in actibus meræ vrbanitatis, qui aliunde ex debito rigoroſo non inducunt obligationẽ. Id vltęriùs firmatur; nam Rector, quatenus Superior, & caput, poteſt præcipere Recitãti lectionem, vt ſubſiſtat, vt dicta repetat, ſeu pręſtringat, vt enarret ea, quæ tunc tractabat; de quo dubitari nequit, cum id ſit licitum, & honeſtum, ac aliunde ſpectãs ad actionem, in qua munus Superioris Rector ſortitur, & omnes Academici iuramento obſtringantur obediendi ei in licitis, & honeſtis; ergo id præſtare, quod ipſe poſſet præcipere, imò deberet, vt cõſcius fieret totius rei, & aliũde honos ſibi, ac reuerentia referretur, non eſt actus merę vrbanitatis, cum conſuetudine longa eſt introductum, quæ conſuetudo, & actio forſitan ideò fuit inducta, quia Rector præciperet, eã actionem fieri, ſi de facto nõ exerceretur. Id autem non datur in actibus, qui fiunt erga aliquem ex mera vrbanitate, is enim nõ poſſet præcipere, vt fierent.

664 Confirmatur adhuc; quia, vt ſuprà libaui, etiam præſente Epiſcopo, cum omiſſa fuiſſet illa forma ſalutationis, Magiſter Scholę in aſſertionib' publicis coegit

De-

Defensorē, vt eā adimpleret, nec vllus ex Academia reclamauit, cum adessent innumeri Magistri, ac Doctores; & idipsum posset alijs exemplaribus roborari; nam omissam formam communem salutationis Rectori præstandam ab aliquibus Arguētibus (per obliuionē) in assertionibus Iuris vidi ego ægrè ferri à Doctoribus, ab ipsisq; Rectorē admoneri, vt eos cogeret ad salutationis formā adimplendā, & veniā solito modo impetrandā. Hæc autem manifestè ostēdunt, prædictam consuetudinem esse obligatoriam, & non solius vrbanitatis. Quin addo, quamuis id non fuisset consuetudine obligante præscriptum, posse Rectorē præcipere, vt sic deinceps præstaretur; quod præceptum, vt iustum, deberet obseruari, vt nuper attigi.

665 Ex his prima probatio appositę opinionis corruit; nec secunda vim vllā habet. Etenim in primis Rectores Collegiorū non habent eam iurisdictionē, & prælationē in Academia, & in actibus publicis, qui in ipsa exercentur, quam habet Rector Academicus. Deinde, si quidem Senatus Regius eam cœremoniam non fieri iussit, id sanè conueniens fuit ad rectum regimen politicū, & ideò potuit id statui à Senatu Regio, quamuis ea salutatio obligatoria foret, & non meræ vrbanitatis; cum pro occurrentia rerum, sicut possunt induci nouæ obligationes, ita & tolli antiquæ; quare ex eo paritas non fit ad Rectorē Academiæ.

666 Imò argumentum retorqueo; Senatus præcepit, ne illa forma salutationis præstaretur à Togatis Collegiorum Rectoribus; & non præcepit, vt non præstaretur Rectori Academiæ forma salutationis vsitata; ergo, quia hanc potiùs debitā, quàm illam iudicauit; & quia hanc magis conueniētem, quam illam fuit arbitratus. Vnde ex eo, quòd congruentiæ extiterint, ad hoc vt tolleretur à Senatu Regio forma præfata salutationis, siue ex obligatione deberetur, siuè non, nequaquam infertur, nō esse debitam formam salutationis præstitam Rectori Academiæ, sed infertur solū in eo fuisse speciales cōgruentiæ rationes. Adde, post scripta prędicti Authoris, rescriptum à Senatu Regio dimanasse seuerè præcipiens salutationem præfatam Rectori præstandam.

667 Quid? quòd non rectè introspexit prædictus Author id, quod assumpsit. Nam Togatos aperire caput, & pileū vtraque manu sub pectus tenere, ac substere, quandocumque suus Rector ante ipsos incedit, cœremonia est eos obligans, & non solius vrbanitatis; quod constat, quia, si aliquis eam omitteret, à Rectore puniretur, seu puniri posset; Ex vi ergo huius obligationis, cum Rector in gymnasium ingrediebatur, substitebat Togatus lectionem recitans, & exequebatur cœremoniam, quam cæteri eiusdem Collegij Togati in gymnasio existentes præstant; igitur Senatus Regius sustulit, ex vi suæ potestatis, aliquid aliundè obligans. Quomodo ergo præfatus Author supponit, eam actionem esse solius vrbanitatis, & exinde contendit, salutationis formam Rectori Academico præstitam etiam vrbanitatis solummodo esse? Itaque nec est verum, quod assumit; nec, etiam si esset verum, sequeretur id, quod intendit; cum iam disparitas inter vtrumque satis ex dictis liqueat. Plus solito in hac impugnatione sum immoratus, nec enim vir adeò litteratura illustris leui, & facili calamo impugnari potest, sed negotium facessit, ei contraire.

668 De præcedentijs locorū in Communitatibus Ecclesiasticis, & sæcularibus (quæ aptari poterunt Academijs, & Collegijs) consulat, qui velit, Barbosam *de potestat. Episcop. allegat. 78.* Mastrillum *de Magistratib. lib. 4. cap. 13.* Aloysium Riccium *in praxi Episcopor. à resolut. 553.* Ponte *consil. 16. volum. 2. decis. 8.* Franchis *decis. 388.* Valençuela *consil. 34. & 92.* Fuluium Constantium *in leg. 1. Cod. de Consulibus lib. 12.* Apicella *in tutamine pauperum, allegat. 13.* Auendaño *1. part. cap. 19. num. 15.* & cōmuniter Doctores *in l. 1. ff. de albo scribendo, & in l. 1. C. de Consulib. lib. 12.*

669 In Communitate Academiæ Salmantinę Magister, vel Doctor, qui quotannis eligitur in Primicerium, habet primam sedem post Scholę Magistrum in sinistro ordine in omnibus actionibus Ecclesiasticis; & præterea præsidet Consessibus, seu Clausstris Primicerij, quæ ipse conuocat ad negotia, quorū tractatio ad ipsū spectat. In Consessibus autem Deputatorū, ad quos conuocat Rector, in eisq; præsidet, post Magistros, & Doctores, qui proprietarias Cathedras moderātur, (nācæteri nō adsunt) assidēt quatuor Deputati, ex quatuor Collegijs Maioribus, & post ipsos cæteri Deputati, qui omnes eligūtur quotannis.

670 Cæterùm Magister Scholæ in choro Almæ Ecclesię Salmantinæ suam habet ratione dignitatis sedē determinatā, nec tamē ea omnia obsequia, quę cęte-

cæteri Canonici, & Dignitates Episcopo in comitatibus præstant, ipsũ præstare tenetur, nam illi ad domum vsque tenentur eum comitari, ipse verò solũ debet comitari Episcopũ à sua sede, vsque dùm è choro exeat, vt statutum est à Senatu Regio, dum super hoc orta esset contentio inter Illustrissimum Dominũ Don Christophorum de Camara, & Murga Episcopũ Salmantinum, & Don Hieronymum de Auellaneda Scholę Magistrum.

671 De præcedentijs, quæ inter Togatos obseruantur, nonnulla sunt in præsẽti restringenda. Intra ipsa Collegia in omnibus Communitatis Actibus Rector præcedit, & post ipsum Collegæ Capellani, & deinde cæteri ordine antiquitatis seruato; In Collegio autem Ouetẽsi Maiori Sacerdotes Togati post Capellanos præcedunt cæteros, etsi antiquiores. Quod idẽ obseruatur, cum bini foras exeunt; scilicèt Rector semper manum dexteram tenet, sinistram quilibet alius, nec ad latus incedit, sed retrò; Capellani autem dextram manum occupant, quando cum cæteris Collegis incedunt, etiam Sacerdotibus; hi verò, si cum alijs concurrant eiusdem Collegij, honoratiorem locum obtinent. In cæteris Collegijs idem obseruatur, eo dumtaxàt excepto, quòd Sacerdotes non præferũtur, sed suo antiquitatis ordine seruato sedent, & incedunt.

672 Cum autem in Recitationibus ad Cathedras obtinendas, Collega recitante, omnes simul intersunt, idem ordo seruatur; sed Hospites Collegæ, & hi, qui iam è Collegio exierunt, cæteros omnes in sede præcedunt; Rector verò ab illis distans aliquantulum, non in eodem sedium ordine, sed inflexo, assidet. Quando tamen Togati ex vno Collegio cum alijs Togatis alterius Collegij concurrunt, idẽ ordo in præcedentia sedium seruatur, ac si omnes ex vno Collegio forent, attento dũtaxat antiquitatis tempore. Et quia in tribus Collegijs Maioribus Togati Sacerdotes nulla præcedentia gaudent, idcircò si Ouetenses Togati cum alijs concurrant, Sacerdotes è Collegio Ouetensi nullum antiquiorem præcedunt, & eo casu, si socius ex ipso Collegio Ouetẽsi sit antiquior quàm Sacerdos, præcedit illum in sede, vt sic inter eos, & inter Togatos aliorũ Collegiorum vniformis ordo teneatur.

673 Collegia Maiora præcedunt loco, & sede omnia Collegia Minora, & Togati ex illis Collegas Minores. Attamen Togati è Collegio Maiori Diui Bartholomæi, si concurrant cum Rectoribus Collegiorum sancti Pelagij, & sancti Michaelis, locum honoratiorem eis præstant, quia Fũdatores eiusmodi Collegiorum Toga prædicti Collegij Diui Bartholomæi fuerunt ornati. Quin omnes Togati è Collegijs Maioribus, licèt non sedeãt vnquam in Ecclesijs, alijsvè publicis locis eodem sedis ordine, in quo sedem occupat aliquis Rector cuiuscumq; Collegij Minoris, si tamen incedendo, ingrediendo, vel exeundo in quemuis ex his Rectorem incidant, vrbanissimi sunt, & eum præcedere, annuunt, vt non semel obseruaui, ab ipsisque audiui. Absq; dubio etiam est, Togatos è Collegijs Maioribus honoratiorem locum præstare Rectoribus Collegiorum Ordinum Militarium.

674 Rectores Collegiorum Maiorum abstinent à cõcursu simultaneo in sedibus; quòd si fortè aliquando in progressu, vel ingressu vnus in alium incidat, antiquior præcedit. Illi autem in sua Camera, vel cubiculo, nulli, etiam Ecclesiastico Præsuli, nec Cardinali, nec Hispaniarum Magnati, nec Rectori Academiæ, aut Scholæ Magistro præcedentiã in sede, nec ingressũ permittunt, nec eum nisi ad ianuã cubiculi comitantur, à qua ipsi priùs intus ingrediuntur, quàm illi discedant; & dum foris per vrbem, aut Academiam deambulant, nulli præstant locum honoratiorem. Id iam consuetudine est introductũ, quod & ad Rectores aliorum Collegiorum inde emanauit; sed solent concursus, & inuisendi se inuicem obsequia vitari.

675 Togati, statim ac suum Rectorem vident, si sedeant, assurgunt, & aperto capite, manibusque intra pileũ appositis versantur, donec ille assideat, vel sub ipsorum aspectu nõ sit. Quòd si deambulando in eum incidant, subsistunt, donec ille pertranseat, aut veniam progrediendi signo aliquo, seu verbis concedat. In gymnasijs autem, Rectore seorsim, non cũ suo Collegio, sedente, nullus è suo Collegio sedere potest in sedilibus ante ipsum iacentibus, eodem ordine, & serie, sed tribus aut quatuor post ipsum intermissis, sedem occupare potest. In Academiæ verò areis, nullus Collega potest versari in quolibet ex quatuor ambulacris, in quo suus Rector versetur, sed ad aliud ex eis progredi debet; & in Ecclesijs, si Rector publicè sedeat, nullus ex eius Collegio publicè potè assidere. Plures sunt assimiles ceremoniæ; has

de

de locis, & præcedentijs sufficiat attigisse, vt saltem curiositati aliquorum, qui Salmanticę non extiterunt, indulgeatur, & qui ad illam accedunt, nouerint, quid prę stare debeant, ne in vrbanitate, & consuetudine cum offensione deficiant. Alia plura de Togatis attingemus *lib. 2.*

Quæstio XXXXIII. An Academicus Senatus possit mulctas, & pœnas infligere? Vbi de Rectore Salmanticensi; de auocatione causarum; & de inhibitionem Iudicum Academiæ.

676 IVRE communi nequit Senatus, aut Concilium Academiæ absque suo Rectore, vel Iudice Ordinario mulctam, aut pœnam infligere, quia id ad Magistratus spectat, vt *ex leg. aliud 131. §. 1. ff. de verbor. signif.* colligũt, & docent Rebuffus, alijque Interpretes. Cum autẽ Rector, vel Magistratus adest, potest simul cum illo pœnam decernere; sed, vt annotat Don Alfonsus de Escobar *lib. de Pontific. & Regia iurisdict. cap. 46. à num. 7.* potiùs dicendum est, tunc Rectorem, aut Magistratum, quàm Senatum Academicum, imponere pœnam, quia penes illum, & non penes hoc, ius versatur ad exequendum; quare consilij capiendi causa, & non ob necessitatem consortij Senatus, simul cum illo Magistratus rem confert, & pœnam decernit.

677 Hinc non valet Senatus Academicus aliquem Cathedra priuare; Tunc quia (saltem in Vniuersitate Salmantina) iurisdictio ad negotia Cathedrarum peragenda in Rectore residet, nõ in ipso Senatu; Tum quia Cathedrarum prouisio Regi, eiusque Supremo Castellæ Tribunali est reseruata; vnde nequit Senatus Academicus priuare Cathedris, quas concedere non valet, cum communiter non possit quis alium priuare eo, quod ipsi non potest præstare, & res omnis, per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluatur. Vnde, si in aliqua Vniuersitate Senatus Academicus cum suo Magistratu Cathedras concedat, vel alij id præstent, poterunt ipsi ex causa priuare eisdem. Scio enim, in nonnullis Academijs prouisionem Cathedrarum aliter ac in Salmantina, præstari. In Valentina, hi qui vrbem regunt, vulgò *Iuradus*, eas impertiuntur. In Ouetensi Magistri, ac Doctores suum iudicium, ac suffragium in scriptis mittũt ad Senatores duos Regios, qui Executores sunt Sanctionum, & voluntatis Fundatoris eius Academiæ, à quibus Cathedrarũ obtentio decernitur. Alia in alijs Academijs contingunt, in quibus philosophandum est iuxta principia, quæ tradimus.

678 In his cæterum, in quibus Scholastici per sua suffragia Cathedras distribuunt, si ex causa quis sit Cathedra priuandus, non id spectat ad Senatum Academicum, sed ad Rectorem cum suis Cõsiliarijs; nam, cum debeant hi priuare, qui possunt concedere, & gremium Scholasticorum non repręsentetur in Senatu Academico, sed in Rectore cum suis Consiliarijs, ab his debet indici priuatio. Quod intelligendum est in Academia Salmantina, casu quo Scholasticis suffragia restituerẽtur; nam in alijs Academijs, si illi suffragia ad Cathedras retineant, inspiciendum est, à quo gremium Scholarium repræsentetur, &, siue sit ipse Senatus Academicus, in quo est repræsentatio, siue alius, ab eo indicenda est priuatio iuxta regulam traditam; cum aliunde, si priuatio Cathedræ ex causa iusta sit decernenda, non sint exposcenda ad hoc suffragia multitudinis Scholarium, nec ad eam sit id reuocandum, cum debeat præcedere cognitio causæ, & sententiæ prolatio, qui actus non pertinent ad multitudinem, nec ab ea exerceri valent.

679 In Salmanticensi Academia, in qua, vt non semel diximus, Cathedrarum distributio Senatui Regio Supremo est destinata, adhuc per Statuta cõcessum est Rectori ius, ac iurisdictio ad plura præstanda circa illas. In primis enim, si quis absque licentia absit plus temporis, quàm ei est concessum, vel existens Salmanticæ muneri suo legendi non assistat, cum excusatione legitima careat, potest Rector priuare eum Cathedra, seu, quod in idem recidit, potest declarare; Cathedram esse vacantem; quod tamen simul cum suis Consiliarijs ad id conuocatis coram Academię Secretario præstat; sunt autem octo Consiliarij ex diuersis Hispaniæ Prouincijs orti, & simul cùm Rectore in profesto Sancti Martini à Rectore, ac Consiliarijs præcedentibus electi, & ab

ipso

ipſo Scholarium gremio ſubſumpti. Ex quibus ſaltem tres debent cum Rectore aſſiſtere,vt Cathedram vacãtem promulget,tum in caſu poſito, tum, quando è viuis decedit,qui eam regebat,vel ad aliquã Dignitatem, vel munus,aut ad aliam Cathedram aſſumitur; vel, ſi Cathedræ non ſunt proprietariæ,cum finitur tẽpus trienni,quo Regentiæ durant.

680 Imò, & ſi Rector nequeat abſque Conſiliarijs Cathedras vacantes promulgare,valet tamen ipſe ſolus priuare Cathedra eum, quem Statuta ob aliquam cauſam in ipſis contentam priuatione Cathedræ damnant. Præterea in cauſis, in quibus Rector eſt iudex ordinarius,ſi priuatio Cathedræ ſit pœna proportionata culpę, v. g. inobedientiæ, contumaciæ,contemptui,aut irreuerentiæ,violentiæ, vel ſimili alij, poterit Rector pœnam priuationis Cathedræ infligere, ſicut poteſt infligere exilium, pœnam pecuniariam, & alia huiuſmodi; nam ad cauſas ad ſe pertinentes plenam iuriſdictionem habet,in qua includitur poteſtas puniendi,& infligẽdi quamlibet pœnã proportionatã.

681 Quòd ſi is, qui Cathedrã moderatur, aliquod delictum committeret,ob quod priuatione Cathedræ dignus eſſet, ſed tamen delicti illius cognitio ad Rectorem non pertineret, nequiret tunc Rector eum Cathedra priuare; ſed poſſet id præſtare Iudex, ad quem ſpectaret cognitio delicti, ſiue eſſet Scholæ Magiſter,ſiue alius; v. g. ob delictum contra Fidem poſſet Tribunal Sanctæ Inquiſitionis priuare quemuis Cathedra, ſicut poteſt priuare alijs honoribus, & damnare exilio perpetuo. Quem euentum prætermiſit Don Alfonſus de Eſcobar *vbi ſuprà cap. 46. à. num 11.* cum aſſeruit,quandocumque culpa non eſt expreſſa in ſtatutis, neq; eſt ex cauſis pertinentibus ad Rectorem, vel Scholæ Magiſtrum,tunc ſolum Principem,eiuſq; Regium Caſtellæ Senatum poſſe Cathedris priuare,quia ad eos ſolos ſpectat, Cathedras ipſas conferre.

682 Ad Rectorem etiam attinet, examinare, an Candidati pro Cathedris obtinendis ſint habiles, necne, ad earum conſecutionem;nempè an habeant ea omnia requiſita,quæ in ſtatutis exiguntur, aut in aliquo illorum defecerint; & eos, quos inhabiles repererit, poteſt, & debet arcere, atque ad Oppoſitionem nõ admittere,& inhabiles declarare, cum in detrimentum, ac præiudicium aliorum Oppoſitorum, qui ſunt habiles, cedat, quòd inhabiles admittantur, aut non arceantur.

683 Proportione ſeruata, idem dicendum eſt de pœna priuationis priuilegiorum, quibus ſtudioſi gaudent, delendo delinquentem de albo,ſeu Marricula Studioſorum; hanc enim pœnam infligere poſſunt Rector,& Scholæ Magiſter in ſuis cauſis,& Senatus Academicus ſimul cum ſuo Magiſtratu, eo modo, quo ſuprà de alijs pœnis locuti ſumus. Cæterùm conſulenda ſunt cuiuſque Academiæ Statuta, vt inſpiciatur, an iuriſdictio in aliquibus pœnis infligendis ſoli Magiſtratui competat,an ſimul cum Senatu Academico; poteſt enim ita ei eſſe tradita iuriſdictio, vt ſolus non habeat poteſtatem exercendi aliqua munia;ſicut in alijs,quæ ad punitionẽ non pertinent, contingit; cũ plura ſint,quæ ſolus Magiſtratus, Rector, aut Scholæ Magiſter nequeunt decernere, aut exequi,ſed ſimul cum Academico Senatu.

684 Inquires, ad quem ſit appellandum ad reuocationem pœnarum prædictarum, quando infliguntur? Reſpondeo in generali, appellandum eſſe ad eum, qui eſt Superior Iudicis infligentis pœnam; Qui autem ſint Superiores, ſatis conſtat ex toto huius libri decurſu. Solùm aduerto, à Rectore Academiæ Salmantinæ appellari poſſe ad Scholæ Magiſtrum,non quidem, tanquam ad Iudicem Ordinarium Academiæ, ſic enim non eſt Superior reſpectu cauſarum ad Rectorem ſpectantium; ſed tanquam ad Iudicem Conſeruatorem,ſic enim iuriſdictione ſuperiori gaudet à Pontificibus, ac Regibus ſibi conceſſa; quòd ſi quis nolit appellare ad illum,appellatio deferẽda eſt ad Supremum Caſtellæ Senatum. In alijs autem Academijs, inſpici debet, quis ſit immediatus Superior eius,qui ſententiam tulit, aut pœnam indixit, vt ad eum apelletur; Et recolenda ſunt, quæ *hoc libro* tractauimus de iuriſdictione Academiarum,& Iudicum ipſarũ,nec non de appellationibus; vnde quęlibet dubia diluuntur.

685 Inquires pręterea,quis poſsit Rectorem Salmantinum,aut Scholæ Magiſtrum, aut alios Iudices Academiarum inhibere,in Academicorum cauſis,eaſque ad ſe immediatè auocare, ſeu pro illis decernendis Iudices ſpeciales cõſtituere? Primò certum eſt, non poſſe Iudices Academiarum inhiberi ab his, qui

ſupe

Superiores eorum non sunt, in causis Studiosorũ, quæ ad ipsos manifestè pertinẽt; quippe, si se introducerent in causas ad se non spectantes, inhiberi possent à Iudice competente, qui eas ad se auocaret. Hinc Rector, & Scholæ Magister Salmanticensis, cum immediatè subiaceant Pontifici, ac Regi, eiusvè Supremo Senatui, à nullo alio Iudice inhiberi queunt in causis Academicorum, nec hæ ab alio possunt auocari, nec Iudex designari specialis ad illas dirimendas nisi ab ipsis; quod clarè constat ex his, quę sæpè *in hoc libro* repetiuimus.

686 Deinde, vt auocatio causæ per Iudicem Superiorem, imò per ipsum Principem fiat iustè, causa requiritur, vt docent Lancellotus *de attent at. 2. p. cap. 10. num. 56.* & cum Paulo Castrens. Couarrubias *cap. 9. pract. num. 1.* Cum autem adest ratio, saltem posse Principem auocare ad se causas, quæ sæculares sunt, certum est apud omnes; imò posse reuocare Regiã iurisdictionem concessam Scholæ Magistro Salmantino, (idem dic de Rectore) quoties id tranquillitati, & paci Academię expedierit, affirmat Basilius Legionensis *de matrimon. lib. 5. cap. 12. §. vnic. num. 14.*

687 Alios autem Iudices non posse auocare ad se causas Iudicum inferiorum, inconsulto Principe, est communior sententia; à qua excipit Don Alfonsus de Escobar *vbi supra cap. 15. num. 3.* afferens pro se Couarrub. Iudices Senatus Supremi Regij, ob cuius summam authoritatem præsumi debet, Principem ei Senatui concedere, ne in qualibet causa eius licentiam expectet; atque adeò poterit ad se auocare causas sæculares Studiosorum, etiam ex Academia Salmantina.

688 Attamen idem Author *à num. 7.* tuetur, non posse id præstare Nuntium Pontificis, quamuis in causis spiritualibus, & Ecclesiasticis, sit Superior; Quæ doctrina colligitur ex pluribus Authoribus, quos affert Couarrubias, *cap. 9. pract. num. 3. versu Quarto*, Lancellot. *de attent. part. 2. cap. 1. num. 49.* Poterit tamen Nũtius Pontificis prædictas causas ad se auocare, si id in mandato habeat ex indulto Pontificis, qui, sicut potest eam auocationem facere, sic valet suo Legato idem concedere. At, si non concesserit, is minimè poterit; quin, si ab interlocutoria sententia ad eum appelletur, nequit totam causam in negotio principali retinere, quod solius Pontificis esse, probat Couarrubias *vbi nuper, num. 6. ex cap. 1. de appellat. in 6.*

689 His verò, quibus auocatio causarum conceditur, aut negatur, pariter concedendum est, posse inhibere Iudices Studiosorum, ne vlterius in earũ cognitione procedant. Hinc Princeps, ac Regius Senatus inhibere poterunt in causis sæcularibus Rectorem Salmantinum, & Scholæ Magistrum, non verò quisquam alius Iudex; & in causis Ecclesiasticis Pontifex eos inhibere valet. Cæterùm, in causis, in quibus sententiam protulit Scholæ Magister, à qua appellatum fuerit ad Nũtium Pontificis, vt ad Iudicem ordinariũ appellationum, potest Nuntius canonicè præuia causæ cognitione, inhibere illum, sicut quemuis alium Iudicem Ecclesiasticum, ne ad executionem sententiæ procedat; nisi eiusmodi sit causa, in qua iuxta Statuta Academię, & indulta Pontificum potest Scholæ Magister procedere ad sententiæ executionem, appellatione remota; nam posse in aliquibus causis, constat *ex hoc libro, quæst. 26.*

690 Quòd si Nuntius Pontificis in mandatis habeat, vt inhibere valeat Iudices Ecclesiasticos, etiã in his causis, in quibus cõcessum est illis, quòd procedant, appellatione remota, poterit adhuc in his inhibere Scholasticum Salmãtinum; Quippe id valet Pontifex præstare, & per mandatum, aut indultum nouum derogat concessioni, & indultis priùs impertitis de potestate procedendi ad executionem sententiæ, appellatione remota.

691 Demum pro coronide quæstionis obseruandum est, aliquos casus grauissimos quandoque euenire, pro quibus cognoscendis, componendis, & decernendis, solent in Hispania nostra mitti Iudices speciales, quos idiomate vulgari vocamus *Pesquisidores*; quorum iurisdictio derogat Iurisdictioni ordinariæ, cum causę cognitionem à Iudicibus ordinarijs tollant prædicti. Quibus autem licet mittere hos Iudices extraordinarios, deducendum est vel ex Iure Communi, vel ex speciali Regnorum. In Hispania extat Pragmatica sanctio, quæ prodijt anno 1623. in qua *cap. 3.* cauetur, ne quis alius præter Regem, eiusvè nomine Supremum Senatum, possit hos Iudices ad causas sęculares mittere; & id ita obseruatur. Inde non semel ad Academiam Salmantinã Iudices eiusmodi à Senatu Regio sunt missi, vt aliqua delicta tum Studiosorum seorsim, tum illorum simul & ciuium, post

causa-

cauſarum cognitionem punirent; Idem præſtitum eſt reſpectu aliarum Vniuerſitatum, vt videri poteſt apud Bouadilla *lib. 2. politic. cap. 18. num. 214.* Baſilium Legionenſ. *de matrimon. lib. 5. cap. 12. §. vnic. num. 14.* Quod etiam non parum firmiter ſuadet, iuriſdictionem Academiæ Salmantinæ, & aliarum eſſe ſæcularem reſpectu Studioſorum ſæcularium.

692 Iure communi non adeò reſtricta eſt poteſtas mittendi Iudices præfatos, vt probat Gregorius Lopez *in leg. 2. tit. 17. part. 3.* quare poteſt Nuntius Pōtificis eos Iudices mittere in aliquo caſu grauiſſimo Studioſorum, qui Eccleſiaſtici ſint; cum eius poteſtati non potuerit derogari per illam pragmaticam ſanctionem; Et quidem ſolent Nuntij mittere Iudices ad caſus extraordinarios Eccleſiaſticorū, vt Oueti, & Salmāticæ, me vidiſſe teſtor; cum ergo nō minus derogetur iuriſdictioni Epiſcoporum in ſuos ſubditos Clericos, mittendo eos Iudices, quàm ſit derogandum iuriſdictioni Magiſtri Scholæ Salmantinæ, ſeu cuiuſuis alterius Academiæ Magiſtratus Eccleſiaſtici, ſi ſimiles Iudices mittantur, non eſt, cur Nuntius nequeat mittere illos ad cauſas graues Studioſorum, qui Eccleſiaſtici ſunt, & ſubditi Magiſtro Scholæ, ſicut mittit ad cauſas eorū, qui ſubditi ſunt Epiſcopis; ſi quidem etiã Epiſcopi habent exemptionem, & non magis Nūtio ſubiacent, quàm Scholæ Magiſter.

693 Ex dictis cernitur, non poſſe mitti Viſitatorem, ſeu Reformatorem Academiæ, niſi à Principe, ſi ei immediatè ſubiecta eſt, vt mitti ſolet ad Academiam Salmantinam, & Complutenſem. Quòd ſi à Pontifice mitteretur, ſolùm ad cauſas ſpirituales eſſet mittendus, cum gubernatio politica, & iuriſdictio ſæcularis ad Principem ſpectet; qui & erigere poteſt ſtudia generalia, & extinguere, indeque à fortiori reformare; *Nam ſi poteſt tota res tolli, cur non & reformari?* vt aſſeritur *in leg. iuris gentium 7. §. adeò, ff. de pactis.* Si verò Academia ſit Eccleſiaſtica, poteſt Pontifex Viſitatorem, & Reformatorem illius quoad omnia deſignare, vtpotè ex omni parte ei ſubiecta; (idemque eſt in Academijs Italiæ in dominio Pontificis iacentibus, reſpectu quarum integra iuriſdictione gaudet,) Et quidem, eamdem poteſtatem, quam Princeps, ac Regius Senatus habet reſpectu Academiæ Salmantinæ, & cuiuſuis alterius ſæcularis Academiæ in Regnis Caſtellæ, & Legionis, habet Pontifex, eiuſq; Legatus reſpectu Academię Eccleſiaſticæ.

(?)



LIBER

LIBER SECVNDVS

DE IVRE ACADEMICO SELECTARVM QVAESTIONVM AD MAGISTROS, DOCTORES, TOGATOS, PROFESSORES SCIENTIARVM, ET CANDIDATOS PERTINENTIVM.

QVAESTIONES, quæ in hoc libro ventilantur, partim ad ipsos Professores scientiarum dumtaxàt spectant, partim tum ad illos, tum ad studiosos, seu Scholares; sicut etiam quæstiones exponendæ libro sequenti *plures sunt communes scientiarum Professoribus; Quare promiscuè sunt aptandæ his, quibus congruunt. Methodi autem claritas hanc exigit libri vtriusq; diuisionem, vt quæ frequentiùs de singulis inquiruntur, facilius, & conuenientiùs reperiantur. De priuilegijs autem Magistrorum, & Professorum superiori libro tractauimus.*

Quæstio I. De vtilitate, munere, & obligatione in communi Magistrorum edocentium Scientias.



IEBAT Aristoteles *lib.* 8. *Politicor.* Legislatores id maximè curare debere, atque rationes inuenire, quibus instituatur pueritia, & adolescentia; etenim, cum ciuitates id negligunt, capit Respublica detrimentum. Et *lib.* 7. *Politic.* laudat Lacedæmonios, qui disciplinæ moderatores adolescentibus designatos habebant. Sed laudãdi magis Europæi, qui innumera Studia generalia erexerunt, vt scientijs instruerẽtur pueri, ac iuuenes, & omnes disciplinæ traderentur à Magistris; in quibus, vt ait Iacobus Middendorpius *Officiorum Scholasticorum lib.* 1. *cap.* 1. situm est, vtrùm cõseruare rempublicam, an perdere, salutare quoddam numen parare, an exitiosissimã pestem velint; idcirco nemo Scholis præficiatur sine diligenti examine, sed qui sit & eruditione, & vita, & moribus probatus. Quare vt suo muneri docendi satisfaciant Magistri, & eruditione præditi, & honestate morum esse debẽt ornati; quippè discipuli à Magistris hauriunt disciplinæ latices, & eorum mores facilè ebibũt, vt ad ipsorum normam componantur.

2 Hinc in conscientia tenentur sedulam operam studio nauare, maximè hi, qui propter doctrinæ traditionem stipẽdium lucrantur, nisi adeò docti sint, vt sufficienter valeant discipulos instruere, quin nouum superaddant elucubrationibus laborem. Aliter, si in scientia deficiant, nequeunt auditores erudire, & graue his inde præiudicium infligitur, cum interim alios sufficientes Magistros omittant, aliaque media addiscendi non curent, credentes, sufficienter fore erudiendos ab illis,

qui

qui publicè edocent;& si res votis nó respondeat, iacturam temporis, & fortunarum sustinent sine vero doctrinę profectu.

3 Inde etiam specialis obligatio, adhuc in conscientia,vrget Magistros, vt saltem coram discipulis suos mores componant; nam ipsi,præ alijs,si publicè vitijs se mancipent, occasionem ruinæ prębebunt,scandaliq; culpam patrabunt; cum ætas tenera, ac iuuenilis discipulorum, ex se imbecillis,& ad aliorum, maximè Magistrorum, vestigijs inhærendum procliuis,facilè prauo sibi obiecto exemplari,similia tentet delicta,nec à culpis arceatur, quas à sibi Magistris cernit amari;& alium de reuerentia, & honos illis debitus valde minuatur, si ipsi cultu,ac veneratione ex præcipuo capite debitis spontè indigni reddantur. Idque præ oculis habendum,quod asserebat D. Chrysostomus *homil. 74. in Matthæum;*quòd bonos vix imitari queamus,ad mala verò à natura procliues, si malus dux accesserit, facilè eum superemus. Non est animus,eruditionem & documenta intexere, quæ à nostro instituto sint aliena; Videat plura, qui velit, apud Middendorpium *vbi suprà, toto tractatu, & tom.1.de Academijs totius orbis;* & apud Authores decursu relatos, & referendos, qui ex instituto de his agunt.

4 Id vnum repetam, Magistros debere semper veritatum insistere cognitioni, vt eas dilucidiùs tradant;nec quisquam se ita sapientem arbitretur, vt noua non indigeat disciplinę indagine, nam, vt ait D. Hieronymus *epist. 2. ad Nepotian.* loquendo de eo,qui scientias amat;*Ætate fit doctior: vsu temporis sapientior,& veterum studiosorum dulcissimos fructus metit. Vnde & sapiens ille vir Græciæ Themistocles, cum expletis centum & septem annis se mori cerneret,dixisse fertur,se dolere,quòd tunc egredetur de vita,quando sapere cæpisset.*

5 Cęterùm nullus legere publicè potest,atque docere, nisi habeat requisita in statutis Academię;vt in Salmantina nemo potest ad Cathedras opponi, nisi gradum Bacchalaureatus in scientia illa, quæ ea in Cathedra docetur, habeat, & prętereà post cursus expletos, qui ad eum gradum sunt necessarij, vel ad alium similem,quinquennium transierit; quod ęquo iure cautum est,vt studiosi,quæ didicerũt, recolerent,antequam ad docendum se ingererent. Similiter in prædicta Academia, qui Cathedram proprietariam obtinet,debet,si non prębabeat, accipere Gradum Licentiati,& Magistri, aut Doctoris in ea Facultate,quæ in ipsa Cathedra edocetur. Plura alia Professoribus publicis seruanda indicuntur in vnaquaque Academia,& in singulis sunt ab eis obseruanda;Quæ,cum diuersa sint iuxta Academiarum diuersitatem, nequeunt in vnum redigi, & facilè cuilibet in Academia, in qua versatur, erunt manifesta. Stylo pariter,& consuetudinibus in Vniuersitate receptis se aptare tenentur,tum in cęremonijs exequẽdis,tum in gymnasijs ad docendum eligẽdis, tum demum in præcedentijs respectu aliorum,cæterisque in omnibus ad eorum munus spectantibus. Id annotaueris, in Academijs non admitti Gradus acceptos vitrute alicuius rescripti, aut priuilegij extra Studia Generalia, nec posse munia legendi, & alia similia peragi ab his, qui eis duntaxàt Gradibus insigniũtur. Quin *leg.5.tit.7 lib.1. Recop.* hi gradus sub grauibus pœnis sunt prohibiti, & qui eis gaudent, excluduntur ab vsu priuilegiorum, quibus cæteri potiuntur Egimus de his *lib.1.* varijs in locis.

Quæstio II. Quæ doctrina à Professoribus scientiarum sit in Academijs edocenda?

6 SVPPONO vt euidens, ab omnibus Magistris, ac Professoribus legendam fore, & edocendam doctrinam sanam,tutam,bonis moribus non repugnantem, nulla erroris, temeritatis, aut scandali labe infectam, nulli periculo obnoxiam; vt sic animi instruantur, mentes illustrentur,& educentur discipuli, qui postmodum Fidei, Ecclesiæ, Reipublicæ, & sibi ipsis tutò consulant, & prouideant.

7 Quo supposito, obseruandum est,dupliciter se habere Professores in Academijs;nam alij edocent sponte sua, quin Cathedram aliquam regant,sed vt se amplius in litteris exerceãt,ac digniores reddantur præmijs,ad quæ adspirant,& vt discipulos in litterario iuuent profectu. Alij sunt, qui Cathedras moderantur nomine proprio,aut vicem alicuius gerentes. Cathedris autem affixa sunt stipendia soluenda Moderatoribus, & præterea designati sunt Authores, libri, aut materiæ,que in illis sunt edocendæ,v.g.in Academia Salmantina

mantina in Cathedris primarijs, & Vespertinis Theologiæ interpretandus est Magister Sententiarum; In Cathedra Scripturæ, exponenda est Scriptura Sacra; & in Cathedris Durandi, Sancti Thomæ, & Scoti, hi Doctores sunt exponendi. Similiter in Cathedris Iuris Canonici contingit; nam alia destinatæ sunt ad interpretandas Decretales, aliæ ad sextum librum Decretalium, aliç ad Clementinas; Et ex Cathedris Iuris Ciuilis aliæ ad Digestum Nouum, & Vetus, alia ad Volumem, aliæ ad Codicem; aliæ ad Institutiones Imperiales explicandas destinantur. Idem videre est in Cathedris, Artium, Medicinæ, aliarumq; Facultatum.

8 Igitur dico primò, eos, qui spontanei docent, quin Cathedræ alicuius moderatio eis incumbat, posse edocere quẽlibet tractatum, seu materiam, & sequi liberè quamcumque opinionem probabilẽ, quin teneantur huic potiùs doctrinç adhçrere quàm illi; nisi in aliqua Academia per Statutum caueretur, sequendam fore doctrinam determinati Authoris; quod sa tem in nulla Hispaniarum Academia est cautũ, & optimo iure, vt inferiùs attingemus. Probatio huius asserti ex se est manifesta; nam, vbi doctrina est probabilis, ac tuta, nec ex vllo capite, vt supponimus, obligatio vrget sequendi opiniones determinatas, non apparet illa ratio, ob quam illi nequeant, quam maluerint, edocere doctrinam.

9 Nec in eo vllum sequitur Auditoribus detrimentum, dum enim sana doctrina, ac probabili instruuntur, profectum in disciplina faciũt. Quòd si ab alijs Magistris oppositas sententias, etiam probabiles, ac tutas audierint, neutiquam id obstat; nam in primis hi Professores non debent attendere ad opiniones ab alijs traditas, vt eorum vestigijs insistant; deinde non est inconueniens, discipulos vtrarumq; opinionum fundamenta radicitùs noscere, vt, postquam sedula meditatione eas percurrerint, eligant eas, quas solidiores iudicauerint. Quod sanè non adeò firmiter præstatur, cum de vna opinione edocentur; licèt enim Magister argumenta contra eam opinionem proponat, & soluat; hæc tamen argumenta Magister opinionis contrariæ maiori firmitate, extensione, & energia discutiet; Vnde, qui vnam è duabus opinionibus contrarijs à Præceptore audit, non ita vtriusq; opinionis vim, & momenta penetrat, ac ille, qui vtramq; addiscit; indeq; hic liberè magis, ac attentius eliget soliorem sententiam, quàm ille, qui vnam duntaxat addiscens, ei suum ingenium deuouet, & contrariam omnino falsam, non rectè perpensis fundamentis, cogitat.

10 Hæc dixerim, non quia necessarium ducam, nec suadeam, consultò audiẽdos esse oppositarum Opinionũ Magistros, imò vt ostendam in eis audiendis non apparere nocumẽtum, sed vtilitatem. Quod ipsa Statuta Academiarum confirmant; nam, cũ in pluribus earum designatæ sint Cathedrç, in quibus exponendi sint Diuus Thomas, Durandus, & Scotus, & hi Doctores opiniones teneant sibi inuicem oppositas, quæ, vt illicò asseram, sunt docendæ à Magistris, sanè is animus fuit, vt Auditores opiniones illas contrarias addiscerent, vt varietate doctrinæ instructi firmiùs adhærerẽt sententijs, quas præeligerent. Etenim non ita institutæ sunt Cathedræ prædictę, vt qui vnius Moderatorem audierit, alium non audiat, sed vt omnes à singulis Studiosis audiri queant; imò solent determinari hæ Cathedræ, vt omnino audiantur in cursibus litterarijs annuis necessarijs ad Gradum in Theologia obtinendum, quædam vno anno, quędam autem alio. Ex his autem saltem id manifestè conuincitur, nullum esse in eo inconueniens, quòd spontanei Professores Facultatum sequantur doctrinam probabilem, quam maluerint, nec obstaculo esse, quòd Auditores opiniones contrarias ab alijs Præceptoribus audiuerint; sicut non est, eos, qui Moderatorem Cathedræ Sancti Thomæ audiunt, priùs audiuisse Moderatores Cathedræ Scoti, aut Durandi, & ab eis contrarias didicisse opiniones.

11 Dico secundò, eos, qui moderantur Cathedras, teneri in conscientia ad edocendas opiniones, & doctrinas illius Doctoris, aut libri, ad quem interpretandum sunt illæ destinatæ, dummodo doctrina sit probabilis, & non obsoleta, seu communi omniũ calculo reiecta ab Scholis. Hoc suadetur, nam animus manifestus instituendi eas Cathedras, designandiq; stipendia pro earũ moderamine, fuit, vt prædicti Doctores, aut libri Auditoribus exponerẽtur, & hi eorũ disciplinã addiscerẽt; aliàs nullus apparet titulus, nec ratio ad illas instituẽdas; qui ergo non satisfacit animo Fũdatoris illarũ, & Statutis Academiæ id ipsũ decernẽtibus, deficit à munere suo in re graui, cum præiudicio, & detrimẽto

ipsius Academię, & Auditorũ; indeq; nequit stipendia percipere;&, si percipiat, ad eorũ restiturionem tenebitur, cum nullus ei assistat titulus ad percipiendum illa, ac retinendum; si quidem dumtaxàt destinata sunt in mercedem eius, qui prædictos Authores,& libros interpretatur. Etenim si id non præstet,perinde se habet,ac si aliã omnino scientiam edoceret, aut penitus ab edocendo cessaret; quibus casibus nequit stipendia percipere; quare in Academijs mulctantur priuatione portionis stipendij correspondentis hi, qui lectiones aliquas omittunt.

12 Hinc,vt practicè rem proponamus,si is,qui moderatur Cathedram Sãcti Thomæ, nõ interpretaretur illius scripta, eiusque sententias non doceret, grauiter peccaret, nec posset stipendium pro Cathedra percipere. Similiter is, qui Cathedram Durandi, aut Scoti regit, si horum opiniones non doceret,eiusdem culpæ, & pœnæ esset reus. Idem asseuerandum est de eo, qui Cathedram designatam ad Magistrum Sententiarum exponendum, id ipsum non exequeretur;& de eo,qui obtinens Cathedram Scripturæ non interpretaretur Scripturã, sed ad materias Theologicas Scholasticas totus ex professo incumberet.

13 Pariter philosophandum est de his,qui Ius Canonicum, & Ciuile edocent,& de his, qui Medicinam, Artes,seu Philosophiam, Astrologiam, Mathematicas, Linguas, Cantum, et quamlibet aliã scientiam, seu Facultatem in Cathedris á se obtentis tradunt,si eos libros,et Authores designatos non interpretentur,eorumq; doctrinas probabiles non sequantur, dũ eam interpretationem impertiuntur.

14 Nec audiendus erit,si quis forte effugium quęrat,asserens,in Academijs id maximè curandum, vt Studiosi proficiant in scientijs, maioremque profectum eos percepturos, si v. g. in Cathedra Sancti Thomæ, eius sensu explicato, tradatur eis in scriptis vt sequenda doctrina Scoti; aut è conuerso in Cathedra Scoti, exposita eius littera, ac mente, doctrina Sancti Thomæ eis, vt sectanda, et verior, explicetur; Vel si in Cathedra Voluminis exprofesso, et principaliterdictetur aliqua lex ex Digestis; Vel in Cathedra Clemẽtinarum fiat tractatus ad aliquod caput Decretalium. Hoc effugium euertit Academiarum institutum, Auditoribus inuidet multiplicem intellectus instructionem, et solidiora fundamenta, quibus Vniuersitatis finis, splendor, et ornamenta innituntur, penitus labefactat.

15 Quippe id altè insedit animis erigentium Academias, Cathedrasque diuersas instituentium,etiam circa eamdẽ scientiam, vt Doctorum celebrium,ac illustrium sententię edocerentur,ac eorum doctrinæ florerent, veritatesq; Catholicæ diversis opinandi modis firmæ semper, ac stabiles ostenderentur; præterea, vt Studiosi non vni doctrinę addicti,eligere possent eam, cui plus firmitatis adesse iudicarent; ingenia etiam acuerentur, et opinionum oppositio litterarij laboris esset incitamentum,ac sic demum Magistri euaderent sapientiores, si nunc hanc doctrinam defendere,nunc aliam, ex muneris debito cogerentur. Sentiat vnusquisq; quæ velit,et in suo sensu abundet;at,dum Cathedram alicuius Authoris moderatur, eius doctrinam erudiat;sicut in Academia Salmantina Magistri in Theologia frequenter præsident assertionibus Theologicis,quibus non assentiũt,attamen eas defendunt absque signo dissensus. Idem in regentia Cathedrarum omnino est præstandum.

16 Inde Academiæ splendor ingens accrescit; quippe illa litterarum omniũ, & disciplinarum est mater,& nutrix; fouetq; diuersas doctrinas probabiles, refugiumq;omnibus elargitur; quare nomen Vniuersitatis etiam hoc titulo sibi adscisceit,& Studium generale nuncupatur. Floreat quidem in Academia doctrina Diui Thomæ; sed cur Scoti doctrina non efflorescat? cur non Magistri sententiarum? cur non Durandi? Omnes legi, doceri, Auditoribus proponi voluerunt, curarunt, toto animo conati sunt Reges, Principes, Fundatores,& Reformatores Academiarum,& Cathedrarum erectores; Pontifices confirmarunt; in hunc scopum larga sunt designata stipendia. Et ne? Regia voluntas deturbetur? Pontificia authoritas parui pendatur? Academiæ splendore priuentur? Auditoribus vtilitas inuideatur? Stipendia absque labore debito dissipentur?

17 Quòd si aliquod in tradendis doctrinis diuersis inconueniens nunc excogitatur,credat aliquis,illud tot viris insignibus, qui Statuta condiderunt, qui Cathedras designarunt, qui semel, & iterum Academiarum Visitatores, ac Reformatores extiterunt, non fuisse repræsen-

ſentatum? Et tamen inſtiterunt inceptis, nam hoc incommodum vel nullum, vel exiguum eſt; commoda verò ex ſua propria doctrina in ſingulis Cathedris edocta plurima, & pręponderantia conſurgunt. His eſt conſulendum, & Maiorum voluntas exequenda, cum adeò rationi, & publicę vtilitati eſt conſentánea.

18 Sed dicat aliquis, ſi in Cathedra v. g. Scripturæ non doceatur ex profeſſo aliqua materia Theologica Scholaſtica, nullus erit Auditor, aut inuiti, vel neceſſitate coacti ibi aliqui aderunt, qui nihil ex Scriptura addiſcant; cum ea ſit vt plurimùm adoleſcentium indoles, vt ad Litterariam expoſitionem Scripturæ nauſeabundi oſcitent, & ſomnolenti ſurdeſcant. Nihil hinc conuincitur. Nam in primis poſſet Scripturę littera ita exponi, ſenſuq; morali, & allegorico ſic circumueſtiri, vt tolleretur nauſea, excuteretur ſomnus, & arrideret audientibus. Sic non pluribus ab hinc annis Scriptura in Academia Salmanticenſi exponebatur, etiam ab aliquibus, qui Cathedram illius non obtinebāt; vt ampliora gymnaſia non caperent Auditores. Deinde, quia fortaſſe non multùm curatum fuit de Scriptura rigoroſè interpretanda; in id deuentum eſt per deſuetudinem; Facilius enim aliqui eius Cathedrę Moderatores materiam Theologicā Scholaſticā ſine nouo ſtudio, vel ſine mutatione in illo, edocere fortaſſis mallent, quàm diuerſos libros euoluere, aliamque edocendi viam ingredi; Sed plures, & credam, omnes, nullo obſtaculo præpediuntur, quo minus ſuo muneri ſatisfaciant; Et æquo iure, cum nihil magis eſſet conandū, quàm Studioſos Theologos addici lectioni Scripturæ Sacrę, eiuſque ſenſus callere; Illa enim eſt primum, & præcipuum Theologiæ fundamentum, quo Fides ſtabilitur, & roboratur Eccleſia; quare D. Auguſtinus, Anſelmus, Thomas, & alij, quos primarios Theologi anteſignanos habent, adeò in Scripturis Sacris verſati ſunt, vt ex earum fontibus ebiberint latices, quibus ſuam doctrinam irriguo ductu reddūt pulcherrimam.

19 Quòd ſi alicubi dilabatur feruor audiendi Scripturæ Sacrę interpretationem, eius reſtaurationi eſt totis viribus incumbendum. Sic inhærebitur veſtigijs Tridentini Concilij, quod maximè de hoc curauit, et *ſeſſ. 5. cap. 1. de Reformat.* præcepit, vt in Eccleſijs Cathedralibus Præbenda deſignaretur legēti Scripturam; & in Sacris Ordinibus digniores Magiſtri per Capitula, vel Prouinciales aſſignandi, Scripturam docerent in Domibus ſuis, vbi ipſorum Studia florent; ac in Academijs, vbi non eſſet inſtituta lectio Scripturæ, inſtitueretur, ac reſtauraretur, ſi eſſet collapſa. In quo & ipſum Tridentinum inheſit Conſtitutionibus Summorum Pontificum, & Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. *cap. 12.*

20 Hinc neſcio, quare in Academia Salmanticenſi, quam, vt florentiſſimam, cæteræ ſibi conſtituunt Ideam, & exemplar, in Aſſertionibus publicis, quæ ex Veteri, & Nouo Teſtamento per duos integros dies quotannis defenduntur, is mos inualuerit, vt, occaſione deſumpta ex aliquibus Scripturæ verbis, materiæ Theologicæ Scholaſticæ omnino in eis contineantur, ac defendantur, quin aliquid ex Scriptura deſumptum agitetur. Certè arbitrarer ego, rigoroſas ex Scriptura quæſtiones deſumendas, ac defendēdas fore, & argumenta contra ipſas etiam ex Scriptura depromenda; ſicut ſit in Recitationibus extemporaneis, quæ ad obtinendas Præbendas Scripturæ in Eccleſijs perleguntur, & argumentis, quibus aduerſus illas diſceptatur. Et quidem ſi id ipſum præſtaretur, Studioſi in Scripturam addiſcendam incumberent, vt eas Aſſertiones defenderent; Auditores non panca ex illis ad ſui profectum decerperent documenta; & Magiſtri, qui adeò in Scripturę Sacræ ſtudio, & in eius Interpretibus ſunt verſati, non haberent ſub modio doctrinā, quam aſſidua defatigatione comparārunt, ſed inter patrocinandum, & defendendum, ac argumentandum, ſuper candelabrum ponerent, vt omnibus luceret. Et quidem innumeræ aliæ Aſſertiones Scholaſticæ Theologiæ defenduntur, atq; adeò valde congrueret, etiam Scripturam Sacram propriè, & rigoroſè ſumptam defenſari, vt vtraque manu, ancipiti gladio, ambidexteri Magiſtri pro veritate, & Fidei dogmatibus pugnarent. Accedit, quòd in ea Academia ſemper adſunt Studioſi Angli, Hyberni, Germani, qui ad ſuæ afflictæ Patriæ ſubſidium Euangelicum ferendum in hoc Armamentario Fidei parantur; His ergo maximè cōducit Scripturę interpretatio, nodorūq; ſolutio, vt hæreticos deinde cōuincāt, qui ſanè Scholaſticorū argumētorū acumine in pluribus quæſtionibus diſputari ſolitis ad verā, ſanamq; doctrinā nō rediguntur, ſed neruoſis Scripturæ teſtimonijs

21 Ex dictis superiùs id ad calcem clarè infertur, eos, qui pro obtinendis Cathedris Recitationes publicas conficiunt, debere exponere, & defendere doctrinam eius Authoris, qui illis interpretandus commendatur, & qui in ea Cathedra, pro qua consequenda legunt, explicatur; Vnde qui secùs faceret, & v. g. in Recitatione ad Cathedram Sancti Thomæ doctrinam oppositam Scoti, aut Durandi defenderet, vel è contra in Recitatione ad Cathedram Durandi, vel Scoti, sententiã contrariam Diui Thomę tueretur, muneri suo non satisfaceret; & eius Cathedræ tunc esset indignus, imò incapax, cum in eo Examine omnino defecisset. Annotandum est demum pro Medicis Professoribus, *in leg. 11. tit. 16. lib. 3. Recopilat.* designatos, esse Authores, & doctrinam, quã tradere in nostra Hispania tenentur.

Quæstio II. An minùs sufficiens, si accipiat Gradum Licentiati, Doctoris, aut Magistri, mortaliter peccet, ac pariter qui eum approbant?

22 MINVS sufficiens, qui accipit Gradum Magisterij, aut Doctoratus in Theologia, vel in Iure Pontificio, siuè Cæsareo, seu in Medicina, mortaliter peccat. Ita Caietan. *in summa, verbo Doctoratus;* D. Antonin. *2. part. tit. 3. c. 5. §. 6.* Nauarr. *in sum. antiq; c. 25. in noua n. 55.* Palacios *in sum. verbo Doctoratus;* Sylvest. *verbo Doctor, quæst. 4.* Alcozer *in sum. c. 27.* Armilla *verbo Doctor, n. 1.* cum alijs, quos sequitur P. Th. Sanchez *tom. 1. consil. moral. lib. 2. cap. 1. dub. 57.*

23 Ratio asserti in communi est, quia ex se graue damnum ex eiusmodi Gradus acceptione sequitur, quod quisque tenetur sui causa nõ inferre. Quippe, si Gradus sit in Theologia, proponitur ille Theologus vniuersis fidelibus, vt ad eum accurrant pro casibus conscientiæ enodandis, difficultatibus in fide diluendis, atque vt ad animarum medicum; cui etiam ex Romana Curia fiditur apertio litterarum, vt pro foro conscientiæ dispenset, vel absoluat; Quæ omnia à minus sufficiente Theologo præstari nequeunt sine graui animarum dispendio. Nec eneruabis incommodum, si dicas, posse eũ Theologũ abstinere se ab omnibus his peragendis, & solius honoris causa Gradum accipere. Etenim hoc per accidens se habet, & ex se constituitur ille in statu, in quo expositus est præfatis nocumentis; constituere autem se in eo statu, ratione periculi damnorum grauium, quod manifestè suscipit, peccatum est lethale.

24 Deinde, si Gradus sit in Iure Pontificio, aut Cæsareo, graue inde resultat clientulorum damnum, dum sua quisque negotia fidit ei, qui illũ Gradũ accepit. Si autẽ Gradus sit in medicina, ex se constat, quantum sequatur nocumentum in salutem corporum.

25 Non tamen eodem modo est philosophandum de Gradu in Artibus, siuè sit Magisterij, siuè Licentiatus, quia ex eius acceptione cum minori sufficientia non sequitur damnum graue, nec militant in eo rationes traditæ de acceptione Graduum in alijs scientijs, vt ex se constat. Sic tenet P. Thom. Sanchez *vbi suprà n. 6.* Et Nauarrus potest pro hoc asserto afferri, nam adhuc de Gradu Doctoratus in Iure ciuili dubius est, vtrùm lethaliter peccet, qui cum minori sufficiẽtia eo donatur; &, cum ex Gradu in Artibus, iuxta dicta, minora multò incommoda sequantur, de eo videtur non dubitaturus Nauarrus.

26 Peccat etiam mortaliter, qui minùs sufficiens recipit Gradum Licentiati in omnibus prædictis scientijs, exceptis Artibus. Etenim omnia examina, & experimenta rigorosa præcedunt hunc Gradum, & ei, qui illum recipit, præbetur facultas, vt, quandocumq; velit, ad Gradum Doctoris, seu Magistri ascendat; & expensis dumtaxàt additis, & aliquibus solemnitatibus absq; noua scientiæ exploratione, in Magistrũ, aut Doctorẽ assumitur; quare minor sufficientia ad eum Gradum origo est dãnorũ, quæ superiùs expendimus, quorũ tunc apponitur primaria causa.

27 Hinc fit, eos, qui approbãt ad prædictos Gradus minùs sufficientẽ, peccare etiã mortaliter; tũ, quia muneri suo in re maximi momenti non satisfaciunt; tum quia valde, & præcipuè cõcurrunt ad damna grauia superiùs expensa. Quod si antecedenter iurassent, non fore approbaturos, nisi sufficientem, etiã peccatum periurij patrarent. Posset autem quis à peccato excusari, si nullo prauo affectu motus iudicaret, eũ, quẽ approbat, esse sufficientem; Sicut & ipse, qui ad Gradũ promouetur, si id etiã de se arbitraretur, nõ esset reus peccati.

In-

28 Insuper asserto, gradum Doctoratus, Magisterij aut Licentiatus in prę fatis scientijs ab indocto acceptum, etsi pro foro externo validus sit, vtpotè affectus solemnitatibus requisitis ab Academiæ statutis saltem exteriùs, pro foro conscientiæ esse inualidũ, & nullum. Etenim deficit illi, quod iure naturali ad eum requiritur, nempè sufficientia, & doctrina, quæ etiam requiruntur ab statutis Academię; sine requisitis autem essentialibus de iure naturali, & Academico valor nequit subsistere verè, & realiter; esto id non possit exteriùs iudicari, eo quòd solemnitates, & examina præcesserint, quæ id operãtur, vt validus pro foro externo censeatur; at nequeunt operari, vt pro foro interno validus sit; cum, deficientibus essentialibus requisitis iure naturali, & positiuo ad contractum, seu ad quasi contractum, vel ad quoduis aliud, id nequeat verè dari, esto apparenter, & externè possit.

29 Vnde fit, non posse eiusmodi Gradu donatum accipere, aut retinere pro foro conscientiæ emolumenta, quæ ratione prędicta Gradus ei obueniunt; & si ea accipiat, restituere tenebitur, tamquàm bona, vero, ac reali titulo, & absolutè subsistẽte, non accepta, nec sibi debita, quamuis pro foro externo non possit acceptum ab eo repeti, nec accipiendũ negari. Nec sufficiet, si imperitus Gradu donatus postea adquirat doctrinam sufficientem, nisi Gradus reualidetur aut ab ipsa Academia, aut à Pontifice; nam iuxta vulgatum iuris principium quòd ab initio nullum est, tractu temporis non conualescit. Cæterùm non facile dabitur casus, in quo quis ad has angustias redigatur; communiter namque saltem competens scięntia est his, qui illos Gradus recipiunt; Nec, qui examinant eos, imperitum vllum assolent approbare. At, si casus contingat, standum est dictis,

30 Quippe hoc posse timeri, docuit me Marsilius *in tractatu de bannitis*, & illum refert Rutgerius Rulandt *lib. 1. de Commissarijs Cameræ Imperialis cap. 14.* cuius locum facetum transcribo, quia non erit legentibus iniucundus; Ait ergo; *Plurimi hodie, velut asini, Doctorantur, qui sunt bufali: vel, honestiore vocabulo, oues, & boues, & pecora campi; qui meritò legũ Dolores dici possent, & illarum proditores, & assasini; qui etiam venialitiarij possunt nuncupari. Vendunt enim leges, non quas habent, sed quibus nõ sunt digni, velut rem alienam, furtiuè, & pessima fide: easque pretio nummario dehonestant. Quin potiùs pro administrandis officijs, vendũt se ipsos, ad pretium participandum, modico ære, seu salario contenti; per quod alijs doctis, & selectis viris præiudicium generatur. Hi etiam Doctores nomine, non re, silentiarij, legumque secretarij vocabuntur; habent namq; omnia iura in scrinio pectoris, sed in confessione, quam nefas sit alijs reuelare; Aut iudices balistarij, quia sententias fulminant, sicut sagittas. Hoc vno nomine gloriari possunt: Necessitas non habens legem.* Quid ad rem lepidius? Ibi idem Author latè probat, indoctos, seu indignos, qui ad eiusmodi Gradus promouentur, non gaudere priuilegijs Doctorum. Quam doctrinam ita cum tradita à nobis concilio; vt non gaudeant pro foro interno illis priuilegijs; & præterea posse illis priuari pro foro externo, si de imperitia, ac insufficientia accusentur, & cõdemnentur; aliàs difficile apparet, quo pacto pro foro externo eis priuilegijs priuari queant, cum ipsi suo instrumento Gradus accepti valeant vsum externũ priuilegiorum deposcere, ac sibi adscribere.

31 Sed inquires, an hi, qui approbant in examine ad Gradum Licentiatus, seu Magisterij indoctum, seu indignum, stipendiumq; inde adquirunt, teneantur illud restituere? Resolutio huius dubij inferri debet ab alia quæstione generali, vtrùm scilicet acceptum ob turpem causam debeat restitui? Quam latè exagitani *tom. in Bull. Cruciat. disp. 34. à num. 68.* ibique cum Soto, Gutierrez, Palacios, Nauarra, Bonacina, Trullẽch, Diana, Machado, Cardinali Lugo, Rebello, Henriquez, Molina, Th. Sanchez, Azor, Graffis, Megalio, Alcocer, Caietano, Lessio, & alijs ad speciales casus adductis, asserui, acceptum ob turpem causam non debere restitui, aliquibus limitationibus appositis. Videnda sunt ibi dicta, ne eadem repetamus. Ex eo autem asserto infertur, in præsenti dubio non dari obligationem restitutionis stipendij accepti pro approbatione in examine ad prædictos Gradus; imò nec debere restitui, si quid vltra stipendium pro approbatione fuisset acceptum, dummodo pretium acceptum non excedat, attentis circunstantijs, iustum eius actionis turpis pretio æstimabilis valorem.

De quo egi *loco nuper relato n. 86.*

(?)

Quæstio IIII. An habiles sint ad Canonicatus per oppositionem obtinendos in Hispania, qui accipiunt Gradus in Academijs externis, si in Hispaniæ Academijs incorporentur?

32 IN Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis Hispaniæ sunt aliqui Canonicatus instituti ad docendum, concionandum, & administrandum Pœnitentiæ Sacramentum; &, vt habiles sint Oppositores ad eos obtinendos, præter Gradus Licentiatus, aut Magisterij, quos exigit Tridentinum, solet requiri, vt hi Gradus fuerint accepti in Academijs Regni proprij, ita vt ad Canonicatum Toletanum, Hispalensem, seu Salmantinum exposcatur Gradus susceptus in Academia aliqua Castellæ, aut Legionis; & nomine Castellæ vtraque Castella, & Bætica Prouincia continetur. Igitur quæstio est de promoto ad Gradum in Academia alterius Regni, & postmodum incorporato in Academia ex his, quæ requiruntur ex vi Statuti Ecclesiarum.

33 P. Castro Palao *tom. 2. oper. mor. tract. 13. disp. 3. punct. 3.* censet, incorporatum eiusmodi non esse habilem ad Oppositionem. Mouetur, quia Sixtus IV. & Leo X. requirunt in Constitutionibus in ordine ad hoc expeditis, quòd quis promoueatur ad Gradum præuio rigoroso examine, quòd non dari in his incorporationibus, supponit hic Author. Et deinde ait, promotos ad Gradum per incorporationē, esse Graduatos per priuilegium, quod non sufficit ad præsens, cum veri Graduati requirantur; & vbi vera forma requiritur, non sufficit, si per æquipollens amplietur, iuxta *leg. forma, Cod. de his, qui veniam; leg. si forte, ff. de Castrensi peculio.* Impugnat hunc Authorem, melioti iure, styloque moderatiore, quàm assolet Authores Societatis Iesu impugnare (quibus hanc gratiam rependit, quia eorum labore, & scriptis maximè ad sua opera moralia vtitur) Thomas Hurtado *tom. 2. resolut. moral. tract. 12. cap. 1. num. 1614.* Cuius sentētia affirmans, sufficere, si quis in Academia requisita incorporetur, dum præuium sit examen, est vera.

Et quidem censeo, idem indicandum fore à P. Castro Palao, qui præcipuè innititur in defectu examinis, à quo aliæ eius rationes robur capiunt. Et mitor, virum eruditum, suppositisse, non dari examen in incorporatione ad Gradus Licentiatus, sine quibus Gradus Magisterij, aut Doctoratus non obtinentur; nam esto non detur in aliqua Academia, tamen in celebrioribus, vt in Salmantina, Complutensi, & alijs, datur,

34 Itaque assero; incorporatum in Academia, in qua datur præuium examen, habilē esse ad Oppositionem Canonicatuum; (Idem dico de Oppositione Beneficiorum, si quę sint eiusmodi, vt prę-fati Gradus ad ea requirantur); Non autem esse habilē, si examen non sit præuium ad incorporationem. Hæc secunda pars conuincitur argumētis Patris Castro Palao, & ex verbis, ac mente prædictorum Pontificum, qui id intenderunt, vt non nisi viri docti, ac testimonio authentico Academiarum proprij regni, præuio examine approbati, eos Canonicatus obtinerent.

35 Prima pars asserti probatur, quia sic incorporatus nihil omnino distat ab alijs, qui primò in eis Academijs Gradum accipiunt; vnde, sicut illi, ita & ipse habilis est ad Oppositiones. An ei noceat, quòd priùs Gradum susceperit in alia Academia, si in prædictis eodem modo examinatur, ac si non esset alibi ad Gradus promotus? Etenim, vt res praxi innotescat, cum quis Magister alterius Academiæ vult, v.g. in Salmantina incorporari, priùs experitur tentatiuam coram Decano, aut Præside actuum litterariorū; deinde habet Quodlibeta, post verò Subquodlibeta; præterea Repetitionem, & demum legit, & examinatur valdè rigorosè per plures horas in sacello Sanctæ Barbaræ; quòd si approbetur, accipit Gradum Licentiatus à Cancellario; Et, vt in Gradum Doctoratus, seu Magisterij incor poretur, præcedentibus ad id necessarijs suffragijs Magistrorum, ac Doctorum, omittuntur quædam publicæ solemnitates, vt deambulatio prædictorum omniū, ac Rectoris, & Cancellarij per vrbē equitando, & cæremoniæ, quæ in Ecclesia Cathedrali fiunt, & admittitur ille à Cancellario ipso in gremium Magistrorum. Ecce ad Gradum primò accipiendum, & ad incorporationem in Magisterium, nullus actus Litterarius omittitur, diuersitasque solum stat penes quasdam solemnitates

extrin

extrinsecas; hæ autem quid referunt ad doctrinam promoti ad Gradum? Eam autē doctrinam desiderant Pōtifices in his, qui ad Canonicatus assumuntur.

36 Itaque sic incorporatus, eodem modo ac alij, est Doctor, Magister, aut Licentiatus; solumque id habet, quòd prius fuerit in alia Academia promotus; & hoc in eius maiorem approbationem, non in præiudicium redundat; habetque omnes qualitates à Pontificibus requisitas; & non per priuilegium est Magister, aut Doctor; nec æquipollentia in forma Gradus datur, sed Gradus proprius, rigorosus, & verus. Indequè manent soluta P. Castro Palao argumenta.

37 Deinde affero cum eodem Thoma Hurtado, *vbi suprà num. 1620.* etiam esse habilem ad eiusmodi Canonicatuū Oppositionem, eum, qui accipit Gradum, aut incorporatur in aliqua Academia Cæsarea, seu Regia Hispaniæ, esto nō sit Pontificia, dummodò sit approbata, & eius Gradus in alijs Academijs admittantur, & stylus, ac consuetudo Ecclesiæ, in qua Canonicatus extat, non reiecerit eum Gradum. Quippè à Pontificibus non excluditur ille gradus ad hanc Oppositionē, & solùm exigitur, vt sit Graduatus in aliqua Vniuersitate Studij Generalis Hispaniæ, seruatis seruandis, vt videre est in Bulla Leonis X. cuius tenorem refert Garcia *de benefic. part. 3. capit. 4.* Vnde, si in ea Academia examen præcedat, nihil desideratur ab habilitatem. A fortiori sufficit Gradus in eiusmodi Academijs, & etiam incorporatio in alijs quibuscumque, vt obtineantur illæ Dignitates, ac Prębendæ, ad quas requirit Gradus Tridentinum *sess. 24. capit. 12. de reformatione*; nam ibi examen pręuium rigorosum non exigit, sed dumtaxàt Gradus eiusmodi; Quare eas Dignitates posse obtineri à Graduatis, etiam absque scientia sufficienti, docent Barbosa *de potestate Episcop. allegat. 55. numer. 5.* Garcia *de benefic. part. 7. capit. 7. à numer. 5.* Mandosius *regul. 19. Cancellariæ, quæstion. 13.* Thomas Hurtado *vbi suprà, numer. 1262.* P. Azor *institution. moral. part. 2. lib. 6. c. 6. q. 1.* Quippè illi habent formam, seu qualitatem à Tridentino requisitam.

(?)

Quæstio V. An qui Gradum Licentiatus, Magisterij, aut Doctoratus suscepit, postquam subscripsit Oppositioni ad Canonicatum, sit habilis ad eum obtinendum? Item ad Cathedram?

38 SIXTVS IV. formam præscribēs circa prouisionem Canonicatuū, qui per Oppositionem obtinentur, in sua Bulla ait; *Vni, qui in Theologia Magister, seu Licentiatus, & alteri, qui in altero iurium Doctor, seu Licentiatus existat, possit, & debeat vnà cum Capitulo prouideri.* Leo X. etiam in sua Constitutione iniungit, eos Canonicatus nō nisi prædictis Magistris, Doctoribus, aut Licentiatis fore cōcedendos. Inquirimus ergo, an sufficiat suscepisse eiusmodi Gradum, antequam electio à Capitulo fiat, etiam si quis eum non susceperit, quando subscripsit Oppositioni, & se Oppositorē exhibuit; seu an sit necessarium, vt sit habilis ad Canonicatum obtinendum, promotum fuisse ad Gradū, ante quam subscribat? Ea etenim est Ecclesiarum consuetudo, vt edicta publicè in frequentioribus Oppidis promulgentur, quibus dies sufficientes designantur, intra quos debeant, qui velint esse Oppositores ad Canonicatum, se manifestare, & Oppositioni subscribere.

39 Duæ sunt oppositæ in hac quæstione sententię. Prima docet, necessarium esse, antequā quis Oppositioni subscribat, susceperisse Gradum prædictum, & aliàs esse inhabilem ad obtinendam prębendam. Ita Gutierrez *consil. 44. numer. 3.* P. Castro Palao *tom. 2. oper. mor. tract. 13. disp. 3. punct. 3. num. 8.* Mouentur, quia ex vi propositionis edictorum, & subscriptionis ad Oppositionem oritur contractus vltrò, citròque obligatorius inter electores, & Oppositores; quem tenentur electores obseruare, præbendo Canonicatum vacatem digniori, indequè ius Oppositoribus statim adquiritur, quòd eligetur vnus ex eis dignior iudicatus; at nequit hoc ius adquirere, qui inhabilis est, & non promotus ad Gradum, dum oppositioni subscribit, cum ex tunc ius deberet adquiri, vt postea valeret eligi; & aliunde Gradus post subscriptionē susceptus, seu habilitas succedens

cedens non retrotrahitur, ita vt habilem eum tempore ſubſcriptionis reddat, nec debet præiudicare perſonis, quę eo tempore erāt habiles; ergo inhabilis eſt ad Oppoſitionem Canonicatus, qui non ſuſcepit Gradum requiſitum, antequam ſubſcriberet.

40 Secunda ſententia tuetur, ſufficere, vt ſit habilis ad Oppoſitionem, & ad Canonicatum obtinendum, ſi ante examen, lectionem, ſeu concionem ſimul, & electionē, Gradū accipiat, quāuis nō ſuſceperit, eū Oppoſitioni ſubſcripſit. Videntur afferri poſſe pro hac ſententia Iura, & Authores aſſerentes, quando aliqua qualitas requiritur ad omittendum, aut excludendum aliquem à dignitate, officio, vel beneficio, eam debere adeſſe tempore prouiſionis, vel electionis, & nō ſufficere, ſi ex poſt facto interueniat; Etenim conſequenter apparet, ſtatui ab his Iuribus, & Authoribus, ita requiri eam qualitatem tempore electionis, vt ſufficiat, tunc adeſſe, nec antecedenter ad electionem adeſſe requiratur. Sic docet textus *in cap. ſi eo tempore, de reſcript. in 6. lex 2. ff. de excuſat. tutor.* Bartolus *ibi.* Auendaño *lib. 1. cap. 12. numer. 13.* Rodericus Suarez *allegat. 12.* Abbas *in cap. poſt ceſſionem, num. 10. de Præbend.* & Decius *ibi num. 5. & 19.* Inſinuant Peyrinis *tom. 1. de ſubdito, quæſt. 1. cap. 31. §. 6. concl. 9.* Rodriguez *tom. 2. quæſt. Regular. quæſt. 51, art. 5.* Graſſis *lib. 1. conſil. de elect. conſil. 1. difficult. 3.* & Gloſſa *in Clementin. 2. verbo, conſtituimus, de ætate, & qualitate ord.* Tenet expreſsè hanc ſententiam referens pro ſe præfata Iura, & Authores, Thomas Hurtado *tom. 2. Reſolut. moral. tractat. 12. capit. 1. à num. 1624.* Qui ſequentibus innititur fundamentis

41 Primum eſt. Quia Gradus requiritur propter Conſtitutiones, & Bullas Sixti IV. & Leonis X. at hi Pontifices ſolùm aſſerunt, quòd præfati Canonicatus prouideantur Graduatis; ergo, ſi tempore electionis, & examinis iam ſunt promoti ad Gradus hi, qui opponuntur, nihil deficit illis ex requiſitis à Pontificibus, quominus ſint habiles, vt obtineant Canonicatum.

42 Secundum eſt. Quia qualitas Gradus requiritur propter officium, & beneficium recipiendum; ergo Oppoſitores, qui tempore beneficij, aut Canonicatus recipiendi ſunt inſigniti Gradu, habiles ſunt ad illum. Hinc, cum in edictis afferitur, Oppoſitores debere eſſe Graduatos, intelligi debet tempore electionis, nō verò neceſſariò, cum ſubſcribunt Oppoſitioni.

43 Ad argumentum ſententiæ oppoſitæ reſpondent hi Authores, ius adquiſitum Oppoſitoribus ex contractu edicti promulgati eſſe in ordine ad prouiſionem Præbendę, quare tunc, & non ante, tenentur eſſe Graduati; ſicut & ipſi electores tempore prouiſionis, & non edicti, aut Oppoſitionis præſtant iuramentum de præbendo ſuffragium pro digniori.

44 In hac controuerſia cēſeo primò, ſtandum eſſe conſuetudini, & ſtatutis Eccleſiarum; ſi enim ab ipſis conſtitutum ſit, tempore, quo ſubſcribitur Oppoſitioni, debere eſſe Graduatos eos, qui ſubſcribunt, ſanè non erit habilis, qui tunc non ſuſcepiſſet Gradum. Sic deciſum eſt in Rota *in vna Burgenſi, coram Litta*, vt refert Farinacius *tom. 2. deciſ. 15. numer. 13.* Ratio eſt, quia Pontifices, cū præſcribunt qualitatem Gradus, non tollunt, quominus Eccleſiæ ipſæ, ſeruata illa qualitate, alias congruentes addant, vt quis ſit habilis ad obtinendos Canonicatus; & additis alijs qualitatibus, quas volunt eſſe neceſſarias ad habilitatem, ſi deſint, non dabitur habilitas. Sic in plurimis Almis Eccleſijs ſtatutum eſt, vt non admittantur ad Oppoſitionem eiuſmodi Canonicatuum, qui habitum Religioſum in aliquo Ordine ſacro habuerint; quæ qualitas ſi non adſit, non erit quis habilis ad Oppoſitionem.

45 Cenſeo ſecundò, parum conſequenter loqui Thomam Hurtado, dum ait, non eſſe neceſſarium Gradum tēpore ſubſcribendi Oppoſitioni, ſic verò nō ſolùm ante prouiſionem Præbendæ, ſed etiam ante examen ad illā, vt expreſsè ait, *vbi ſuprà, num. 1624.* Etenim rationes, quibus probat, non eſſe Gradum neceſſarium tempore ſubſcriptionis, etiam ſuadent, nō eſſe neceſſarium tempore examinis; tum quia Gradus requiritur, vt ille inquit, propter officium, & beneficium, & ſufficit, illum habere tempore receptionis; tū quia Pontifices non exigunt, niſi vt prouideantur prædictis Graduatis Canonicatus præuio examine; non autem iniungunt, quòd tempore examinis debeant eſſe Graduati, ſicut non iniungunt, quòd tales eſſe debeant tempore ſubſcriptionis; tum demū, quia hic Author in concluſione præfigit, Gradum non eſſe neceſſarium, cum ſubſcribitur Oppoſitioni, ſed ante exame, & prouiſionem; & poſtmòd inū probationi-

bus

bus nihil prorsus habet, quo suadeat, ante examen esse illum necessarium, nec de eo verbum profert, & solùm contendit, sufficere Gradum tempore electionis.

46 Et quidem, secluſa consuetudine, aut statuto Ecclesiarum, probabilior mihi est opinio secunda; insuper addendo, quod nuper asserebam, scilicèt nec ante examen Gradum esse necessarium, ob rationes factas. Nec obstat, quòd in Academijs non est habilis ad Oppositionem ad Cathedras obtinendas, nisi eum, qui tẽpore lectionis saltem est promotus ad Gradum Bacchalaureatus, ergo nec ad Oppositionem in Ecclesijs, qui tempore examinis, aut lectionis non est promotus ad Gradum Licentiatus, aut Magisterij. Mala cõsequentia, quia fit de minori ad maius; & ex paritate posita in antecedenti solùm inferri posset, Gradum Bachalaureatus esse necessarium tempore lectionis in Oppositione ad Præbendam. Itaque nego consequẽtiam; &, quamuis admittatur, esse aliquo modo paritatem, reddo disparitatem; Nam statuta Academiæ designant, quis sit habilis ad legendũ in Oppositione ad Cathedras; sicut statuta Ecclesiarum idẽ posse decernere, diximus; at supponimus, non dari statuta id decernentia; nõ ergò est caput, vnde inhabilitas conuincatur in non Graduato.

47 Quòd si paritas esset desumenda ab Academijs, etiam ex illa probaretur, fore necessarium Gradum, cum subscribitur Oppositioni ad Præbendas, cum sanè Gradus Bacchalaureatus communiter sit in omnibus Academijs necessarius, vt quis sit habilis ad subscribendum Oppositioni ad Cathedras. Sed eadem est disparitas reddenda; nempè habilitatem non aliter ab statutis in Academijs esse præscriptam; in Ecclesijs verò, supponimus in asserto, non dari ea statuta; nam, si dentur, standum est nostræ primæ conclusioni.

48 Nec obstat, si dicas, non Graduatum tempore lectionis ad Canonicatum non posse designari ab vllo Electore, quasi digniorem, pro quo præstaturus sit in electione suffragium, cum tunc eum habilem non reperiat; necessariumque esse, vt sit in ea dispositione, in qua possit ab Electoribus iudicium de Oppositoribus facientibus designari vt dignior. Nam respondeo, posse designari, suppositis terminis habilibus, nempè si tempore electionis omnino sit capax obtinendi Canonicatus; sicut, si alius haberet inhabilitatem, de qua adhuc non constitisset, & constaret tempore electionis, sanè non posset eligi, sed potuisset designari vt dignior sub ea conditione tacita, quę semper inest, nempè si nõ probetur ex aliquo capite inhabilis ad Prębendam.

49 Nec rursus obstat, si asseras, electionem ad Præbendam quasi inchoare in examine, quod est veluti scrutinium dignioris, atque adeò tunc est necessarium, vt quis habeat Gradum requisitum à Pontificibus ad prouisionem Præbendæ. Nam respondeo, examen, lectionem, & cõcionem esse præuia requisita ad electionẽ, & suffragia, sicut etiam est præuium requisitum subscriptio in Oppositione, & edictorum promulgatio; & quamuis Examẽ sit proximius electioni, & suffragijs, quàm cætera antecedentia, hoc tamen se habet penes magis & minus, cum Examen absolutè non sit potiùs electio, quàm sunt edicta, & subscriptio; vnde rationes probantes, non esse necessarium Gradum, nisi tẽpore electionis, pariter suadent, nõ esse necessarium tempore subscriptionis, ac tempore Examinis. Et sanè rectè stat, aliquem legisse, aut habuisse Concionem, antequã ad Gradum promoueretur, & ad illum ante electionem promoueri, maximè si plures dies intercedant; vel si Ecclesia, in qua fit Oppositio, extet in loco, vbi datur Academia, vel sit illi proxima, & Oppositor iã præhabuerit omnes actus litterarios, aut ferè omnes requisitos ad Gradum Licentiatùs, ita vt breuissimo tempore possit illum accipere.

50 Cæterùm non potest quis absque eiusmodi Gradu obtinere Præbendam, quamuis, statim ac obtineret, Gradũ acciperet; quia absolutè erat inhabilis tẽpore electionis, & electio fuit nulla ab initio, nec potest postea conualescere, & præterea præiudicium fieret Coopposito ribus. Ita decisum est *in Rota, in vna Papien. Prioratus, die 6. Iunij, anno 1608. coram Cardinali Lancelloti; & in alia coram Cardinali Bononiensi;* vt videre est apud Farinacium *tom. 1. decis. 158. à num. 2. & tom. 2. decis. 295.* Imò, etsi vnus dumtaxat esset Candidatus Præbendæ, non posset eligi, nisi tempore electionis esset Graduatus, electioq; in eo facta esset nulla; quia id requisitum, & forma iuncta est à Pontificibus, atque adeò nec Episcopus, nec Capitulũ possunt in eo dispensare, cum in lege Superioris, qualis est Pontifex, dispensare nequeat vllus inferior.

Quæst.

Quæstio VI. Quis censendus sit præ cæteris benemeritus ad Cathedram obtinendam, vt pro illo suffragium, aut testimonium ferri debeat? Vbi plura concernentia attinguntur?

51 CATHEDRÆ postulatio,& cõsecutio magnum præsefert momentum, cum in ea sita sit ingẽs vtilitas Candidatorum tum in honore, qui exinde accrescit,tũ in redditibus, qui percipiuntur,tum demùm in aptitudine proximiori ad prẽmia,& munera çstimabilio ra; Quare distributio Cathedrarum non leuiter, ac perfunctoriè est introspicienda, sed maturè, & omnibus circunstantijs attentè perpensis. Id autem spectat ad eos, qui suffragia ferunt pro illarum obtentione,si per suffragia Studiosorum,aut aliorũ Cathedræ impertiantur, vel ad Iudices, seu Senatores, qui suis suffragijs id præstant,necnon ad eos,qui de meritis Candidatorum suum ferunt testimonium,informantque Iudices absentes, seu præsentes; ac demùm ad ipsos Candidatos, qui media iniqua nequeunt exequi, nec titulis falsis inniti, vt Cathedras consequantur. Quæ omnia dilucidè oportet euoluere.

52 Vt quis absolutè sit habilis ad Cathedram obtinendam, non facta comparatione cum alijs, ita vt posset eam consequi,nullo alio Cooppositore existente,sufficit, si præditus sit prærequisitis omnibus, quæ in Academiæ statutis, consuetudine præscripta exiguntur, eamque scientiæ habere instructionem,qua iudicetur posse alios sufficiẽter erudire,quin eorum vtilitati fiat præiudicium, nec Academiç publico bono inferatur nocumentum. Prærequisita autem ex omni capite sunt inuestiganda,scilicèt ex ætate,ex Gradu, ex tẽpore trãsacto ab illius acceptione,ex recitatione extemporanea, seu examine,& ex alijs qualitatibus personæ,sanguinis,aut natalitij;In diuersis enim Academijs diuersa requisita desiderantur ex prædictis. Quòd si aliquod ex illis non detur,supposita scientiæ sufficientia,in cuius defectu nequit dispensari, videndum est, an Academia ipsa possit,ac velit illud supplere,seu in eo dispẽsare,aut an Princeps, vel Supremus Academiæ Superior dispensationem largiatur;aliàs nequibit Cathedra concedi. Cæterùm iudicium de sufficientia scientiæ arbitrio viri prudentis,docti,ac timorati est mensurãdum, nec enim alia regula firma potest stabiliri.

53 Difficultas autem versatur,cum plures eamdem Cathedram petunt,quis sit dignior arbitrãdus. Quod dubium sæpè cum pluribus Viris Doctissimis consului, vt tutiorem viam insequerer. Meritum præcipuum ad Cathedram est scientiæ eruditio, notitia, & ingenium; At non solùm ad id debet attendi,alia enim etiam constituunt Candidatũ benemeritum,quæ etiam sunt expendenda; Ea autem sunt expeditio in docendo, claritas in explicando,assiduitas, & applicatio ad studium,& ad profectum discipulorum;exercitiorum in litteris frequentia cum satisfactione,& plausu; obsequia in munere litterario docendi prçstita Academiæ; diuturnitas temporis cum publica approbatione in litterarijs exercitamentis insumpta;communis opinio de scientia Candidati tum in Professoribus, tum in discipulis; Studiosorum maior concursus spontaneus ad eius doctrinam,ac lectiones audiendas; sumptus,ac in cõmoda propter obsequia Academiæ præstanda in studijs, & propter docendum in ipsa,tolerata; cõmune iudiciũ, quòd alias Cathedras, quas non obtinuit, meruerit; etsi quæ alia sunt hisce similia; queis addenda est morũ probitas absque scandali nota.

54 Indubitabile est,eum,in quo prædicta omnia simul cõcurrerent, & in singulis cæteri ab illo excederentur,magis benemeritum fore iudicandum, & grauem iniuriã ipsi irrogari,si Cathedra ei nõ concederetur. Quippè eo casu ex nullo capite ab alijs superaretur,sed superaret,nec esset titulus,aut ratio,ob quam vllus deberet ei præferri;nec locus esset beneuolẽtiæ, aut gratiæ,cum merita non essent paria;& in materia iustitiæ,dum vni soli necesse est præmium indiuiduum,seu impartibile cõcedi,cum merita nõ sunt paria, nequit impar æquari,aut anteponi.

55 Deinde, si duo, vel plures omnino çquales sint,aut recto, & prudenti dictamine cẽseantur pares in omnibus titulis,seu meritis suprà positis, etiam est indubitabile,Iudices,&item Studiosos (si per suffragia Cathedræ distribuantur) posse,pro quo maluerint,ferre suffragium. Cũ etenim Cathedra nequeat inter duos,

tan

aut plures diuidi, sed necessariò vni dumtaxat sit concedenda, locus gratiæ datur, & absque iniuria alterius, vni æquè benemerito conceditur; quare alter nequit cõqueri de iniuria sibi irrogata, sed dolere de gratia sibi non præstita. Ii tamen, qui monẽt, seu informant Iudices de meritis Candidatorum, nequeunt in hoc casu vnum ex illis dumtaxàt proponere, sed tenentur ad proponendum eos, qui sunt æquales; Quippè, si affirment, vnum esse magis merẽtẽ, à veritate in re graui, ac inferente præiudicium tertiodeficiunt; Si verò per ambages verborum, vt à comparatione cum alijs abstineant, proferant solùm, tali determinato Candidato posse iustè Cathedram impertiri, denotant implicitè, eum præ alijs illam mereri, cum eorum munus sit, magis benemeritos proferre, atque adeò, cum vnum tantum modò designant, quasi magis benemeritũ declarant. Et sanè Iudices manifestè volunt, vt benemeriti ipsis proponantur, quin electio, & gratia præstanda maneat penes testificantes de meritis, sed postmodum penes ipsos; præiudiciumque infert is, qui vnicum proponit alteri æquali; cui, si propositus fuisset, forsitã gratia, & Cathedra concederetur; Cum ergo is ius proximum ratione meritorũ habeat ad illam, non potest iustè is, qui merita narrat, eum præterire; aliàs eum absq; sui iuris vsu relinquit, & reddit inhabilem proximè ad Cathedram obtinendã, in quo iniustitiæ est reus.

56 Difficilius est, si Candidati in omnibus titulis, ac meritis suprà designatis simul sumptis nõ sint pares, nec vnus cæteros excedat, sed ad inuicem excedantur, hi quidem in his, alij verò in alijs, quis sit magis merens, decernere. Et, antequam ad cõparationem deueniamus, supponendum est, semper debere dari publicã probitatem morum, absque nota, & scandalo, in eo, qui eligendus est ad Cathedrã. De ratione enim Magistri, ac publici scientiæ Professoris est honestas vitæ, vt *quæst. 1. huius libri*, præfiximus; quare, etsi omnes alij tituli in Candidato concurrerent, esset tamen publicis vitijs notatus, omnino indignus esset Cathedra; cum is plus destrueret, quàm ædificaret, & ruinæ occasionem discipulis præberet, quæ magis esset nociua, quàm commoda disciplinæ traditio; Recolenda sunt dicta loco relato. Quare ea morum probitas debet supponi, nec hic titulus debet cum alijs conferri, si quidem si deficiat, cæteri nõ prosunt. Nec inde requirimus necessariò in Candidatis virtutum perfectionem, sed saltem externã vitæ, & morum compositionem, ac honestatem, cuius defectus cederet in iuuentutis ruinam, & Academiæ detrimentum.

57 Præterea est supponendum, si in his titulis, quos alijs fore præferendos, dicemus, dentur duo, vel plures Cãdidati omnino pares, de his æqualibus omnino esse loquendum, vt nuper de alijs æqualibus locuti sumus *num. 55.* Cęterùm cum agimus de æqualitate, non id intendimus, vt ea quasi mathematicè, aut arithmethicè sumatur, nõ enim id est facile, aut moraliter possibile; sed sermo est de æqualitate arbitrio prudentis, docti, ac timorati viri commensurata, quam solemus exponere asserendo, aliquos esse pares, *plus minusvè* inter se distantes, cum in his parũ pro nihilo sit reputandum.

58 His positis, si quis alios scientia, ingenio, ac eruditione, methodo, & claritate docendi excedat, quamuis studiorum antiquitate, Gradibus, exercitijs, seu Actibus litterarijs, alijsque titulis excedatur, cæteris debet præponi. Etenim hi tituli, in quibus excedit, cæteris præponderant ad rationem Magisterij, ad quam maximè inspiciendum est; illis enim præditus aptiùs, ac digniùs suum munus obibit, discipulis ingẽtiorem profectum parabit, & Academiæ, quæ Professorum insigni scientia illustratur, maiorem afferet splendorem Et sanè quid refert, aliquem annosam antiquitatem obijcere, si non annosam scientiam, vel præ defectu laboris, vel ingenij, comparauerit? Quid, plures recitasse lectiones ad Cathedras obtinendas, aut pluribus Assertionibus publicis tulisse patrocinium, aut extraordinarijs lecturis annuis incubuisse, si vel inuentus est minus habens, vel ab alio exceditur in his, quæ ad hæc litteraria exercitamenta desiderantur, quæ ille maiori cum plausu, & probatione præstabit, vt ex eius scientia, ingenio eruditione, ac claritate cernitur cõspicuè; & ex his, quæ iam præstitit, etsi numero pauciora, & tempore recentiora, manifestè constat excessus, qui multò ingentior erit, cum ad eam vetustatem, & numerum accedat, quem obtendunt ij, quos superat? Quid demùm interest, incommoda fuisse tolerata, sumptus factos, inopiam, & alios exanthlatos labores, si simul scientia, claritas, & eruditio non adsint æquales? nã hæc præcipua sunt, & ad ea debet attendi; illa si comitentur, titulos perficiunt, commisera-

rationem generant, gratiam conciliant; At elargitio Cathedræ opus est iustitiæ, non pietatis, & commiserationis; & bono publico cōsulitur, quod præferri debet priuato; nec propter vnius Candidati commodum, imò nec propter commodum vnius, aut alterius Collegij, defraudanda est Cathedra Moderatore digniori; cum magis publicum bonū sit id, quod spectat ad Academiam, omnium matrem, ad eiusque splendorem, ac ornamentum, ad disciplinam Iuuentutis ex diuersis Prouincijs cōfluentis, & demùm ad iustitiam, vt præmiā tem merita, quam commodum, & vtilitas vnius, vel alterius, etiam Collegij, cū Collegia, & priuati membra sint, & partes Academiæ, quæ plura amplectitur, & se amplius extendit, quare eius bonum est vniuersalius. Certissimum autem est, bonum publicum, & vniuersalius præferēdum esse bono priuato, & minùs vniuersali, maximè cum hi, ad quos spectat hoc bonum, continentur sub ea Communitate, ad quā illud bonum publicum pertinet, comparatioque fit in eodem ordine, ac serie de minori ad maius.

59 At, si quis excedat in scientia, imò & alijs titulis, si tamen omnino destituatur methodo, & claritate docendi, cæteris est postponendus, quin & absolutè reijciendus. Quippè ad rationem Magistri omnino necessaria sunt methodus, & claritas in doctrina tradēda; Quid enim proderit Auditoribus, Magistrum esse scientia refertum, si suæ eruditionis riuos communicare ignoret, quibus animorum campi, ingeniorumque horti fœcundētur? Potiùs sua obscuritate ingenia cōfundet, quā illustrabit. Viua quippè vox docentis, & perspicuitas distincta dicendi doctrinam mentibus imbibit; quæ si deficiant, ineptus est docendo Magister.

60 Rursus, si duo, aut plures omnino sint æquales in scientia, ingenio, & claritate, vnus verò alios in prędictis sibi pares excedat antiquitate studiorū, lectionibus, & exercitamentis litterarijs in eadem Academia peractis, hic censendus est Cathedra dignior. Quippè titulus præcipuus supponitur in eo æqualis reperiri; hæc autem, in quibus superat, sunt tituli proportionati ad Cathedrę ptęmium obtinendum, si quidem sunt merita litteraria, & obsequia erga eamdem Academiā, & erga Studiosos; pluribus ergo meritis proportionatis ornatus redditur dignior, & ex iustitia distributiua ei præmium debetur. Nec obstabit, si aliquis ex his, qui excedituir in exercitamētis litterarijs, non abstinuerit ab eis omnino vltroneus, sed ad id cogentibus specialibus sanctionibus Communitatis, in qua versatur. Etenim, si is scientia excederet alium, fateor, non fore postponendum, eo modo, quo dixi *n. 58.* At, si alius in scientia est æqualis, & de facto alijs titulis est præditus, in quibus consequendis insudauit, dignus est, cuius labor remuneretur; & præterea is, qui fuit impeditus ratione sanctionis sui Collegij, sanè ratione eiusdem Collegij plurimum sibi splendorem, decus, & alia commoda comparauit; quare non redditur peioris conditionis, quàm ille alius, cum aliunde status, quo gaudet, & qui eum impediuit à litterarijs recitationibus extemporaneis, simul ei attulerit valdè æstimanda cōmoda, quibus damnum ex impeditione emergēs cōpensatur. Præterquàm quòd mea assertio non sumenda est de excessu in solis his recitationibus, quæ fiunt ad obtinēdas Cathedras, sed de numero omnium litterariorum Actuum, & de antiquitate studiorum; in quibus non vrget oppositio; Et ferè nō est casus practicus, vt duo, vel plures cōcurrant in scientia, ingenio, & omnibus alijs titulis pares, & impares solùm in huiusmodi recitationibus; hæc enim inæqualitas præcisè sumpta non multùm merita augeret, nisi ingens esset recitationum numerus, qui sanè constitueret titulum valdè attendendum.

61 Ex his alię comparationes meritorum interse facilè possunt fieri, & ex assertis diiudicari, quis sit Cathedra dignior. In quo iudicio nec amore, nec odio est procedendum, nec affectibus indulgendum, vt peccata grauia, onusque restitutionis fugiatur. Hinc cernere est, fore iniquum, (quod neutiquam cōtinget) quē ferre suffragium, aut informationis testimonium pro aliquo, eo quòd sequatur doctrinam, quam ipse sequitur, non verò alius Candidatus, qui tamē ingenio, & scientia in suis sententijs probabilibus manifestata excedit, v. g. si quis Doctor in Iure suffragium ferret pro alio, eo quòd interpretetur leges, sicut ipse interpretatur, cū in cæteris excedatur; vel aliquis Theologus, aut quiuis alius præferat Candidatum Theologicę Cathedræ, eo quòd sequatur sententias Scoti, & non alias, aut sententias Thomistarum, & non alias, etsi probabiles. Etenim si hoc solo titulo iudicetur dignior, graue peccatum patratur. Quare,

de-

depositō penitus affectu ab hac doctrina, vel illa, non secus ac si ad se non pertineret, videndum est, pura, & defæcata intentione, quisnam in propria sua doctrina sit doctior, quis eruditior, & viuidiori ingenio, alijsque titulis magis ornatus.

62 Fateor, si Cathedra esset doctrinæ alicuius libri, aut Doctoris, in quo vnus ex Candidatis magis esset manifestè versatus, in eaque doctrina excederet alios, fore hunc titulum præferendū. V. g. in petitione Cathedræ Voluminis, is, qui in Volumine esset eruditior, foret præferendus. Similiter, qui doctrinam Scoti amplius vētilasset, & in ea esset eruditior, Cathedra Scoti esset dignior. Idem dico de Cathedra Sancti Thomæ. si quis excederet in eruditione doctrinæ illius, iuxta interpretationem Authorum, qui Classici sunt; Cur enim Interpretes Classici tanti Doctoris non censentur Franciscus Suarius, Vazquez, Molina, Valētia, Didacus Ruyz, Granado, & plurimi alij, sicut optimo iure cēsentur Gonçalez, Nauarrete, Cabezudo, & plures alij insignes viri? Vel cur non cēseatur interpretari Diuum Thomam rectè, qui iuxta mentem Frācisci Suarez, cui nomen *Eximij Doctoris* Pontifex Sūmus Paulus V. indidit, sicut rectè interpretari illum censetur, qui interpretationem præstat iuxta mentem insignis Zumel, aut egregij alterius Authoris? Credo, Suarium nec sapientia inferiorem, nec veritatis minùs indagatorem, nec minùs puro, & defæcato obtutu Sanctissimi Doctoris Diui Thomæ verba legisse, ac expendisse, quàm alium quemlibet ex his recētibus Interpretibus, qui mira eruditione, & ingenio eius scripta commentantur.

63 Iam verò constat, pro quo debeat ferri suffragium, aut testimoniū ad Cathedras obtinendas. Qui autem id magis benemerito denegat, mortaliter delinquit; quia sententia tutior, & cōmunis digniorē ex iustitia præferendum fore digno tuetur, nec sufficit, quē esse dignū, si alius dignior existat. Etenim ea Cathedrarum petitio est quoddam litterarium certamen, in quo præmiū proponitur concedendū digniori; Nec excusarē à peccato lethali iniustitiæ eum, qui secùs faceret; nec vlla ei ratio faueret. Hinc teneretur ad restitutionē is, qui eam committeret iniustitiam; Sed de eiusmodi restitutione, & quando, ac quomodo debeatur, vide dicenda inferiùs *lib. 3. quæstion. 12. num. 103.* vbi de Scholasticis iniustè ferentibus suffragium ad Cathedram, & ad restitutionem obligatis agemus, & ibi opportunè dicenda hic sunt aptanda; dum enim ex iniustitia patrata circa Cathedræ obtentionē resultat obligatio restituēdi, restitutio eodē modo est facienda, siue iniustitia ex hoc, siue ex illo capite proueniat.

64 Eiusdem peccati, & restitutionis oneri manent obnoxij ij, qui vim, fauorē, cōsilium; aut quamlibet causalitatē moralem præstāt, vt suffragium, vel testimoniū pro minùs digno feratur. Item illi, qui inter se paciscuntur, vt ad hanc Cathedrā v. g. omnes simul vnum è Candidatis promoueant, aut promoueri curent, vt ad sequentem Cathedram simul etiam aliū promoueant, ne vnus alteri officiat; si quilibet ex illis nō sit cęteris dignior. Ipsi præterea Cādidati, si hoc pactō bini, vel terni ineāt, dāmodo absolutè magis benemeriti nō sint, eodē peccato inficiūtur cū onere restitutionis; Nec sufficit, quemque sibi videri cæteris digniorem; nam, si iudicio proprio fiditur in causa adeò propria, frequētissimè erratur, & vix vnus è plurimis Cādidatis nō se iudicabit digniorem, vt experientia manifestat. Equidem vnicuique licet, apponere media sibi vtilia, tamen non licet ea intendere, quę ab honestate deuiant. Eiusmodi autem pacta, ac fœdera speciem præsefe runt prauitatis, & quasi libertatem auferre conantur à suffragium ferentibus, vel à testificantibus, vt valeant præferre alium ex reliquis Candidatis, etiam si digniorem arbitrentur, nec syncerum iudicium de singulis fieri permittunt.

65 Cæterùm exaggerare merita propria, peccatum lethale non est, nec item aliquid falsò addere, quod nō futurū sit causa motiua, vt illud addenti Cathedra cōcędatur, sed ad sūmū possit esse causa impulsiua; nam, si falsa testimonia, ac titulos proferret Candidatus, qui causa motiua foret, iniustè Cathedram obtineret, & ad restitutionem teneretur; vt in simili de comparā te eleemosynas ficta paupertate, & constan güinitate, veluti causa motiua, docui *tom. in Bull. Cruciat. disput. 34. à numer. 169.* Causa impulsiua est, quæ allicit alium, vt rem peragat, qua adhuc non stante, ille rem perageret. Motiua est illa, qua nō subsistente, res minimè perageretur; argumento *legis 2. §. final. ff. de donation.* Hinc etiā, si Candidatus falsò impingeret Coopposi tori aliquem defectum, aut eius merita falsò mimieret, ita vt eius dictum esset causa motiua non ferendi suffragiū, aut testimo-

nium pro illo,& grauiter peccaret,& onus restitutionis subiret.

Quæstio VII. An Magistri, seu Doctores in Theologia, aut in Iure Canonico sint ipso iure approbati ad audiendas Confessiones, vel possint ab Ordinario examinari?

66 SERMO est de Sacerdotibus, qui in Theologia Gradum Magisterij, aut Doctoratus obtinuerũt, aut in Iure Canonico; nec loquimur de iurisdictione, sed de approbatione; supponimus namq; vtrãq; requiri,& quærimus, an præfati à iure approbationem habeãt, ita vt sola iurisdictione eis superaddita, vel per Bullã Cruciatæ, qua gaudeant pœnitẽtes, vel aliunde, possint cõfessiones fidelium audire? Leander de Sacramento *tom.1.de Sacram. tract.5.disp.11.q.48.* refert suppresso nomine Authores nonnullos pro opinione arbitrante, prædictos Theologos esse iure ipso approbatos,& Doctores etiã in Iure Canonico. Sed nó reperio aliquã Iuris, vel Conciliorũ decisionẽ, vbi id concedatur. Tenẽdũ est vt certissimũ, prędictos indigere approbatione Ordinarij. Probatur, quia Tridẽtinũ *sess.23.c.16.de refor.* decreuit, nullũ, etiam si Regularis sit, posse confessiones sęcularium, etiã Sacerdotum, audire, nisi vel beneficiũ Parochiale habeat, vel ab Episcopo fuerit approbatus vt idoneus, siue per examen, siue alia via. Itaq; voluit, hanc approbationem esse iuridicã, & ex potestate iurisdictionis ortam, ab Episcopoq; cõcessam, quam Academijs non permisit; ergo iuxta Tridentinum, dum prædicti non sunt Parochi, indigent Ordinarij approbatione ad confessiones excipiendas. Ita docẽt Tãburinus *de iure Abbatum tom.2.disp.6.q.17.* Ioannes Baptista Lezana *in sum.c.19.n.6.* P. Suarez, Filliucius,& alij, quos refert,& sequitur ipse Leander *vbi nuper.* Imò opinio cõtraria tutò nequit defendi, cum deleta fuerit ex Summa Hyeronimi Llamas iussu Quæsitorum Fidei in Indice Expurgatorio *anni 1640.*

67 Hinc infertur, eos Magistros, seu Doctores in Theologia, aut Iure Canonico, si non habeant approbationẽ ab Ordinario, non esse eligibiles à pœnitẽtibus virtute Bullæ Cruciatæ, vt ab eis absoluãtur. Quippè Bulla Cruciatæ solùm concedit, vt fideles gaudentes illius priuilegijs possint eligere Confessarium approbatũ, qui eorũ confessiones audiat; prædicti autẽ nõ sunt ipso iure approbati iuxta dicta, quare deficit illis requisitum necessarium,& essẽtiale, vt validè queant confessiones excipere. De quo vide, quæ lato calamo scripsi *tom.in Bul.Cruciat.disp.22.à c.2.* Vbi tractaui omnia dubia circa approbationẽ emergentia; nempè quis intelligatur nomine Ordinarij; an ab Ordinario pœnitẽtis, vel Confessarij, aut territorij desideretur approbatio? an hęc sit necessaria ad audiẽdas confessiones Regulariũ? an cõcessa pro tẽpore, loco, aut personis determinatis possit virtute Bullæ Cruciatæ extendi ad aliud tempus, locum, seu personas? an concessa ei, qui manifestè est ineptus, sufficiat, vt cõfessiones sint validæ? an amittatur per inidoneitatem superuenientem? an Parochi approbatio concessa ab ipsa Ecclesia sufficiat pro toto terrarum orbe? & alia huiusmodi, quæ poterũt aptari Mgistris, seu Doctoribus, qui beneficio parochiali fruantur vel approbationem ab Ordinario obtinuerint; nullum enim est discrimen inter ipsos,& inter quosvis alios.

68 Aduerte tamen, Magistrum Scholæ Salmantinum non posse eam approbationem suis subditis Academicis præstare; quippè etsi Iudex Ordinarius sit, immediatè Pontifici, ac Regi subiectus, non tamen habet iurisdictionem Episcopalẽ, seu quasi Episcopalẽ in ordine ad ea, quæ sunt muneris Episcopi, nẽpè Beneficia, Ordines, iurisdictionem, ac approbationem circa confessiones, Sacramenta, aliaq; eiusmodi, sed eius iurisdictio tendit ad causas ciuiles,& criminales subditorum dirimẽdas, ad Graduum collationem, ad regimen politicum Academiæ,& statutorũ obseruãtiã, aliaq; similia. Idem dico de Rectoribus, seu Magistratibus aliarum Vniuersitatum simili iurisdictione gaudentibus, dummodo Episcopi non sint,& ratione dignitatis Episcopalis Ordinarij Academicorum, non aliter, ac cæterorum, qui eis subiacent.

69 Sed inquiritur, an Doctores,& Magistri in Theologia, aut Iure Canonico possint examinari ab Ordinario, vt approbationem ab eo accipiant ad audiendas cõfessiones? Nõ posse, docere videtur cũ aliquibus P. Fagũd. *de præcepto 2.lib.7.c.2.n.67.* Et pro hac opinione Leander de Sacramẽto *vbi suprà quæst.49.* refert Emanuelem Rodriguez *in Bullam Cruciat.§. 9. num.*

4.

4. Sed meo iudicio pro illa nō est. Quippè postquam aliquas rationes adduxerat,quibus videbatur probari, Professores Theologiæ, Graduq;insignitos non indigere approbatione,tandē concludit,indigere quidē illa,sed non obligari ad examen subeūdū. Quod quidē non sonat, Episcopum nō posse eos examinare,sed non esse obligatū ad examinādū eospropter publicū testimonium scientiæ,ac sufficientiæ, quod Academia in concessione Graduum contulit, sicut est obligatus ad examinandum eos, de quorum scientia,ac sufficientia certior non est,nec simile publicum testimonium de illa datur;et consequenter eos non esse obligatos ad examen subeundum.

70 Sed quidquid sit de hoc, quamuis Emanuel Rodriguez eam explicationem non subeat, asserendum est cum sententia communiori prædictos Magistros,ac Doctores posse ab Episcopis examinari ante concessionem approbationis ad audiēdas confessiones. Quippè ex Tridentini decreto,iuxta dicta,debent hi approbari,et ex se approbatio, examine præcedēte,impertitur; nullū autē Ius, aut priuilegium extat eos excusans ab examine,seu Episcopis id prohibens, ergo possunt ab eo examinari. Etenim illud testimonium in acceptione Graduū ab Academia collatū solū est ad summum titulus sufficiēs,aut ratio,vt Episcopi prædictos approbent absq; examine sine suæ conscientiæ periculo,aut dispēdio;sicut si extent alij viri,qui tamē Gradu non sint insigniti, nec testimonium illud ab Academia habeant, quorum tamē scientia, doctrina, et eruditio est constans omnibus,et quę ipsis etiam Episcopis aliqua via innotescit, poterunt approbari sine examine,tuta Episcoporum conscientia, ob eum titulum, et rationem opinionis comparatæ propter scientiā, qua pollent,et tamen examinare eos possent Episcopi,si vellent. Itaque ea testimonia,tituli,seu rationes solùm probant,posse ab Episcopis examen prętermitti, non verò omitti debere,ita vt nequeant illos examinare.

71 Quin addo, teneri Episcopos aliquando ad examinandum prædictos Magistros,seu Doctores,scilicèt si hi Theologiam moralem non rectè calleant, etiam si Theologiam scholasticam rectè percipiant;vel si post Gradus acceptos redditi fuerint ineptiores ratione obliuionis, aut ignauię;vel si Gradus acceperint in aliqua Academia,seu Collegio, aliove in loco, vbi Gradus solent præstari viris nō nimiū perdoctis. Nec etenim omnes, qui Gradū Magisterij,aut Doctoratus acceperūt vbilibet,docti ideò absque dubio sunt censendi. Quò conducit pulcher locus, omnino perlegendus,quem superiùs adduxi *hoc lib. 2.q.3.n.30.* Quare doctrina asserens, nullū Doctorem, aut Magistrum indiscriminatim debere examinari,mihi non est probabilis,nec tuta.

Quæstio VIII. Attingitur, & ad alium locum remittitur, an Professores scientiarum deobligentur à recitatione Officij Canonici, & auditione Missæ,cum actus litterarios exercent? Vbi de auditione Missæ aliqua prælibantur.

72 NON est sermo de diebus, in quibus Professores lectiones ordinarias legunt,quas possunt commodè antecedenter præmeditari; sed de diebus,in quibus lectionem oppositionis recitant,viginti quatuor horarum spatio præparandam;aut assertionibus publicis præsident. An scilicèt,si ratione ordinis,beneficij, vel pensionis aliunde obligentur ad persoluendum Horas Canonicas, aut Officium paruum Beatę Mariæ,teneantur his diebus persoluere;&rursus audire Missam, si dies festi sint? Præterea an ad ipsum adstringantur die antecedēti,quo iam lectioni oppositionis incumbūt; aut diebus ante assertiones progugnandas, cum ad illas limitatur tempus octidui, tridui, aut vnius diei? Demum quid de hac quęstione decernendum,si assertiones solo mane, aut vespere propugnentur, vel si mane simul, & vespere? Has omnes quæstiunculas inferiùs *lib.3.quæst.26.& 27.* exagito loquendo proportione seruata de ipsis Scholasticis, ibique Professoribus, & Candidatis aptantur; Eas ibidem perlege,ne eadem repetamus. Aliqua tamen hic annotauerim,quæ etiam Scholasticis, imò & alijs, conueniunt,& frequenter accidunt.

73 Primò obserua contra Bonacinam *disp.2.de peccat.q.8.punct.1. numer.8.* eum,qui die festo nō potest audire Missam integrā,seu ab Euāgelio vsq; ad finē, licèt

possit aliquam partem audire, ad id non teneri; quia præceptum non est de audienda ea parte Missæ, sed de assistendo ei sacrificio, ad cuius assistentiã omnes fideles obligantur; obligantur autẽ ad integram Missam ex intentione legislatoris, non ad partem. Ita Ioannes Escobar *de vtroque foro, art.4.§.5.n.227.* Cardinalis Lugo *de Sacrament.disp.22.sect.1.n.5.* Molfesius *in sum. tract.3.c.17.n.47.* Ioannes Sanchez, Diana, & alij, quos refert, & sequitur Leander de Sacramento *in quinque præcepta, tract. 2.disp.1.q.6.& 62.* Ibi tamen contra Molfesiũ defendit cũ P. Th. Sanchez, Escobar, Suarez, Layman, Machado, & alijs, si possit audire à consecratione, vsque ad finem, teneri ad audiendum, quia ea est pars principalis, continens totam, & essentialem rationem sacrificij.

74 Deinde, dum Missa ex præcepto auditur, potest quis recitare Horas Canonicas, aut adimplere pœnitentiam sacramenta liter impositam recitando Rosariũ, aut alias orationes. Etenim sic assistitur Missæ tum corporaliter, tum moraliter, cũ ad resdiuinas attẽdat; atque adeò vtrumque præceptum simul adimplet. Sicut cõmuniter plures Rosarium ex deuotione percurrunt, dũ Missam audiunt, quin ideò non satisfaciant præcepto audiendi Missam. Quòd autem id fiat ex deuotione, aut oblgatione, nihil addit, aut minuit. Conclusio hæc docetur à Gesualdo *de Sacram. tract.17.cap.2.num.27.* P. Azor *lib.7.instit.mor.c.6.q.3.* Cardinali Toleto *in sum. lib.6.cap.6.* P. Sa *in sum.verbo, Missæ auditio;* Caietano, Soto, Medina, Cãdido, Bauni, Aragon, Scortia, Iodoco, Llamas, P. Quintanadueñas, Dicastillo, Layman, & innumeris alijs apud Leandrum relatum suprà *quæst.68.* Inde etiam potest quis, dũ audit Missam, examen suæ conscientiæ facere, quia id spectat ad res diuinas, nempè ad confessionem sacramentalem.

75 Non tamen satisfacit præcepto Missæ, qui huc, illucq, oculis respiciendo vagatur per considerabilem partẽ Missæ, aut cum alijs confabulatur; sic verò, si discontinuatè aliquibus vicibus respiciat, vel vnum, aut aliud verbum loquatur. Ad satisfaciendum namque ei præcepto, saltẽ requiritur præsentia moralis, assistentiaq; corporalis modesta, & deuota. Videatur P. Gaspar Hurtado *de sacrificio Missæ, disp.5. diffic.2.* Llamas *3.p.methodi, c.5.§.20.* Attamen satisfaceret præcepto, qui audiens Missam, se vestiret, quia hic actus externus non ita occupat, vt non queat simul Missæ attendere; at difficulter hic à peccato veniali immunis esset. Ita Dicastillo *tract.5. de Sacramen.disp.5.n.109.* & alij.

76 Satisfacit etiam præcepto, qui Dominica Palmarum, vel die alio festo hebdomadæ maioris, aut sanctæ, Missam audit absq; Passione Dñi, vt in Cœnobijs Diui Bernardi celebratur; quia illa est vera Missa, & præceptum non aliud inũgit, nisi vt Missa audiatur. Ita Caietanus *in sum ma, verbo, Festorum volatio,* Basæus *in sum. verbo, Missa 8.num.4.* P. Filliucius *tract.5. cap.7.n.104.* Tabiena, Gesualdus, Scortia, Cardinalis Lugo, P. Henriquez, Azor, Suarez, & alij. Satisfacit etiam quis præcepto, si audiat Missam idiomate Græco, Syriaco, aut alio, & in Ecclesia Matrice Salmanticensi in Capella ad id destinata, si audiat Missam, quam vocant *Mozarabe,* sunt enim verè Missæ, & ab Ecclesia approbatæ. Ita Siluester, Tabiena, & Armilla *verbo, Missa.* Comitol. *lib.1.q.47.* D. Antonin. Trullench, P. Filliucius, Fagũdez, & plures alij.

77 Si omittatur ab initio Missæ vsque ad Euangelium inclusiuè, vtrùm satisfiat præcepto, ingens est controuersia. Non satisfieri, omisso Euangelio, est tutior sententia, quam tenent Mercerus *de Sacr. quæst.83.art.6.dub.4.notab.4.* Bartholom. ab Angelo, Barbosa, Basæus, Molfesius, Prępositus, Dicastillo, Azor, Martinon, Luisius, Turrianus, & innumeri alij, quibus subscribit citatus Leander *quæst.85.* At satisfieri, est opinio practicè tuta; eo quòd non videatur omissio partis notabilis, quæ grauitatem attingat. Sic P. Gaspar Hurtado *de sacrificio Missæ, diffic.1.* Stephanus Bauny *de sacrif. Miss. tract.6.quæst. 8.* Catdinalis Lugo, Ortiz, & alij apud eũdem Leandrum.

78 Rursus obserua, satisfacere præcepto Missę eum, qui ex fine prauo, nempè videndi fæminam, venit audire Missam (esto peccet contra castitatem) dummodo cætera requisita ad assistentiam apponat. Etenim iuxta Theologos cum D. Thom. *1.2.q.100.ar.9.* potest quis opere prauo adimplere præceptũ; vnde licèt ob finẽ appositũ auditioni Missæ ille contra castitatem peccet, attamen præceptũ adimplet, quia pręceptum respicit opus, et non finem. Ita docent Nauarrus *in Manual. cap.21. num. 6.* Medina, *Codice de confessione, quæst. de pœnitentia iniuncta, &c.* Pater Suarez *tom.3. in 3. part. disp.88.sect.3.* Sotus, Ledesma, Mol-

Molfesius, Basseus, P. Thom. Sachez, Azor, Cardinalis Lugo, & alij.

79 Adhuc obserua, quoscumque Academicos, siue Professores, siue Iudices, qui negotia Academiæ pertractant, si die festo non possint negotia in aliud tẽpus differre absque detrimẽto Academiæ, vel suo, excusari à præcepti adimpletione; quod commune est Senatoribus, alijsq; seria negotia pertractantibus; eo quod Ecclesiastica præcepta cum graui incõmodo non obligent. Ita Iodocus, *verbo. Missa*, §. 50. Cardinalis Toletus *in sum. lib. 6. cap. 9. n. 4.* Nauarrus, Siluester, Basseus, P. Azor, Fagundez, & alij.

80 Eo autem die, quo quis deobligatus est ab auditione Missæ, non tenetur propterea aliquas orationes ad Deũ fundere, quia de hoc nullum extat præceptũ, vt contra Scotum, & Angelum defendũt P. Henriquez *lib. 9. c. 25. num. 13.* Nauarrus, Trullench, Bonacina, P. Suarez, Azor, Filliucius, & alij apud Leandrum vbi suprà, *tract. 2. disp. 2. quæst. 68.*

Quæstio IX. Quibus in casibus Professores scientiarum deobligentur à ieiunijs præceptis ab Ecclesia?

81 NON est sermo de deobligatione proueniente ab aliquibus causis, quę omnibus sunt cõmunes, quales sunt ętas infrà, vel suprà designatã, infirmitas, & his similes, sed de ea, quæ prouenire potest ab aliqua causa propria, ac speciali Professoribus scientiarum. De primis latè tractant Authores super præceptis Ecclesiæ, & Summistæ, *verbo, ieiunium*; & nos *tom. in Bull. Cruciat. disp. 13.*

82 Igitur à ieiunio præcepto excusatur, qui lectionẽ oppositionis legit, quia & ipse lectionis labor, & antecedens in studio illius sufficiens fatigatio est censenda, vt à ieiunio excusetur. Ita Angles *in floribus 1. p. mat. de ieiun. fol. 412.* P. Thom. Sãchez referens doctos recentiores *tom. 2. Consil. lib. 5. c. 1. dub. 13. n. 9.* Esto conclusioni eã limitationẽ apponant, scilicèt si ille nõ possit cõmodè ieiunare. Quæ cõditio scrupulis manet obnoxia, vtrũ quis possit cõmodè seruare ieiuniũ, necne. Sed absolutè profero, ex se de fatigationẽ illã esse sufficientẽ, vt cõmodè ieiunare quis nequeat. Quod cõfirmatur à paritate concionantis die ieiunij, quem valdè probabilis sententia à ieiunio excusat. Ita docet Leander de Sacramento, *in quinque præcepta, tract. 5. d. 8. q. 120.* Qui non solũ deobligat à ieiunio habentem lectionẽ oppositionis eo die, quo legit, sed antecedenti, in quo initium datur maximi laboris requirentis totos conatus. Subscribit Pasqualig. *decis. 330.*

83 Idem assero de eo, qui patrocinium fert assertionibus publicis mane simul, & vespere propugnatis; nisi enim defendens ob sui peritiam, & ingenium præcipuas partes agat, sanè patrocinans ita lassatur, ex se, & ex modo communi, quo solent theoremata publica defendi, vt cõmodè ieiunare nequeat, maximè si studiũ plurimũ cũ fatigatione coniunxit, vt se ad patrociniũ pararet. Fateor, aliquos non fore excusandos à ieiunio, quia in hoc patrocinio præstando parũ insudant; vn de attendendus est labor, qui suscipitur, vt in praxi res decidatur, cũ maximè pẽdeat ab vniuscuiusq; genio, modo, ac stylo. Quòd si assertiones solo mane, aut solo vespere defẽdantur, ex se lassitudo non est sufficiens ad excusandum à ieiunio; potest autem excusare, si ex multo temporis spatio in studiũ necessariò impensò creuerit fatigatio; aut ob imperitiam, ac tarditatem defendentis assertiones, opus fuerit; nimiùm patrocinantem lassari.

84 Cæterùm arguere, aut replicare non est causa excusans à ieiunio, nisi per lõgum tẽpus ad rigorosum aliquod examen id peragatur, vt notat P. Thomas Sanchez *vbi suprà*; qui docet ibidem *n. 5.* nullum scientiarum Professorem excusari à ieiunio propter vnicam lectionẽ quotidie habitam, cum non interueniat grauis defatigatio, de quo infrà. An verò propter laborem studij quotidiani, maximè in Quadragesima, vel ob specialẽ, qui desumitur ad patrocinandas publicas assertiones, tẽpore limitato præfixo ad illas, à ieiunio excusentur, vide; quæ circa Scholasticos in eodem casu dicam inferiùs *lib. 3. q. 27.*

85 Qui autẽ litibus patrocinantur, si cõmodè simul ieiunare nequeant, non tenentur ad ieiunium, ex ratione communi, quòd Ecclesiastica præcepta cũ graui incõmodo non obligant. Nec debent ideò minuere studiũ, & pauciores lites defendere, quãuis diuites sint; sicut nõ debet artifex, etiã diues, minuere opus, & laborẽ suæ artis, vt ieiunare queat. Et quidẽ vtitur ille iure suo, dũ studet, quamuis studium nõ esset

ad patrocinium negotiorum necessarium; vnde,si ex studio nimis fatigaretur , sufficiens illi esset à ieiunio excusatio. Quam rationem premo amplius *infrà loco relato*.

86 Lectores Grammaticæ, qui quatuor lectionibus assistunt,excusantur planè à ieiunio, quamuis ipsi arbitrentur,posse eum ferre absque graui incõmodo laborem,vt ait P. Thomas Sanchez *loco citato n.7*. quia ex se labor ille est valdè molestus,& paulatim vires corporis fatigat,quod post aliquod tempus in ea disciplina tradendà insumptum animaduertitur. Hęc intellige de Lectoribus,qui exmunere proprio continuatè legunt ; nã si quis vno,vel altero die id præstaret , teneretur ieiunare,casu quo ipse graue incommodũ & fatigationem,non sentiret. Idem dic de Professoribus aliarum scientiarum,si totidem lectiones quotidie legerẽt. Sic defendunt Leander de Sacramento *vbi suprà, quæst.119*. Pasqualig.*decis.329*.Laym. *lib. 5.tract.8.cap.3.n.4*.Loquunturque hi duo vltimi Authores de Ludi Magistris, qui in instituendo plures adolescentes maiorem partem diei insumunt , interpretando Authores,& tradendo regulas,ac similia exercendo.

87 Difficultas in præsenti maior est,an,qui legit vnicam lectionem Theologiæ, Iuris Ciuilis , aut Canonici, Medicinæ,& Philosophiæ,excusetur à ieiunio præcepto? Non excusari,tuentur Villalob. *1.p.sum.tract.32.diff.4.n.5*. P. Thomas Sanch.*vbi suprà*.Excusari verò defendunt Gordonus *lib.6.Theol.mor.quæst. 18. cap.6*. Molfesius , Llamas, & Ledesma apud Leandrum *vbi suprà, quæst.116*. Qui Authores eodem modo loquuntur de legentibus ex obligatione , aut absque illa, excepto Ledesma,qui loquitur de Lectoribus conductis. Mediam viam tenent alij, qui principium vniuersale applicant huic resolutioni,nempè teneri,si commodè possint,&non detur improbus labor;secùs verò,si non possint commodè. Ita Caietanus *2.2.quæst.147.art.3.§. adhoc dicitur* , Bassæus *verbo,ieiunium 2.num.9*. P. Fagundez *de quarto præcep.Eccles.lib.1.c.8.n.19*. Gabriel, Nauarrus, Syluius, Lublinus, Syluester, Maior, Rosella, Ioannes Sãchez, Diana, Cardinalis Toletus. P. Azor, & alij apud eumdem Leandrum.

88 Ipse autem Leander tenet cum Pasqualig.*in Praxi ieiunij. decis. 327*.tunc censendum esse,dari grauem laborem excusantem à ieiunio,quando quis cum lectione coniungit studium necessarium ad eam cum satisfactione,ac plausu legendam,vel, si lectionem materiæ iã antea elaboratæ legit , saltem coniungit, cum labore lectionis,studium assiduum aliarum rerum , à quo sanè propter ieiuniũ cessare non debet,cum sit eius munus studere,sicut est munus artificis , laborare, & à labore artifex non tenetur cessare, vt ieiunet,quamuis non indigeat labore illius diei ad sui sustentationem. Quòd si quis vnicam legat lectionem iam priùs elaboratam,nec assiduum studium coniungat , ieiunare tenebitur , quia hic labor non est grauis. Tuta est in praxi hęc opinio. Pasqualigi sententiam refert , & non impugnat Thom. Hurtado *tom. 2. variar.resol.tract.10.cap.9,à num.137*.

89 Ex his omnibus excusarem à ieiunio Lectores Cathedræ primarię cuiusque Facultatis in Academia Salmantina,maximè tempore hyemis;quia valdè manè horam,& dimidiam legunt;& à fortiori Regentes Artiũ Cathedras, qui præter eam lectionem aliam per horam vespere habent;maximè si tam hi , quàm illi studio vacent necessario ad eas lectiones cum satisfactione,& plausu legendas , vel studium aliarum rerum cum eis coniungant. Etenim præcisè eas legere, non est labor excusans à ieiunio , cum maior pars lectionis insumatur dictando , quæ ab audientibus sunt scribenda , & hoc quidem absque fatigatione peragitur ; & explicatio non protenditur vltra dimidiam horã, vnde non est grauis, ac valde molestus labor.

Quæstio X. An Professores scientiarũ possint licitè eas docere verbo,& scripto,publicè,ac priuatim Festis diebus,adhuc lucri gratia? Et an sit vsura, mutuare,vt audiantur?

90 FACILIS erit quæstionis solutio, si supponamus,festis diebus opera dumtaxàt seruilia esse prohibita; quæ suppositio certa est,& recepta ab omnibus. Opera autem seruilia dico,quę sunt propria seruis; vnde non omnia opera corporalia sunt seruilia;nã libera sunt ea ope

ra

ra corporalia, quæ à principio spirituali proueniunt, et ordinantur ad aliquã passionem spiritualem inferendã; v.g. cõcio per ministeriũ corporale vocis, et cum corporis fatigatione exercetur, tamen & à principio spirituali dimanat, nempè à scientia, & discursu concionatoris, & ordinatur ad quid spirituale animis inferendum, virtutes scilicèt, & notitias Scripturarum. Secùs contingit in seruilibus operibus, quæ saltem ad quid materiale ordinantur; vt arare, fodere, formare linum, &c. Vt autem opera sint seruilia, debent id ex se habere; Quare probabilior mihi sententia tenet, posse die festo transcribi codices v. g. lucri gratia; quia, & si lucrum sit quid materiale, tamen ex se transcriptio est medium ordinatũ ad finem speculationis, & studij. De quo redibit sermo *lib. 3. à n. 168.*

91 Hinc ad quæstionem respondeo Professoribus scientiarum licitum esse diebus festis, eas docere publicè, & priuatim, verbo, ac scripto, & Assertionibus publicis, aut priuatis præsidere, ac contra eas arguere, & quidquid aliud ad doctrinã tradendam excogitetur. Etenim hæc omnia opera non sunt seruilia, sed libera, ac à principio spirituali effluunt, & ordinantur ad rem spiritualem, nempè doctrinæ notitiam mentibus inferendam. Ita docent Caietan. *2. 2. quæst. 122. art. 4. §. ad primum horum*; Ludouicus Lopez *in instruct. conscient. lib. 1. cap. 52.* Sotus *lib. 2. de iust. q. 4. art. 4.* P. Tom. Sanchez *tom. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 6. num. 4.* & communis.

92 Confirmatur; quia iuxta Armillam *verbo festum, num. 21.* Caiet. *in summa. verbo, festorum violatio*, non violant festum Archimagistri, qui in ipso festo designant in charta, quomodo aliquid sit fabricandum. Et iuxta Angel. *verbo feriæ, num. 31.* Sylueſtr. *verbo Dominica. quæst. 5.* Rosellam, Armillam, & alios, potest quis licitè diebus festis pingere, vt discat; quia hic actus est disciplinæ spiritualis ordinatus ad discendum, sicut & illi actus Archimagistrorum ordinantur ad docendum. Et addunt, non obstare, quod pictor vendat opus, dum confecerit illud ad discendum, quia præcisa intentio lucri non facit, illud esse illicitum. Ergo à fortiori poterũt Professores scientiarum festis diebus docere verbo, & scripto; quod vim habet, etiam si inde eis lucrum accrescat, & intentionẽ habeant adquirẽdi illud Quippe magis absq; controuersia est, docere scientias, esse opus liberum, & ad actum, seu finem spiritualem mentis ex se ordinatum, quàm picturas conficere, & ædificiorũ, aut cuiusuis fabricæ imagines in charta designare.

93 Accedit praxis communis virorum timoratæ conscientiæ, & omni doctrina florentium, qui diebus festis in Academijs non solùm Assertionibus præsidẽt, & argumentantur, verùm & materias scribẽdas dictãt, & lectionibus discipulos instruunt summa cũ probatione, & laude.

Cæterùm pro decisione secundi dubij in titulo quæstionis præfixi, asseren dũ est, non interuenire vsuram in eo, quòd Professor tribuat pecuniam mutuam aliquibus Scholaribus, vt eius lectionibus interſint, non aliter mutuaturus, nisi ei hæc foret gratia retribuenda. Quod assertum contrà aliquos tenui *tom. in Bullam Cruc. disp. 34. num. 7.* cum Patre Lessio *de iust. & iur. lib. 2. cap. 20. dub. 8. & 9.* ac cum alijs. Etenim id non exigitur, vt pretium mutui, sed vt gratia, ac retributio pro beneficio; sicut exigere à mutuatario familiaritatem, aut amicitiam pro mutuo, non est vsura, iuxta doctrinam D. Thom. *2. 2. quæst. 78. art. 2.* Bañez *ibi* cum non paucis; Et præterea mutuare alicui pecuniam, vt ille remutuet, cùm opus fuerit; vel vt ille in molẽdino mutuantis molat, aut ab eo merces iusto pretio emat, non est vsura, vt docent Emanuel Rodriguez, P. Laymam, & plures, quos refert, et sequitur Diana *1. part. tract. 8. resol. 59. & 60.* Quippe hæc omnia, quæ à mutuatario exiguntur, possunt præstari absque ipsius detrimento, et quin ipsius conditio reddatur deterior; Ac sanè obligatio, quæ ei imponitur, valde exigua est, ac non æstimabilis pretio secundum se, maximè cũ in gratitudinis signum deposcitur. Ex his facilè diluitur, quidquid in contrarium potest afferri.

Quæstio XI An præstare, & accipere pretium pro Gradibus Bacchalaureatus, Licentiatus, & Magisterij sit simonia?

94 RESPONDEO, non esse simoniam. Ita docent D. Antoninus *3. part. tit. 5. cap. 2. §. 6.* Tabiena

verbo,

verbo, Magiſterium, num 11. P. Suarez *lib. 4. de Simonia, cap. 18. num. 15.* P. Leſſius *de iuſt. lib. 2. cap. 35. dub. 13. num. 83.* P. Caſtro Palao *tom. 3. oper. mor. tract. 17. diſp. 3. punct. 10. num. 4.* & communis. Probatur. Gradus ſunt honores Scholaſtici, qui in Academijs tribuuntur, & quædam publicæ, ac authenticæ approbationes ad interpretandum, docendum, conſulendum, & ſimilia, quibus annexa ſunt aliqua priuilegia, immunitates, & commoda temporalia. Sed hæc omnia ſunt naturalia, & pretio æſtimabilia; ergo accipere, & præſtare pretiũ pro his Gradibus non eſt ſimonia, cum hæc ſit ſtudioſa volũtas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, iuxta communem definitionẽ deſumptã ex Gloſſa *in can. qui ſtudet, 1. quæſt. 1.*

95 Hinc in Academijs præfixa ſunt ſtipendia pro Gradibus præſtanda, quæ cedunt in vtilitatem ipſarum, & eorum, qui ibi promoti ſunt ad Gradus. Et quò celebriores ſunt Academiæ, & maiora commoda ex Gradibus ſequũtur promotis ipſis, maiora ſolent ſtipendia ſolui; quod æquitati quidem eſt conſonum, cum æſtimabilior pretio ſit honor in his, quàm in alijs Academijs, acceptus. Vnde in Hiſpania in Academia Salmantina, maiores expenſæ fiunt pro Graduum ſuſceptione, quàm in alijs Academijs, quia celebrior illa eſt, & honores Graduum in ea accepti æſtimabiliores, atque etiam ingentiora commoda ex his Gradibus potiuntur promoti.

96 Sed dices. Collatio, aut inſtitutio Graduum, ſaltem Magiſterij, & Doctoratus pertinet ad Pontificem, & eſt gratia à Sede Apoſtolica dimanans; ergo ſimonia erit, dare, aut accipere pretiũ pro illis; ſicut eſſet, dare, aut accipere pretium pro Beneficijs, quorum inſtitutio, & collatio pertinet ad Eccleſiaſticam poteſtatem. Reſpondeo cum P. Suario, Leſſio, & Caſtro Palao *vbi ſuprà*, Pontificem etiam poſſe inſtituere, vel conferre aliqua temporalia ad ſplendorem rerum ſpiritualium, quin ea ſint materia ſimoniæ, niſi ſpecialiter prohibeantur intuitu virtutis Religionis; eiuſmodique eſſe Gradus, ſeu honores Scholaſticos, quin prohibita ſit ſuſceptio eorum obtenta pretio, quamuis inſeruiant ad ſplendorem ſcientiæ, & doctrinæ, quibus promoti doceant, interpretentur, & conſilium præbeant.

97 Conſtabit id amplius *quæſtione ſequenti*, vbi oſtendemus, diſpenſare pretio ſcientias, etiam Theologiam, docendo, & conſulendo, non eſſe ſimoniam, quia licèt ſint quid ſpirituale, tamen, vt pretio diſpenſantur, ſunt quid naturale, & proximè, ac immediatè non ordinantur ad finem ſupernaturalem; & vt ſic, pretio æſtimabilis eſt traditio doctrinæ, & conſilia exhibita ad erudiendos intellectus, & depellendam ignorantiam. Vnde prædicti Gradus inſtituti ſunt ad ſplendorem etiã hatum functionum, & quatenus eis inſeruiunt, & ad eas ordinari valent, pretio ſunt æſtimabiles.

98 Pontificem autem poſſe inſtituere temporalia aliqua, quæ ad ſpiritualium ſplendorem conducant, & ſin pretio æſtimabilia, eſt certo certius, cũ eius pleniſſima poteſtas circa res omnes Eccleſiaſticas, ac ſpirituales extendatur ad ea omnia, quæ ad illas conducere poſſunt. Indeque cernitur diſcrimen inter Beneficia, & alias gratias à Sede Apoſtolica dimanantes, & honores Graduum; illa enim vel ſũt ſpiritualia, ad animæ ſalutẽ cõducẽtia, vel ad hęc ſpiritualia ordinantur primariò, et ex ſui inſtitutione, propterèaq; ſunt ſimoniæ materia; at honores Graduum nõ ſunt quid ſpirituale ex ſe ad animę ſalutẽ conducens, aut primariò ad id ordinatum; ſed quid temporale ad ſcientiarum doctrinam naturalem ſplendidiùs tradendam, ad prędia eruditorum, et ad commoda, atque immunitates fruendas, primariò inſtitutum.

Quæſtio XII. An docere ſcientias, & ſpecialiter Theologiam, aut Scripturam Sacram, ſit ſimonia, ſi fiat pretio?

99 ALIQVI ſuppreſſo nomine relati à P. Thom. Sanchez *tom. 1. Conſil. mor. lib. 2. cap. 3. dub. 4. n. 1.* dixerunt, docere pretio adhuc artes naturales, eſſe ſimoniam, eo quòd ſiuè artes, ſiuè ſcientiæ naturales, ſint quid ſpirituale. Communis tamen ſententia oppoſitũ rectè docet; quia ſimonia, vtpotè oppoſita virtuti Religionis, verſatur circa venditionem ſpiritualium ſupernaturalium, aut eorum, quæ illis ſunt annexa; at vendere ſcientias, et artes naturales, ſeu pretio illas

doce-

docere, nec virtuti Religionis contrariatur, nec hæ sunt supernaturales, aut alicui enti supernaturali annexę; ergo non est simonia.

100 Vnde dignoscitur, tutò Iurisperitos vendere, seu pretio dare suum patrocinium, vel consilium, quamuis materia, de qua agitur, sit spiritualis, quales sunt causæ matrimoniales, & quæ spectant ad Tribunal fidei circa hæreses, aut aliæsimiles; quippè illud consilium, seu patrocinium, quod pro pretio datur, non est vllo ex capite supernaturale. Et quamuis Iurisperitus, Doctor, vel Magister sint diuites, nec eo pretio indigeant pro sui sustentatione, illud tamen possunt petere, & accipere; cum sit pretio ęstimabile consilium, & documentum. Et quò scientia est excellentior, & Doctor peritior, maius potest pretium comparare; imò & si exiguo vel nullo labore doceat; valet eiusmodi pretio potiri, cum iam ipse scientiam cõparauerit, & eius communicatio, ac in alios transfusio pretium dignè mereatur.

101 Circa Theologiam, vt clarè rem exponamus, assero primò, si sermo sit de Theologia naturali, seu de scientia de Deo, vt author naturæ est, nullam dari simoniam in venditione illius, seu in docendo illam ob pretium; propter rationẽ nuper allatam circa alias scientias naturales. Neq; obstat, esse necessarium ad consequendam salutem æternam notitiã Dei existentis; nam hæc notitia eatenus conducit ad salutem, quatenus est supernaturalis; & de ea, vt supernaturali, infrà distinguemus rationes, secundum quas potest accipi.

101 Assero secundò, si quis haberet Theologiam infusam à Deo ad cognoscendas veritates diuinarum Scripturarum, quæ dicitur interpretatio sermonum, & inter dona Spiritus Sancti connumeratur, esse simoniacum, si illam venderet, quia esset quid supernaturale; ipsaque tunc supernaturalis cognitio pretio communicaretur; cum tamen à Deo infundatur solùm, vt ipse accipiens ad salutem æternam instructior fiat, ac bono, et vtilitati proximorum incumbat. Secùs esset, quando Deus non ad hos fines, sed ad commoda tẽporalia communicaret, seu infunderet alicui v.g. scientiam medicinæ, aut artem fabrilem; tunc enim posset pretio mederi ęgrotis aplicando actiua passiuis, et opera fabrilia pretio conficere.

103 Assero tertiò, non esse simoniam, docere pretio Theologiã, quatenus continet doctrinam conclusionum, quæ ex articulis fidei deducuntur; & doctrinam, seu interpretationem Sacræ Scripturæ. Hoc assertum est commune contra aliquos, quos suppresso nomine citat P. Thom. Sanchez *vbi suprà dub. 5. num. 1.* Quippe hæc Theologia naturaliter comparatur, & immediatè ordinatur ad illustrandum, ac erudiendum intellectum, & non ad finem supernaturalem. Quare in Scholis Cathedræ sunt institutæ ad eam edocendam, et pro Magistris redditus designati; qui non pręstantur pręciso titulo sustentationis, (qui titulus datur, vt Sacerdotes pro Missis, aliarumque rerum sacrarum exercitio accipiant eleemosynas, & decimas,) sed pro valore documentorum, quæ traduntur, cum huius scientiæ traditio sit pretio æstimabilis. Itaque non dantur pretio, seu non venduntur veritates supernaturales, siuè sint conclusiones, siuè alia fidei principia, hoc enim simonia esset, sed scientia, et notitia earum conclusionum traditur, ac communicatur.

104 Hinc simonia esset, si quis reciperet pecuniam, tamquàm pretium, pro docendo doctrinam Christianã, pro concionibus, pro præstando consilio, quod ordinatur ad animæ salutẽ, ad pacẽ conscientiæ, seu ad tollendos scrupulos. Quippè hi actus non ordinantur immediatè ad illustrandum intellectum, sed ad excitandos affectus in beatitudinem, et promouendos ad salutem animos. Cæterùm si casus conscientiæ doceantur, non immediatè ad fines positos, sed ad instruendos intellectus auditorum, vt sciant eorũ resolutiones, potest pretium pro doctrina accipi. Vnde Iurisperitus, et Theologus potest pretium accipere pro studio casuũ conscientiæ, quia labor studij pretio æstimari potest, et per accidens erit, si doctrina per illud parta ad animæ bonum conducat, dummodò ille non ordinet eam, nisi ad instruendum intellectum eius, qui consulit ipsum, aut audit. Sicut, licèt quis Missam nequeat dicere, accipiendo pecunias, tanquam pretium, si tamen profecturus sit ad eam celebrandam ex vno loco in alium, potest eas, vt pretium, recipere pro labore itineris, qui per accidens coniungitur tunc rei sacrę. Aliud quidem est de labore per se conjuncto cum re sacra; vt est labor, qui sustinetur audiendo confessiones, et prestando similia; pro hoc enim pecunia, vt pretium, accipi nequit, iuxta com-

communem, et veram ſententiam; quamuis adhuc in hoc non intercedere ſimoniã, quidam aſſeruerint, quorum meminit P. Thom. Sanchez *vbi ſuprà, dub. 10. num. 2.* Qui non ſunt audiendi, quia ille labor eſt pars neceſſaria ipſius rei ſpiritualis, et ei coniunctus, atque adeò non appretiabilis, cum ſeparari nequeat, vt appretietur. Quis enim queat concionari abſq; aliquo ſtudio, et fatigatione corporali? quis baptizare, quin moueat manum? Et quidem hi labores magis annexi ſunt rei ſpirituali, quàm Beneficium officio diuino, cum ab illo ſeparari valeat, et ſeparetur frequẽter; et tamen eſt ſimonia vendere Beneficium ob eam coniunctionem cum officio diuino, ergo pariter erit ſimonia vendere illum laborem.

105 Non ita contingit in Magiſtris muſicæ, Cantoribus, Citharędis, et pulſantibus organa; cum eorum labor, et ſtudium per accidens coniungatur cultui diuino; pretio namq; ſoluitur artificium, ſuauitas vocum exercita, labor in vſu inſtrumentorum, quæ omnia appretiabilia ſunt, vtpotè à cultu diuino ſeparabilia.

106 Attamen, quamuis pretium pro concionibus (ſicut pro Miſſis, et adminiſtratione Sacramentorum) nõ poſſit accipi, poteſt tamen accipi eleemoſyna pro ſuſtentatione; (dummodo aliunde ob inſtitutum, aut regulam hoc non prohibeatur) Nomineque ſuſtentationis intelligũtur omnia illa, quibus quis vtitur, aut vti poteſt ad vitam commodè tranſigendam. Quare etiam diuites Eccleſiaſtici, et Concionatores, pro Miſſis, et Concionibus accipiunt eleemoſynam; quæ acceptio in praxi eſt omnium Sapientum, et timoratæ conſcientiæ virorum. Etenim eleemoſyna hęc non commenſuratur cũ rebus ſpiritualibus, et ſacris, ſed cum ſuſtentatione miniſtrorum, vt ſcilicèt habeant, vnde ſtatum decentem conſeruent, alijs etiam pro ſua qualitate, et munere ſubueniẽtes. Quare plura ſtipendia non cõferuntur illis ex ſola liberalitate, et miſericordia, ſed ex iuſtitia; vt ſunt decimę, quas qui non perſoluunt, contra virtutem iuſtitiæ peccant, & reſtituere tenentur; eleemoſynæ etiam pro Miſſis ſi non ſoluantur, reſtitutioni ſunt obnoxiæ; ſiue diues, ſiue pauper ſit, qui eas celebrauit; cum iuſtitia reſpiciat æqualitatem rei ad rem, ſine reſpectu ad ſubiecta; indeque ſolùm attenditur ea defraudatio debita ſuſtentationis.

107 Ex dictis infertur, cum P. Thom. Sanchez *ſuprà dub. 11. num. 7. & ſeq.* non eſſe peccatum, libentiùs concionari, vbi maius ſtipendium ad vitæ ſuſtentationem conceditur; & renuere concionem, quando exiguum, vel nullum ſtipendium ſperatur; eſto interſit aliquis charitatis defectus. Præterea colligitur, non eſſe illicitum pactum antecedens de ſtipẽdio, quod eſt præſtandum ad dictam ſuſtẽtationem pro concionibus, ſeu adminiſtratione ſpiritualium. Debet tamen vitari ſcandalum, ne res ſacrę venales cenſeantur. Nec eſt opus, vt accipiens ſtipendium dicat, aut inter ſe expreſſam intentionem habeat, ſe non accipere pecunias, vt pretium, ſed vt ſtipendium ad ſuſtẽtationem; ſufficit enim, non habere intentionem accipiendi illas vt pretium; & accipere eas, vt alij accipere ſolent.

108 Itaque hæc ſit regula fixa. Solùm reperitur ſimonia, cum pretium datur, & accipitur pro re ſpirituali, aut per ſe coniuncta cum ſpirituali, titulo pretij, tamquam in emptione, & venditione; non verò ſimonia intercedit, quando accipiendo ſpirituale, retribuitur quid tẽporale, alijs titulis; quales ſunt, pro ſolutione obligationis legis Eccleſiaſticæ, aut conſuetudinis, vt, cum decimæ, ac primitiæ ſoluuntur; aut pro ſuſtentatione miniſtri; vel per modũ liberalis doni, aut eleemoſynæ; vel demum ob reuerentiam Sacramenti, aut rei ſacrę, quam quis vult oſtendere externo ſigno cõtributionis alicuius rei temporalis, ſicut in reuerentiam Sanctorum plures eleemoſynæ conferuntur.

109 Sed quid tenendum, ſi concionator, aut miniſter aliarum rerum ſpiritualium intendat, vt finem principalem, ſuſtentationem, an ſimoniacus erit illud accipiendo? P. Thomas Sanchez *vbi ſuprà dub. 12.* contra plures, imò cõtra ferè omnium communiorem ſententiam docet, non eſſe adhuc ſimoniacum, dummodò non intendat recipere quid tẽporale, vt pretium, ſed, vt dixi, tamquam ſtipendium ad ſuſtentationem. Quia non datur in eo ſtudioſa voluntas recipiendi aliquid temporale pro ſpirituali, quæ eſt ſimoniæ eſſentia, in qua conſtat, ſubintelligi vt pretium; cum enim intercedit pretium in contractu, datur hoc pro illo, commenſurando valorem vnius ad aliud; at in præſenti non datur ea commenſuratio valoris rei ſpiritualis, ſed attenditur ad ſuſtẽ-

tationem

tationem miniſtri. Imò à peccato mortali liberat hic Author eum, qui illū finem haberet, quia ſolùm daretur appetitus inordinatus temporalium, qui eſſet peccatū veniale deordinationis ad finem, qui finis non eſt illicitus lethaliter; ſicut ſi quis celebraret Sacrum principaliter ob vanā gloriam, ſolùm peccatum veniale patraret, quia ea ordinatio non eſt ad finem lethaliter illicitum, ſed venialiter; eſto intra genus venialis eſſent hæ culpæ graues. Hęc ſententia, & quia rationi rectæ innititur, & quia benignior eſt, tollens ſcrupulos, qui poſſent facilè inſurgere, mihi placet, & tutam iudico in praxi. Et quidem, quamuis frequentiùs accidat, ſtipendium temporale eſſe motiuum, quo ceſſante, ſæpè abſtineretur à concionibus, & ab adminiſtratione aliquorum ſpiritualium; tamen bonorum temporalium cupiditas adeò ſolet animos occupare, vt poſſit timeri, nonnullos, vt finem principalē, in eiuſmodi functionibus ſtipendium reſpicere; quos hæc opinio à labe ſimoniæ, & à peccato lethali liberat. De ſimonia, & de reſtitutione propter illā debita præſtrinxi non pauca *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 34. à num. 83.* Vbi Authores retuli latè de hac materia diſputantes. Et *diſp. 35. num. 13.* firmaui aſſertum ſuprà ſtabilitum, nempè docere pretio Theologiam, non eſſe ſimoniam; quia, licèt obiectum Theologiæ ſit ſupernaturale, docendi tamen modus eſt naturalis. Docent ita Cardinalis Toletus *in ſum. lib. 5. cap. 88. à num. 3.* P. Suarez *lib. 4. de ſimonia, n. 7.* P. Caſtro Palao *tom. 3. diſp. 3. punct. 10. num. 2.* Fauet Gloſſa *in cap. Vēdentes, 1. quæſt. 3. & in cap. Qui ſtudet, 1. quæſtion. 1. & in capit. De quibuſdam, 37. diſt.*

Quæſtio XIII. Quomodo obligentur Magiſtri, Doctores, & Licentiati iuramento ſeruandi ſtatuta Academiæ.

110 SOLENT hi, qui ad Gradus promouentur in Academia, præſtare iuramentum ſeruandi ſtatuta illius; & inquirimus, quo pacto illos obliget hoc iuramentum? Concluſio ſit, eos adſtringi eo genere obligationis, quo ipſa ſtatuta obligant; ita vt, ſi ſtatuta obligent ſolùm ad pœnam, id iuramentum ſolùm ad pœnam obliget; ſi verò ad culpā mortalem, aut venialem, ad eamdem culpam adſtringat. Ita tenent Bonacina *tom. 2. diſp. 4. quæſt. 1. de Iurament. punct. 16. num. 6.* P. Salas *de legib. diſp. 15. ſect. 1. num. 16.* P. Thomas Sanchez *lib. 3. ſumm. cap. 14. num. 2.* P. Caſtro Palao *tom. 3. oper. mor. diſp. 2. punct. 7. §. 5. num. 6.* cū aliis, quos ipſi referunt.

111 Probatur; quia Iuramentum interpretandum, ac intelligendū eſt iuxta naturam actus, cui adiungitur, vt cū Nauarro, Rodriguez, Claui regia, & aliis docet Machado *de perfecto Confeſſario, tom. 2. lib. 6. part. 3. tract. 2. doc. 5. n. 3.* Et ego tradidi *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 34. n. 144.* Vnde, ſi ſtatuta, quorum obſeruationi adiungitur iuramentum, non obligant niſi ad pœnam, ad hanc ſolùm obligabit iuramentum; ad culpam verò, ſi illa ad culpā adſtringant. Etenim, cum quis aliquam legem ſeruandam iurat, intendit, quod illā ſeruabit eo modo, & ſub ea obligatione, ſub quibus illa recepta eſt; cum iuramentum ſit legi acceſſorium, & iuramenti obligatione ſolùm quis velit eam obligationem firmare. Quare, ſi obligatio eſt dumtaxàt ſub pœna, vel obligatio ad leuem culpam, ex iuramento eadem obligatio reſultabit.

112 Confirmatur primò ex *Clementina 1. §. cum igitur, verſu, Declaramus, de verborum ſignific.* Vbi Religioſi Ordinis ſacri Minorum vi voti, quod emittunt, ſeruandæ ſuæ regulæ, non obligantur ad nouam culpam, quando regula eā culpam non indicit. Quod ex ratione facta prouenit; nempè quia, cum vouetur, aut iuratur obſeruatio legis, ſolùm intenditur firmare amplius obſeruātiam illius, non verò augere culpam, ſi non obſeruetur, præter culpam, ad quam ipſa lex obligat. Et certè iuxta communem Authorum ſenſum iuramentum promiſſorium, quatenus promiſſionem includit, æquiparatur voto; Si autem quis vouet, v. g. abſtinere à peccatis venialibus obſeruando præcepta, quæ ad culpam venialem obligant, etiam ſi illa frangat, non peccat, niſi venialiter; quod tenet, etiam ſi quis ea vota emiſerit, animo obligandi ſe ad culpam mortalem, vt cum Diana, Caramuel, & aliis docui *tom. in Bull. Cruc. diſp. 26. n. 9.* Vbi ſtabiliui, ſolùm obligare ſub mortali votum in materia graui, & ſub veniali votum in materia leui. Quod iuramento pro-

promissorio applicandum est quoad implectionem promissionis.

113 Confirmatur secundò ex praxi communi virorum Sapientum, & timoratæ conscientiæ, in iuramentis, quæ præstant, seruandi statuta, seu Constitutiones Academiæ, vel Collegij, & tamen earum violationem non iudicant peccatum mortale, nisi ipsæ ob grauitatem materiæ ad mortale obligent, secluso iuramento. Quòd si ratione materiæ solùm ad veniale adstringunt, peccatum veniale censetur earum transgressio, esto grauius ratione iuramenti superadditi. At, si ad nullam culpam obligent, nisi ad pœnam, ratione iuramenti violatio precisè sumpta non erit culpa; erit tamen culpa, non acceptare, aut subire pœnam. In quo etiam considerandum est, an acceptatio, seu tolerantia pœnæ ex vi Constitutionis sit toleranda absq; sententia Iudicis, aut Rectoris, an post sententiã? rationeq; iuramenti tenebitur quis ad illam eodem modo tolerandã. Rursus erit obseruandum, an pœnæ materia, attenta ratione pœnæ, sit grauis, vel leuis; Nam, si grauis sit, tenetur eam subire iurans ex duplici capite, tum ratione Constitutionis ad id obligantis, tum ratione iuramenti; Quòd si nolit subire, peccatum committet graue cum circunstantia mutante speciem, ob iuramentum superadditum. Si autem sit materia leuis, peccatum veniale in non subeundo patrabit, esto in ratione venialis sit grauius ob iuramenti circunstantiam; quæ pro Togatis in Collegijs præ oculis habenda sunt.

114 Hinc, cum iniungitur Academicis, vt aliquam actionem in Cõstitutionibus, statutis, seu Ordinationibus contentam exequantur, *pœna præstiti* adiuncta, nempè pœna præstiti iuramenti de obseruandis prædictis Statutis, & Ordinationibus; non ideò peccabunt lethaliter, quòd non exequantur, si ipsum Statutũ, aut Ordinatio ad mortale non obligat; sed vel ad pœnam, vel ad culpam grauem, aut leuem tenebuntur, ad quam illa adstringunt, (vt latiùs infra dicam *lib. 3. à num. 77.*) Nec etenim in ea pœna præstiti communiter quidquam intenditur addi, nisi applicatio ad talem materiam determinatam contentam in materia, quam generaliter iurauit quis adimplere; estque velut designatio temporis, in quo aliquod statutum positiuum est obseruandum; cũ enim statuta positiua, sicut & præcepta positiua non obligent pro semper, designatur iuxta rerum occurrentiam tempus, in quo hoc, vel illud obliget iuxta sui naturam. Dixi *communiter*, non intendi, nisi eam designationem temporis, nam pro re nata potest Iudex sub censuris præcipere alicuius Statuti adimpletionem, quæ propter occurrentes circunstantias contineat materiam grauem, quòd præceptum sit etiam de adimplendo iuramento seruandi illud statutum; quo casu ratione censuræ annexæ pœnæ præstiti, violatio, vt potè contumax inobedientia in materia, quã supponimus futuram esse graue, erit peccatum lethale.

115 Sed contra adhuc stabilita oppones. Iuramentum promissorium duplicè veritatem includit, aliam de præsenti, aliã de futuro. Si veritas de præsenti deficiat, eo quòd non detur animus adimplendi rẽ iuramento promissam, est peccatum mortale periurij, quãuis materia iurata sit leuis, vt omnibus est in confesso; ergo similiter, si deficiat veritas de futuro, non adimplendo rem promissam, quantumuis materia sit leuis, erit peccatum mortale periurij; siquidem Deus adducitur in testem vtriusque veritatis, tum animi adimplendi rem iuratam, tum adimpletionis futuræ; &, si hæc desit, redditur Deus testis falsi; generaliter autem loquendo, peccatum mortale patratur, quoties Deus in testem falsi adducitur. Quod quidem nõ reperitur in voto materiæ leuis, in quo datur promissio in Dei cultum, absque eo quòd Deus ipse adducatur in testem; quare & si materia illa leuis non adimpleatur, non fit Deo nisi leuis irreuerentia, cũ Deus non reddatur testis falsi.

116 In primis hoc argumentum non solùm impugnat assertionẽ positam de iuramento seruandi statuta in Academijs, & Collegijs, verùm etiam sententiam affirmantem, iuramentum promissorium cuiuscumque materiæ leuis nõ obligare sub mortali ad impletionem illius. Et mihi sufficit, propositam assertionem ea præditam esse veritate, qua est illa sententia; quam saltem communiorem, & tutam in praxi esse, nullus ibit inficias. Vnde, quod in ea sententia ad obiectionẽ factam omnes responderint, id etiam & ego respondebo; &, si quæ statim dicam, displiceat, reddant alij mihi solutionem veriorem, & eam amplectar.

117 Deinde respondeo, aliter afferri Deum veritatis de præsenti testem,

ac

ac veritatis defuturo, discrimenq; etiam ab aduersario esse præstandum. Etenim ita adducitur in testem veritatis de præsenti, vt nulla sub conditione, nec contingentia physica, aut morali, debeat ea veritas dari, seu ille animus adimplendi rem promissam. At in veritate de futuro plura possunt intercedere, quæ eam impediant absque vlla culpa iurantis; nempe si relaxetur iuramentum, aut commutetur, vel in eo dispensetur; si materia reddatur physicè, aut moraliter impossibilis, & alia huiusmodi; ergo diuersimodè se habent illę veritates. Ratio à priori est, quia iurans nequit certò scire, ac præuidere, quę futura cõtingentia sunt; solùmque valet agnoscere intentionem, & animum, quem de præsenti habet, & quia animus est circa futura, dicitur, in iuramento debere adesse veritatem de futuro; non quia necessariò, aut liberè sit ponenda ea veritas infallibili illatione, cum in casibus positis, absque culpa iurantis, non ponatur. Quare iuramentum circa veritatem de futuro requirit intentionem, & ex vi illius tenetur quis ad ponendam materiam ea obligatione, qua materia ipsa potest obligare; quòd si non ponat, de nouo non adducit Deum in testem falsi, sed deficit in adimpletione rei promissæ.

118 Quod sic explico. Iuramentum promissorium continet duo, & promissionem communiter, & adducere Deum in testem. Hoc secundum respicit animum, & intentionem iurantis, eisque commensurandum est, vt dignoscatur, an Deus adducatur in testem falsi, aut veri. Peracto iam iuramento, quasi finitur tota secunda ratio iuramenti, & sola manet prima, nempè promissio; atque adeò rectè æquiparatur voto, indeque satisfit discrimini, quod inter iuramentum, ac votum obiectio obtendebat; nam post peractum iuramentum, nihil aliud remanet, quàm vis promissionis.

119 Demum respondeo; sicut, cum quis vouet, debet attendi ad animum se obligandi, quem habet, vt inde noscatur, qua obligatione sit adstrictus, vt sentiunt omnes Authores; ita, cum quis iurat, ad eumdem animum debere attendi in obligatione, quam suscipit, adimplẽdi promissi. Iurans ergo adimpletionem cuiuscumque rei non intendit se obligare ampliùs, quam ipsa res, & materia ratione sui obligare queunt, sed firmitatem addit obligationi; Veluti cum quis iurat asserti uè affirmando rem, non intendit, vt credatur illam rem habere maiorem veritatem, quàm si non iuraretur; sed vult eamdem veritatem magis firmare. Vnde, cum iuramentum de seruãdis statutis possit esse de materia solùm obligante ex se ad pœnam, vel ad culpam leuem, ex non adimpletione illius nõ infertur peccatum mortale; sed iuxta iam dicta philosophandum erit. Et certè nullus, credo, asseuerabit, teneri quem maiori obligatione ad rem promissam adimplendam, quando iurauit eam adimplere, ac quando emisit votum eam ad implendi; esto in prolatione iuramenti fuerit maior vis ex coniunctione iuramenti ipsius, quo Deus in testem veritatis modo dicto est adductus, & simul promissionis Deo factæ directè, aut indirectè. Quòd si responsiones præstitæ non placeant, dicito (& forsan veriùs) in iuramento promissorio Deum adduci testem veritatis de præsenti; at respectu, veritatis de futuro, afferri vt interuentorem summæ dignitatis. Et, sicut vir illustris vocatus, vt interueniat alicui fœderi, aut pacto, si postea id non seruetur, offenditur iustè, & displicet grauiter, aut leuiter iuxta materiæ qualitatem; sic etiam Deus, interuentor adhibitus, si non adimpleatur promissio, grauiter, aut leuiter offenditur iuxta qualitatem materiæ; Et non adimplens est periurus ea significatione, quę comprehendit vel Deum falsò adductum in testem, vel adductum, vt interuentorem ad promissionem non impletam, & ex hoc capite falsam.

120 Scio, posse dari iuramentum promissorium absque promissione, si iurans expressè intendat non promittere, sed assertionem de futuro iuramento firmare, sicut comminatio, quæ est assertio defuturo comminatoriã, & non est promissio, iuramento valet firmari, vt docet P. Lessius *de iustit. lib. 2. cap. 42. dub. 11. num. 53.* Pater Suarez, & Pater Thomas Sanchez, quos refert, & sequitur P. Castro Palao *tom. 3. oper. moral. tract. 4. disp. 2. punct. 1. num. 3.* Scio etiam, posse promissionem iuramẽti esse ex se nullã, & tamẽ ratione iuramẽti obligari quę aliquãdo ad rẽ promissã exequẽdã; sic promissio vsurarũ nulla est, & tamẽ si quis iuret soluere illas, teneri ad soluendũ iuxta *cap. debitores de iureiurãdo;* Sed his non obstãtibus, asserta tenent. Quippè semper promissio includitur in voto; &, dum non datur intentio reflexa non

promittendi, intelligitur esse promissum. Deinde non inficior, obligationem iuramenti non pendere absolutè à promissione, & præcisè quia quis iurauit, teneri ad rem iuratam, & sic superiùs exposui violationem iuramenti per respectum ad eam obligationem, vt enim *in leg. Non erit, ff. de iureiurando*, habetur; *Dato iureiurando, non aliud quæritur, quàm an iuratum sit; Remissa quæstione, an debeatur, quasi satis probatum sit iureiurando*; Vnde; & si ex alio capite debitum non subsisteret, ex solo iureiurando deberetur. Cæterùm contendimus adhuc, hanc obligationem iuramenti, quę ex se grauis est, sicut est obligatio voti, ex leuitate materiæ promissæ reddi leuem; quòd stat cum eo, quòd aliquando in iuramento propositum, & non promisio includatur; & cum eo quòd resultet obligatio ex iuramento, & non ex promissione.

Quæstio XVI. An Candidatus Cathedræ, qui in lectione Oppositionis defecit, quin expleret horam, vel qui non legit eam lectionem, sit habilis ad Cathedram obtinendam?

121 DICO primò. Qui defecit in lectione, vel non legit, ob imperitiem, & ignorantiam (quod rarò accidet) non est habilis ad Cathedram obtinendam, nec pro eo potest consilium, aut suffragium præstari. Ratio est in promptu, quia ad obtinendam Cathedram, & docendum alios est necessaria scientia, & doctrina; ea autem caret, qui nequit legere absolutè, aut explere lectionem prę imperitię; nec enim sufficiens scientia ad docendum, & Cathedram obtinendam potest præsumi in eo, qui non valet spatio viginti quatuor horarum lectionem disponere, ex his eam conflando, quæ didicit, & legit.

122 Dico secundò. Qui defecit in lectione, eo quòd memoria ei defecerit, vel aliqua superuenerit infirmitas, & etiam, qui absolutè non legit infirmitate impeditus, habilis est ad Cathedram obtinendam; vnde, si de eius sufficienti doctrina aliunde constat, & dignior cæteris Oppositoribus iudicatur, potest pro eo suffragium ferri. Ita Baldus *ad leg. sed & reprobari, §. amplius, ff. de excusat. tutor.* Decius *in cap. Constitutis, notatione 4. de appellat.* Thomas Hurtado *tom. 2. Resolut. moral. tract. 12. cap. 1. num. 1608.* Probatur, quia ille habet requisita essentialia ad Cathedram obtinendam, & docendum alios, & per accidens defecit in lectione, aut non legit. Supponimus enim, in eo dari sufficientem scientiam, & doctrinam, quę coniunctæ cum claritate, & facilitate in explicando sunt requisita ad obtinendam Cathedram, ac erudiendum alios.

Confirmatur primò ex praxi Academiarum, in quibus non reijcitur, nec inhabilis declaratur, qui in lectione defecit, aut propter infirmitatem, similemvè legitimam causam non legit. Imò non semel Cathedram obtinet, qui ea de causa non legit. Confirmatur secundò quo ad eum, qui in lectione defecit. Nam in oppositione ad Canonicatus in Ecclesijs censetur adhuc habilis ad eos obtinendos, qui in lectione, aut concione defecit, sicut plures docti viri in casu occurrenti circa Oppositorem Canonicatus Almæ Ecclesię Hispalensis censuerunt, vt refert Thomas Hurtado *vbi suprà*, addens insuper, in alia Cathedrali Ecclesia de facto obtinuisse præbendam Oppositorem, qui in concione defecit. At æquè saltem, imò strictiùs, vt infrà dicam, requiritur lectio, aut simul etiam concio ad Canonicatum obtinendum media Oppositione, ac ad Cathedrã adipiscendam; ergo hæc potest obtineri ab eo, qui in lectione defecit.

123 Sed oppones primò. Statuta Academiarum requirunt, vt per integram horam in Oppositione legatur, & in Academia Salmantina, si oppositio sit ad Cathedras Primarias, per horam & dimidiam; ergo, qui non adimplet hæc statuta, inhabilis est ad Cathedras obtinendas; & esto excusationem legitimam habeat is, qui infirmitatis causa deficit, & qui non legit, at qui deficit in lectione propter defectum memoriæ, excusatione caret; nec videtur, statuta circa hunc benignam interpretationem posse sortiri, sicut circa illum. Confirmatur primò; nam lectio est quoddam examen ad obtinendam Cathedram; ergo, qui examini non satisfacit, nequit eam obtinere. Confirmatur secundò, quia pariter inde fieret, vt posset quis Cathedram obtinere, quamuis plu-

pluries defeciſſet in lectione, imò quamuis defeciſſet in omnibus lectionibus, quas antecedenter ad Cathedras obtinendas habuiſſet ; quod ex ſe videtur abſurdum. Confirmatur tertiò, quia iudex ſecundùm allegata, & probata debet iudicare ; ſed in Oppoſitionibus lectiones ſunt allegationes, & probationes ſcientiæ Candidatorum ; ergo iuxta illas eſt iudicandum, ſuffragandum, & conſiliandum. At, ſi quis in lectione defecit, allegatio, & probatio eſt contra illum ; ergo nequit ei Cathedra conferri.

124 Reſpondeo, ſtatutum non iniungere lectionem, tamquam quid omnino eſſentiale, ſed vt in ea conſtet amplius, quantum vnuſquiſque doctrinæ habeat ; &, quia poteſt contingere, aliquos aliunde ad Academiam venire pro Cathedris obtinendis, & eorum non dari notitiam, & famam ; cum tamen poſſint eſſe in ſcientia eminentes ; & hi quidem in lectione ſuam doctrinam manifeſtare valent. At, cum in Academia conſtat de alicuius doctrina, & pluribus litterarijs experimentis eſt probata, ſi fortuito caſu præ memoriæ defectu in lectione defecit, ſtatutum non intendit eum reddere inhabilem. Cuius ſignum à poſteriori eſt, quòd in euentibus, in quibus aliqui defecerunt in lectione, eorum Cooppoſitores non intenderunt, eos fore, vt inhabiles, reijciendos, cùm tamen ipſorum interſit, pauciores experiri aduerſarios, nec in ſollicitando vndequaque ſui iuris emolumento ſegnes, & deſides ſe oſtendant.

125 Hinc ad primam confirmationem reſpondeo, lectionem Oppoſitionis eſſe examen reſpectu eorum, quorum ſcientia non eſt adhuc manifeſta in Academia ; reſpectu autem aliorum, qui, vt periti, apud omnes ſunt in æſtimatione, eſſe examen quaſi acceſſorium, ſeu eſſe nouum experimentum ſcientiæ ; cui ſi plenè ſatisfaciant, eorum fama, ac approbatio augetur ; ſi verò nõ ita plenè aliquando faciant ſatis ob memoriæ defectum, non inde decreſcit opinio concepta de eorum eruditione ; cum in pluribus actibus litterarijs fuerit probata. Pone nãque, Moderatorem Cathedræ Veſpertinæ virum Sapientiſſimum, plurimis iam annis in Academia notum, magnique habitum, in Oppoſitione ad Cathedram primariam in lectione propter memoriæ fortuitum defectum non poſſe totum tempus præfixum inſumere, & aliunde ceteros Oppoſitores valde inferiores eſſe ſapientia ; Quis illum Cathedra primaria æquo iure priuaret, aliumque ei anteponeret? Et certè accidit ſæpè, vt quis multò inferior doctrina aliquam lectionem eruditiùs, & ingenioſiùs habeat, quàm alij ; vel quia fortè incidit in materiam magis à ſe exploratam, vel quia à ſapiente aliquo viro iuuamen eſt ſortitus ; non tamen propterea cæteris eſt anteponendus, cum de exceſſu ſcientiæ aliorum conſtat per repetita exercitamenta litteraria. Vnde cernitur, lectionem non eſſe examen, quaſi vnicum ; & rigoroſum, nec ſolùm ad illam attendi, Statutum Academiæ intendiſſe.

126 Ad ſecundam confirmationem reſpondeo, deſtitui ab arguente ſuppoſitionem factam ; ſuppoſuimus enim, eum, qui defecit in lectione, aliũde eſſe virum apprimè doctum, & ſic poſſe pro illo ſuffragium ferri ; At, ſi pluries, aut quoties legit, in lectione defecit, apprimè doctus non eſt ; nec enim viro docto deficeret ſemper materia ad lectionem, cum ex notitijs præhabitis poſſit vir doctus integrum tempus lectionis in ſumere ; & quod aliquando eſt caſus fortuitus, non ſemper debet præſumi talis, ſed potiùs præſumeretur parùm doctus, & Cathedra indignus ; vnde ei nequiret ſuffragium præſtari. Cum quo ſtat, vt non remaneret inhabilis, cum inhabilitas non inducatur ex eo defectu iuxta dicta ; non tamen omnes habiles ad Oppoſitionem Cathedram merentur ; ſi quidem digniori eſt concedenda ; & minùs digni etiam habiles ſunt.

127 Ad tertiam confirmationem aſſero, allegata, & probata in Oppoſitione non ſolùm eſſe lectionem, quę in illa habetur, ſed etiam reliqua experimenta litteraria antecedenter ab Oppoſitoribus facta, & famam, ac opinionem publicè de ipſorum doctrina conceptam ; iuxta iam dicta. Quod exinde liquet, quia ipſi, dum Iudices, aut ſuffragantes de ſuo iure informant, omnes actus litterarios antecedentes ob oculos proponunt, vt motiua, ac titulos, ob quos Cathedræ benemeriti cenſeantur. Ceterùm, ſi in Oppoſitione Cathedræ omnes concurrentes eſſent incogniti, tunc iuxta ſolius lectionis qualitates foret iudicandum, non enim alia allegata, & probata, iux ret iudicium.

128 Oppones secundò. Non est habilis ad obtinendum Canonicatum per oppositionem is, qui non legit absolutè, aut non concionatur, si opus concione sit, esto id omittat propter ægritudinem superuenientem; quantumuis, sit vir sapientissimus, & fama, ac opinione clarus; vt docet Thomas Hurtado *vbi suprà à num. 1603.* vbi probat, electionem de illo factam esse nullam. Præterea non est habilis ad beneficium obtinendum per cō cursum, qui ab examinatoribus Synodalibus non examinatur, quamuis examini non interfit ægritudine impeditus, esto sit Doctor, aut Magister celeberrimus, imò & Vicarius Episcopi; vt tuentur Barbos. *de potestat. Episcop. allegat. 61. num. 86. & allegat. 72. num. 120.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. Gloss. 4. num. 90* Garcia *de benefic. part. 9. cap. 2 num. 202.* Zerola *in praxi part. 2. verbo Doctor, §. 1.* Ergo, qui in Oppositione ad Cathedram non legit etiam infirmitate præpeditus, non est habilis adeam obtinendam, cum eadem ratio vtrobique militare videatur.

129 Respondeo, admisso antecedenti, negando consequentiam. Dispar enim est vtrobique ratio; Nam ad eiusmodi Canonicatus obtinendos Sixtus IV. & Leo X. in suis Bullis Apostolicis decernunt, vt præcedat examen, & non aliter, nisi præuio examine, conferantur, quare examen est requisitum pro forma electionis ad Canonicatus; sicut etiam ad beneficia præfata requiritur examen pro forma electionis ad illa; Examē autem ad Canonicatus est lectio, aut etiā simul concio; vnde his deficientibus, deficit requisitum, & forma, quam Pontifices iniungunt. Secùs in Oppositione ad Cathedras cōtingit; vt enim ostendimus, lectio non est examen quasi vnicum, nec requiritur vt forma, sed iniungitur ab statutis Academiæ velut nouum experimentum doctrinæ; & solummodò rationem examinis sortitur, quando aliquis aliunde non est cognitus, nec de eius doctrina datur experientia. Imò & si hic infirmitate detentus non legeret, quamuis non posset ei Cathedra conferri, cum de eius sufficienti doctrina non constaret, tamen non declararetur inhabilis ad Oppositionem, iuxta communem interpretationem, & acceptionem Statuti Academiæ.

130 Et quidem etiam iuxta naturas datur discrimen; Academijs ipsis plura fiunt experimenta litteraria, quæ omnibus sunt manifesta, indeque iudicium rectum potest comparari de scientia, & meritis Oppositoris, quin detur locus fallaciæ, quāquis ille aliquando non legat præ ægritudinis obstaculo. At in Ecclesijs vel nunquam antecedenter, vel rarò alia experimenta litteraria fecit is, qui postea non legit, aut non concionatur; & aliundè fama, ac opinio non semper sunt probationes certæ, maximè si è longinquo dimanent. Vnde rectiùs exigitur præuium examen media lectione, aut concione simul ad Canonicatus obtinendos, tamquam forma, & requisitum essentiale, quàm ad Cathedras adipiscendas.

131 Et independenter ab hoc discrimine, stant Constitutiones prædictorum Pontificum, iuxta quas tenetur Thomas Hurtado consequenter asserere, cum, qui infirmitate impeditus non legit in Oppositione ad Canonicatum, non esse habilem, nec posse eligi; quamuis Canonicatus sit Ecclesiæ, quæ extat in loco, vbi est Academia, & ille in ea sit opinione clarus, atque de ea manifestè electoribus constet. Quod mihi non omnino probatur; nec desunt rationes ad oppositum. Sed in ordine ad assertum huius nostræ quæstionis, vel ille censendus est habilis ad Canonicatum, vel non? Si secundum, disparitatem reddidimus inter eum, & Oppositorem ad Cathedram. Si primum, nostra assertio manet inde magis roborata.

132 Sed adhuc contra disparitatem traditam dices; si lectio, aut simul etiam concio requiritur vt examen omnino necessarium ad obtinendum Canonicatum, & vt forma iuncta à Pontificibus, sequitur, eum, qui in lectione, aut cōcione deficit præ memoriæ fragilitate, aut præ infirmitate superueniente, non manere habilem ad Canonicatum obtinendū, nec posse pro illo præstari suffragium, cum non detur id examen necessarium, quod, tamquam forma, requiritur; ergo minùs rectè à paritate illius confirmauimus nostrum assertum de deficiente in lectione Oppositionis ad Cathedrā.

133 Respondeo, Authores ipsos, qui negant, esse habilem ad Canonicatum obtinēdū eum, qui omnino nō legit, adhuc ex legitima causa, concedere, eum esse habilem, si legat, aut simul etiam concionetur, quamuis in lectione, aut cōcione deficiat. Mihi autem non incum-

bit

bit in præsenti explorare, qua consequentia loquantur de vtroque; vnde sumpsi propositionem, quam vt veram tradunt, & inde meam assertionem rectè à paritate confirmo; Et quamuis nec esset vera ea propositio, nec fieri posset paritas, assertio posita staret, cum etiam independenter ab illa fuerit probata. Deinde assero, Authores prædictos negare sequelam in obiectione propositam, & disparitatem reddere, quia is, qui defecit in lectione vel concione, iam se publico examini subiecit, & Pontifices non determinant horam integram, hęc enim est introducta consuetudine Ecclesiarum; & sub hoc statuto nō veniunt casus fortuiti, & absque culpa cōtingentes; & vbi non datur culpa, nec deficit absolutè forma, seu examen, consuetudo illa, ac statutum benigniùs est interpretandum, ita vt damnum inhabilitatis non proueniat Oppositori. Quæ doctrina magis adhuc sustineri, & approbari potest, si ille non defecit initio lectionis, aut concionis.

Quæstio XV. Quæ conditiones, & qualitates requirantur in Candidatis? Vbi de nomenclatura Candidatorum.

134 CVM de Candidatis agere cæperimus, non erit abs re quæstionem exornare, eorū nomenclaturam aperientes. Militare est nomen Candidatorum, quo insigniebantur selecti, & præcipui ex militibus Prætorianis, qui Imperatorem stipabant, & tuebantur, quorum ornatus, ac vestis illud nomē dederunt; Id satis indicat Vegetius *lib. 2. de re militari c. 7.* ibi; *Erant & secundùm annonam Candidati duplares, Candidati simplares. Hi sunt milites principales, qui priuilegijs muniuntur.* Duplares autem, & simplares secundùm annonam dicuntur, quia militibus pro dignitate, & varietate Scholarum, quibus nomen dederant, assignata erat annona, & pecunia, vt constat *ex leg. vltim. Cod. de offic. Præfect. Præt. Afric.* Hanc Candidatorum cohortem instituit Gordianus Senior Imperator, & à suo nomine voluit Scholam vocari cohortem seniorem, vt ex Chronico Alexandrino, seu ex Fastis Siculis refert Bessoldus *dissertatione de Studiosis, capit. 4. pagin. 58.*

135 Exinde nomen Candidatorum translatum est in vrbe Romana ad eos, qui aliquem Magistratum petebant; de quibus videri possunt Martinus *verbo, Candidatus;* Pontanus *in progymnasm. 16. fol. 315.* Etenim toto tempore, quo Magistratum ambibant, toga candida induebantur; & supra natiuam albedinem, vt aliqui aiunt, candorem togæ addebant, lotionis beneficio, & temperamentis ad id opportunis. Hac veste ornati incedebant in campo Martio ante Calendas Ianuarias, qui ambibant, eligi eo die in Consules, aut in alia Munera, vt passim apud Ciceronem, & alios fit mentio. Is autem color candidus præ cęteris assumebatur, vt eum gerentes iudicarentur, animo esse candido, ac integro; interioremque pectoris ornatum cum exteriori conformari; vel vt significarent, se candidè, & iustè administraturos esse Dignitatem, quam petebant; quippe color albus est simplicissimus, lucisque plenus. Quare etiam in sacris litteris adstruitur hic color, vt index sanctimoniæ, fœlicitatis, ac lętitiæ; vt constat ex Matthæi *cap. 17. vers. 2.* ex Ioann. *capit. 20. vers. 12.* ex Actib. Apostol. *capit. 1. ver. 10.* ex Apocalips. *cap. 3. vers. 4. cap. 4. vers. 4. cap. 6. ver. 11. cap. 7. v. 9. & 13. cap. 19. vers. 14.* Et ex pluribus alijs locis. Hinc olim, qui nuper sacro baptismi lauacro fuerant abluti, candidis vestibus vtebantur, & quia Dominica die post Resurrectionem Domini, qui fuerant cathecumeni, baptismum recipiebant, & vestimentis albis procedebant induti, vocat Ecclesia eam diem *Dominicam in albis;* quo sane colore ostendebatur puritas, & gratia, quam, detersis omnibus animæ sordibus, baptismi Sacramentum pręstiterat.

136 Sed adhuc vox Candidatorum latiùs fuit extensa, ita vt per eam significentur, quicumque ambiunt, aut optant quamlibet dignitatem, munus, honorem, scientiam, aut fœlicitatē. Hinc Plinius *in Panegyri ad Traianum* dixit *Candidatos gloriæ, & immortalitatis;* Quintilianus *libr. 12.* vocauit *Candidatos eloquentiæ.* D. Hierony. *ad Pamach.* nuncupat Cathecumenum *Candidatum fidei.* Tertullian. *lib. de præscript.* quemdam appellat *Æternitatis candidatum;* Et *lib. 2. aduersus Marcion.* Adamum, & Euam describit

bit *Restitutionis candidatos*; hoc est, prioris fœlicitatis recuperandæ cupidos. Et præterea idem *lib. de corona militis*, dicit *Candidatos diaboli* eos, qui illius obsequio mancipantur, quasi auidos obsequiorum, quæ infami adeò tyranno præstent.

137 Vnde cernitur, nomen Candidati in ea iam esse significatione, vt quilibet petens, vel ambiens præmium, aut munus Candidatus dicatur; & inde eo nomine significamus illos, qui petunt Cathedras, Collegia, munera in Senatibus, Prębendas in Ecclesijs, sententias adfauentes in litibus, & similes. Ad Candidatos autem præmiorum in Academijs, & Togarum in Collegijs rectè à militia id nomen fuit translatum, cum exercitamenta litteraria sint ingeniorum pugnæ, ac certamina, quibus tela argumentorum iaciuntur, & veritatis clypeo propulsantur.

138 Igitur ad conditiones, & qualitates requisitas in Candidatis deueniamus. In primis nequit publicè docere in Academijs, (nisi aliud per statuta permittatur) qui Gradum Bacchalaureatus non accepit. Et quidem in Academia Salmantina requiritur, vt quis in ipsa ad eum Gradum fuerit euectus, aut saltem in illa incorporatus. Nec potest quis absque eiusmodi Gradu regere Cathedram pro alio substitutus. Quare, cum Cathedra vacat, & à Rectore Academiæ designatur, qui illam moderetur, dum per Oppositionem merita Candidatorum examinantur, nequit vllus Gradu non insignitus ad id designari. Pariter nullus valet Cathedram ambire, nec ad eam obtinendam opponi, nisi Gradum prædictum acceperit, & quidem in eadem scientia, seu Facultate, ad quam docendam Cathedra fuit instituta. Vnde in Academia Salmantina non potest quis ad Cathedram Iuris Ciuilis opponi, quamuis Gradum obtinuerit in Iure Canonico, nisi in Iure Ciuili Gradum acceperit, & sic de singulis. Nec ad Collegia Maiora potest quisquam opponi, nisi Gradum Bacchalaurei, si sit Theologus, in Theologia, & si sit Iurisperitus, in Iure Canonico, aut Ciuili in Academia aliqua approbata receperit.

139 Quot autem anni post acceptum Gradum debeant esse transacti ad munera prefata docendi, & opponendi se ad Cathedras, vel Collegia, Maiora pendet ab Statutis, & Ordinationibus Academiarum, & Collegiorum. In Salmanticensi Vniuersitate, nullus ad Cathedras potest opponi, qui quinque annis post Gradum studia non recoluerit. Vt autem quis moderetur in substitutione Cathedram, aut doceat publicè, solùm vt suę doctrinæ exhibeat experimenta, & iuuentutis consulat vtilitati, non exigitur tempus determinatum post Gradum acceptum. Cæterùm quinquennium, quod post Gradum poscitur, ad Oppositionem ritè faciendā, intelligitur post Gradum siuè in Iure Ciuili, siuè in Canonico. Quare poterit quis ad Cathedram Iuris Ciuilis opponi, quamuis die antecedenti Gradum in Iure Ciuili obtinuerit, dummodo quinque iam ante annis Gradum in Iure Canonico accepisset, & è conuerso: quippè solùm desideratur, vt, post finitos cursus litterarios, & Gradum tunc susceptum, quinque anni in recolendis Studijs fuerint transacti.

140 Vt oppositio ad Collegia Maiora fiat, standum est specialibus statutis, seu Ordinationibus circa tempus transigendum post Gradum. Communiter duo anni post ipsum desiderantur; nec amplius olim exposcebatur ad Oppositiones ad Cathedras in Academia Salmantina; sed nouis Ordinationibus Regia authoritate stabilitis quinquennij cōditio est inducta. Quòd si quis ante quinquennium transactum Gradum Doctoris, aut saltem Licentiati in eadem Academia obtineret, posset statim ad Cathedras opponi. Etenim illud quinquennium est designatum, vt quis sufficienti exornetur doctrina, qua dignè possit Cathedras poscere; In examine autem ad Gradum Licentiati experimentum doctrinę sufficientis præstatur; & qui approbant aliquem ad eū Gradum, testimonium publicum præbēt, quòd ille dignè possit scientiam edocere, & consequenter Cathedram moderari; aliàs approbarent insufficientem.

141 Ad aliqua Collegia poscenda, etiam ex his, quæ inter Maiora non numerantur, etiam solet per eorum statuta requiri Gradus Bacchalaureatus; quæ omnino sunt obseruanda tam circa Gradum, quàm circa tempus post illum in studijs recolendis transigendum, atque adeò eorum Candidati illo debēt esse insigniti.

142 Ætas in Candidatis requisita nequit vna regula præfigi. Etenim in aliquibus Collegijs Maioribus viginti vnum anni requiruntur; in aliis nō tot desiderantur; quare standum est singulorū Cōstitutionibus. Ad docendum autem publicè

cè in Academia, & ad Oppositiones ad Cathedras, communiter non designatur ętas; quare in quanis ætate ea munia præstari valebũt, dum cætera adsint requisita. Id est obseruãdum, si designetur numerus annorum, dum expresè non dicatur, eos debere esse expletos, sufficere, si sint incepti; nã in fauorabilibus annus inceptus pro expleto habetur; est autem fauor, quod Candidatus possit quanto citiùs præmium obtinere; è contra verò in odiosis, si numerus annorum indicatur, debẽt esse expleti; sicut, vt obligatio ieiuniorum Ecclesiæ aliquẽ obstringat, necessum est, vt viginti vnum annos expletos habeat; quia ea obligatio est odiosa, cum sit onus, & grauamen. Sic etiam, si iuberet Magistratus Academiæ, vt ab Schola exirent Studiosi, qui quinque aut septem annis, seu cursibus eam iam frequentassent, præceptum hoc solùm esset coarctandum ad eos annos, seu cursus expletos, non inceptos; quia esset odiosum, cum grauamen imponeret.

143 Qualitas scientiæ in Cãdidatis exacta ea esse debet, quæ muneri, quod suscipiunt gerendum, sit sufficiẽs. Sed quis se iudicet insufficiẽtem? Vel quis alterum syncerè de insufficientia admoneat, & aperiat veritatem? Aut cui etiam aperienti fides præstetur? Dura hæc, & difficilia sunt. Ergo Oppositores ad Cathedras, non sufficientes, nec digni, non debẽt ad eas promoueri ab his, qui illas cõferũt, quin titulo antiquitatis, aut prætextu pietatis alliciantur; Imò expediens esset, eiusmodi Candidatos admonere, vt ab illarũ petitione cessarent. Similiter Communitates Collegiorum tenentur non approbare Candidatos insufficientes; tum quia ad id eorum statuta grauiter obligant; tum quia prejudicium graue alijs infertur, necnon ipsi Communitati; Et sanè, si secùs faciãt, & lethaliter peccant, & postmodum detrimenta inde secuta experiuntur. Demum si insufficiens publicè in Academia intenderet docere, tenetur Magistratus illius, informatione præhabita, eum arcere, ne discipuli temporis dispendium sine profectu patiantur. Quæ autem debeat esse sufficiẽtia doctrinæ, iudicio Virorum Sapientum, ac timoratorum, est diiudicãdum. Ea quidem censebitur sufficiens doctrina, quæ cõmuniter reperitur in his, qui docẽt, vel ad Cathedras, aut Collegia opponuntur, & digni ab omnibus eo honore, seu munere reputantur.

144 Tempus, quo publicè possunt scientię edoceri in Academijs, per statuta ipsarum est præfixum. In Salmantina quidem vacationes à lectionibus solùm intercedunt à die Natiuitatis Deiparæ, vsque ad diem Diui Lucæ. Plures autem anni decursu sunt dies feriati, prętер festa ab Ecclesia instituta; Cæterùm in diebus festis, ac feriatis aliqui solent in Academiæ gymnasijs legere, & dictare, ob specialem aliquam Studiosorum vtilitatem; His tamen diebus exercitia litteraria Assertionũ communiter habentur. Hi autem, qui non regunt Cathedras, sed spontaneè edocent Studiosos, non valent id præstare quacumque hora diei in Academijs, saltem in Salmantina; dum enim Cathedræ primariæ, Decreti, & Vespertinę durant, nullus, qui tunc temporis aliam Cathedram non regat, potest in vllo gymnasio edocere, vt sic maiori commodo Scholarium consulatur, & expediti omnino sint ad assistendum lectionibus Primarijs, Decreti, & Vespertinis. Lectiones prætereà Oppositionũ ad Cathedras nequeunt in die feriato recitari, sic namque per statuta cauetur; & ècontrà in statutis Collegij Maioris Conchensis est cautum, vt nullus Candidatus oppositionis lectionem recitet, nisi in die feriato; nempè vt cæteris diebus Togati non impediantur frequentare Academiam, & in ea publicè edocere.

145 Modus obseruandus, in legendo, à Candidatis, & docentibus publicè, satis est constans. Id tamen discrimẽ datur inter eos, qui Cathedras moderantur, & cæteros, quòd illi non satisfaciunt muneri suo, si solùm voce edoceant audiẽtes, sed tenẽtur dictare, quæ ab illis in suis codicibus exarentur, eaque viua voce explicare; Alij verò, qui vltrò publicè legũt, valent id voce solũ prestare, & etiam scripto, si velint. De modo docendi cum audientium vtilitate, & de tempore opportuno tradendi doctrinam, consulatur Iacobus Middendorpius *de Academijs vniuersi orbis, tom. 1. lib. 1. c. 9.* qui hanc materiam luculentè exornat.

146 Vt autem docentes, & legentes publicè ad id munus prosequendum in vtilitatem Studiosorum excitentur, nec animo cadant, eo quòd per plurimos annos tradendæ litterarum disciplinæ institerint, audiant eumdem Middendorpium *vbi nuper cap. 7.* aientem; *Veteres quidem benè de Republica meritis statuas, arcus, & nescio quos titulos, honoris gratia, ponebant; sed nulli magis eo honore digni sunt, quã*

qui in educanda iuuentute, & instituendo populo Christiano fidelem operam nauant. Supra modum Reipublicæ interest, vt probos, rectèque moratos ciues habeat, & bonum Magistratum, Principemque bonum; At hoc ipsum debet Magistris, qui summo labore tales reddiderũt. Plutarchus, neminem de Republica meliùs mereri arbitratur, quàm qui iuuenum, & præsertim Principum animos optimis artibus, & virtutibus imbuerit. Imò Socrates rogatus, quare nõ administraret Rempublicam, cum administrandi rationem optimè sciret, respondit, eum vtiliorem Reipublicæ, qui multos ad gubernãdam faceret idoneos, quàm qui ipse eam gubernaret. Socratis exemplum pluribus forsasse non arridebit; alijs tamen ipsius Socratis dictũ poterit esse solatium; & saltem id maximũ est in docendo emolumentum, quod tradit Abbas Panorm. *in c. 1. de Magistris*, duplici versiculo;

Discere si cupis, doceas; sic ipse doceris;
Nam studio tali tibi proficis, atq; sodali.

Quæstio XVI. Quid circa libros, & Commentaria hæreticorum Iurisprudentium debeant obseruare Academici?

147 COMMVNIS est quæstio Professoribus, & Scholasticis, & quibuslibet alijs, & resolutiones tradendæ, erunt à doctrina cõmuni circa lectionem cuiusvis libri hæretici Authoris, aut prohibiti, desumendæ, Attamen valde consona est præsenti instituto, eo quòd sit frequens pro praxi, cum non pauci Authores Iurisprudentes sint hæretici, & præ manibus à Professoribus, & Scholasticis habeãtur. De hac materia tractaui in communi, *tom. in Bull. Cruciat. disput. 25. à numer. 50.* Nunc specialiùs de ea agendum est.

148 In Bulla Cœnæ Domini prima excommunicatio Pontifici reseruata fertur contra scienter legentes, retinentes, aut quomodolibet defendentes libros hęreticorum. Quæ vt incurratur, necessum est, vt Author sit damnatus; nam, vt docet P. Azor *lib. 8. c. 16. q. 76.* Licèt scripta Origenis, & Tertulliani errores contra fidem contineant, ab Ecclesia tamen permittuntur ob maximam eruditionem, & quia nullum in Fide periculum ab illis timetur. Prętereà authoritate Pij IV. Sixti V. & Clementis VIII. editus fuit in lucem Index librorũ prohibitorum in duas diuisus classes; In prima continentur Authores hæretici, vel de hæresi publicè suspecti, quorum omnes libri editi, & edendi de Religione tractantes, aut hæresim includentes prohibentur; & simul libri Hæresiarcharum de quouis argumento, quamuis de Religione non agant. In secunda præfiguntur libri, qui, quamuis ab Authoribus Catholicis prodierint, continent doctrinã non sanam, aut suspectam, aut bonis moribus repugnantem.

149 Demum in nostra Hispania, Regnisque eius ditioni subiectis, in quibus sacrum Fidei Tribunal viget, plures Indices Expurgatorij prodierunt, Supremo, & Generali Quæsitore de sui Senatus consilio, id prȩcipiente; postremusque Index anteriores comprehendens editus fuit anno 1632. In quo recto, & dilucido ordine, libri hæreticorum, vel omnino prohibẽtur, vel cum expurgatione, aut saltem cum appositione notæ Authoris damnati in libri fonte permittuntur; Et rursus plurimi libri Catholicorum expurgantur, & non pauci prohibentur. Ferturque pœna excommunicationis latæ sententiæ contra quemlibet, qui libros omnino prohibitos retinuerit, aut legerit, vel libros cum expurgatione, aut nota permissos retinuerit, aut legerit, nisi priùs de licentia, & authoritate sacræ Fidei Quæsitorum fuerint expurgati, & de expurgatione per subscriptionem alicuius habentis ab illis facultatem constet. Nec Bibliopolis licet, eos libros vendere, quin priùs expurgentur. Post illum autem Indicem Expurgatorium aliqua edicta, seu prȩcepta specialia à Supremo Fidei Quæsitore prodiere prohibentia vnum, vel alium librum, vel tractatũ sub eadem pœna excõmunicationis latæ sententiæ, cuius absolutio solet ipsis Sacræ Fidei Quæsitoribus reseruari.

150 Hinc in generali asſero, quemcumque grauiter contrauenientẽ prædictis prohibitionibus peccare mortaliter, & ipso facto incurrere excommunicationem; ita vt si contraueniat legendo libros hæreticorum, prout in Bulla Cœnæ continetur, contrahat excommunicationem in illa præfixam, & Pontifici reseruatam; Si verò cõtraueniat prohibitioni impositæ à Supremi Tribunalis Fidei Præside, incidat in excommunicationem reseruatam Fidei Quęsitoribus. Quæ assertio in genere indubitata est, cum illæ cen-

censuræ sint à legitima potestate inflictæ, & ob causam grauissimam, supponaturque notitia earum, quæ satis publicatæ sunt, & contumacia in obediendo, & sint censuræ non ferendæ, sed latæ, vt ex verbis ipsorū expressis est manifestum.

151 Vndè nequeunt Academici legere Mynsingerium, aliosvè Authores hæreticos, etsi de Religione nō tractēt, sed de Iurisprudentia, nisi expurgati sint, qui expurgatione indigent, & in alijs nota Authoris damnati, & præfata subscriptio in libri fronte apponatur; Quod absolet præstari à Commissarijs sanctæ Inquisitionis; vel, si nullus iam habeat licētiam ad id peragendum, eo quòd elapsum fuerit tempus indictum ad expurgationem librorum faciendam, poscenda est facultas à Sacræ Fidei Quęsitoribus, vt libri prædicti expurgari, seu annotari queant. Nec interim, dum facultas poscitur, & expurgantur, vel annotantur, possunt legi, quia absque ea expurgatione, aut annotatione prohibiti sunt. Quòd si libri omnino sint prohibiti, debet is, qui eos habet, iuxta præceptum in ipso Indice Expurgatorio præfixū, tradere Commissario alicui sanctæ Inquisitionis, vt is ad Tribunal remittat, in quo cauetur periculo illos retinendi, & cōsulitur securitati ipsos extirpandi.

152 Plures tamen quæstiūculæ pro praxi restāt decidēdæ. Prima sit, an prohibeatur per suprà dicta præcepta legere hæreses alicuius Authoris insertas ad verbum in aliquo libro Authoris Catholici, qui eas refert, vel etiam refutat? Respōdeo, non prohiberi; & addo, nō incurri præfatas excommunicationes, etiam si legerentur animo prauo discendi illas. Quippè absolutè non vetatur, in eo libro eas legere, sicut non prohibetur Authori illius, eas scribere, & scriptis suis publicare; deinde his legibus positiuis nō prohibetur, nec punitur affectus, sed factum legentis librum hæretici, qui in eo casu non legitur (affectus autem ille lege diuina prohibetur, vtpotè contra virtutem fidei.) Id docent Sairus *in thesauro, lib. 3. cap. 5. num. 13.* P. Azor *instit. moral. lib. 8. cap. 16. quæst. 2.* P. Thom. Sanchez *in sum. lib. 2. cap. 10. num. 23.* Nauarrus, & alij, quos obiter reperies. Secunda quæstio; An legere librum, aut tractatū hæretici manuscriptum cadat sub prohibitionibus positis? Respondeo, cadere; nam prohibetur lectio eiusmodi librorū, & materialiter se habet, quòd sint typis excussi, aut manuscripti. Sic tuetur Pater Laymā *tom. 1. oper. moral. lib. 2. tractat. 1. capit. 15. numer. 1.*

153 Tertia quæstio; An existentes in Academijs Angliæ, Galliæ, aliarumque Prouinciarum Septētrionalium, in quibus Bulla Cœnæ nō est recepta, si legant libros hæreticorum, incidant in excō municationem? Respondeo, non incidere; vt tenent P. Becanus, Pater Azor, & Thom. Sanchez, quos refert, & sequitur Diana *1. par. tract. 11. resolut. 35.* Ratio est, quia leges pœnales, vtpotè odiosæ, sunt strictè interpretandæ, nec extendendæ ad personas in locis, in quibus ipsæ leges non obseruantur. Quod in pluribus casibus cernere est; nam lex v. g. prohibens Scholaribus Salmantinis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne retineant, aut afferant tormenta ignea, non obligat ipsos, cū extra Salmanticam existunt; esto alia lex Regni in Hispania id vbique prohibeat. Quippè vbi lex vim non habet defectu acceptationis, perinde est, ac si eiusmodi lex non daretur.

154 Quarta quæstio. An incidat excommunicationem Bullæ Cœnę, qui legit Scholia, Notas, aut Commentaria Authoris hæretici ad librum Catholici Authoris? Supponimus in his quæstionibus, quòd, si liber, aut Commentaria extent in Indice Expurgatorio Hispaniarū, & non expurgentur, aut non præstetur id, quod in eo Indice præscribitur, incurri excommunicationem ibidem inflictam, respectu omniū, qui subditi sunt Tribunali Sāctæ Fidei. Quo supposito, cum distinctione ad dubium respondeo; si Cōmentaria sint adeò copiosa, vt ex his potiùs, quàm ex textu liber constet, incidere legentem in excō municationem Bullæ Cœnę, vt docet P. Suarez, cuius sententiam probabilem reputat P. Layman *vbi suprà, num. 2.* Quippè eo casu potiùs dicendus est liber hæretici commentantis, quàm Authoris Catholici, qui ab eo exponitur. Vnde fit obuiàm rationi, qua Diana defendit oppositum, *vbi suprà, resolut. 32.* Quòd si Scholia, & Notæ non sint adeò copiosæ, non est censendus ille liber Authoris hæretici, nec ea excommunicatio incurritur, si legantur. Ita Graffis *part. 1. decision. lib. 4. cap. 18. numer. 43.* P. Thom. Sanchez *vbi suprà, num. 25.* Nauarrus, Suarez, & communis. Imò addunt Graffis, & Vgolinus *de censur. Papæ reseruatis. part. 2. cap. 1.* & P. Thom. Sanchez, non incurrere prædictam excommunicationem Bullæ Cœnę eum, qui legit librum

brum Authoris, qui publicè existimatur Catholicus, licet hæreses contineat.

155 Id etiam animaduertendum est, non prohiberi in Bulla Cœnę, nec in Indicibus Expurgatorijs lectionem materialem, sed formalem librorum eiusmodi, qua scilicèt libri intelligantur, nam finis prohibitionis est, vt vitetur periculũ, quod in non intelligente eos libros nõ datur; vnde eam excommunicationem non contrahet idiota eos legens, aut is, qui legit, & non intelligit idioma, in quo sunt elaborati, vt obseruant P. Filliucius, Thomas Sanchez, & Suarez apud Dianam *vbi suprà, resolut. 36.* & indicat probabile Portel *in addit. ad dub. Regular. verbo, libri prohibiti, num. 11.*

156 Quinta quæstio. An incurrat in excommunicationem Bullæ Cœnæ is, qui legit hæreticorum libros nõ tractantes de Religione, in quibus obiter aliqua hæresis est inserta? Supponit quæstio, & verè, eam non incurri à legente libros hæreticorum, in quibus nulla inseritur hæresis, & aliunde de Religione non tractãt, nempè nec sacram Scripturam interpretãdo, nec Theologicas quęstiones decidendo, nec de cultu Dei, & Sanctorum, aut de Ecclesiæ statutis, vel statu Clericorum, aut Monachorum disputando; sed sunt libri philosophici, medici, iuridici, historici, aut poetici; vt rectè annotat P. Layman *vbi suprà num. 3.* Respondeo ergo ad quæstionem, incurrere in casu posito excõmunicationem eum, qui libros prædictos legit. Quippè in Bulla fertur excommunicatio contra legentes libros hæreticorum, si de Religione tractent, aut hæresim contineant; in alternatiuis autem sufficit, alterutrum verificari; Sic tuentur P. Suarez *tom. 5. in 3. part. disput. 21. sect. 2. num. 10.* P. Th. Sanchez *vbi suprà, cap. 10. num. 34.* contra Sairum, & Graffis, ac Dianam *suprà resol. 31.* Item nostram resolutionem tenent Alterius *tom. 1. in Bull. Cœn. dis. 2. lib. 5. c. 6.* Bonacina, Portel, & alij.

157 Pro Academicis autem partium Septemtrionaliũ aduertere oportet ex P. Layman *vbi suprà, num. 1.* Bullam Cœnę non esse receptam cum omni hoc rigore; ideòque passim prodire libros historicos, medicos, & iuridicos in Germania, in quibus hæreses admixtæ sunt, & absq; scrupulo à Catholicis timoratis, & doctis ibi leguntur, & retinentur. A quibus tamẽ excipiuntur hæretici Ioannes Auẽtinus, Ioannes Sleidani, & Sebastianus Munsterus; qui etsi historias scripserint, tamen in id præcipuè collimarunt, vt Romanam Ecclesiã, & statum Clericorum, ac Monachorũ cõuellerent, & denigrarent; quare in Indice expurgatorio Pontificum, & Sãctæ Inquisitionis prohibentur. Pro eisdem Academicis obseruandum est rursus cum prædicto Authore, etsi in Indice Expurgatorio à Põtificibus edito iniungatur, vt libri continẽtes aliquid ad hæresim, superstitionem, impietatem, seu diuinationem spectans, à sacræ Fidei Inquisitoribus expurgentur, tamen, quia in Germania Inquisitores non sunt, id præceptum non obseruari; sed valdè congruens esse, vt hi libri, quamuis non ea authoritate expurgẽtur, viris doctis tradantur, qui eos expurgent, vt pericula vitentur.

158 Sexta quæstio. An excõmunicationem Bullæ Cœnæ contrahat, qui legit epistolam hæretici de causa Religionis tractantem, aut hæreses continentem, & qui eam retinet? Respondeo, non contrahere. Ita Duardus *in explicat. Bull. Cœnæ lib. 2. quæst. 55.* Sousa, P. Thomas Sãchez, & Portel, quos refero, & sequor *tom. in Bull. Cruciat. disp. 25. num. 52.* Idemque est de aliqua breui concione, seu aliquo simili, dum in formam tractatus non sit redactum. Quippè excommunicationis pœna non est amplianda, & prædicta omnia non dicuntur libri in communi modo loquendi; fertur autem excommunicatio cõtra legentes libros; quidquid contrarium sentiant Megala *in 3. part. lib. 3. cap. 1. num. 55.* & Vgolinus *vbi suprà*; quorum sententiam valdè verisimilem esse affirmat P. Layman iam relatus.

159 Cæterùm Diana *vbi suprà resol. 33.* docet, non incurrere præfatam excommunicationem eum, qui non per se ipsum, sed per alium, legit libros hæreticorum; eo quòd audire non sit legere, excõmunicatioque feratur contra legentem, et lex pœnalis strictè sit accipienda. Oppositum est tutius, et communius, quia ea lectio per alium, licèt non sit materialis, est tamen formalis lectio, et mens, ac finis legis ad hanc lectionem extẽditur, aliàs omnino posset frustrari, cũ posset quilibet per alium, vt per famulum, aut per idiotã non intelligentem, quid lectitaret, legere omnes hæreticorum libros, quod directè per eam legem prohiberi, est mihi manifestũ. Rursus ipse Diana cum aliquibus Authoribus probabile iudicat *vbi suprà, resol. 37.* posse quem libros prohibitos propria authori-

thoritate comburere. Contraria ſententia eſt communis, & vera; debentur quippè tradi perſonis deſignatis, nempè Inquiſitoribus Fidei, aut Commiſſarijs, cum de hoc extet præceptum, & valdè rationabili, ac iuſtæ cauſæ nitatur, vt ſcilicet vitetur periculum, & occaſio eos libros retinendi, animo illos cremandi, qui forſan animus nō erit firmus in omnibus.

160 Verùm cenſeo cum P. Azor *c. 16. quæſt. 4. vbi ſuprà*, Sayro, & Graffis *allatis ſuperiùs*, non incurrere eam excōmunicationem eum, qui ſuadet, aut præcipit alij, vt legat, prædictos libros, quin tamen ipſe audiat (eſto grauiter peccet) quia hæc excommunicatio fertur in legentes; &, vbi cenſura infligitur in facientes aliquid, non comprehenduntur ſuadentes, & mandantes, niſi exprimantur. At, ſi mandaret, aut ſuaderet, vt legeret libros hæreticorum eo fine, vt hæreſes diſcerentur, & ſectatores haberent, aliam excommunicationem Bullæ Cœnæ contraheret latam contra fautores hæreticorum; in eo enim ſe fautorem præberet.

161 Septima quæſtio. An ignorantia craſſa excuſet ab incurrendo in hanc excommunicationem? Reſpondeo cum P. Layman *vbi ſuprà num. 4.* excuſare; quippè illa fertur contra eos, qui ſcienter legunt, aut retinent præfatos libros, & quotieſcumque lex pœnalis ſcientiam expoſtulat, ſcientiæ carentia adhuc craſſa excuſat; vt videre eſt apud P. Thom. Sanch. *ib. 2. moral. cap. 10. num. 38. & lib. 9. de matrim. diſp. 32. num. 36. & 39.* At verò ſcienter legens eos libros, etiam ſi ſola curioſitate, & non alio prauo fine moueatur, excommunicationem incurrit.

162 Similiter eam incurrit, qui illos retinet vel in domo ſua, vel aliena, nomine ſuo, aut alterius, cauſa legēdi, ſeu quauis alia; cum Pontifex in Bulla ſimpliciter aſſeruari eos prohibeat, intendens omnino illos amandare; vt tuentur Vgolinus *vbi ſuprà, verbo, Aut retinentes*, Graffis *ſuprà num. 48.* Sayrus, P. Thomas Sanchez, Layman, & alij. Requiritur tamen, vt ipſi annotant, ſpatium notabile retentionis, vt excommunicatio incurratur, quamuis quis occaſionem habuerit tradēdi eos libros perſonis deſignatis, & ex aliqua negligentia, non tamen mortali, id nō præſtiterit. Imò, ſi longiori etiam tempore quis libros retineat, donec opportunum tempus illos tradendi offeratur, non incurret excommunicationem, nec peccabit, ſi ſcandalum abſit, & opportunitas.

163 Octaua quæſtio. Quæ quantitas ſufficiat legi in libro Authoris hæretici, ſeu in libro prohibito, vt prædicta excommunicatio Bullæ Cœnæ, vel quæ lata eſt ab Inquiſitoribus Fidei, incurratur? Certum eſt iuxta communem ſentētiam, paruitatem materiæ in eiuſmodi lectione excuſare à peccato mortali, & ab excommunicatione; quidquid Cardinalis Toletus *in ſum. lib. 1. cap. 19. num. 4.* nimis rigidè aſſeruerit, lectionem vnius, vel alterius lineæ ſufficere ad incurrendam excōmunicationem. Igitur lectionem vnius integræ paginæ adhuc prægrandis voluminis non eſſe ſufficientem materiam ad incurrendum in hanc cenſuram, ſed iudicādam fore paruitatem materiæ, proindeq; eſſe opus, vt vltra vnam paginam legatur, docent Viualdus *in explanat. Bull. Cœnæ, caſu 1. num. 11.* Emanuel Rodriguez *in addition. ad Bull. Cruciat. §. 6. num. 58.* Duardus *in explicat. Bull. Cœn. lib. 2. cap. 1. quæſt. 46.* P. Thom. Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 31.* Portel, & Filliucius, quos refert Diana *1. part. tract. 11. reſolut. 30.* vbi ipſe non clarè ſuum ſenſum depromit. Hæc opinio nimis laxa videtur, ſed ſaltem ob authoritatem extrinſecam eſt cēſenda probabilis; &, vt ait P. Layman *vbi ſuprà, num. 5.* poterit inſeruire Confeſſario, vt interdum præſumere poſſit, legentē non incurriſſe excommunicationem.

164 Alij iudicant, paruitatē materiæ ſolùm eſſe lectionem paucarum linearum; quæ ſi excedatur, excommunicationem contrahi. Paucas autem lineas videtur dicendas eſſe ſex, aut octo. Hāc ſententiam tenent Molfeſius *in 3. part. lib. 3. cap. num. 49.* Bonacina *de cenſur. diſp. 2. quæſtion. 5. punct. 4. num. 13.* P. Suarez *in 2. 2. diſp. 20. ſect. 2.* Tutiorem eſſe hanc ſententiam, dubitari nequit, ſed rigidam nimis aliquis iudicabit. Ego media via inter vtramque opinionem incederem, cenſens, lectionem vltra dimidiū paginę tomi prægrandis (vel in minori volumine lectionē quantitatis correſpondentis) excedere paruitatem materiæ, ac eſſe peccatum graue, & excommunicationem contrahi, non verò, ſi minor quantitas legatur. Quod quidem non aliunde ſuadetur, niſi, quia expēdendo ea, quæ in alijs præceptis poſitiuis iudicantur excedere, aut non excedere paruitatem materię, id videtur in præſenti æquè ſe habere, iuxta communem concipiendi normam, & prudentum arbitrium.

Vt

Vt autem ea incurratur excommunicatio, sufficit, si prædicta quãtitas legatur in procemio libri prohibiti, aut in Epistola ad Lectorem, vel in Indice; cum hæc mentem, & animum Authoris explicent, aut in cõpendium redigant, quæ in libro latiùs includuntur.

165 Annotat verò P. Layman relatus *suprà num. 5.* In Germania nõ tanta seueritate prohiberi libros hæreticorum, ac in alijs Prouincijs, quia, cum in cõfinio sint plures hæretici, ad eos conuincẽdos oportet libros legisse. Quare, si quis ibi legeret librum huiusmodi eo fine, vt loca inter se contradicentia depromeret, & hæretico ostenderet, sperans, sic eum fore reducẽdum ad Catholicam fidem, adeò abesset, vt peccaret, quòd potiùs ageret laudabiliter ex virtute charitatis erga proximum, cuius leges præponderant legibus Ecclesiasticis.

166 Hic aduerte, librorũ, qui in secunda Classe Indicis Expurgatorij iussu Pontificum pro toto orbe editi continẽtur, lectionem etiam sub excommunicatione prohiberi, sed non reseruata. Deinde prohiberi libros cuiuscumq; Authoris tractantes res obscœnas, exceptis his, qui àvetustis Poetis conscripti sunt, & propter elegantiam permittuntur; at in Academijs, Scholis, & gymnasijs minimè permittendum est, vt legantur Scholaribus, nisi expurgati sint, & turpia deleta. Ob horum tamen lectionem non incurritur censura Põtificia, esto peccatum mortale detur, si adsit materiæ grauitas. Idem, quod suprà, dicendum est de libris, & scriptis magicis, quæ penitus prohibentur. Præterea Biblia vulgari Idiomate prohibetur à Pontificibus, nisi adsit Episcopi, aut Inquisitoris Fidei licentia. Quam prohitionem non esse receptam, nec obligare in Germania, docet P. Nicolaus Serarius *in prolegom. Bibl. cap. 20. quæst. 3.* Sed nec in Germania permitti potest versio Germanica Bibliæ à Luthero confecta; nec versio Latina ipsius Bibliæ elaborata ab hæreticis Sebastiano Munstero, Leone Iuda, Castalione, & Tremello, vt obseruat P. Laymã *vbi suprà n. 8. in fin.* designans loca, in quibus prelo fuit excussa.

167 De librorum prohibitione ab hæreticis conscriptorum, etiam temporibus antiquis vsitata, qui concinnã eruditionem desideret, adeat Interpretes *in leg. 3. Cod. de S. Trinit. & fid. Cathol. & in leg. 4. §. tantumdem, ff. familiæ erciscundæ, ac in leg. vlt. de hæretic. in Cod. Theodosiano;* Præterea Clementem *lib. 1. Apostolic. Constit. cap. 6.* Theodorum *lib. 1. hist. cap. 4.* Socratem *lib. 1. hist. cap. 6.* Nicephorum *lib. 8. histor. cap. 18.* Concilium Carthaginense IV. *Can. 6.* Hormisdam Papam *in epistol. 56. ad Possessorem Episcopum,* Eusebium *lib. 7. histor. cap. 6.* Cardinalem Baronium *anno 56. num. 40. & anno 302. numer. 20.* & Authores decursu huius quæstionis relatos.

168 Vltima quæstio. Quis possit absoluere ab excommunicatione cõtracta propter lectionem, aut retentionem librorum, qui prohibiti sunt? Respondeo, ab excommunicatione Bullę Cœnæ legẽti libros prohibitos hæreticorum, si delictum sit publicum, absolutionem præstãdam fore à Pontifice; item, vbi sunt Inquisitores Fidei, ab ipsis posse præstari, ex potestate delegata Summorum Pontificum; rursus eũ, qui Bulla Cruciatæ gaudet, posse virtute illius semel in vita (hoc est, quolibet anno, virtute vnius Bullæ) & semel in articulo mortis, hoc est, in periculo illius, absolui à quolibet Confessario approbato à se electo; &, si duas Bullas accipiat (nec potest vno anno plures accipere) posse bis eo anno absolui, & iterum bis eodẽ anno, si in pericula mortis incidat; quæ absolutio in articulo, seu periculo mortis liberat eum ab onere comparendi coram alio Superiore pro absolutione à prędicta excommunicatione.

169 Præterea si delictum legendi eiusmodi libros sit occultum, potest quis ab excommunicatione absolui per Episcopum toties quoties; & eodem modo, qui gaudet Bulla Cruciatæ, potest absolui toties quoties ab illa per Confessarium approbatum à se electum virtute illius; & item à Confessarijs approbatis Ordinum Mendicantium, & aliorum cum ipsis in priuilegijs communicantium; nisi in his Italiæ Prouincijs, in quibus ablata est eis à Pontifice potestas absoluendi à casibus Episcopo reseruatis; quippe casus, qui Pontifici reseruantur, si sint occulti, cum possit Episcopus ab illis absoluere, fiũt reseruati Episcopo. Demum, si excommunicatio sit reseruata Inquisitoribus Fidei, ipsi ab illa debent absoluere, si non detur aliud priuilegium absoluendi. Datur tamẽ in primis virtute Bullæ Cruciatæ, qua gaudens potest absolui ab excommunicatione prædicta (sola enim excipitur absolutio ab hæresi externa) per Confessarium à se electum. Item etiam absque Bulla Cruciatę

ab-

abſolui valet à præfatis Confeſſarijs Ordinum Mendicantium, cum limitatione tamen, quòd ea excõmunicatio nõ ſit ſimul reſeruata in Bulla Cœnę, ac delictum ſit publicum.

170 Propoſitiones ſingulas contentas in hoc duplici numero antecedenti probare non vacat, nec refert, ne me ipſum tranſcribam, cum eas omnes latè agitauerim, & ſtabiliuerim decurſu, *tomi in Bull. Cruciat.* & præcipuè *diſp. 2. numer. 45. diſp. 22. num. 10. diſp. 23. à num. 67. & à numer. 92. diſp. 25. à num. 46. & diſput. 22. à numer. 23.* Ibi poſſunt videri, & apud Authores, quos ibidem refero; Confeſſarij autę tutò in praxi poſſunt iuxta traditam doctrinam operari.

171 Id ad calcem notauerim, Bibliopolas obligari ad habendum Indicem Expurgatorium librorum in Regnis Hiſpaniæ, vbi ſacræ Fidei Tribunalia vigent, cum eis ſic præcipiatur, vt conſtat ex ipſo Indice Expurgatorio, & præceptum ſit de materia graui, proindeque ſub mortali peccato obligatorium. Prętereà obſeruo, non niam excudendi, & in lucem edendi libros quoſcumque in noſtra Hiſpania præfixam eſſe *in leg. 23. & 24. libr. 1. tit. 7. Recopilat.* qua norma ſeruata, occurritur periculo edendi in lucem libros ſuſpectos, aut prauos.

Quæſtio XVII. Qua obligatione ſeruandi ſecretum obſtringantur Academici in Communitatibus degentes? ſeu Togati?

172 APTANDA ſunt huic quæſtioni, quæ de obligatione ſecreti docentur in communi ab Authoribus; & deciſionem oportet præ oculis haberi, cum in Communitatibus ipſis Academiæ, & Collegijs plura tractentur negotia grauiſſima, alia minus grauia, & ſoleat eſſe obligatio ſeruandi ſecreti orta ex iuramento facto, aut ſtatuto; vel ipſa negotiorum materia ſecretum exigit ad rectam Communitatis gubernationem, & ne alijs damnum, ſeu præiudicium ex manifeſtatione ſequatur.

173 Secretum ergo eſt, quod alicui, vel aliquibus clàm manifeſtatur, quin in cęterorum, aut plurium notitiam peruenerit. Triplexque obligatio poteſt diſtingui in ſeruãdo ſecreto; Prima prouenit ex iure naturali de non nocendo alteri in honore, fama, vita, anima, corpore, & fortunis; vnde, ſi ex reuelatione ſecreti ei noceatur, legi naturali contrauenitur, non ſecùs ac ſi damnum alterius generis ei inferretur, eſto in illatione damni poſſit eſſe differentia in grauitate, & circunſtãtijs. Secunda ex promiſſione, aut pacto ſeruandi ſecretum, quamuis ea promiſſio non ſit expreſſa, ſed tacita; cum videlicèt in tali circunſtantia, & eo modo res manifeſtatur, vt debeat facilè intelligi, tanquam ſecretum committi. Tertia eſt ſtrictiſſima, ex lege Sacramentalis Confeſſionis, quæ *ſigillum* vocatur, & ob nullã penitùs cauſam, rationem, vel conuenientiam, etiam excogitabilem, ſolui poteſt, de qua in præſenti nobis non eſt agendum.

174 Dico ergo primò, peccare mortaliter eum, qui reuelat ſecretum acceptum ex pacto, aut conuentione expreſſa, vel tacita. Ita Sotus *de ſecreto tegendo mẽb. 1. q. 1. concl. 1.* P. Molina *de iuſtit. tract. 4. diſp. 5. & 6.* Nauarrus, & alij communiter; ſumiturque *ex cap. 11. Prouerbior. verſ. 13.* ibi: *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana; qui autem fidelis eſt animi, celat amici commiſſum.* Quippè contra fidelitatem delinquit ratione promiſſionis, & contra iuſtitiam, cũ ſit illa conuentio contractus quidam inter reuelantem ſecretum, & eum, cui reuelatur. Hac obligatione tenentur Principum Conſiliarij; Belli Duces, qui conſilia exercitus pertractant; Medici, Aduocati, Obſtetrices, quibus ſecreta reuelantur, vt auxilium capiatur; Viri docti, & Iureconſulti, quibus arcana manifeſtantur, vt conſilium præbeant; Et hi, quibus ratione amicitiæ, aut ſanguinis ea propalãtur, vt ab eis auxilium, aut ſolatium accipiatur. Denique hi omnes, qui ſecretum iurant, aut promittunt expreſsè, vt aſſolent hi, qui in Communitatibus, aut Collegijs degunt.

175 Dico ſecundò, dari aliquando iuſtas cauſas reuelandi ſecretum, tuncque in reuelatione non peccari. Eas recenſet P. Laymam *tom. 1. Theolog. moral. lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 5. à num. 2.* Prima docetur à S. Thom. *2. 2. quæſt. 70. art. 1 ad 2.* Ioach. Mynſinger. *centur. 2. obſeru. 78.* S. Antonin. *part. 3. titul. 17. capit. 22. §. 2.* Adrian. *quodlib. 11. diffic. 5.* Soto *vbi ſuprà, membr. 2. quæſtion. 7. concluſ. 4.* Gutierrez *lib. 1. canonicar. quæſt. cap. 11. numer. 48.*

Rodriguez *tom. 2. ſum. capit. 53. numer. 3.* Scilicèt ſi ſecretò res accepta cedat in Reipublicæ detrimentum, aut in perſonę priuatę iniuriam; vt, ſi nõ potes aliquẽ ab animo occidendi innocentem, quem tibi reuelauit, abducere, debes illum manifeſtare; nam ex Charitate quiſque tenetur ad liberandum innocentem, etiam cum aliquo nocentis damno, ſi alia via ille defendi non poteſt. Quod intelligitur de crimine faciendo, non de facto. Nam, ſi ſecretò ſcias, Petrum, qui tibi id manifeſtauit, occidiſſe hominem, ob cuius necem Ioannes innocens in carcere detinetur, non vales, ad liberandum innocentem, manifeſtare, homicidium fuiſſe à Petro patratum, nam nec ipſe Petrus cum ęquali periculo, ac habet innocens, tenetur ſe manifeſtare, vt eum liberet; At, ſi Petrus, fuga facta, poſſet ſibi conſulere, & manifeſtato ſuo delicto liberare innocentem, ad id teneretur, quamuis aliqualem famę, aut bonorum iacturam pateretur; & hoc caſu, ſi conſuluiſti illi fugam, & non vult fugere, poteris reuelare ſecretum. Quæ doctrina traditur à Nauarro *in manuali, capit. 15. numer. 17.* Patre Suarez *in 2. 2. de Charitat. diſp. 8. ſect. 6. num. 7.* Soto *de iuſtit. lib. 4. q. 6. art. 3.*

176 Secunda cauſa iuſta manifeſtandi ſecretum eſt, ſi ceſſurum ſit in graue detrimentum eius, qui tibi illud commiſit. Vt, ſi quis tibi ſecretò reuelauerit impedimentum dirimens, quod habet ad contrahendum matrimonium, & nolit deſiſtere à contrahendo, de diſpenſatione non curans, licet tibi manifeſtare impedimentum, ne ille in peccato mortali degat, & etiam ob Sacramenti Matrimonij reuerentiam, quę anteponenda ſunt conuentioni ſecreti, cum fidelitas, & iuſtitia in hoc caſu vim non habeant. Ita docent Nauarrus *vbi ſuprà. capit. 18. numer. 55.* Pater Conînch. *tom. 2. diſput. 27. numer. 61.* P. Molin. & Thom. Sanchez apud Layman *vbi ſuprà.*

177 Huic cauſæ proxima eſt alia, ſi ipſe, cui ſecretum eſt manifeſtatum, incidat in graue ſui periculum, niſi illud reuelet. Sic tradunt Pater Leſſius *de iuſtit. lib. 2. capit. 11. dub. 8.* Pater Molina *de iuſtit. tractat. 4. diſput. 37. concluſ. 5.* Exempli gratia; Manifeſtauit tibi ſecretò Petrus, ſe occidiſſe Ioannem, & propter id homicidium tu ipſe innocens in carcerem detruderis, tuaque vita periclitatur, potes reuelare occiſſorem, ſi alio modo nõ vales liber euadere. Quippè, cum quis ſecretum promittit, non ſpondet, ſe illud obſeruaturum etiam cum proprio maximo detrimento, cum quiſque debeat propriam incolumitatem alienę anteponere, id Charitate docente. Cæterùm, ſi in hoc caſu non pericliteris capite, ſed diuitijs, aut honore, & Petrus à te manifeſtatus capite periclitetur, arbitrio viri prudentis eſt expendendum, poſſis ne illum manifeſtare, attendendo ad tuam innocentiam, & culpam illius; item ad modum, quo tibi commiſit ſecretum, an ſponte, an à te ipſo rogatus? demum an in tui commodum id præſtiterit? Etenim arctiori vinculo tenentur ad obſeruanda ſecreta illi, quorum commodo conſulitur, vt ſecreta concredantur; Quare Miniſtri, & Aduocati Reipublicę, quibus ab ipſa ſtipendium ſoluitur, vt negotia eius pertractent, & quæ ſecretò committuntur, fideliter obſeruent, maximè ad ſecretum adſtringuntur.

178 Inde prouenit, & etiam ob rei grauitatem, ſecreta Reipublicæ, & belli, quorum manifeſtatio in magnam perniciem poteſt cedere, nec ob tormenta, nec ob mortem reuelari licere; quia ſalus Reipublicæ eſt maius bonum, quàm priuatum, & ideò huic eſt anteponendum, & idcircò obligari quis poteſt ad hanc faciendam prælationem; de facto autem ſic obligari Conſiliarios Principum, & belli Duces, videtur certum, & ab omnibus ſic præſumitur. Hanc doctrinam tuentur Nauarrus *in capit. inter verba, 11. quæſt. 3. concluſ. 6. numer. 19. & in manuali, capit. 18. numer. 94.* Sotus *de ſecreto tegendo, membr. 3. quæſt. 4.* P. Molina *vbi ſuprà, numer. 9.* Et ſumitur argumentum *ex leg. omne delictum, ff. de re militari.* Plura alia poſſent circa ſecretum proponi, & agitari, quę extra rem noſtram ſunt; Videri poſſunt Sotus, Nauarrus, Pater Molina, Leſſius, Layman *locis citatis*, & alij paſſim. Dicta ſufficerint ad quæſtionis in titulo propoſitę deciſionem.

179 Itaq; quis in Cõmunitatibus degunt, ſi promittunt expreſsè, aut tacitè ſeruare ſecretum eorum, quæ in ſuis Conſeſſibus tractantur, ad id ſub peccato lethali adſtringũtur, niſi fortè aliqua interueniret cauſa iuſta excuſans ex ſuprà libatis; vel niſi promiſſio facta fuiſſet generaliter circa omnia, quæ tractanda eſſent, & res, quæ tractaretur, non eſſet grauis, nec eius ſecretum intereſſet ad rectam Communitatis gubernationem, nec in tertij prædiciũ ver teretur.

Dein-

180 Deinde, quia in Collegijs agitur de puritate sanguinis, ac nobilitate eorum, qui sunt Candidati, saltem in Collegijs ferè omnibus Hispaniæ, imò & in aliquibus Academijs (etsi non eo rigore) respectu eorum, qui ad Gradus Licentiatus, seu Magisterij promouendi sunt, rē ad praxim deduco. Si alicuius Oppositoris informationes de generis sanguine in Consessu Collegarum legantur, & vnus, aut duo testes non se retractantes, nec conuicti, aliquam notam, seu labem ei infligant (quod sufficere solet, vt in Collegiū non admittatur) cęteri verò testes nihil eiusmodi testificentur, ita vt appareat, eum Oppositorem bona opinione, & fama potiri; peccabit mortaliter, qui eius notam, & edictum illius testis manifestet; quippè id est in præiudicium graue tertij, & ex iustitia datur obligatio non auferendi ab illo famam, & opinionem bonam, quā possidet, quæ non labefactatur, nec ille eam amittit ob testificationem vnius, aut alterius testis, qui forsan inimicitias cum eo gerunt, aut saltem eum defectum non publicarunt; cuius signum est bona opinio, quæ apud cæteros supponitur conseruata, vt ex ipsorum testimonio pręstito in prædictis informationibus redditur manifestum.

181 Et, quamuis soleat iudicari frequenter ab omnibus, qui nescūt, eum Oppositorem non fuisse admissum in Collegium post informationes de eius genere, & sanguine peractas, id contigisse ob aliquem in puritate requisita defectum, seu ob aliquam labem; tamen inde non fit, posse eos, qui informationes viderunt, rem manifestare; tum quia id esset reddere certum, quod suspicioni, aut iudicio non certo substat; & hoc esset speciale detrimentum, ac præiudicium famę Oppositoris; tum quia non admitti in Collegium, potest ex alijs capitibus prouenire, & non ex labe sanguinis infecti; vt, si ascendentes proximiores Oppositoris aliquod officium vile exercuerint, quod impediat ingressum in Collegium; vel si defectus reperitur in aliquo ex pluribus requisitis, præter generis, ac sanguinis omnimodam puritatem; Vel si statutum detur in Collegio, vt non omnes Oppositores admittantur, sed reijciatur aliquis præditus adhuc omnibus necessarijs requisitis; vel si Collegæ mutauerint animum de illo admittēdo ob varias circunstantias superuenientes erga eumdem Oppositorem, seu erga ipsum Collegium. Quare, cum ex pluribus capitibus dimanare queat, non admitti aliquem, non potest quis in prædicto casu manifestare labem sanguinis, quæ non debet certò, nec probabiliter iudicari ab ignorantibus causam, sed hi debent iudicium in suspenso retinere, & solùm iudicare, aliquam causam ex prædictis vagè, & non determinatè, interuenire, ratione cuius non admittitur ille Candidatus. Quod ex eo confirmatur, nam experiētia constat, aliquos post informationes sanguinis peractas in Collegia non fuisse admissos, & post aliquos, vel post plures annos ipsos Collegiorum togis fuisse ornatos; quod signum manifestum est, non fuisse reiectos ob generis, ac sanguinis labem, sed ob aliam causam iam cessantem; cum in Collegijs, & præcipuè in his, quæ in Hispania vocamus *Maiora*, ita attendatur acri, & rigoroso examine ad omnimodam sanguinis puritatem, & opinionem de ea constantissimam, vt nec credi, nec præsumi possit, hos, qui primùm non admissi, deinde admissi fuerunt, aliqua, vel leuissima nota laborauisse, vel in eorum informationibus quidquam contra opinionem, & constantem famam puritatis sanguinis fuisse repertum.

182 Eadem obligatione secreti tenetur in casu prædicto is, qui informationem peregit, quamuis postea in Cō sessibus Collegij, vbi leguntur, non interfit ob aliquod accidens; quia ratio iustitiæ id exigit, & Candidatus opinionem publicam bonam possidens habet ius, vt nullus ab eo tollat id, quod suū est. Hinc, quī contra iustitiam hoc secretum manifestāt, tenentur resarcire damnum, & restituere opinionem à se ablatam, ijs medijs vtendo, quæ doctus, ac prudens vir, seu Confessarius opportuna iudicauerit, vel ipsemet, qui honorem abstulit, censuerit, si doctrina, ac prudētia polleat. Tutius autem est, rem cum alio consulere, cum in rebus propijs quisque non adeò suo iudicio fidere debeat, vt pericula errandi arbitretur fore vitaturum.

183 Quòd si aliter res se habeat in informationibus, & aliquando fortè accidat, plures testes deponere labem sanguinis, ita vt in patria Candidati ea labes sit publica, probabile est, non peccare grauiter eum, qui id detegit adhuc in loco, vbi ignoratur, & quò nunquam fama eius labis esset peruentura, vt cum Patre Fagundez, & alijs tutatur Diana

3.par.tract.5.resol.17.& par.4. tract.4. resolut.128. Quæ doctrina ad detractiones obseruanda est. Esto tutius sit, non manifestare alterius infamiam, vbi de illa notitia non est.

184 Sed quid erit tenendum de manifestatione secreti sine graui causa, facta vni, vel alteri viro prudenti, quem, constat, non fore illud euulgaturum? Respondeo, id non esse peccatum graue iuxta probabilem opinionem. Etenim loquēdo de detractione, seu de manifestatione occulti criminis alicuius, de quo eadē, aut maior est ratio, non esse id peccatum mortale cōtra P. Suarez, & alios, docet cum aliquibus Diana *part.3. tractat.5. resolut. 33. & part.6.tract.7.resol.9.* eo quòd ea manifestatio non est læsio notabilis famæ delinquentis. Tunc sic; ex iustitia debetur, non tollere bonam alterius opinionem; & tamen ea manifestatio non est peccatum mortale; ergo, quando solùm ex fidelitate debetur obseruatio secreti, nō erit peccatum lethale prædicta manifestatio, cum obligatio iustitiæ strictior sit, quàm obligatio fidelitatis; & rursus, si in secreto ratione conuentionis detur etiam obligatio iustitiæ, nō hæc grauiter violabitur per eam leuem læsionem, vt nuper dicebamus.

185 Hic aduerte, cum, qui audit ab alio rem, quæ referenti secretò commissa erat, non teneri seruare secretū, si ipsi non est secretò commissa; & nec contra fidelitatem, nec contra iustitiam fore peccaturum, si eam manifestet; nisi casu quo res esset in præiudicium tertij, aut contra bonam famę, aut sanguinis opinionem, quam alius posslideret; nam hoc casu esset contra iustitiam manifestare rem auditam, quam, supponimus, adhuc non esse publicam, seu non esse plures eos, qui eius notitiam habent.

186 Deinde aduerte, si quis intra Communitatis penetralia secretò pateretur aliquā iniuriā, non peccare mortaliter, si amico eam manifestaret, nō quidem animo detrahendi, sed doloris sui leuandi causa; quia durum est, iniurias acceptas silentio premere, & concoquere, vt tradit Diana *part. 3. tractat. 5. resol. 32.* cum Patre Lessio, & alijs. Demum non violatur secreti obligatio ex eo, quòd quis consulat secretò virum doctum, ac prudentem super aliqua difficultate occurrente, vt ipse in conscientia ferat suum suffragium, aut sententiam. Tenetur autem is, qui consulitur, seruare secretum, vt superiùs annotauimus. Cæterùm, quia non omnia, quæ in Communitatibus tractantur, secretum exigunt, ex qualitate materiæ iudicio prudentis erit discernendum, quænam ad secretum obligent.

Quæstio XVIII. Quo pacto admittendi in Collegia debeant esse oriundi ex determinato loco, diœcesi, aut Regno?

Vbi de Rectore, & Scholastico Academiæ Salmantinæ Regnigena eligendo; & de Nomenclatura eiusdem Scholastici Salmantini,

187 FREQVENS est in Collegiorum Fundatione designari loca, Prouincias, Regna, aut diœceses, ex quibus debent assumi, qui in ea admittantur. Quam Fundatorum voluntatem adimplendam fore, est certissimum, nec aliter satisfit obligationi, quę & pro foro externo, & pro interno grauiter vrget. Videndum ergo est, quomodo censeatur quis ex tali loco, aut diœcesi ortum habere; quæ quæstio etiam locum habet in admittendis ad Beneficia in aliquibus diœcesibus, in quibus solùm patrimoniales possunt obtinere illa; Item & in Rectore, ac Consiliarijs Academiæ Salmantinæ, quibus designantur Regna, seu diœceses, vnde debeant assumi. Esto in his aliquando toleretur, esse aliunde vel natos, vel oriundos, nempè cum non alij idonei ad ea munera reperiuntur; indeque nulli fit præiudicium, & per epikeiam interpretatio statutorum Academiæ illos permittit.

188 In primis inspicienda est clausula Fundationis Collegij, nam, si in ea exprimatur, ac declaretur, quis censendus sit ciuis, incola, aut oriundus ex tali oppido, seu diœcesi, illud omnino erit obseruandum, quod ibi indicitur, cum eo casu nō sit locus interpretationi, aut declarationi, vt cum Æmilio Veralo, Gonça-

lez,

lez, Carrança, Barbosa, & alijs docet Dõ Alfonsus de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdictione c. 2. à n. 3.*

189 Quòd si statutum, aut Fundationis instrumentum, vel etiam cõsuetudo simpliciter teneat, debere esse oriundos, aut ciues determinati loci, vel diœcesis, breuiter dicendum est, oriundum in pijs casibus (quales sunt hi, de quibus præsens est quæstio) dici eum, qui per patrem, aut matrem, vel auos paternos, seu maternos, imò etiam proauos, originẽ trahit ab aliquo loco, seu territorio, vel familia. Ciuem autem, & diœcesanum dici eũ, qui tempore, quo candidatus est Collegij, absque vlla fraude incola erat eius loci, vel diœcesis, in ea suum domicilium habens. Quòd si solùm exigatur esse ex tali diœcesi, seu oppido, sufficiet, in eo fuisse ortum, aut saltem baptizatum.

190 Etenim origo, & oriũdus non solùm à patre, verùm à matre dicitur, vt ex Iure, ex Authoribus, & ex ipsis vocibus probat latè Don Alfonsus de Escobar *vbi suprà, cap. 1. à num. 59.* Vbi soluit argumenta, quæ ex aliquibus Iuribus conficiuntur, & ex Cuiacio *leg. 22. in principio, Cod. de Decurionib. lib. 10.* Antonio Fabro *lib. 9. Codic. titul. 30. definit. 24.* & asserit, Iura, & Interpretes loqui de oriundis, & origine consideratis in ordine ad munera, & honores, de quibus est sermo *in titulo, Codic. de municipib. & in titul. Codic. de Decurionibus libr. 10.* quia in ordine ad ea munera fœmina est incapax, & ideò quo ad eos ciuiles effectus originem amittit, ac consequenter filijs origo materna non prodest; secùs verò contingit in nostro casu, in quo nihil obstat, quo minùs prosit origo etiam materna. Et quia hæc fuso calamo prædictus Author pertractat, eum consule, cum in præsenti sufficiat, conclusionem statuisse, & rationem libasse.

191 Sed quid erit tenendũ, quando per statutum, aut consuetudinem præscribitur, ne quis natus, aut oriundus ex tali loco possit in Collegium admitti? In primis si solùm excludatur natus in loco determinato, incapax dumtaxàt erit, qui ibi ortus est; non verò ille, qui in eo loco domicilium, vel quasi domicilium habet, dummodo in eo natus non fuerit. Quippe hæc statuta, seu fundationum clausulæ strictè sunt interpretandæ, nec vllatenus extendendę, cum inter odia sint annumerandæ; proprietati autem verborum sufficienter satisfit, si ortum quis in eo loco non habuerit, quantumuis in eo postea habitet.

192 Imò Salmanticæ v. g. potest mater prægnans ad alium locum progredi, in quo fœtum in lucem prodat, & postmodum Salmanticam reuerti, vt sic filius extrà eam vrbem natus sit capax, qui ad Collegia Maiora Salmantina admittatur, quin contraueniatur statutis, quibus excluditur ab eiusmodi Collegijs is, qui Salmanticæ sortitur natiuitatem. Nec ea fœmina agit in fraudem legis, nec dolo malo operatur; quippè is, qui vtitur iure suo, nõ committit fraudem in legem; Illa autem iure suo vtitur, dum exit à ciuitate Salmanticensi, vt in alio loco pariat, cum ei nulla lege prohibeatur is exitus; postquam autem alio in loco filius est natus, capax est, vt in Collegia admittatur. Quæ doctrina pluribus posset exemplis cõfirmari; Nam, si ieiunetur Salmanticæ, & non ieiunetur eo die in oppido proximo, potest incola Salmantinus ad id oppidum accedere, (cum is accessus nullo iure ei sit prohibitus,) & ibi non ieiunare, quia ibi dies ieiunij non est. Plura similia sunt obuia. Vide, quæ dixi *tom. in Bullam Cruciatæ, disputat. 13. numer. 2. & disputat. 3. numer. 5.* Hæc doctrina non solùm respectu Collegiorum Salmanticensium, sed & quorumlibet aliorum militat, si præfatum in eis vigeat statutum.

193 Deinde, si prohibeatur, ne oriundus ex oppido determinato possit in Collegium admitti, origo desumenda est iuxta suprà dicta; licèt in aliquibus casibus originem cessare, aut extingui, rectè doceat Don Alfonsus de Escobar *vbi suprà, capit. 1. numer. 41.* In quibus non obstabit origo, quo minus quis in Collegium admitti queat. Quòd si prohibeatur, admitti incolam alicuius loci, nomine incolæ intelligendus est, qui longissimam iam in eo loco mansionem habet; *leg. ciues 7. vers. incolas, Codic. de incolis, libr. 10. iuncta leg. 2. ibidem; leg. 32. vers. la setena, titul. 2. partit. 3. leg. 2. vers. final. titul. 24. partit. 4.* Demum, si prohibitio extet, quòd nullus ciuis alicuius oppidi admitti valeat, nomine ciuis intelligendus est natus in ciuitate à parentibus incolis illius, aut adscriptus in numero ciuium, quamuis ibi non sit ortus; *leg. prima, in principio, ff. ad municipal.*

194 Quòd si plurima velis de oriundis, ortis, ciuibus, incolis, & domiciliarijs, consule Azeuedum *leg. 19. titul. 3. lib. 1. Recopilat. & leg. 5. tit. 2. lib. 7.* Burgos de Paz *leg. 3. Tauri, conclus. 3. num. 69. 1 & à num. 365.* Tuschum *verbo, forenses, conclus. 410.* Cefalum *consil. 317. & 451.* Surdum *consil. 313. & 343.* Maschardũ, Menochiũ, & alios relatos à Farinacio *in fragmentis, versic. domicilium;* P. Thomam Sanchez *lib. 3. de matrimon. disp. 23.* Gutierrez, Nauarrum, Boerium, Gaillum, Gratianum, Barbosa, & alios, quos congerit Escobar *suprà cap. 1. num. 11.*

195 In præsenti tamen obseruandum est, non dici quem ortum in aliquo oppido ex eo, quòd in illo in transitu sit natus, scilicet dum mater per eum locũ iter faciens transiret, vel si parentes in eo loco aliquod munus Præturę, vel simile gerent. Imò si quis aliunde oriundus in Curia detineatur in obsequio Principis, ibiq; filios generet, hi non sunt excludendi, quãuis excludantur hi, qui in eo territorio, vbi est Curia, ortum habuerunt; vel si numerus sit limitatus, vt solùm duo, vel tres ex eo territorio admittantur, quamuis numerus sit expletus, illi valebunt admitti in Collegium. Id enim æquitati est consentaneum, ne hoc honore, ac cõmodo priuẽtur filij eorum, qui, suis relicta patria, obsequio Principis mancipantur, cum soleant esse eximij viri, quibus Respublica ob ea obsequia maximè deuincitur. Sic sensit D. Alfonsus de Escobar *vbi suprà, num. 94.*

196 Cæterùm obseruaui, cum in statutis Collegiorum exigitur, vt duo, vel tres, & non plures ex diœcesi determinata admittantur, admitti eos, qui in ea diœcesi nati sunt à parentibus, qui tempore natiuitatis aliquod munus in eadem diœcesi gerebant, esto ipsi & aliunde essent oriundi, & tempore admissionis in Collegium sint diœcesani alterius diœcesis, ex qua numerus admittendorum est expletus; Itaque non inspicitur ad diœcesim, in qua parentes, & ipse candidatus commorantur, cum admittendus est, nec ad diœcesim, in qua parentes sunt nati, sed ad illam, in quo is, qui admittitur, fortitus est ortum. Aliquando verò attenditur ad diœcesim, in qua admittendus tunc temporis, cum petit Collegium, est diœcesanus. Et, quamuis prima fronte videatur, fieri statuti interpretationem pro libito, & pro commodo tum admittentium, tum admissi; attamen, cum id statutum possit vtramque interpretationem sustinere, & consuetudo legum optimà interpres in vtramque partem illud inflectat pro varietate euentuũ, sustinenda videtur interpretatio eiusmodi, nisi verba statuti adeò sint manifesta, vt nõ patiantur similem expositionem; cũ præterea causa sit pia, in qua benigna interpretatio locum habet, & aliunde supponamus id non vergere in præiudicium tertij, cui ius competat ad Collegium obtinendum.

197 Obseruare etiam oportet, communiter in Collegijs Hispaniæ non admitti, nisi Regnigenas, seu in Regno natos, nisi determinatè Fũdator alicui extero designauerit locũ; Vt autem constet, quis sit Regnigena, audi *legem 19. lib. 1. tit. 3. Recopilation.* vbi id deciditur in ordine ad Beneficia, & Dignitates, quod pariter in præsenti est tenendum; *Ordenamos, y mandamos, que aquel se diga natural, que fuere nacido en estos Reynos, y hijo de padres, que ambos à dos, ò à lo menos el padre sea assi mismo nacido en estos Reynos, ò aya contrahido domicilio en ellos, y demas desto aya viuido en ellos por tiempo de diez años.*

198 Deinde eadem lege annotatur, filium spurium non aliter dicendum esse Regnigenam, nisi mater nata fuerit in his Regnis, aut saltem domicilium habuerit per decennium. Rursus, si in Regis nostri obsequium quis extra Regna versetur, ibique filios procreet, hi non censendi sunt exteri, sed Regnigenæ. Imò si quis extra Regna diuagatus in transitu filios genuerit, idem erit circa illos dicendum. Secùs continget, si quis è nostris Regnis exeat animo contrahendi domicilium in extero Regno, in quo illud contrahat; quippè filij ibi progeniti non sunt iudicandi Regnigenæ; cum præfata lex solùm excipiat eos filios, qui extra Regna in transitu nati sunt, ergo, qui in transitu non sunt orti, Regnigenæ non erunt censendi; exceptio enim firmat regulam in contrarium

199 Demum *lege sequenti, quæ est. 20. Recopilation.* præcipitur, exteros, qui Regis priuilegio in Regnigenarum album adscribuntur, debere in his Regnis residere; quare, si in eis resideant, gaudere valent omnibus indultis, quibus gaudent Regnigenæ; secùs si extra Regna proficiscantur, dummodo in obsequio Principis extra ea non occupentur.

200 Hinc cernes, quis sit censendus Regnigena, vt in Rectorem Acade-

Academiæ eligatur ; quæ qualitas ſolet exigi, & præcipuè in Academijs Hiſpaniæ. Et in Salmantina exigitur *in conſtitutione 1.* Martini V. & in ſtatutis conditis à Don Ioanne de Zuñiga, qui Philippi II. Hiſpaniarum Regis authoritate ea condidit, dum Academiam anno 1594. viſitaret, extatque id ſtatutum *titulo 1. §. 5. Ordenamos, y mandamos, que el Rector ſea deſtos Reynos de Caſtilla, y Leon, y no pueda ſer eligido de otros Reynos;* quæ verba ab ipſo Rege proferuntur. Quare aliquibus retrò annis non ſemel contigit, à Conſiliarijs Academiæ, penes quos, & penes Rectorem, qui ſuum munus expiet, electio Rectoris ſubſequentis eſt, electos fuiſſe aliquos non Regnigenas, eorumque electioni Academiam in ſuo Conſeſſu obſtitiſſe, ac proinde, accedente etiam mã lato Supremi Regij Caſtellæ Senatus, illos non geſſiſſe munus Rectoris. Quod ſi externus, v.g. Italus, à noſtro Rege conſecutus fuerit priuilegium genituræ in Hiſpania, vulgò *naturaleza*, poterit in Rectorem eligi; quia illud extenditur ad omnia Regna, in quorũ aliquo requiritur in Conſtitutionibus, vt ortus fuerit Rector eligendus. Quare non paucos Italos Proceres fuiſſe Rectores Academiæ Salmantinæ, omnibus eſt conſtans.

201 Inde etiam conſtat Magiſtrum Scholæ, ſeu Cancellarium Salmanticenſem debere eſſe Regnigenam, cum enim Præbendam, & Dignitatem habeat Eccleſiaſticam in Alma Salmantina Eccleſia, *ea leg. 19.* iam relata, cauetur, nullum, niſi Regnigenam, poſſe Beneficia, Præbendas, aut Dignitates in his Regnis obtinere, nec earum fructus percipere.

202 Obiter hinc annotauerim, Magiſtrum Scholæ appellari *Scholaſticum Salmantinum*, & hac voce ipſum vti in ſubſcriptione eorum, quæ ad ipſius Iuriſdictionem ſpectant; Nec erit iniucundum, breuiter proponere huius vocis, & muneris originem, quã latiùs tradit P. Auguſtinus de Herrera *In libro Hiſpano de Origine, & progreſſu Rituum Miſſæ lib 3. cap. 5. à. n. 4.* Olim viri ſcientia eximij vocabantur Scholaſtici; Rethoricis etiam, & cauſarũ Aduocatis id nomen fuit appoſitum, vt conſtat ex Concilio Sardicenſi, ex D Hieronymo, Beda, Vſuardo, Paſchaſio, & Palladio, quorum loca refert Author prædictus. Deinde in Eccleſijs Cathedralibus vnus, vel plures viri inſignes doctrina, & virtute aderant, in eiſque Cathedram (vnde Eccleſiæ dictæ ſunt Cathedrales) habebant, & Scholam, indeque Magiſtri Scholæ nuncupabantur; eaq; ſcientia dicebatur Scholaſtica, hincq; vocatur Theologia Scholaſtica, quæ de myſterijs Fidei agit, Deum pro ſuo obiecto præcipuo reſpiciens. Et quia ſæpè non ſufficiebant ad illam doctrinam tradendam hi, qui in Cathedralibus aſſiſtebant, alij conſtituebantur in alijs Eccleſijs, quæ ideò Collegiatæ ſunt dictæ, quia eis coniungebantur.

203 Itaque inde originem habet dignitas Magiſtri Scholæ, quæ in Eccleſijs deſtinata eſt, vt illam gerens inſtruat in Fide Cathecumenos, & edoceat ipſius Fidei ignaros. Quare congruenter munus Cancellarij Academię Salmantinæ annexum fuit Dignitati Magiſtri Scholæ, in quo ſupponitur ſcientia, doctrina, & eruditio; & cuius officij quondam erat, Scholam regere, ac inſtruere, & in Cathedra ſanam, Catholicamque doctrinam tradere.

204 Pro quæſtionis coronide reſtat exponere, an poſſit eligi in Rectorem Academiæ externus, ſi in eius ſtatutis non ſtabiliatur, futurum eſſe Regnigenam & ſolummodò exigatur eſſe ex numero ſtudioſorum, aut è gremio ipſius Academię? Reſpondeo affirmatiuè. Etenim ſic ſatisfit ſtatuto eiuſmodi Academiæ, dum ille ſtudioſus, aut è gremio eiuſdem ſit; & aliunde non obſtat prædicta *lex 19. Recopilat.* Quia id, quod eſt, Regnigenam eſſe, requiritur ad Beneficia, & Dignitates, de quibus in ea lege eſt ſermo; & iuxta explicationem ibi appoſitam exponitur, quis ſit Regnigena, cum ad alia munera, prꝫter ibi contenta, expreſsè requiritur, quem eſſe Regnigenam; quando autem non præfigitur hæc conditio, vt in hoc euentu ſupponimus, et munus non cõtinetur in his, quæ deſignantur in lege præfata, ſicut nõ continetur munus Rectoris Academiæ, non eſt, cur excludatur externus ab eo munere, ſi alijs conditionibus requiſitis ſit præditus.

205 Vnde diſcrimen inſurgit inter Rectorem, et Magiſtrum Scholæ; quòd Rector, ſi eius munus non ſit annexum Præbendæ, aut Dignitati Eccleſiaſticę, et non exigatur in ſtatutis Academiæ, eſſe Regnigenam, poterit eſſe exterus; at Magiſter Scholæ, licèt id non exprimatur in ſtatutis, nequit externus eſſe, quia habet dignitatem Eccleſiaſticam, quam iux-

ta

ta legem prefatam, nequeunt, nisi Regnigenæ, obtinere.

Quæstio XIX. Quæ statuta obligent Togatos ad culpam, & quæ solùm ad pœnam?

206 SVPPONO, eos, qui in Collegia admittuntur, emittere iuramentũ seruandi statuta eorũ. Suppono rursus, statuta omnia esse iusta, aliàs obligationem nullam inducere possent, vt de legibus traditur ab omnibus Authoribus, quæ non habent vim obligandi, si iniustę sunt. Quibus positis, affero, iuxta verba, ac formulam Statutorum discernẽdum esse, an ad culpam obligent, an solùm ad pœnam; Quòd si obligent ad culpam, ex qualitate materiæ discernendum esse, an ad culpam mortalem, an solùm ad venialem.

207 Itaque statuta sunt quasi leges municipales Togatorũ in Collegijs degentium; & sicut non omnes leges humanæ obligant ad culpam, sed aliquæ ad pœnam, quod ex earum contextu, ac verbis colligitur, & ex legislatoris intentione aliquo signo manifestata, vt cum communi docet Bonacina *tom. 2. de legib. in gener. & in particulari, disp. 1. quæst. 1. puncto 7. §. 1. à num. 1.* sic etiam non omnia statuta ad culpam obligant, cum non sit in eis maior vis obligandi ex se, quàm in legibus, dummodo eadem formula verborum in vtrisque reperiatur.

208 Potest quidem idem statutum, sicut eadem lex, tum ad culpam, tum ad pœnam obligare, sed etiam potest solùm obligare ad vnam, vel ad aliã. Verba autem, & formulę, quibus id dignoscatur, variæ sunt. Et in primis, si Statutũ solũ modò proferat; *Faciens hoc tali pœna mulctetur*; ex vi statuti solùm ad pœnam quis obligatur. Si autem in eo afferatur; *super hoc conscientiam oneramus*, vel; *Teneantur omnes in conscientia*; ad culpam datur obligatio. Sic in statutis Collegij Maioris Archiepiscopi in Salmantina vrbe, in Constitutionibus declaratur ad tollendos scrupulos, per nullam Constitutionem induci nouam obligationem ad culpam, nisi in ea asseueretur, conscientiam onerari, seu in conscientia præcipi executionem.

209 Quòd si hæc verba non dentur, nec eiusmodi interpretatio, aut declaratio, expendenda sunt verba Statuti; Nam hæc, *Mandamus, præcipimus*, ex se vim obligandi ad culpam habent, si materia sit capax, cum aliũdè supponamus, hæc statuta confirmata esse à Pontifice, vel à Principe, ex cuius authoritate condens statuta potuit suos Collegas in conscientia obligare; verba quippè similia in legibus vim obligandi ad culpam retinẽt; De quo vide *in tractatu de legibus* Patrem Suarium, Castro Palao, Layman, Arriaga, & innumeros passim. Attendenda tamen est communis acceptio, & consuetudine recepta interpretatio statuti; nam si longo iam temporis curriculo per vitos doctos, & timoratos deuenerit in posteros, quòd aliqua statuta nõ obligent ad culpam, huic interpretationi tutò stabitur, cum consuetudo, quæ est optima legum interpres, sit etiam & Statutorum, seu Constitutionum.

210 Materiæ autem qualitas expendi debet, vt dignoscatur, an ad culpam mortalem, vel venialem obliget cõstitutio, nempè si valdè interfit bono publico Collegij, vel alicui tertio; si ad morum compositionem, & communem ædificationem spectet, vt scandala vitentur, & nulla nota grauis regimini Communitatis inuratur, aliaque plura eiusmodi. Et quamuis aliqua ex his ex sua natura, secluso præcepto, & iuramẽto obligẽt, at in transgressione additur noua species peccati, nempè periurij. Vbi obseruandũ est, iuramentum seruandi Constitutiones non addere eis vim obligandi, sed suppositа earum obligatione, quæcumq; sit, addit nouum vinculum; Quam doctrinam de iuramẽto tradidimus *suprà q. 13.* & in inferioribus firmabimus, cum de iuramento Scholarium tractemus.

211 Hinc, si Constitutio solùm ad pœnam obliget, per iuramentum solùm obligatur quis ad pœnam subeundam; Si verò obliget Constitutio ad culpam tantùm venialem, non vlteriùs quis obstringitur iuramento. Rursus si obliget Constitutio ad culpam mortalem, detur tamen in transgressione paruitas materiæ, ratione illius peccatum veniale solùm cõmittetur, & iuramentum addet nouam circunstantiam in eodem genere venialis. Præterea, si Constitutio neque ad culpã, nec ad pœnam obstringat, sed sit dumtaxàt quædam regula, ac instructio, iuramẽtum

tum nullam obligationem addit. Demum in Constitutione pœnali, sicut in lege pœnali, videndum est, an obliget ad subeundam pœnam ante sententiam, seu ante mandatum Superioris, an non; nam ad id nouo vinculo iuramenti quis tenebitur; etenim communiter quis non tenetur subire pœnam per legem inflictam ante Superioris mandatum, nisi in lege proferatur, *In conscientia non faciat fructus suos; Ipso facto priuetur beneficio*; vel quid simile iuxta subiectam materiam. De quo vide inter alios Bonacinam *vbi suprà à n. 13.*

212 Hinc aduerte primò, si in Constitutione præcipiatur in conscientia, aliquas orationes recitari, eam iudicãdam materiæ paruitatem, quam, si quis de illa votum emitteret, nõ deberet sub peccato mortali adimplere; De quo passim Authores *in tract. de voto* & ego *in tom. in Bull. Cruciat. disp. 26. à num. 7.* Aduerte secundò, si in Constitutione designentur aliquę Orationes, seu Missę pro Fundatore celebrandę, (vt in Collegio Maiori Archiepiscopi) super quo conscientia oneretur, teneri Collegas ad impletionem sub peccato mortali, etiam quando absentes sunt; quia id grauamen imponitur non solùm ob sustentationem, qua intra Collegium gaudent, sed etiam ratione honoris, ac splendoris, quo etiam absentes fruũtur. Sic tenuere Sapientes viri, cum quibus hunc casum contuli, cum de illo ab Illustri quodam Togato fuissem consultus. Demum aduerte, Collegas hospites, seu in Hospitijs Collegiorũ iam existentes, non teneri iuramenti vi ad seruandas Constitutiones, nec has eos ex vi sua obligare, cum iam extra Communitatem sint; & iuramẽtum, ac Constitutiones solùm obligent degentes in Communitate. Cęterum Hospites cæremonias externas, & veniam, quę Rectoribus fit, æquè ac cęteri Togati, obseruant.

Quæstio XX. An erga Togatos cuiusuis Collegij habeat iurisdictionem ipsius Collegij Rector?

213 TENENDVM est, Rectores Collegiorum, præcisè quà tales sunt, si simul non sint Rectores Academiæ, nullam habere iurisdictionẽ, nec Ecclesiasticam, nec sæcularem erga Togatos, qui in eisdem Collegijs versantur. Ita sentit *Don Alfonsus de Escobar de Pontificia, & Regia iurisdict. c. 35. à n. 13.* Probatur primò, quia nullibi extat concessio expressa, & specialis, iurisdictionis, quæ Rectoribus eiusmodi indulgeatur, sine cõcessione autem nequit ea iurisdictio reperiri, maximè cum non sit necessaria ad munus Rectoratus gerendum; quare nõ intelligitur, hoc ipso quòd munus illud præstetur, concessa. Secundò, quia iurisdictio externa aliquibus semper signis externis denotatur; nullum autem est huius iurisdictionis vestigium; non tribunal: non lictor tabellio, aut Notarius, nec alia similia. Tertiò, quia numquam hæc iurisdictio à Rectoribus fuit exercita, nec sententiam tulerunt in causis ciuilibus, aut criminalibus, nec ad eos, vt ad Iudices ordinarios, causæ sunt delatæ, nec demum censuras promulgarunt, vt Iudices Ecclesiastici, nec quidquam ad Iudices priuatiuè spectans præstiterunt. Quartò probatur ab absurdo; nam quis dicat, tot esse Iudices ordinarios ad causas ciuiles, & criminales, quot sunt Rectores? & Togatos, quando sunt Rei in causis, fore à quolibet conueniendos coram ipsorum Rectoribus, cum Rei debeant in proprio foro conueniri? Quanta inde oriretur confusio? & quantum Tribunalibus publicis, & regimini Reipublicę detrimentum?

214 Igitur Rectores Collegiorum solùm habent erga Togatos sibi subditos potestatem æconomicam, ac correctoriam, præeminentiamque fraternalem, quæ extenditur ad omnia, quæ respiciunt commodum Collegiorum, & adimpletionẽ Constitutionũ, ac vitæ normã diututna consuetudine stabilitam, cæremoniisque specialibus circumornatam; Inde possunt Togatos ad obseruantiam cogere pœnis in statutis designatis, vel alijs vsu introductis; quòd si illi renuant pœnas subire, poterunt ipsos Collegio priuare, non verò aliam in illos iurisdictionem exercere. Loquor in præsenti de Collegijs nostri Hispaniarum Regni; nam in alijs exteris Prouincijs, quid in omnibus Collegijs contingat, nec Authores enuntiant, nec explorari facile potest. Est itaq; potestas Rectorum valdè affinis potestati paternæ erga filios.

215 Non defuere tamen aliqui, quibus, quin eorum exprimat nomen, irri-

det

det Eſcobat *vbi ſuprà num. 22.* exiſtimantes dari iuriſdictionem in præfatis Rectoribus. Pro eis argues primò, quemlibet Rectorem Collegij, ſeu Vniuerſitatis approbatæ gaudere iuriſdictione in omnes de Collegio, vel Vniuerſitate, vt probatur *ex cap. cum ab Eccleſiarum, de officio ordinarij; cap. nullus, 18. quæſt. 1. leg. fin. Cod. de iuriſdict. omnium iudicum; leg. 1. & 2. tit. 4. partit. 3.* Reſpondeo, nomen Collegij latè extendi, ſicut etiam nomen Vniuerſitatis; vbicumque enim aliquis ordo, ſeu ſtatus hominum coniungitur, Collegium nuncupatur; ſic etiam Reſpublica vocatur Vniuerſitas, & plures hominum Communitates ea voce appellantur. Quare non ad omnes Vniuerſitates, & Collegia extenditur eorum Iurium deciſio, ſed ad eas, quæ ſuum proprium Iudicem, & forum proprium habent, non ad eas, quæ dumtaxàt Rectore gaudent cum præeminentia ſuprà appoſita. Quæ autem Collegia ſint huius generis, & quæ illius, facilè cernitur, ſi eorum inſtitutum, norma, praxis, & conſuetudo attendatur. Vide Bartolum *in leg. fin. num. 13. de Collegijs illicitis*; P. Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 2, cap. 18.*

216 Argues ſecundò, plura Collegia in Bullis, & Priuilegijs expeditis in eorum erectione, habere ampliſſimas conceſſiones, quibus eis conceditur communicatio omnium priuilegiorum, & facultatum, quibus fruuntur Academiæ, & ex his vnum valdè præcipuum eſt priuilegium fori cum Iudice ſpeciali. Indeque affert Eſcobar *vbi ſuprà num. 12.* verba Illuſtriſſimi Fundatoris Collegij Maioris Conchenſis, in quibus ille vtens cõmunicatione priuilegiorum, quam eidem Collegio conceſſit Adrianus VI. tribuit iuriſdictionem Rectori, vt coram illo cauſæ Togatorum, & Familiarium Collegij tractentur.

217 Reſpondeo primò, in ea generali, ac vaga conceſſione communicationis priuilegiorum, non intelligi cõceſſam iuriſdictionem, quam exprimi neceſſe eſt, vt cenſeatur præſtita. Quin conceſſio iuriſdictionis præſtitæ Academijs eſt quaſi Academici ſtatus erectio, fundamentum, & inſtitutio, quam cętera priuilegia conſequuntur; vnde communicatio priuilegiorum debet intelligi de his, non de conceſſione iuriſdictionis, quæ eſt amplius, ſeu inſignius, quàm priuilegiũ. Reſpondeo ſecundò, ſtatum Togatorum ex ſe non eſſe Eccleſiaſticum, vt *lib. 1.* aſſeruimus; Pontifices autem ſolùm his, qui ſunt de foro Eccleſiæ, poſſunt Iudices deſignare extra ſuam ditionem; neque enim valent à Principe Supremo auferre poteſtatem conſtituendi Iudices erga ſuos ſubditos; Cum ergo Hiſpaniarum Reges non conceſſerint iuriſdictionem Rectoribus erga Togatos, nec approbauerint conceſſionem Pontificum, ſi fortè ea conceſſio daretur, non eſt, vnde Rectoribus dimanet prædicta iuriſdictio.

218 Reſpondeo tertiò, ex ipſis verbis Illuſtriſſimi Fundatoris Collegij Maioris Conchenſis colligi, non potuiſſe ab ipſo iuriſdictionem concedi, nec eam conceſſiſſe; Ait enim *in Conſtit. cap. 1.* quòd ſi aliquis, *contra aliquem Collegam, Capellanum, vel ſeruitorem Collegij cauſam mouerit, coram dicti Collegij Rectore cauſa tractetur ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij.* Vbi ſatis denotat, non poſſe coram Rectore dari ſtrepitum iudicialem, & conſequenter nec iuriſdictionem circa extraneos; Quo pacto namque poſſet cogere Actorem extraneum, de quo loquitur, vt cauſam ſuam terminari permitteret, quin ei licerent omnia, quæ in cæteris Tribunalibus licent, & ſtrepitum iudicialem important? Quare ſolùm id optauit, vt amicabiliter, & media compoſitione, ac quaſi arbitrio docti viri, & prudentis, cauſæ coram Rectore terminarentur. Et ſanè inter alia abſurda ex oppoſita opinione illud etiam ſequitur, Rectorem Collegij Theologum, vt ſæpè aſſolet eſſe, Iudicem cauſarum ciuiliũ, & criminalium fore conſtituendum, qui indigeret Vicario, coram quo cauſæ tractarentur. Scio, poſſe dari iuriſdictionem, quin interueniat ſtrepitus iudicialis, tractatis cauſis de plano, vt contingit in Religionibus, quorum Superiores iuriſdictione gaudent; At ea ſolùm eſt erga domeſticos. Vnde, eſto Rector Collegij Conchenſis iuriſdictionem habeat erga domeſticos, ſi lis inter eos exoriatur, vnuſque ipſorum ſit Actor, & alius Reus; at, ſi extraneus ſit Actor, eam non habet; nec vnquam extraneus Actor coactus eſt, coram Rectore agere: ſi autem ea iurisdictio daretur, Reus traheret Actorem ad ſuum Iudicem, nec huic priuilegio cederetur. Vel dicat Eſcobar, quando, & in quibus caſibus hæc iuriſdictio exerceatur, vel an de ea non curetur? Quòd ſi aſſerat, Conſtitutionem Fundatoris loqui de Actore etiam domeſtico, facilius annuam,

&

& Interpreti domeſtico credam.

229 Reſpondeo demùm, adhuc ſi in prima erectione Collegiorũ, præcipuè Maiorum, conceſſa fuiſſet iuriſdictio erga ſubditos Rectoribus, attamen Pontificijs Decretis poſterioribus, & Iure Regio reſtrictum eſt, vt ſola ſtudia Generalia, ſeu Academię ſpecialem Iudicem habeant, & reuocata ſunt quoad hoc quæcumque alia priuilegia, & cõceſſiones antecedentes, in quibus contenderetur extare conceſſionẽ iurisdictionis præſtitæ alijs Communitatibus, & Collegijs. Imò non ſolùm non habere ea Collegia Iudicem ſpecialem, ſuum Rectorem, ſed nec gaudere priuilegio fori ſtudioſorum, niſi in Academiæ Generalis numero recenſeantur, ac inſcribantur, eiſdem legibus Pontificijs, ac Regijs ſtabilitur; & ita tradit Don Alfonſus de Eſcobar *vbi ſuprà num. 19.* Quomodo autem in Scholaſtico Salmantino detur iuriſdictio erga Togatos quatuor Collegiorum Maiorum, egimus *lib. 1. quæſt. 7. num. 172.*

Quæſtio XXI An Togati, quibus tempore ingreſſus in Collegia deerat aliqua conditio requiſita in Conſtitutionibus, nempè ætas, paupertas, aut alia ſimilis, taneantur reſtituere ipſis Collegijs alimenta, quæ percipiunt.

220 DE hoc caſu à Togatis timoratæ conſcientiæ ſæpè fui conſultus. Ponamus, Togatum nondum ætatem expleuiſſe, quæ in ſui Collegij Conſtitutionibus requiritur ad Togatorum admiſſionem, cum informationes de eius puritate ſanguinis, natalibus, ac moribus fuerunt confectę, ipſumq; priùs curauiſſe, vt in libro baptizatorum dies ſui natalis induſtrioſa ſollicitudine corrigeretur, ac anteuerteretur. Dubitatur, an alimenta vnius, vel duplicis anni, quo in Collegio verſatus eſt ante ætatis iuſtæ cõplementum, potuiſſet percipere, vel reſtituere deberet? Idem interrogatur de cõditione paupertatis, & alijs ſimilibus, quas Fundatores Collegiorum appoſuerunt, volentes, intra ipſa non recipi niſi eos, qui infra ſummam Facultatum exiguam ab ipſis deſignatam haberent, alijsque eſſent qualitatibus nõ abſimilibus affecti. Quas qualitates exactè obſeruari, iniungit *lex 22. tit. 7. lib. 1. Recopil.* Nec eſt ſermo de qualitate puritatis ſanguinis, quam numquam deeſſe, omnino eſt credendum. Id enim adeò certũ iudicatur, vt inter Actus poſitiuos puritatis ſanguinis recenſeatur Toga quatuor Collegiorum Maiorum Salmanticenſium, ac Valliſoletani Sanctæ Crucis, & Complutenſis Sancti Ildephonſi *in leg. 35. tit. 7 lib. 1. Recopil.* Quibus additur *in leg. 37. ibidem* Collegium Maius Hiſpalenſe fundatum à Magiſtro Roderico Ferdinandez Santaella, & *in ea leg. 35.* decernitur, informationes de puritate, & nobilitate ſanguinis per tres Actus poſitiuos fore admittendas. Sed in Collegijs id non obſeruatur ex ſpecialibus priuilegijs.

221 Statuam nunc deciſionem, quam vtrique dubio ſuperiori præſtiti: quæ vt clariùs conſtet, rationem dubitandi in medium proferamus. Etenim in materia de reſtitutione ea regula ſolet præfigi; quòd is, qui impedit alterum à cõſecutione alicuius boni, quod ei debetur ex iuſtitia, etiam ſi impediat ſine vi, & fraude, tenetur ad reſtitutionem, quia violat ius, quod alter habet, vt ſibi bonum conferatur. Ita Bonacina *tom. 2. de reſtitut. in genere, diſp. 1. quæſt. 2. punct. 12. num. 3.* & plures alij. Sed ei, qui in Collegium ingreditur abſque qualitatibus à Fundatore requiſitis, non debetur receptio in illud, & impedit alios, eis qualitatibus affectos, quibus ex voluntate teſtatoris debetur receptio, his vel illis, ſaltem vagè, & indeterminatè, ne conferatur eis bonum, quod ipſe indebitè obtinet; ergo ad reſtitutionẽ tenetur. Et augetur vis argumenti ex eo, quòd fraude, & dolo eos impedit, ſiue ætatem maiorem ſimulans, ſiuè paupertatem fingens, aut aliud requiſitum, quo caret, falsò proponens; quæ fraus vergit in præiudicium tertij, ſi quidem alius eſſet obtenturus ingreſſum in Collegium, ſi ipſe nihil falſum producens inhabilis oſtenderetur togę accipiendæ

222 Deinde is ingreditur in Collegium contra voluntatem Fundatoris, qui alimenta reliquit ad Togatorum ſuſtentationẽ, qui requiſita ab ipſo deſignata haberent; ergo percipit alimenta, inuito domino, quæ eſt furti quodammodo ſpe-

ſpecies. Quippè Fundator erat verè Dominus facultatum, quas reliquit, & eo inuito, nullus potuit, aut poteſt capere; Inuitus autem eſt reſpectu illius, qui non pollet qualitatibus ab ipſo requiſitis, cũ eius expreſſa fuerit voluntas, quòd ſoli hi, qui eis eſſent prædiți, admitterentur in Collegium, & perciperent alimenta ab illo relicta, & nulli alij. Confirmatur ex alijs legatis in teſtamento relictis; nam ſi legatũ à teſtatore relinquatur ad deſponſandas pauperes virgines orphanas, & fœmina dines, non orphana, nec virgo, falſis teſtimonijs probaret, ſe ea requiſita habere, & legatum perciperet, proculdubiò reſtitutioni maneret obnoxia. Quod in ſimilibus caſibus etiam poteſt oſtendi. Id autem ipſum contingit in euentu propoſitæ quæſtionis, ergo in eo datur reſtituendi obligatio.

223 Præterea vrgetur difficultas; Nam, dum deficiunt qualitates à Fundatore requiſitæ, non intenditur, nec obtinetur finis præcipuus fundationis, ac erectionis Collegij, quin potiùs redditur fruſtraneus, ac per conſequens redditus relicti à Fundatore malè inſumuntur, & contra iuſtitiam occupantur, quare manet reatus reſtituendi. Et quidem Fundator ad id præcipuè Collegium erexit, vt Studioſi honeſti, ac nobiles, quibus anguſtum eſſet patrimonium, alerentur; &, vt à diœceſibus ab ipſo deſignatis (quibus voluit benefacere) eſſent oriundi; ac vt ea forent ætate prædiți, quę Togam deceret, & authoritati, ac muneribus Collegij expediret, ſimulque eſſet decens ad docendum publicè, exercendumque alia munia, quæ ætatis muturitatem exoptant. Hæc autem omnia labefactantur, vbi quis, falſis productis teſtimonijs, nec ea ętate viget, nec ex diœceſi deſignata ortum habet, nec inopia facultatum laborat; vnde finis intentus à Fundatore ruit; & non adimpletur eius voluntas, ſed potiùs oppugnatur; atque adeò bonis ab eo relictis vtitur quis pro libito proprio per fraudem, abſque eo, quòd ius habeat ad illorum vſum, & conſumptionem, quod eſt contra iuſtitiam; ex actu autem contra iuſtitiam reſultat obligatio reſtitutionis.

224 Hæc fundamenta primo aſpectu non inualidè videntur conuincere aſſumptum. Sed nihilominùs aſſero, prædictum Togatum, ſemel iam receptum in Collegium, non teneri ad reſtitutionem, eſto defecerint ei qualitates ſuprà dictæ, & falsò eas produxerit. Hæc aſſertio non aliter probanda eſt, quàm altiùs introſpiciendo mentem, & animum Fundatoris, eumq; ſecundùm æquitatem, ac rectam rationem interpretando.

225 Et quidem verum eſt, cum voluiſſe, prædicta requiſita concurrere in admittendis ad Collegium; attamen ſi admittatur quis ſemel in illud, eſto illis non ſit affectus, indubium mihi videtur, non fuiſſe Fundatoris animum, vt hic Togam relinqueret, aut è Collegio eijceretur; Fũdamenta autem ſuperiùs facta vel probãt eum teneri ad relinquendam Togam, & cæteros Togatos, ſi conſcij reddantur veritatis, teneri ad eum eijciendum è Collegio, vel nihil probant. Nam, ſi obligatio reſtitutionis oritur ex iniuſta acceptione Togæ, & ex eo, quòd alij impediuntur accipere id bonum, durat ſemper eadem iniuſtitia, & impedimentum appoſitum, atq; adeò nequibit retineri. Rurſus ſemper ille, ſi quid probant fundamẽta, percipit alimenta iniuſtè, & inuito domino, & cõtrariatur fini præcipuo intento à Fundatore, ergo debet non percipere ea alimenta, nec fini contrariari; atq; adeò, vt iuſtitiæ commutatiuæ ad æqualitatem ſatisfaciat, tenebitur reſtituere, quæ percepit, & vlteriùs nihil aliud percipere, nec perſiſtere in ea oppoſitione ad volũtatẽ Fundatoris. Perpendantur rationes ſuperiùs factæ, & cõſtabit, vel id ſuadere, vel nihil. Iã verò ſic argumentor. Semel quis in Collegium admiſſus nec tenetur illud deſerere, nec cæteri tenentur, imò nec poſſunt illum eijcere; igitur, ſicut hoc non impugnatur fundamentis ſuperioribus, ita nec eis ſuadetur reſtituẽdi obligatio, cum pariter vtrumq; vel neutrum conuincant.

226 Et in primis quis vnquam dixerit, teneri Togatum ſemel admiſſum in Collegiũ exire ab illo, & cęteros obligari ad illum eiiciendum? Res eſt ex terminis abſona; & rationi innititur deobligatio vtrorumq; Etenim, quamuis aliqua requiſita defuerint, vbi ille in Collegium eſt admiſſus, fit ſanè de gremio Togatorum, & in alumnum, ac filium adſcribitur; Mens autem Fundatoris, & ſi receptioni illius reſtiterit, non tamen conſeruationi ſemel recepti; nec enim rationabiliter credi de eo poteſt, quòd alumnum iam ſuum, & in gremium ſui Collegij admiſſum, vellet dimittere, nec obligare, vt Togam deſereret; atq; adeò inuitus non eſt cenſendus poſt receptionem factam reſpectu

ctu illius, quoad hoc vt gaudeat emolumē tis, quibus alij gaudent, atque adeò in eo non datur obligatio restitutionis.

227 Itaq; censendum est Fundatorē sic se habere, vt velit, nō recipi in Collegium, nisi eos, qui præditi sunt qualitatibus ab ipso requisitis; at, si aliquis recipiatur, contracundo in receptione voluntati ipsius, vult etiam, vt conseruetur, & permaneat, fruaturq; alimentis, & bonis, quę ipse relinquit. Sicut pater, qui nollet, filiū suum ducere vxorem, & esto hic contra eius voluntatem duceret, aut alium statum eius nutui repugnātem assumeret, postmodū tamē facto cōformatur, & assētit. Et quidem, cum honoris, famæ, & cōmodi momenta in eo alumno conseruando in Collegio consistant, derogaretur pietati, & beneficentiæ Fundatoris, si de eo existimaretur, voluisse ab albo Togatorū repelli; si autē in ipsorum gremio perseuerat, nec id est cōtra Fundatoris voluntatē, nō est, vnde restitutionis obligatio resultet

228 Quod sanè amplius elucet, si inuestigetur, cui esset ea restitutio præstāda, indeq; argumēta contraria etiām eneruantur; Nam ex eis probatur, restitui debere damnū alicui illatū, cū ab officio, aut bono ipsi debito remouetur, aut impeditur, cōpensando eidē illud damnū. At in præsenti casu hoc nequit subsistere, cū admittēdus in Collegiū, casu quo nō admitteretur is, de quo in hac quæstione agitur, non sit certus, & determinatus, cum de eo nō cōstet, nec cognoscatur, an si alij forēt Oppositores, habituri essent requisita necessaria tū in litteratū sufficientia, tum in puritate sanguinis, tū in suffragijs Togatorū. Vnde, si restitutio deberetur, videtur faciēda esse ipsi Collegio, quod ex legato, vel donatione Fūdatoris est dominus bonorū, quæ iniustè percipi, cōtēditur per argumēta cōtraria. Ecce ergo quomodo nō cōuincūt, quod intendūt; cū ex eorū vi restitutio nō esset præstāda Collegio, sed ei, cui impeditur ingressus. Cęterū Collegio nō deueri restitutionē, constat, quia ipsū factā semel admissionē ratam iā habet, quamuis agnoscat defectum requisitorū; Sępè enim post admissum Togatum, cognoscitur aliquis defectus requisitorum, vtpotè ætatis, paupertatis, & similium, & numquā propterea quis fuit Collegio priuatus.

229 Inde cōfirmatur nostra doctrina. Nam Collegiū succesſit Fundatori in bonis, & penes illud est eorū dominiū; cū autē restitutio ei deberetur, si facienda esset, & ei nō deberi, cōstet, quia ratā iam habet admissionem illius Togati, nec eum priuat alimētorū patticipatione, fit, vt absolutè nulli restitutio debeatur. Nec Togati cōstituentes Collegium peccant, nec tenētur ad restitutionē, quia semel admisso Togato, cum aliquo defectu ex dictis, cū eo se habent, sicut se habiturum fore Fūdator ē, si superstes esset, dicebamus *suprà num. 225*. Equidem in admittendo illū, si agnoscant defectū requisiti, & sit in materia graui, peccāt lethaliter, quia cōtraueniunt Statutis, quorū obseruantiam iurarunt, & id iuramentū, cum materia est grauis, obligat sub culpa lethali periurij; secùs, cum est leuis; esto veritas de præsenti, cum iurātur, semper desideretur; at post iuramentum emissum, si materia sit leuis. adimpletionis defectus solùm est peccatū veniale, vt docuimus hoc *lib. 2. quæst. 13.* & docent communiter Authores tractantes de iuramento promissorio.

230 Facilè iam ad argumenta pro ratione dubitādi adducta respondetur. Etenim tūc debetur restitutio, cum impeditur bonū alteri, quod ei ex iustitia debetur, quī do impediens ita est causa illius damni, vt ei non condonetur ab illo, qui condonare potest; quare si is, cui deberetur restitutio, eam condonaret, etiam liberaretur impediens bonum à restitutionè illius. In nostro autem casu non debetur alicui tertio restitutio, sed, si facienda foret, Collegio deberetur; ostendimus autem Collegium ratā habere eam admissionem Togati, seu illud impedimentum appositum, ne alius eiusmodi bono fruatur; operarique in hoc iuxta mentem Fundatoris, & vt dominū, bonorum, quæ Togatus percipit. Vnde etiam si fraus interceſſerit in suppositione falsa requisitorum, ille non remanet restitutioni obnoxius.

231 Deinde cōseruationē eius Togati in Collegio, quin eijciatur ab illo nec in perpetuum, nec pro tempore, quod ætati congruæ adimplendæ deficit, esse iuxta mentem, ac animum Fundatoris, stabilliuimus, ac consequenter eum à restitutione esse deobligatum. Quod non contingit in perceptione legati, de quo *suprà num. 222*. Nam de testatoris voluntate non potest pręsumi, ratam habere perceptionem factam à fœmina diuite, & non orphana, cum oppositum ipse expresserit, & non militent rationes, quæ in nostro casu dantur, vt post perceptum iniquè legatum, conseruetur apud iniquum pos-

seſorē; quin potius ea perceptio eſt veluti furtiua, & poſſeſſio, inuito domino, retinetur.

232 Demum in caſu noſtræ quæſtionis vel non reſiſtitur omnino fini intēto à Fundatore, vel ſola reſiſtentia datur in admiſſione Togati, non in conſeruatione; quòd ſi in conſeruatione non detur, cū poſſeſſio non ſit contra iuſtitiam, nulla reſtitutio debebitur. Et quidem, cum Togatus admittitur à cæteris bona fide operantibus, & defectum requiſiti non agnoſcentibus, nulla ex parte ipſorum datur oppoſitio fini intento à Fundatore; deinde poſt admiſſionem, iam oſtendimus, ratam eam haberi ex mente ipſius Fundatoris rationabiliter interpretata ab ipſo Collegio, atque adeò nulla perſeuerat reſiſtentia. Rurſùs id aliundè poteſt dilui, ſi requiſita expendantur. Etenim in defectu paupertatis, quæ requiritur, attendendum eſt, variatas fuiſſe circunſtantias; Olim namque redditus annui non decreuerant, nec tanti ingenti pretio res emebātur, ac hiſce temporibus; vnde omnia neceſſaria poterant ſuppeditari Togatis, & ipſi, quamuis pauperes eſſent, honeſtè victitabant; Non ſic hac noſtra ætate, in qua plura Collegia ære alieno grauantur, & redditus annuos habēt pauciores, omniaq; neceſſaria cariori pretio conſtant, indeq; nequeunt ſuppeditari alumnis omnia, quibus indigent, nec illi honeſtè victitare poſſent, ſi ſolùm eas facultates poſſiderent, quas Fundatores permittunt; qui, ſi nunc eſſent ſuperſtites, laxiorem fortè normam conſtituiſſent. Exin dè cernimus, aliqua Collegia Minora ob inopiam aut extingui, aut inter ſe vnum cū alio coniungi, vt ex redditibus copulatis valeant ſuſtentari. Sic Salmanticæ Collegium Sanctę Crucis fuit coniunctum cū Collegio, quod vocant *de Cañizares*; Collegium Sanctorum Petri, & Pauli cū Collegio Sancti Æmiliani; Collegium Sanctæ Mariæ cum Collegio Sancti Thomæ.

233 In defectu ætatis requiſitæ non violatur nimis finis Fundatoris; quippè, ſi Collegium ſit inſtitutum, vt exiſtentes in eo Scientias addiſcant, quælibet ætas (dū ſit ſuprà infantilem) apta eſt ad litteras addiſcendas. Si verò ſit inſtitutum, vt ſtudia recolantur, & publicè doctrina alijs tradatur, nequit ſanè ſuppoſitio falſa ætatis adeò eam augere, vt huic fini multùm officiat, maximè cum plures vigeſimū ætatis annum v. g. attingentes maiori cum ſatisfactione valeant publicè edocere, quàm alij in grandiori ætate conſtituti. Nec decentia, authoritaſq; Collegij in vnius, aut dimidij anni ętatis ſuperadditi diſcrimine periclitantur; cū præcipuè contingat frequenter, aliquos, qui nondū vigeſimum primum annum expleuerunt, ſpeciem maioris ætatis præferre; & è contra alios, qui expleuere illum annum, exteriùs apparere minori præditos ætate. Sicut ergo, ſi vnus ex his admitteretur in Collegium, non deeſſet ei requiſitum ætatis, nec violaretur finis Fundatoris, nec derogaretur decentiæ Collegij, quare, ſi alius admmittatur in ſpecie exteriori ei æqualis, & in ætate inferior, derogari grauiter authoritati Collegij, & fini Fundatoris credatur?

234 Quòd ſi quis falsò ſupponat diæceſim, aut patriā, video, in eo cōtrairi volū tati Fūdatoris, qui voluit beneficiū prę ſtare oriundis in determinata diæceſi, ſeu loco; ſed ea volūtas, ex interpretatione ſuperiùs facta, fuit quaſi conditionata; ac ſi ille ſic ſtatuiſſet; Volo, vt admittendus in meo Collegio ſit Cantaber, aut Bæticus, ex diœceſi Hiſpalēſi, vel Calagurritana; Quòd ſi in aliquo caſu aliquis eiuſmodi non admittatur, ſemel admiſſum perſeuerare, iubeo, ne eius honor, & fama periclitētur, & ne ipſi Collegio nota aliqua inuratur, ſitq; à veritate aliena ſuſpicionis occaſio; & cū iam in Collegij alumnū, & in gremiū Togatorū ille fuerit coaptatus, de decet meā pietatē, ac beneficentiā, illum expellere, quin potiùs mei animi eſt, ipſum fouere, & cōſeruare. Profectò, ſi attētè res introſpiciantur, & expendātur circunſtantiæ omnes, nemo erit, qui inficietur, ſic ſe habuiſſe Fundatorem. Vel fingat ſe quiuis vir prudens fundatorē eſſe, & eo animo, ac volūtate affectū ſe ipſum cōperiet, niſi velit, plurima incōmoda, & detrimenta exoriri. Debemus autē ita interpretari mētē, & animū Fūdatoris, vt nulla abſurda ex eo ſequantur, cum ipſi nequaquā intēderint grauibus incōmodis miniſtrare occaſionē. Quod dicimus de defectu requiſiti loci, aut diœceſis, dicendū eſt de alijs defectibus requiſitorū, & hæc doctrina, ac interpretatio poſita eſt aptāda cuicumq; euētui, poſtquā iam quis in Collegiū eſt admiſſus. Tātiſper vltra ſolitū in hac quæſtione ſum immoratus, vt doctrinā clariorem redderē, & cum de ea Authores, quos viderim, non diſputēt, debuit aſſertum traditum fundamentis non perfunctorjis elucidari, vt probabile, & tutum in praxi cenſeatur.

Queſtio

Quæstio XX. An Togati hospites teneantur alimenta soluere Collegijs, & possint licitè, quandiu velint, in hospitio versari? Vbi aliqua de illis attinguntur.

235 IN vnoquoq; Collegio tempus est designatum, quo Togati intra illud versari queant, & eo finito, communiter, (si in eodem loco remaneāt nullo munere occupati) eis conceditur hospitium, in quo eodem habitu, quo anteà, ornati incedunt, sed nec suffragio gaudent in Consessibus Collegij, nec in Collegijs saltem Maioribus socium secum adducunt ex illo. Obseruant quidem reuerentiæ cęremoniam suis Rectoribus; & præcedunt, vbicumq; adsint, cæteros Togatos, tum sui Collegij, tum aliorum, ordine tamen antiquitatis seruato inter ipsos hospites Togatos cuiuscumque Collegiorum Maiorū inter se; & similiter Collegiorum Minorum inter se. Quid autem sit in praxi obseruandum inter Collegia Maiora respectu Minorum, & inter Togatos, ac Rectores, proposui *lib 1. num. 673.*

236 Hoc posito, quæstio præsens plùs consistit in facto, quàm in iure, cum resolutio desumenda sit ex praxi, & consuetudine cuiusque Collegij. Proferam nunc, quæ in Collegijs Salmantinis obseruantur, & in cæteris, credam, etiā esse in vsu. Igitur Hospites tenentur alimenta soluere Collegio, toto tempore, quo in Hospitio commorantur, si expensis ipsius Collegij victitent. Quod probatur tum ex communi ipsorum Togatorum iudicio; tum quia Fundatores solùm Togatis actu existentibus intra gremium Collegij redditus annuos in alimenta reliquerunt, nec illi possunt extraneis impertiri, cum id vergeret in Collegij detrimentum, & voluntati Fundatorum resisteretur; dum autem à gremio Collegij disiunguntur Hospites, iam reputantur extranei, quoad alimentorum perceptionē. Ab inconuenienti id ipsum suadetur, nam potest contingere, vt plurimi, qui Collegij tempus peregerunt, in Hospitio commorentur, quibus alendis maxima pars annuorum reditnum insumeretur, indeq; ære alieno grauaretur Collegium, aut non posset simul suos alumnos sustentare; quis autem contendat, non teneri tunc Hospites alimenta persoluere, cum inde sequeretur, vel Collegium pati ingens in suis facultatibus damnum, vel eius alumnos priuari necessarijs ad sum victum, vt alij inde sustententur?.

237 Quantum autem pro annis singulis sit persoluendum, pendet ex designatione quantitatis in vnoquoque Collegio præfixę. Cæterùm quo tempore sint pendenda alimenta, etiam est inspiciendum ex praxi. Equidem, cum singulis annis debeantur, ex se persolui etiam singulis annis debent; attamen solutio, Collegio conniuente, differri solet vsque ad tempus, quo commodè possint eam præstare Hospites prædicti, & sæpè vsque ad eorum vltimum vitę tēpus differtur. Nec inde sequitur inconueniens *num. præcedenti* libatum; quippè, cum plures è Collegio exeant, & aliqui, dum viuunt, alimenta persoluant, seu nomine alimentorum donatiuum prębeant; alij vero tempore mortis eam solutionem perficiāt, aut eius vice legatum Collegio relinquant, fit, vt hinc inde Collegium accipiat compensationē facultatū, quas in Hospitibus alendis insūpsit, & nō patiatur absolutè detrimentum.

238 Hic obseruandum est, in aliquibus Collegijs Togatos emittere iuramentū relinquendi aliquod legatū Collegio; quod quidem grauiter eos obligat, adimplereq; illud tenentur, nisi adeò postmodum inopia premantur, vt non possint illud exequi. Hoc sanè iuramentū nequit relaxari per commutationem, aut dispensationem, nec virtute alicuius priuilegij, quia fuit emissum in fauorem tertij, & ab illo est acceptatū; iuramenta autem huiusmodi relaxari non posse, docui *in tom. de Bull. Cruc. disp. 26. num. 65.* Quia tamen est legatum pium, & Pontifex est administrator omniū bonorū, quæ ad Ecclesias, & ad pias causas spectant, poterit id iuramentum ab illo relaxari. Cæterùm ei iuramēto satisfit, vel tēpore mortis relinquēdo legatū, vel tēpore anticipato præbēdo donatiuū; tēpus enim mortis est terminus vltimus obligationis, non verò tollitur, quòd ante illud obligationi satisfiat; quod videre est in alijs obligationibus, quibus aliquod tēpus, vt terminus vltimus, præfigitur. Quòd si legati relinquēdi quātitas in iuramēto designetur, nō potest infra quātitatē relinqui; si autē nō designetur, inspi-

ciendum est, quid sufficere iudicetur communiter, vt id iuramentum adimpleatur, an maiorem, an minorem quantitatem.

239 Si tamen quis alimenta debeat propter hospitium, non satisfaciet vno, eodemq; legato, aut donatiuo, tum debito alimentorum, tum iuramento, nisi legatum, aut donatiuum ad eam quantitatem perueniat, quæ vtriusq; debiti sit compensatio sufficiens; cum enim debita ex diuersis titulis proueniant, nequeunt nisi per diuersas compensationes, aut per vnã æquiualentem extingui; vt in cæteris debitis similibus constat.

240 Secunda pars quæstionis in titulo propositæ etiam est res facti. Etenim cõsuetudo est consulenda in singulis Collegijs circa tempus, quod Hospitibus permittitur. Et quidem nunquam illud protrahitur, ad totũ vitæ spatium, sed vsq; dũ ipsi Hospites ad aliquod munus promoueantur aut statum eligant, in quo degãt: si enim matrimonium contrahant, hospitium deserere coguntur; nemo quippè vxoratus toga donatur, nec eum illam retinere cõceditur; Similiter, si munus aliquod, aut occupationem susceipiat, quæ Togæ non concordat, ea debet denudari, atque ab hospitio exire. Aliquando etiam ipse tenebitur Collegij hospitiũ deserere. Finge casum, in Collegio maiori Salmantino Togatum Hospitem esse Candidatum ad Cathedras, & nullum è Collegio posse ad eas opponi, quousq; ille aliquam obtineat; ipsum verò aliquibus annis nullam potuisse obtinere (quod numquam continget) fortasse quia scientia, vel dicendi facundia non est præditus; profectò tenetur dare locum alijs Togatis, ne multùm eorum commoda, & præmia retardentur, nec Collegij famæ, aut decentiæ detrahatur propter eius perseuerantiam obstinatam. Etenim vitare debet quis graue præiudicium tertij, cum illud suo commodo, maximè dubio, aut fortè desperato præpõderat, si ipse sit occasio eiusmodi nocumẽti; & prẽterea, quamuis ob vrbanitatem, vel pietatem Collegium taceat, nec illum ab Hospitio expellat, censeri debet in ipsius perseuerantia rationabiliter inuitum.

241 Sed quis, ais, se iudicet scientia, aut dicendi facundia parùm præditum, vt eam obligationem sibi incumbere, animaduertat? Fateor, difficilem esse eam suimet cognitionem; sed ex euentibus, & experimenris tenetur tunc altiùs suos defectus inspicere, nec infœlicitati tribuere, quæ alijs sufficienter litteratis non eueniunt. Et esto infaustę dumtaxàt suæ sorti, aut alijs occurrentibus circunstantijs aduersos euentus tribuat, tenetur ad bonum publicum Communitatis attendere, cum ex indulgentia Collegij in Hospitio versetur, & non vtatur iure suo debito, sed gratis permisso; in quo differt ab his, qui actu intra Collegij gremium versantur, nam si Candidati sint ad Cathedras, non vtuntur Collegij indulgentia, sed iure suo, attenta consuetudine, & Sanctionibus Collegij, nec post se habent tot Togatos, qui retardentur, quot Hospites habent. Vel si nolis admittere rigorosam obligationem in casu præfato ficto, saltem non inficiaberis, resolutionem traditam esse æquitati conformem; &, si casus eueniret, forsan Supremus Castellę Senatus, cui regimẽ politi cum huic Collegiorũ præ oculis versatur, occurreret detrimãto. Hi tamen sunt omnes Togati, vt id non debeat timeri.

242 Cæterum quàm digni honore sint Togati Hospites, & quàm iustè cæteros prẽcedant, exindè cernitur, quia, cum assecuti fuerint Togæ splendorem, iam emeriti & eamdem, & maiorem venerationem promerentur; quod de his, qui aliquo munere functi, vacationem ab illo obtinent, latè, & eruditè prosequitur Doctissimus D. Ioannes de Solorzano *De honorarijs, & emeritis Senatoribus, ferè per totum tractatum, & præcipuè à n. 214.* Et videri possunt *lex, proximos, C. de proxim. Sacr. Scrin. lib. 12. lex 1. & 2. C. de præpos. sacri cubic. eodem lib. 12. lex, fin. Cod. de priuil. eorum, qui in sacro palat. milit. eodem lib. 12. lex, his quidem 5. §. scituris, C. qui milit. poss. lib. 12. iuncta Gloss. verbo, quem.* Tractant latè Barrul. Bartolus, Odofred. Rebuffus, Ioann. de Platea, Lucas de Penna, Puteus, Scipio Robitus, & alij relati à prẽfato Authore *suprà n. 116.* & etiam Tiraq. *in tract. cessante causa. p. 2. limit. 15.*

247 Nec abs re etiam Togatos Hospites in militia litteraria veteranos, aut emeritos adæquaueris antiquis Militibus emeritis, qui eisdẽ, ac amplioribus priuilegijs gaudebant, quàm hi, qui adhuc in acie versabãtur; seu melius assimilaueris eos Militibus Veteranis, quibus prohibebatur *in leg. fin. C. de mancip. & colonis, lib. 11.* otiũ ab armis; prohibent enim ibi Imperatores, *Veteranos milites, otio donatos tela in vsum vomeris, ligonisque conuertere;* Quæ verba lucẽ accipiũt ab alijs Sidonij verbis

lib.

lib. 1. ep. 6. aientis *In eorũ effœtis manibus enses rubiginosos sero ligone mutari*: quod oportuniùs, quàm Sauarus Sidonij Scholiastes, obseruauit prædictus Don Ioannes de Solorzano *in emblematibus Regio politicis, emblem. 94. num. 18.* Verba ergo, & præceptum illud Imperatorum obseruant Togati hospites veterani, dum, postquam intra Collegij gremium validè in acie litteraria dimicarunt, postmodum eodem vigore in ea pugnant, quin temporis decursus eos reddat otiosos, desides, aut inermes.

Quæstio XXIII. An, qui titulo falso Bacchalaureatus ad Cathedras opponitur, vel aliud præmium ambit, ad quod ille Gradus est requisitus, peccet mortaliter, & teneatur, si obtineat, ad restitutionem.

Vbi alia dubia deciduntur de Recitantibus extemporaneè.

244 OBITER hanc quæstionem attigit Don Alfonsus de Escobar *tract. de Pontificia, & Regia iuris dict. cap. 32. num. 54.* Rigidè quidem ibi loquitur; nam *num. antecedenti* duo stabilierat; primum, non posse Scholarẽ probare Cursum annuum litterarium, nec ei competere priuilegia studiosis concessa, si in lectionibus, quas tenetur audire, exeat à gymnasio, antequam finiatur, & Moderatores illarum è suggestu descenderint. Secundum, eum, qui lectiones non audiret modo præfixo ab ipso, non posse Cursum annuum probare, & inualidum esse, si probetur. Hinc distinguit Gradum Bacchalaureatus falsũ, & inualidũ. Falsus est ille, qui omnino fingitur, aut supponitur, quin fuerit in aliqua Academia acceptus; Inualidum vocat eum, qui verè acceptus fuit, sed cum aliquo Cursu falso, aut inualido. Insuper ait, quẽ lethaliter peccare, quoties Gradu falso, aut inualido vtitur ad obtinendum quodcumq; præmium, ad quod Gradus ille est requisitus, vt ad obtinendum Beneficium, Canonicatum, & Gradum Doctoratus. Circa restitutionẽ verò inquit, eum, qui vtitur Gradu falso, teneri ad restitutionem, nec posse licitè retinere, quod obtinuit, etiam si dignus sit eo præmio, imò cæteris dignior: Eum autem, qui vtitur Gradu non falso, sed inualido, non teneri ad restitutionem, si dignus est; teneri tamen, si sit indignus, iuxta doctrinam Emanuelis Rodriguez *in summa, verbo Gradus.*

245 In pluribus huius doctrinæ asserti à prædicto Authore dissentio, & dum eum impugno, decisionem quæstionis stabiliam. In primis sufficere, quòd Scholaris assistat lectionibus maiore parte horæ, aut temporis, quo lectiones durant, trademus *lib. sequenti*, ex praxi recepta, & communi iudicio Sapientum. Imò ipse Escobar fatetur, *num. 52.* satis esse, si per maiorem temporis partem singulis lectionibus assistat; quare iuxta ipsius sententiam, Scholaris, licèt non cum Præceptore ad gymnasium ingrediatur, sed post horæ quadrantem, poterit Cursum litterariũ probare, dummodo vsque ad finem lectionis in gymnasio versetur; Ergo è conuerso, si ab initio lectionis in gymnasio assistat per maiorem partem horæ, & ante finem illius exeat, poterit similiter Cursum probare, cum semel posita assistentia per maiorẽ horæ partem, nihil interfit, in initio, vel in fine illius non assistere. Sed ait, inde posse fieri, vt Præceptor solus remaneat in suggestu, si omnes possent in fine lectionis exire. At, si possunt non ingredi cũ Præceptore in initio, etiã fiet, vt Præceptor solus tunc versetur, vnde idem sequitur; quippè communiter aliqui, qui dictata à Præceptore scribunt, ab exordio vsque ad finẽ assistunt; alij vero aut initio ad gymnasiũ ingrediuntur, & ante finem exeunt; alij autem, incepta iam lectione, illuc adeunt, & vsque ad finem assistunt; vnde nunquã solus in suggestu Præceptor remanebit, nisi ob alias rationes destitutus sit Auditoribus

246 Affert pro se Escobar statutum Academiæ Salmantinæ, quod extat *titul. 21. num. 28. & titul. 28. num. 27.* Vbi decernitur, Scholarem per maiorem horæ partem debere lectionibus assistere, & non ante Præceptorem è gymnasio egredi, aliterque non obtinere Cursum annuum. Sed profectò hæc statuta eò tendunt, vt maiori parte horæ gymnasio assistatur; eaque

limitatio non egrediendi ante Præceptorem adijcitur, eo quòd hi, qui totum lectionis tempus in gymnasio non insumunt, frequentiùs ferò, & post inceptam horam ingrediuntur, atque adeò, vt maiorem horę partem ibi expleant, debent non egredi ante lectionis finem. At, cum etiam satisfiat fini huius statuti, assistendo maiori parti, si quis initio lectionis adsit, & ante finem egrediatur, vt diximus, fit nulli contrairi statuto, cum id non amplius exigat, quàm assistētiam maioris partis horæ; Sic enim *tit. 28. n. 27.* asseritur *Item estatuymos, y mãdamos, que para ganar curso en todas las dichas facultades, baste cursar la mayor parte del año, y en cada lection la mayor parte de la hora.* In alio autem statuto *tit. 21. n. 28.* quod est recentius, stabilitur, scholares curatutos fore ingredi simul cũ Præceptore, & nõ ante illum exituros. Sed in eo, vt legenti attētè constabit, non est præceptum, sed consilium ad vtilitatem Scholarium præstitum, vt integra hora lectionibus assistant, inde fructum vberiorem percepturi. Vel demum, vt *inferiùs lib. 3. quæst. 13.* asseram, cum de hoc pũcto ex professo tractem, sanè seuerior illa antiqua disciplina decursu temporis paulatim mollior est redita, & praxim communi calculo receptam pro nobis habemus. Quin posset contendi, esto in Academia Salmantina concederetur, quod intendit Don Alfonsus de Escobar (quod adhuc non concedimus) ob specialia eius statuta, tamen in alijs Academijs non id ipsum contingere, si peculiares sanctionẽs non aliud præscribant.

247 Obiter opportunè dubitabis, si quis teneatur assistere lectioni Primariæ, aut Vespertinæ, & velit primariam frequẽtare, an sufficiat in ea adesse aliquid suprà dimidiam horam, (si illa hora, & dimidia, duret, vt Salmanticæ contingit) cũ id tempus sufficeret assistere in lectione Vespertina? Respondeo, non sufficere; quia, esto penes Scholarem electio sit lectionis, at si elegerit primariam, debet in illa per maiorem partem temporis, quo durat, adesse, nempè suprà tres horæ quadrantes; nam ea maior pars consideratur respectu eius lectionis, quę auditur. Id posset pluribus exemplis moralibus comprobari; sed res est ex terminis perspicua.

248 Dubitabis etiam incidenter, an is, qui tenetur assistere lectioni primariæ, vel vespertinę sub disiunctione, satisfaciat suæ obligationi, si, vna parte cursus litterarij, primariæ adsit, alia verò parte, vespertinæ; vel vno die vni, alio vero die alteri, & sic per totum cursus annui spatium? Respondeo, id non debere fieri, quia nulla, vel exigua vtilitas percipietur. Deinde rigorosè loquendo, iudico, illum satisfacere, cum verè adimpleat statutum audiendi vnam, vel aliam lectionẽ, & non detur limitatio, quòd, vna lectione electa, non possit dari regressus ad aliam; nec debemus statutum cum ea limitatione odiosa interpretari. Sic qui emittit votum disiunctiuum audiendi semper Sacrũ, aut ieiunandi, dum nouo se voto ad vnam partem non obliget, potest vno die audire Sacrum, alio ieiunare; Ea enim est natura præcepti disiunctiui, vt obligationem non inducat determinatam, nisi ob aliquam rationem reddatur determinatũ ipsum præceptum. Videantur P. Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto, cap. 24.* Sayrus *lib. 6. cap. 11. num. 62.* Diana *1. part. 11. resol. 74.* Et ego *in Bull. Cruciat. disp. 26. num. 23. & num. 124.*

249 Redeamus ad quæstionem nostram, & contentionem cum D. Alfonso de Escobar. In eo sanè, quòd addit, non posse probari Cursum annuum ab scholari, qui debito modo lectionibus nõ assistit, & probationem esse inualidam, Gradumque susceptum consequẽter inualidum fore, partim assentio, si rectè res explicetur, partim omnino dissentio. Etenim licitè non posse probari Cursum ab eo, qui lectionibus designatis in statutis per maiorem anni partem non assistit, &, si probet, tum ipsum, tum testes iurantes peccare mortaliter, statuam infrà *lib. 3. quæst. 13. & 14.* Plura tamen ibi circa hoc disquiram, vt omnia dubia in praxi emergentia decidantur. Vult tamen Escobar, non posse validè probare annuũ Cursum, nec validum Gradum accipere eum, qui ante finem lectionis egreditur è gymnasio; in quo ei non assentio, sed standum est dictis *à num. 245.*

250 Rursùs ab eo omnino dissentio, in eo quod docet, Gradum susceptum ab eo, cui aliquod requisitum defuit in assistentia ad lectiones, aut aliud simile, esse inualidum. Quippe ostendam inferiùs *lib. 3. à num. 93. cum* P. Thoma Sanchez, & Diana *4. part. tract. 4. resol. 173.* eum, qui indebitè Cursus probat, aut aliquem Cursum falsum affert, sanè in probatione, & falsitate peccare iuxta qua-

qualitatem rei, & circunstantiarum, sed semel probatis, & admissis Cursibus, validè Gradum Bacchalaureatus accipere; imò in eo accipiendo lethaliter saltem non peccare.

251 Iam ad vltimum assertum eiusdē Authoris deueniamus, & quæstioni in titulo propositæ faciamus satis; resolutioni enim viam aperuimus. Asserò ergo, cum, qui titulo falso Bacchalaureatus (nam Gradum inualidum huiusmodi non admittimus iuxta dicta, atq; adeò non opus est distinctione, qua is Author vtitur, & doctrina de Gradu Bacchalaureatus inualido ab eo tradita locum non habet, est enim de subiecto nō supponente) opponitur ad Cathedram, Beneficium, aut quid simile, ad quod requiritur ille Gradus, lethaliter peccare, &, si obtineat, teneri ad restitutionem. Ratio à priori est, quia non habens eiusmodi Gradum incapax est obtinendi præmium, aut munus, ad quod ille Gradus pro forma requiritur, vt in præsenti requiri supponimus; Incapax autem nequit obtinere id, ad quod est incapax; quod si obtineat, tenetur restituere, cum id possideat, quod ei nequit competere, nec potest eius esse; Tunc sic. Qui affert Gradum falsum, seu fictum, quem ipse nō obtinuit, verè non habet Gradum, & perindè se habet, ac si illum Gradum non afferret, cum ille non sit Gradus ab eo obtentus, sed ab eo fictus; nō secùs, ac si aliquis finxisset aliquod chirographum, vt ex vi eius, pecuniæ ipsi soluerētur, quas sanè nec accipere, nec retinere posset; ergo afferens Gradum falsum non valet consequi præmiū, ad quod Gradus ille requiritur, & tenetur restituere, si consequatur.

252 Et quidem, si falsitas comperiatur, ac probetur, per Iudicis sententiam priuabitur munere, Cathedra, aut Beneficio obtento. Si verò exteriùs non probetur, ipse, qui obtinuit præmium ex vi illius Gradus falsi, tanquam requisiti essentialis, tenebitur in foro conscientiæ restituere fructus perceptos, & præmium, munus, aut Beneficium omittere; nisi adsit via supplendi defectum, & reualidandi obtentionem; Sic assecutio Cathedræ posset à Principe reualidari, & obtentio Beneficij Ecclesiastici à Pontifice; Hi enim, qui designauerūt requisita essentialia ad aliquod munus, vel præmium, quod sub eorum potestate continetur, possunt in eis dispensare, ac eorum defectum supplere, & reualidare obtentionem, quæ fuerat nulla, tribuendo capacitatem subiecto, quod defectu alicuius requisiti erat incapax, & præmij retentionem elargiendo. Quod intelligitur de requisitis volūtariè à Principe designatis; nam alia sunt, quæ independenter ab eius libito requiruntur, & nequit ab eo capacitas suppleri. Sic incapax, & omnino inscius doctrinæ, nequit Principis concessione fieri capax, cum concessio non reddat eum litteratum, & doctum. Cęterùm, an sufficiat accipere Gradum, siue Bacchalaureatùs, siue Licentiatùs (si is sit necessarius) postquam quis Oppositioni ad Canonicatum, Beneficium, aut Cathedram subscripsit, aut post electionem, dum accipiatur ante possessionem, & alia huiusmodi, iam tradidimus *hoc libro 2. à n. 38.*

253 Aduersùs traditam doctrinam dices, præmia præfata, vt Cathedras, seu Beneficia, non conferri propter Gradum, sed propter doctrinæ peritiam; ergo, si hæc adest, quāuis Gradus sit fictus, poterunt ea præmia retineri, absque restitutionis onere. Quod confirmatur; quia si quis ficta per hypocrisim sanctitate beneficium obtineat, potest illud retinere, si dignè administret, vt docent Sotus *de iustit. libr. 9. quæst. 7. art. 3. ad 4.* Medina *Cod. de restitut. quæst. 2.* Ludouicus à Cruce *in Exposit. Bull. disp. 3. dub. 14.* P. Henriquez *lib. 7. de indulgent. cap. 35. num. 5.* Alexāder de Ales, Emanuel Rodrigūez, & Trullench, quos retuli *tom. in Bullam Cruciat. disp. 34. num. 176.* vbi idem docui, et fauet D. Chrysostomus *homil. 37. ad populum.* Etenim eiusmodi Dignitates, et Beneficia absolutè, et sine conditione dantur; et, dummodo exerceātur dignè, obtinetur finis principalis, nempè constitutio ministri apti ad Ecclesiam. Igitur similiter in casu quæstionis, dignus Beneficio, aut Cathedra non tenebitur ea dimittere, cum finis pręcipuus obtineatur, nempè designatio Ministri apti ad Ecclesiam, vel Cathedram, licèt ficto Gradu ea fuerit assecutus.

254 Respondeo, prædicta præmia conferri subiecto capaci, et per Gradum fieri quem capacem illorū, esto non conferantur propter Gradum. Sicut Ordo aliquis, saltem prima Tonsura facit hominem capacem iurisdictionis Ecclesiasticæ, et qui titulo falso primæ Tonsuræ acciperet eam iurisdictionem, nec posset eam exercere, nec retinere dignitatē, aut munus, cui ea iurisdictio esset annexa; et tamen munus, et iurisdictio non fuerat ei præstita propter primam Tonsuram, sed pro-

propter scientiam, & alia merita. Itaque sicut in hoc exemplo prima Tonsura non se tenet ex parte causæ, ob quam munus confertur, sed ex parte personæ, quam reddit capacem, ita in nostro casu Gradus est requisitum ex parte subiecti, & adhuc eo posito, examen fit, vt constet de scientia, quæ sit ratio motiua ad conferēdum præmium.

255 Hinc liquet disparitas ad confirmationem argumenti. Nam sanctitas ficta non est ratio motiua, ob quā beneficium confertur, nec est requisitum sanctitas constituens subiectum capax, ita vt sine ea incapax sit; sed dumtaxàt est ratio impulsiua, quæ etsi ficta sit, non vitiat collationem præmij, sicut communiter ab Authoribus traditur de rationibus impulsiuis falsis respectu dispensationum in aliqua lege, seu impedimento, quæ non reddunt irritas dispensationes; & idem cernere est in alijs casibus. Vide dicta à me *prædicto tomo in Bull. Cruciat. disp. 34. cap. 15.* At Gradus non se habet, vt ratio impulsiua, sed vt requisitum essentiale præfixum pro forma ad obtinenda præmia præfata, quare, si nō adsit, nulla redditur collatio, & obtentio.

256 Sed quid dicendum in casu nostro, si Gradus sit inualidus, nō quidem defectu requisitorum, quę designat Don Alfonsus de Escobar *vbi suprà*, cum eam inualiditatē non admittamus, sed defectu requisitorum in ipso Gradu concurrentium; v. g. si quis eum accepisset à Doctore alterius facultatis non potente eum conferre; vel non adstitissent testes ad solēnitatem requisiti, vel alia eiusmodi? Meo sanè iudicio quoad præsens eodem modo est philosophandum de Gradu inualido, ac de Gradu ficto, esto propter hūc detur reatus ad pœnam. Quippè quod inualidū est, ad nullos potest actus proficere, si quidem vt vox ipsa præsefert, nullum valorē, nec vim includit, atque adeò eodem modo se habet, ac si non existeret. Sic contingit in cæteris; donatio inualida pro nulla habetur; & collatio Beneficij inualida pro nulla reputatur; Ergo Gradus inualidus idem est ac nullus; cum igitur, si quis nullum habeat Gradum, incapax est obtinendi præmia, & munera, de quibus loquimur, ita si quis afferat Gradum inualidum. Etenim cū requiritur essentialiter pro forma Gradus, indiuisibiliter requiritur Gradus validus, eoque deficiente, deest forma requisita, quæ subiectum afficiat. Sic, si quis inualidè suscepisset primam Tonsuram ab aliquo, quem bona fide putabat posse eam cō ferre, cum verè non haberet potestatem conferendi vllum Ordinem, nec Tonsuram, non posset esse Iudex Ecclesiasticus, nec esset capax iurisdictionis Ecclesiasticæ; cognita inualiditate, quia ad eam iurisdictionem habendam requiritur, vt forma afficiens subiectum, saltem prima Tonsura validè accepta.

257 Si verò quis bona fide iudicet, se habere Gradum validum, & obtineat Beneficium, aut Cathedram, ac post obtentionem agnoscat Gradus inualiditatem, tunc censeo veram doctrinam D. Alfonsi de Escobar, & aliorum, scilicèt posse ea retinere absque onere restitutionis, si aliunde sit aptus ratione scientiæ; (quæ aptitudo in omnibus casibus requiritur, vt libaui loco *suprà relato in Bull. Cruciat. num. 176.*) Etenim propter eius bonam fidem in acceptione Gradus suppleri censetur ei hic defectus à Legislatore, cuius animum rationabiliter interpretamur, fuisse, vt Gradus reperiretur in obtēturo ea prēmia acceptus validè, aut saltem bona fide habita de valore ipsius.

258 Exceptio autem apponenda est doctrinæ superiùs traditæ in eo, qui ficto Gradu Bacchalaureatus accipit Gradum Licentiati, & Doctoris. Is enim, licet in ea acceptione peccet, vtpotè deordinata, tamen validè ad eos Gradus promouetur, eosque retinere valet, emolumē taque percipere, quin restitutioni sit obnoxius; quidquid Escobar *vbi suprà* id inficietur. Moueor, nam per Gradum Licentiati, & Doctoris reualidatur, & suppletur Gradus infimus Bacchalaureatus, qui eminenter in illis superioribus continetur, ac includitur; adeòque, quamuis non intelligatur concessum minus, quando conceditur maius, si hoc absque illo valeat exerceri (quod est in rebus moralibus commune principium) tamen, cum maius conceditur, & nequit exerceri absque minori, id etiam concessum intelligitur; vndè, cum Gradus Licentiati, & Doctoris supponat Gradum Bacchalaureatus, & absque hoc nequeat concedi, cum de facto cōceditur, censendum est, quasi simul cōcedi, aut reualidari, seu eius defectum suppleri, si verè antecedenter non fuerit obtentus. Et, cum omnes hi Gradus ad eumdem scopum colliment, vt scilicèt testimonium publicum proferatur de scientia promoti ad illos, & si mul facultas docendi publicè ei confera

tur;

tur, ac rigidius examen, & experimentum fiat, cum quis ad Gradum Licētiati est promouendus, quàm cum ad Bacchalaureatum, fit, vt testimonium publicum prolatum de scientia in Gradu Licentiati imbibat in se, & contineat testimonium prolatum in Gradu Bacchalaureatus, quasi quid inferius. Et hinc sumitur disparitas ad alios casus, in quibus habens Gradum falsum Bacchalaureatus promouetur ad Beneficium, aut Cathedram, quia hęc non cōtinent in se Gradus, cum non sint Gradus superiores, sed munera, dignitates, aut præmia collata his, qui Gradum habent. Nec obstat, deficiente eo Gradu, vtpotè forma requisita, nō esse subiectum capax alterius Gradus superioris. Etenim, sicut possent simul conferri Gradus Bacchalaurei, & Licentiati, eo ad hunc præmisso, ita in casu nostro Gradus Licentiati quasi equivalet vtrique, & præstat capacitatem, quam non reperit; Quod non inuenitur in casibus suprà positis.

259 Id explicatur ex doctrina tradita *lib. 1. num. 380.* vbi diximus, posse Principem Supremum creare Doctorē virum sapientem, etiam si hic nullo alio Gradu foret præditus; & licèt Gradus Doctoris præsupponat alios Gradus antecedētes, quibus persona reddatur capax illius, tamen eo casu Princeps conferens Gradū supremum, quasi implicitè, & virtualiter simul alios Gradus conferret, seu eorum defectum suppleret, amouendo incapacitatem, quæ in ea persona secundùm se dabatur ad obtinendum Gradum Doctoratus, eo quòd non suscepisset priùs Gradus Bachalaurei, & Licentiati. Idem ergo in casu nostro contingit; & Academia, seu Magistratus, qui confert Gradum Licentiati, & Doctoris, authoritate Supremi Principis vtitur, & instar illius, amouet incapacitatē subiecti prouenientem à defectu Gradus Bacchalaureatus. Hi discursus reddunt mihi traditam doctrinam probabiliorem; & tum in ea, tum in pluribus decursu huius tractatus stabilitis, in quibus vel nullus Author semitam aperuit, vel leuissima manu aliquid libauit, sufficit verosimiliter philosophari.

260 Cæterùm in casibus suprà appositis, in quibus onus restitutionis adiecimus, cuinam ea facienda sit, facilè cernitur ex principijs, quæ Authores in materia de restitutione prescribunt. Quippè inspiciendum est, cui sit inflicta læsio, vel à quo domino, seu ad ministratore accepta sint emolumenta, cum non possent accipi; & eis restitutio est præstanda. Nempè ex Cathedra iniustè obtenta redditus percepti sunt restituendi Academiæ; Fructus ex Beneficio debent restitui Ecclesiæ, in qua situm est, vt eos percipiat, vel successor in Beneficio, vel Capitulum, seu mensa Capitularis, aut Fabrica, iuxta consuetudinem, quæ in vnaquaque Ecclesia obseruatur circa fructus Præbendæ, aut Beneficij vacantis, cum censeatur ea Præbenda, siue Beneficium vacare, dū iniustè, aut inualidè collidetur; nisi perceptio eiusmodi fructuū à Pōtifice reualidetur, vt suprà dixi. Ex superiùs dictis infero resolutionem ad casum, de quo olim fui consultus. In quadam dioecesi Oppositores ad Beneficium iudicati sunt æquales in scientia; Is erat anteponendus, qui Gradu Bacchalaureatus foret insignitus. Vnus solùm aderat; hic verò Gradum obtinuerat afferens vnum ex Cursibus falsum. Obtinuit Beneficium. Quid de hoc dicendum? Respondi, rectè obtinuisse; nam ille Gradus etsi Cursus falsus fuerit adductus illicitè, tamen validus fuit; vnde habebat ille Beneficiarius qualitatem requisitam, vt anteponeretur.

261 Attingit Escobar *vbi suprà*, alias quæstiunculas, & eas non decidit, quas ob connexionem, seu affinitatem, quam habent cum præcedentibus, breuiter enodabimus. Prima est, an is, qui confecit relectionem, aut recitationem peroranda ab alio, qui ad Cathedrā opponitur, aut Gradum suscipit, peccet mortaliter? Respondeo, regulariter loquendo, nullum in eo patrari peccatum, cum præ angustijs tēporis, quod præfigitur ad eas recitationes, sapientes adhuc, & docti viri quandoque indigeant subsidio, & iuuamine alterius, vt minori fatigatione se prępparent, & postea ad dicēdum publicè sint expeditiores; maximèque hi, qui non facilè memorię tradunt ea ipsa, quæ iam didicerunt, egent aliquo iuuamen ferente. Et quidem id ita vsu introductum est, vt supponatur, ferè omnibus, aut saltem plurimis suppeditari ab alijs materiam lectionibus extemporeaneis. Nec id eos cæteris efficit anteponi, cum non solùm attendatur ad materiam in lectionibus tractatam, sed ad illius intelligentiam, stylum, dispositionem, ac modum, quę ab alijs nequeunt ministrari recitāti; & prætereà alia experimēta sunt, ex quibus colligitur, quanta sit doctrina Oppositoris siue ad Cathedras, siue ad Beneficia, vel Candidati ad Gradum; qualia

sunt

sunt examina, argumenta, patrocinia publicarum assertionum, lecturæ, ac similia, ex quibus omnibus adæquata Oppositoris cognitio, & censura conflatur.

262 Id confirmatur. Nam valdè cómune est, eos, qui ad Canonicatus opponuntur, antecedēter tradidisse memoriæ aliquas relectiones, aut conciones, vt possint eis vti, si fors obtulerit pūctum, cui aliqua possit adaptari, quin vllus dixerit, hoc esse peccatum. At in ordine ad effectum, perinde se habet, antecedenter scire relectionem, ac petagi hanc ab alio post sortem præstitam, imò primum minori labore constat, & minùs demonstrat capacitatem, & sufficientiam subiecti, cum potuerit longo tempore se ad relectionem, aut Concionem præparare, easque aliorū iuuamine conficere; ergo nec datur peccatum afferendo eiusmodi iuuamen ei, qui extemporaneè est recitaturus, aut concionaturus, cum nec ipse peccet in eo quærendo.

263 Dixi suprà, *regulariter loquendo*, id non esse peccatum, quia euentus excogitari potest, in quo peccatum sit. Finge, hominem esse insufficiētem ad aliquod munus, & experimentum de eius sufficientia fieri dumtaxàt in Recitatione extemporanea, eumque fœlici esse memoria præditum, ita vt fideliter ei commendet vnius diei spatio relectionem integra hora recitandam. Sanè in his circunstantijs peccatum esset lethale, relectionem ab alio confici, & ei tradi. Ratio est, nam tunc conficiens relectionem esset causa moralis iniustitiæ, & obtentionis indebitæ muneris, aut præmij, quod homini insufficienti conferretur cum aliorum præiudicio; Et, sicut iniustitiam committeret, qui eiusmodi munus homini planè insufficienti præstaret, ita & is, qui iuuaret, vt ei præstaretur. Quarè, si ex vi eius Relectionis obtineret munus, aut Præbendam, tenetur ipse obtinens eam, eiusque emolumenta percepta restituere, & ipso non restituente, obligatio restitutionis incumberet iuuanti, qui fuerat causa impediens, ne illud munus præberetur alteri sufficienti, cui debebatur; quod ex principijs communibus in materia de Restitutione traditis ab omnibus est manifestum.

264 Secunda quæstiuncula est, an peccet mortaliter is, qui puncta Recitaturo extemporaneè ad Cathedrā, aut Canonicatum obtinendum, designat monitus ab ipso, in qua libri parte sit sortem missurus, aut alia simili fraude interuenienre? Respōdeo, id ex se peccatum esse lethale; quippè ille in re graui violat fidelitatem, quam in suo munere exercendo obseruare tenetur; imò reus est periurij, si iurauit priùs eam seruare fidelitatem; Rē autem esse grauem, manifestè liquet, cum ex ea pendeat, experimētum scientiæ præstari, quo Cathedra, aut aliud præmiū obtineatur. Deinde actio illa vergit in præiudicium aliorum Oppositorum, si dentur, eō inde ille, cuius in fauorem fit, possit eos excedere in Relectione, quos non excederet, si fraus non interueniret. Et, quamuis alij Oppositores non sint, præiudicium datur respectu Academiæ, Collegij, aut Ecclesię, à quibus ille forsitan ad præmium, seu munus non eligeretur, si absque fraude pūcta designarentur, si ille minùs sufficientē se in Relectione ostenderet. Quare, casu, quo ea designatio præmeditata fuisset causa obtinendi præmij, & illud digniores amitterent, teneretur designans puncta, restituere, veluti causa moralis damni illati, ea su quo non restitueret ipse, qui præmium obtinuit, nam tunc ille ad restitutionem tenetur, vt suprà dicebamus de simili causa morali damni inflicti.

265 Attamen, esto hæc assertio sit vera, re sec undùm se sumpta, in aliquo casu excusaretur à peccato mortali is, qui puncta designaret ex conuentione facta cum ipso, qui esset extemporaneè recitaturus. Nam ponamus, aliquem opponi ad Cathedram, non vt obtineat, cum certò constet, non fore obtenturum, sed vt inde aliquem sibi plausum, vel honorem cōparet, ita vt designans ea puncta nō futurus sit causa moralis damni alijs inferendi, nec obtinendi prę mij iniustè, tunc non violatur fidelitas in re gravi, nec iniustitia alicui irrogatur. Deinde ponamus etiam, Virum dari Sapientissimum, qui absque controuersia obtenturus est Cathedram, & quem constat, posse eruditè extemporaneam relectionem recitare de quocumque puncto ei contingente; Si is poscceret, puncta sibi assignari in parte determinata libri, eo quòd minùs foret defatigandus ea puncta disputans, vel quia circa ea aliquid haberet præmeditatum specialis eruditionis, quod cuperet publicè perorare; in hoc sanè casu non daretur peccatum lethale in designante eiusmodi puncta, ob easdem rationes nuper li-- batas.

Quæſtio XXIII. Quid concedatur per Bullam Eugenij IV. quæ vulgò vocatur Eugeniana, habentibus Præbendas, aut Beneficia Eccleſiaſtica, circa perceptionem fructuum, & excuſationem à reſidentia, dum in Salmanticenſi Academia verſantur, & quid ſit neceſſum præſtare ad fruendum eius Bullæ priuilegio?

266 QVO iure reſidentia in Eccleſijs debeatur, & qui teneantur ad illam, libaui *tom. in Bull. Cruciat. diſput. 2. cap. 1. à num. 2.* & etiam attingam *inferiùs lib. 3. à num. 215.* vbi tractabo de excuſatione ab illa, quæ competit omnibus Studioſis in communi; Quare in præſenti ſolùm agam de conſtitutione Eugeniana, de qua aliqua attigerunt Antonius Gom. *in Bullam Cruciat. ad clauſulam 4. num. 14.* P. Leſſius *de iuſtit. lib. 2. cap. 34. dub. 29.* Barboſa *de poteſt. Epiſcopi, allegat. 56. à num. 21.* Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdict. capit. 32. num. 59.* & alij. Sanè non meliùs ſatisfiet quæſtioni in titulo propoſitæ, quàm ipſam Bullam Eugenij IV. tranſcribendo, & declarationem Congregationis Cardinalium circa dubium, quod exortum fuit, exarando, vt prę manibus habeātur; adeò enim plana, & clara ſunt, vt expoſitione non indigeant. Sic ergo ſe habet Bulla;

EVGENIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

QVI creditum ſibi à Domino ſenſualitatis humanæ talentum virtuoſis actibus lucri facere quærentes in agro litterarum ſtudij cupiunt adquirere ſcientiæ margaritam, quę ſuos vtique prouehit, & illuſtrat poſſeſſores, ac domum Dei multipliciter inſignit, & decorat, Apoſtolicis ſunt priuilegijs, & gratijs meritò cōfouēdi; eòque decet opportunitatibus ipſorum benigniùs conſuli, quò ex eorum profectibus etiam in Dei Eccleſia fructus iugiter ſuccedere poterunt ampliores. Ad venerabilis itaque Salmantini propagationem Studij, quod virtuoſorum, doctiſſimorumque Virorum multitudinem produxit innumeram, paternæ dirigentes cōſiderationis intuitum, ac Actibus inibi Scholaſticis pro tempore vacantes, vt illis liberiùs intendere, decentiùſque ſuſtentari valeāt, Apoſtolicis fauoribus, & gratijs proſequi cupientes, dilectis filijs Rectori, ac vniuerſis, & ſingulis Doctoribus, Magiſtris, Licentiatis, Bacchalarijs, Scholaribus Eccleſiaſticis, tam ſæcularibus, quàm Regularibus Vniuerſitatis Studij Salmantini huiuſmodi præſentibus, & futuris, authoritate præſentium indulgemus, ſtatuimuſque, & ordinamus, vt eorum ſinguli, etiam perpetuis futuris temporibus inibi in quacumque Facultate licita, & honeſta per octo menſes continuò, vel interpolatim legendo, aut aliàs huiuſmodi litterarum ſtudio inſiſtēdo, fructus, redditus, & prouētus omnium, & ſingulorum ſuorum Beneficiorū Eccleſiaſticorum, ſæcularium, & regularium, cū cura, & ſine cura, quæ in quibuſuis Eccleſijs, ſiuè locis ad præſens obtinēt, & in poſterum obtinebunt, etiam ſi Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, Perſonatus, perpetuæ adminiſtrationes, & officia in Cathedralibus, ac Metropolitanis, ſeu Collegiatis Eccleſijs, & Dignitates ipſę in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, poſt Pontificales, maiores, aut in Collegiatis Eccleſijs huiuſmodi principales, ſeu Conuentuales fuerint, & ad huiuſmodi Dignitates, Perſonatus, adminiſtrationes, vel officia conſueuerint qui per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, cum ea integritate, quotidianis diſtributionibus dumtaxàt exceptis, liberè percipere valeant, cum qua illos perciperent, ſi in Eccleſijs, ſiuè locis huiuſmodi perſonaliter reſiderent; & ad reſidentiam in eiſdem minimè teneantur, nec ad id à quoquam compelli poſſint inuiti. Fructus quoque, nec non redditus, & prouentus præfatos quibuſvis perſonis etiam laicis, cum quibus ſuas, & eorumdem Beneficiorum conditiones poterunt efficere meliores, ad tempora, de quibus eis videbitur, arrēdare, locare, vel ad firmam, ſeu annuam penſionem concedere poſſint; diœceſanorum locorum, vel aliorum quorumlibet ſuper hoc licentia minimè requiſita. Nō obſtantibus, ſi Rector, Doctores, Magiſtri, Licentiati, Bacchalarij, & Scholares prædicti

ti primam in eiſdem Eccleſijs, ſiuè locis non fecerint perſonalem reſidentiam con ſueram; & etiam, ſi aliàs ipſis, quòd huiuſmodi ſtudio inſiſtendo, aut in Romana Curia, ſeu aliquo Beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum reſidendo, vel aliàs illorum fructus, redditus, & prouentus perpetuò, vel ad certum tempus forſitan durans, aut elapſum percipere poſſint, Apoſtolica, vel ordinaria fuerit authoritate conceſſum; necnõ fœlicis recordationis Bonifacij Papæ Octaui Prædeceſſoris noſtri, per quam conceſſiones huiuſmodi ſine præfinitione temporis fieri prohibentur; & quibuſvis alijs Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſiarum, ſiuè locorum huiuſmodi contrarijs, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitate vallatis; etiam ſi de illis ſeruandis, & non impetrandis litteris Apoſtolicis contra ea, ipſis litteris non vtendo, etiã ab alio, vel alijs impetratis, ſeu aliàs quouis modo conceſſis, ipſi Rector, Doctores, Magiſtri, Licentiati, Bacchalarij, & Scholares præſtiterint hactenùs, vel in futurum eos præſtare contigerit forſitan iuramentum; ſeu ſi locorum Ordinarijs à Sede Apoſtolica ſit conceſſum, vel in antea concedi contingat, quòd Canonicos, necnon Rectores, & perſonas Eccleſiarum ſuarum ciuitatum, & diœceſium, etiam in Dignitatibus, Perſonatibus, adminiſtrationibus, vel officijs conſtitutos per ſubtractionem prouentuum ſuorum Eccleſiaſticorum, vel aliàs compellere valeant ad reſidendũ perſonaliter in eiſdem; aut ſi Ordinarijs prædictis, & dilectis filijs Capitulis Eccleſiarũ huiuſmodi, vel quibuſvis alijs communiter, vel diuiſim à Sede prædicta ſit indultum, vel in poſterum contigerit indulgeri, quòd Canonicis, necnon Rectoribus, & perſonis Eccleſiarum, ciuitatum, & diœceſium prædictarum, etiam in huiuſmodi Dignitatibus, Perſonatibus, adminiſtrationibus, vel officijs conſtitutis non reſidentibus inciſdem, vel qui primam in eiſdem reſidentiam non fecerint, huiuſmodi fructus, redditus, & prouentus ſuorum Beneficiorum prædictorum miniſtrare minimè teneantur, ad id compelli non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, ac expreſſam, & de verbo ad verbum de huiuſmodi indulto mentionem; & quibuſvis alijs priuilegijs, indulgentijs, & litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus nõ expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earũ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habẽda ſit noſtris litteris mentio ſpecialis; prouiſo, quòd beneficia ipſa propterea debitis non fraudentur obſequijs, & animarũ cura in eis, quibus illa imminet, non negligatur, ſed per bonos, & ſufficientes Vicarios, quibus de ipſorum Beneficiorum prouentibus neceſſaria congruè miniſtrentur, diligenter exerceatur, & deſeruiatur inibi laudabiliter in diuinis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, ſtatuti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurũ. Datis Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo, quadringentesimo, trigeſimo primo, ſexto Kalendas Martij, Põtificatus noſtri anno primo.

267 Hactenùs conſtitutio Eugeniana in fauorem Salmanticenſis Academiæ expedita, cuius executionem Põtifex commiſit Archiepiſcopo Toletano, ac Abbati Monaſterij Sancti Facundi Legionenſis, & Scholaſtico Eccleſiæ Salmãtinæ, expedita ad id alia Bulla eodem die, quæ incipit; *Hodie in fauorem*, in qua etiam ad verbum inſerta eſt prædicta Conſtitutio. Quam, audio, in aliquibus Eccleſijs ad praxim non deduci; & niſi noua Conſtitutione Pontificia expreſsè reuocatoria Cõſtitutionis Eugenianæ muniantur, non video, qua ratione poſſint ei contrariari; Quòd ſi in aliqua Eccleſia caſus adhuc nõ occurrerit, in quo aliquis ex illa ſtudijs incumbat in Salmanticenſi Academia, id ſanè non probat, in ea nõ eſſe acceptatam prædictam Conſtitutionem; nec acceptatio libera eſt Eccleſijs, niſi rationi alicui innitentes ab Apoſtolica Sede reuocatorium Decretũ impetrauerint; quod magis adhuc vrget, quia certum eſt, in Hiſpania fuiſſe acceptatã, & eius priuilegio fuiſſe potitos non paucos ex pluribus Eccleſijs; quare ſpeciale reſcriptum debet oſtendi, vt eius executio impediatur; incumbitque Academiæ Salmãtinæ defendere hoc priuilegium, ſi aliquis Academicus eo vti prohibeatur.

268 Ex prædicta Bulla conſtat

stat primò, non teneri ad residentiam in proprijs Ecclesijs, & facere fructus suos, eos, qui in Salmantina Academia sunt Scholares, vel publicè docēt, aut aliàs litterarum studio insistunt, vtpotè Candidati Cathedrarum, Recolentes studia, expleto quinquennio, & simul Academiam frequentantes, ac Actibus litterarijs assistentes; hi enim omnes comprehenduntur sub generalitate personarum, quibus priuilegium conceditur. Debent tamen, vt eo fruantur, his conditionibus esse præditi, quas *lib. 3.* dicemus, requiri, vt Studiosi gaudeant priuilegijs suis, & ita adnotat D. Alfonsus de Escobar *eo c. 32. à n. 59.*

269 Constat secundò, gaudere hoc priuilegio etiam Decanos Ecclesiarum Cathedralium, cum concedatur etiam his, qui Dignitates primas post Pontificales habent. Vbi solùm excipiuntur Archiepiscopi, & Abbates quasi Pontificali Dignitate, & iurisdictione gaudentes, quibus non permittitur, vt à suis diœcesibus, territorijs, seu Ecclesijs absint, ne oues sine Pastore deserantur. Cęterùm, quamuis priuilegium extendatur ad eos, qui in Ecclesijs per electionem solent assumi, non intelligendum est de his, qui per oppositionem obtinent Canonicatus, quos vocant *affectos*; cum hi deputentur ad docendum, concionandum, & audiendum confessiones in ipsis Ecclesijs, ad patrocinandumque causis, quæ solent occurrere, eas expediendo; qui sanè iuxta Tridentinum nequeunt ab Ecclesijs abesse, (nisi exiguo tempore iuxta cuiusque Ecclesiæ statuta) & ratio postulat, ne docere alibi tentent, qui ad docendum in proprijs Ecclesijs designantur, atque ob id munus percipiunt emolumenta, & Præbēdę eis, prę missō examine, ad id obeundum conceduntur, quæ non aliter forent concedendæ, nec ad eas promouerentur, si possent illicò ipsas deserere, & ad Academiam Salmantinam, docendi gratia, migrare. Et quidem post constitutionem Eugenianam eiusmodi Præbendæ sunt institutæ, vel auctæ in Ecclesijs, in quibus non dabantur, decernente id Concilio Tridentino, cuius cura, & conatus circa id fuisset inutilis, si Canonici eas Præbendas habentes virtute constitutionis Eugenianę possent in Academia Salmantina docentes commorari. Videatur in Tridentino *c. 1. de reformat. sess. 5.* & sæpè alibi.

270 Forsan oppones contra hoc priuilegium Decretum Tridentini *sess. 6. cap. 2. de reformat.* vbi præcipitur omnibus, residere in Beneficijs, quæ iure, vel consuetudine residentiam exigunt; & addit: *Nullique priuilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur.* Sed respondeo, ii his verbis prohiberi, quòd suffragetur priuilegium nunquam residendi. At constitutio Eugeniana non concedit priuilegium nunquam residendi, sed non residēdi, dum in Academia Salmantina quis insistit studijs; Et quidem sic probat praxis, cū plures post Tridentinum habentes Præbendas, quę residentiam postulant, virtute constitutionis Eugenianæ in Salmantensi Academia fuerint versati, fecerintque fructus suos, quod nulli non constat. Deinde in ipso *capite 2. relato*, ait Tridentinum, non derogari indulgentijs, & dispensationibus temporalibus, ex veris, & rationabilibus causis concessis; In constitutione autem Eugeniana dispensatio huiusmodi datur. Rursùs quis forsitan respondeat, in Tridentino non fieri mentionem expressam constitutionis Eugenianæ, & idin ipsa requiri, vt reuocetur. Sed, vt omnis dubitatio tollatur, non solùm in Academia Salmantina, verùm in alijs publicis Academijs posse Canonicos Ecclesiaum Cathedralium publicè docere, & à residentia excusari, declarauit Sacra Congregatio Cardinalium, deputata ad dubia circa Tridentinum emergentia decidenda; ex qua constat, in Tridentino non esse reuocatum id priuilegium. Huius declarationis meminit Nicolaus Garcia *de Beneficijs, 3. part. capit. 2. numer. 60.* Vbi etiam de constitutione Eugeniana agit. Igitur ea Cardinalium declaratio sic se habet, inscripta Academię Salmātinæ;

Admodum Reuer. & Excell. Domini.

Nomine Emanuelis Sarmienti Canonici Ecclesiæ Giennensis, & in ista Academia Salmātina sacræ Scripturæ Lectoris, proposita sacrę Congregationi Illustrissimorum Patrum, qui Tridentini Concilij decretis interpretandis pręfecti sunt, dubitatione; An scilicet Canonicus Cathedralis Ecclesiæ publicè in aliqua Academia docens Sacram Theologiam, si nullū sit ei stipendium à publico constitutū, neque idem sit ex numero eorum, qui Cathe-

, thedras habent, sed facultatem docendi à
, Rectore, vel alijs, ad quos spectat, obti-
, nuerit, gaudere possit priuilegio à Iure cō
, cesso docentibus sacram Scripturam, aut
, fructus sui Canonicatus in absentiâ per-
, cipiat? Eaque diligenter, & matuè con-
, siderata, atque examinata, ipsi Patres in
, eam venere sententiam, vt censerent, e-
, tiam huiusmodi Canonicum in vinea Do
, mini operantem priuilegijs de percipien-
, dis in absentia Præbendarum, & Benefi-
, ciorum fructibus iure communi conces-
, sis, & à Sacro Concilio Tridentino inno-
, uatis, plenè gaudere, & potiri debere.
, Quam sententiam Illustrissimi Patres eò
, libentiùs amplexi sunt, quò certiùs sibi
, persuasum habent, amplissimum vestrum
, cœtum pro sua prudentia, & iudicio non
, quoslibet passim ad tam præclarum mu-
, nus obeundum esse admissurum, sed eos
, tantùm approbaturum, qui cum vitæ pro-
, bitate docendi peritiam, facundiam dicen
, di, interpretandi subtilitatem, copiamque
, disserendi coniunctam habeant. Hæc vo-
, bis his litteris (ita petente ipso Emanue-
, le) nota esse voluimus, quos optimè vale-
, re, diuinæque gratiæ donis magis in dies
, augeri cupimus. Romæ die 4. Martij 1596
, Vester in Domino studiosissimus, *Hiero-*
, *nymus Cardinalis Matthæus.*

271 Hinc constat, Tridentinum non intendisse loco superiùs relato reuocare priuilegia causa studiorum concessa, sed alia diuersa, virtute quorum quis posset à residentia excusari; quare, dum iungit, nullum priuilegium debere suffragari ad nō residendum, subintelligitur exceptio, nisi sit studiorum causa; quippè idē Tridentinum *sess. 5. cap. 1. de reformat.* ait; *Docentes verò ipsam sacram Scripturam, dum publicè in Scholis docuerint, & Scholares, qui in ipsis Scholis studeant, priuilegijs omnibus de perceptione fructuum, Præbendarum, & Beneficiorum suorum, in absentia à iure communi concessis plenè gaudeant, & fruantur.* Vbi cernitur, priuilegia circa Scholares de non residendo, dum studeant, non esse reuocata; de quibus agit Horatius Lucius *tractat. de priuileg. Scholasticor. priuileg. 98. & nos inferiùs lib. 3.* Et quamuis tum hoc loco Tridentini, tum in declaratione Cardinalium nuper relata, non videatur, conseruari priuilegia non residendi, & faciendi fructus suos, vniuersaliter respectu omnium publicè legentium in Academijs, sed solùm respectu docentium sacram Scripturam, tamen à paritate rationis extenditur; maximè cum in ea declaratione Cardinalium respondeatur dumtaxàt dubitationi propositæ ab Emanuele Sarmiento, qui non interrogauit de legentibus Ius Canonicum, aut aliam Facultatem, sed de docentibus Sacram Theologiam. Et quidem Academia Salmantina, cuius authoritas satis id confirmat, ità intellexit; quare die 4. Septembris anno 1603. stabiliuit formam ad concedendum facultatem, vt habentes Præbendas, & Beneficia docerent publicè, & gauderent constitutionis Eugenianę priuilegio, quæ forma in praxi obseruatur, & licentia conceditur non solùm ad docendam Theologiam, sed etiam Ius Canonicum.

272 Constat tertiò, ex Constitutione Eugeniana etiam à prima residentia excusari, & facere nihilominus fructus suos & sic in praxi obseruari, est certum; & nūc temporis, cum hæc scribo, Canonicus Almæ Ecclesiæ Hispalensis in hac Academia studiosus percipit fructus virtute Eugenianæ constitutionis, quin primam residentiam fecerit. Cæterùm in ea expressè negatur, percipere distributiones quotidianas, quibus etiam annexa sunt stipendia inter præsentes diuidi solita; hæc enim, & illæ etiam conceduntur in compensationem laboris assistendi, cuius expertes non debent eo commodo potiri.

273 Constat quartò, habentes Beneficia poscentia necessariò seruitiū, vel curam animarum includentia, teneri ad deputandos Vicarios, eosque congruè sustentandos; Illi tamen debent esse idonei; ac eorum aptitudo ad ea ministeria (si Curam animarum includant) ab Ordinario debet examinari, & approbari; ad illū namque spectat noscere, quinam constituā tur ad curandum de grege sibi commisso. Quòd si nudum seruitium sit substituendum, videtur sufficere, quòd in ipsa Ecclesia, qui Capitulum constituunt, illud approbent, ne aliquis parùm idoneus substituatur; nisi consuetudo exigat, h anc approbationem ab Ordinario præstari. Qui verò Præbendas in Ecclesijs Cathedralibus, aut Collegiatis habent, nec debent Vicarios sibi substituēdos relinquere, nec in illis admittuntur.

274 Constat quintò, vt quis priuilegio Bullæ Eugenianæ gaudeat, debere octo mensibus continuò, vel interpolatim insistere studijs in Academia Salmā tina. Quare, qui solùm vellet in ea vnum Cursum litterarium (ex mēsium, ac vnius

diei

dici peragere, non posset eo priuilegio potiri. Vt tamen quis eo gaudeat, & fructus in absentia percipiat, non est necesse, vt priùs per octo menses versatus fuerit in prędicta Academia, sed quòd tandem per id spatium in illa versetur; quare ab initio facit fructus suos, ea conditione subintellecta, quòd versaturus sit toto eo tempore, & aliter non facere illos suos; Vnde, si aliquos iam percepisset, & ante octo menses Academiam omnino desereret, teneretur illos restituere, sicut non residentes tenentur. Sed quid, si in loco Academiæ ante id tempus expletum moriatur? Stādum erit consuetudini Ecclesiarum; & æquitas poscit, vt fructibus non fraudetur, quos perciperet, si eo tempore resideret. Imò ratio id suadet, cum ipse animum conseruauerit, vt supponimus, versandi in Academia per octo mēses; quare dū versatus est, fructus fecit suos, nec ab eo debent auferri, cum, morte interueniente, quæ penes hominum non est voluntatem, fuerit prohibitus explere octo menses.

275 Constat demùm, eos, qui priuilegio Bullæ Eugenianæ potiri cupiunt, posse insistere cuicumque Facultati, dum sit licita, & honesta. Et sanè in Academia Salmantina nulla Facultas edocetur, quæ licita, & honesta non sit. Quòd si quis priuatim incumberet soli studio artis illicitæ, v.g. Necromantiæ, quin alij scientiæ operam daret, non potiretur eo priuilegio. At, si studium eius artis illicitæ coniungeret cum studio scientiæ licitæ, quam in Academia doceret, vel audiret, posset quidē puniri, & deberet, ob delictum studij illius prohibiti, & incurreret excommunicationem latam aduersus legentes eos libros Necromantiæ, attamen, dum non denuntiaretur publicè excommunicatus, gauderet priuilegio faciendi fructus suos; quia excommunicatus, dum non sit vitandus, facit fructus suos, si sua munera præstet; Ita docent Bonacina *tom. 1. de excommunicat. disputat. 2. quæst. 2. punct. 4. §. 2. numer. 2.* & alij. Consequenter ad hanc doctrinam, *infrà lib. 3.* dicam, non gaudere priuilegijs Studiosorum eos, qui Arti prohibitæ dumtaxàt incumbunt; gaudereverò, si simul aliam scientiam licitam addiscant, esto puniri debeant ob studium Artis illicitæ

(?)

Quæstio XXV. Quantum temporis debeant assistere Doctores, Magistri, & Licentiati Assertionibus litterarijs, aut quibuslibet alijs Actibus, vt possint adquirere distributionem, vulgò Propina, *quæ singulis est destinata? Vbi etiam de Magistratibus Academiæ idem deciditur.*

(:?:)

276 NVLLIBI reperio hoc dubium discussum, sed ex alijs non multùm dissimilibus erit decidendum. Id in Academijs communiter est præscriptum, vt quoties concurrunt Doctores, Magistri, & Licentiati ad Assertiones litterarias pro Vniuersitate defensatas, eis præstetur distributio pecuniaria cum proportione; nam plus penditur Magistris, quàm Licentiatis, & aliquando nihil his præstatur. Similiter in Academia Salmantina, cum celebrantur Vesperæ, & Sacrum in Diui Hieronymi Sacello, & Doctores, ac Magistri ad ea Officia Diuina conuocantur, regulariter eis sua portio conceditur, nunc amplior, nunc angustior, iuxta Fundationem, & dotationem Festi, quod peragitur. Magistratus etiam, vt Rector, ac Scholæ Magister, his intersunt Actibus; & de prędictis omnibus inquiritur, quantum tēporis debeāt eis assistere, vt distributionem pecuniariā adquirant.

277 Video, in Salmanticensi Academia prædictos Magistratus in Actibus litterarijs, qui vel duplici hora durant, vel quatuor horis, mane, & vespere, frequenter non assistere, nisi exiguo temporis spatio, ita vt quadrantem horæ aliquando non excedant. Video etiam, Magistros, ac Doctores sæpè nec temporis dimidiam partem tum in Assertionibus litterarijs, tum in celebratione Diuinorum Officiorum interesse; & tamen eis omnibus distributio incunctanter præbetur. Et cum id præstent Viri timorati, ac in omni litteratura Sapientissimi, piaculum esset, dubitare, id fas, licitum-

que haberi, sed potiùs ab eis censeri, esse sufficientem assistentiam per illud tempus exiguum, vt possint distributiones adquirere; sicque consuetudine esse receptum, eaque interpretatione donandas esse Ordinationes, quæ exigunt assistentiam.

278 Cæterùm re secundum se inspecta, & independenter à prædicta authoritate extrinseca, & à consuetudine, proferam, quid sentio; & non eodem modo de Doctoribus, & Magistris est loquendum, ac de Academiæ Magistratibus. Dico igitur, re secundum se accepta, Doctores, ac Magistros, seu etiam Licentiatos (si eis sit assignata distributio) non posse licitè prædictum stipendium pecuniarum adquirere, nisi assistant Actionibus, seu litterarijs, seu Ecclesiasticis, maiori parte temporis, per quod durant. Etenim id stipendium præstatur propter laborem assistendi, & splendorem, qui ex assistentia cõciliatur, & est quasi merces illius; Non autem censetur Actui assistere, nec dignus mercede iudicatur, qui ei non interest saltem maiori parte temporis, quo durat; vt in assistentia ad quaslibet alias actiones philosopharmur; Sic non dicitur Misse assistere, qui saltem maiorem eius partem non audit, (imò in hoc maior adhuc assistentia requiritur) Nec Scholaris assistere censetur lectioni, si maiorem eius partem non audiat; nec Præceptor satisfaceret obligationi legendi, & assistendi, si maius horæ spatium non insumeret.

279 Confirmatur ex valde simili materia, nempè ex distributionibus quotidianis, quæ præstantur Ecclesiasticis ob assistentiã in Choro ad Officia Diuina; si enim saltem maiorem partem cuiuslibet Horæ Canonicæ ibi non interfint, distributiones correspondentes non percipiunt. De quo vide plures allatos à Bonacina *tomo 1. de ijs, quæ ad Diuinum Officium in Choro publicè recit. faciunt, disputation. 2. quæst. 4. punct. 1.* Et sanè par ratio in casu nostro militat. Roboratur id ampliùs; quippè in stipendijs, ac prouentibus ab aliquo relictis ob actionem præstandam, vel designatis à Communitate, introspiciendus est animus relinquentis, legantis, aut designantis, vt de obligatione decernatur; Mihi autem certum apparet, eum, qui reliquit, legauit, aut designauit distributiones præstandas ob assistentiam ad Actus litterarios, vel Ecclesiasticos, intendisse, ac voluisse, vt maiori eorum parti quilibet percepturus stipendium assisteret, & non aliter illud adquirere valeret, cum finis ab ipso intentus non obtineatur, nisi sic præstetur; quippè id sanè intendit, vt eiusmodi Actus pro dignitate exerceantur, assistentibus inibi Magistris, ac Doctoribus; qui, si solùm, quasi cæremoniæ indulgendo, exiguum temporis spatium in eis assistunt, nec iuxta finem intentum operantur, nec voluntati relinquentis, seu designãtis distributiones obsequuntur, quare nequeunt eas licitè percipere; &, si percipiant, restituere tenentur, cum eas iusto titulo non adquisiuerint; ipsique Academiæ restitutio est præstanda, penes quam remansissent eæ distributiones, si ab illis non fuissent adquisitæ.

280 Et sanè ab inconuenientiã id ipsum suadetur, quia contingeret, eos Actus magna temporis parte omnino destitui, maximè illos, quibus dumtaxàt ad distributionem accipiẽdam assistitur, quin inde aliud emolumentum, aut commodũ percipi intẽdatur. Cũ ergo ad Academiæ authoritatẽ spectet, Actus omnes prædictos honorificè cõficj, assistentibus Magistris, ac Doctoribus, & præterea ex ea assistentia aliæ vtilitates dimanent, par est, vt assistentia extendatur ad maiorem temporis partem; aliàs, cum finis intentus sit assistentia, & distributio præstetur, vt incitamentum, ac compẽsatio, inuertetur ordo, si solùm intendatur lucrum distributionis, & parum de assistentia curetur.

281 Non adeò strictè de Magistratibus Academiæ est philosophãdum. Etenim sæpè vni, atque eidem incumbit assistere tribus Actibus litterarijs, qui eodem tempore in diuersis Gymnasijs habẽtur pro Vniuersitate, scilicèt in Theologia, in Iurisprudentia, & in Medicina, & saltem tunc constat, non posse suum munus implere singulis assistendo, & in singulis maiori parte duplicis horæ versando: Sed etiam, si hi Actus non concurrant, propter diuersum finem requiritur assistẽtia Magistratuum, & cæterorum; Illi nãque visitant Concertatores, vt inspiciant, an debito cũ ordine certamen litterarium ineatur, atque ad id sufficit breuis illic assistentia, vt certiores reddantur de his, quæ contingunt, & de adimpletione Ordinationum Academiæ in defendendis eis Actibus litterarijs, & vt notitiam percipiant materiæ, quæ controuertitur, atque adeò, cum in Gymnasia ingrediuntur, propugnator, venia facta, rationem summariam disputationis tradit. At Doctorũ, assẽ-

ac Magistrorum assistentia requiritur, vt arguant, patrocinentur, obseruent, quæ defensantur, nec permittant, aliquam doctrinam absonam ibi defendi; quare ad eos potius, quàm ad Magistratus, pertinet assistentia prolixior.

282 In actionibus autem Ecclesiasticis, esto non militet discrimẽ præstitum, & videatur valdè probabiliter, ad eamdem assistentiam teneri Magistratus Academiæ, ac cæteros; tamen contendi posset, minorem ab eis exigi assistentiam, eo quòd illuc conueniant, quasi inuisuri gremium Academiæ, & ordinem, ac formam, qua illæ Actiones peraguntur, ità vt authoritati, decentiæ, ac reuerentiæ erga res sacras consulatur; & quia quò maiori dignitatis Gradu Magistratus excedunt cæteros, eò adhuc minori assistentia splendorem præstant publicis Actionibus, quæ ex eorum præsentia authoritatem mutuantur. Fateor, mihi probabilius esse oppositum, sed hoc vtrumque potest enuntiari.

283 Aduertendum est in præsenti, has distributiones non adquiri in absentia, etiam si is, qui abest, in obsequio eiusdem Academiæ detineatur, nisi ipsa Academia, (quod non solet euenire) eum præsentem censeri velit, quoad adquirendas illas. Quòd si asseras, non esse æquum, vt ille priuetur eo commodo, cum incumbat vtilitati Academiæ, & ab ea prohibeatur, ne assistat, dum alia incopossibilia peragit; Respondeo, eum tunc vel alias vtilitates percipere ob laborem, quem assumit impensas; vel hoc ipso quòd è gremio, & Senatu Academiæ sit, teneri ad ea onera sibi iniuncta sustinenda; sicut sustinere tenetur, quamuis tempore, quod in Academiæ negotijs insumit, posset aliquod lucrũ habere aduocando, vel quid simile peragẽdo, & id lucrum amittit, vt suo muneri satisfaciat, & Academiæ commissa sibi negotia exequatur. Et aliundè sanè percipit emolumenta ex gradu Doctoris, seu Magistri, quamuis per accidens aliquod lucrũ amittat. Idem à fortiori dicendum est de eo, qui ægritudine præpeditus non assistit eiusmodi publicis Actibus; nam, quamuis per illum non stet, quominùs assistat, attamen eæ distributiones solummodò præsentibus assignantur; & assistentia est conditio necessariò requisita, seu medium præfixũ, quo deficiente, siue culpatè, siuè inculpatè, distributiones non adquiruntur. Quod pluribus exemplis obuijs potest confirmari, nec in eis immorari licet, cum sint manifesta. Aduertendum etiam est, quid sit tenendum, casu quo Actus litterarius, vel alius, iam inceptus, cessaret adhuc sub initium, ob aliquod accidens. (v. g. quia Defensor, aut Præses subito morbo est correptus, vel ob aliquem tumultum) an distributio sit præstanda Doctoribus, & Magistris ibi assistentibus? Respondendumque est affirmatiuè. Primò quia in fauorabilibus res incepta pro completa habetur. Secundò, quia Doctores, seu Magistri statim ac assistere cęperunt, adquisiuere ius ad distributionem, ac per eos non stetit, quominùs finiretur Actus, & præcipuum iam sustinuere laborem adeuntes ad illum, paratique ad assistentiam necessariam. Qui autem non adstiterunt, etiam si posteà forent adstituri, dum Actus solito tempore duraret, non debent percipere distributionem, rigorosè loquendo, cum de facto nõ apposuerint requisitum, nempè assistentiã, nec ius adquisiuerint. Sed tamen ex quadam congruentia, vel æquitate, potest eis præstari, dum constet, paratos fuisse ad assistendum; ne priuentur eo emolumento propter euentum, quem præscire non valuerunt.

284 Tota doctrina superiùs tradita de assistentia, maximè ad Actus litterarios, requisita, exindè non inualidè firmatur, quòd in Aliquibus Academijs nõ solùm distributiones non præstantur his, qui ab eis Actibus absunt, &, vt par est, nõ intersunt, verùm mulctis puniuntur. Sic de Theologorum gremio statutum est in Academia Coloniẽsi, vt refert Iacobus Middendorpius *tom. 2. de Academ. vniuersi orbis, lib. 5. pag. 179.* Hæ enim in illa extant sanctiones; *Qui à disputationibus citra veniam aberunt, trium alborum pœnam incurrent; vnius verò, si aut lectis nominibus venirent, aut si absque Dictatoris venia, antequam Collegarum vltimus argumentum proponat, discesserint.* Obserua, mulctari tum eos, qui statim ab exordio (tunc enim nomina illic leguntur) disputationibus non adsunt, vel ante earum finem discedunt. Similia possem de aliquibus alijs Academiarum statutis afferre, quę consultò omitto, cum dicta sufficiant (?)

Quæstio XXVI. An Magistri, & Doctores vocati ad Consessum, seu Claustrum, peccent, si ei non assistant, quamuis causa excusationis non detur?

285 SVPPONIT quæstio, nullam interuenire culpam, cum excusationis legitima causa datur; etsi enim Magistratus, cui obedire tenentur Doctores, ac Magistri, præcipiat, vt in Consessu adsint, tamen hæ iussiones, seu præcepta cum incommodo non obligant, nec adstringunt eos, qui legitimè excusati censentur, cum id sit commune cæteris præceptis humanis. Quòd si sub aliqua pœna præcipiatur assistere Consessui, vt ab ea liberi euadant, sufficit vel antecedenter, vel postmodùm excusationis causam significare. Supponendum est etiam, eos, qui à Magistratu, vel Rectore indicente Consessum, veniam deposcunt, vt ab illo absint, quãuis aliunde excusationis causam non habeant, si veniam impetrent, nullam inobedientiæ culpam committere, nec vlli pœnæ obnoxios manere, vt ex se constat. Adhuc supponendum est, in Academijs (vt in Salmantina obseruatur,) solere designari numerum eorum, qui sufficiant, vt Consessus, seu Claustrum habeatur, in eoque decernatur de negotijs, quæ occurrunt, & quæ innuuntur, cum Doctores ad Consessum citantur, vt sciant, & præmeditentur, quæ in eo sunt peragenda; Quòd si ille numerus non expleatur, Consessus nequit quidquam decernere, nec potest in vnum confluere.

286 Is, penes quem authoritas residet vocandi ad Consessum, tripliciter id præstare solet. Primò, nuda iussione, seu citatione. Secundò, iniungendo mulctam, si quis non adsit. Tertiò, sub pœna præstiti iuramẽti; cũ scilicèt Rector, vt aliquãdo solet, indicit Cõsessum. Quare iuxta hanc triplicem formam vocandi ad Consessum, quæstio est decidenda, vt cernatur, quis sit reus culpæ, quis pœnæ.

287 Dico igitur primò, ex se non esse culpam lethalem, etiam absque causa, abesse à Consessu, cum nuda iussio interuenit. Etenim id commune est adhuc illis, qui sub strictioris Obedientiæ disciplina versantur, quòd lethaliter non peccent ex eo, quòd mandatum nudum Superioris violent, dum præceptum Sanctæ Obedientiæ non iniungatur, aut sub excõmunicationis pœna quid præcipiatur, aut aliunde ratione materiæ transgressio nudi mandati non sit peccatum lethale. Ex se autem accessus ad Consessum, vel absentia ab illo, independenter à mandato, non est materia culpæ lethalis; deinde mandatum nudum non obligat sub ea culpa, nec eius transgressio, dum non sit in formalem Superioris contemptum, est peccatum graue. An autem in præsenti peccatum veniale intercedat, dubitabis. Respondeo, facilè quem ab eo excusari, si eam citationem ad Consessum, vel sibi arbitrariam iudicet, vel non esse mandatum Superioris, sed monitionem de Consessu habendo arbitretur, aut aliquam, quantumuis leuem, causam excusationis non adeundi habeat; Maximè cum obedientia, quæ Rectori Academiæ præstatur, non sit adeò rigorosa, ac ea, quę Superioribus Regularibus à subditis debetur, sed sit quasi politica, & non vniuersalis, sed specialis ad ea obeunda, quę ipsius iurisdictionem concernũt. Et licèt vocatio ad Consessum intra ipsius iurisdictionem contineatur, at non semper præsumendum est, (nisi aliud pręverba cõuocatoria constet) eum velle obligare sub inobedientiæ reatu, vt vocati omnes ad Consessum accedant.

288 *Dixi, ex se* non esse culpam grauem abesse à Consessu, cum nuda vocatio, aut mandatum interuenit, aliquis enim potest rarus excogitari euentus, in quo propter aliquam circunstantiam occurrentem sit culpa grauis. Nam ponamus instare alicuius negotij tractationem, ex quo ingens Academiæ vtilitas pendet, & non posse de illo in Consessu decerni, nisi quis ibi assistat, vel quia, eo deficiente, numerus sufficiens non adest, qui ad Consessum requiritur, vel quia nullus alius ita illud negotium callet, ac ille, qui absque causa non adest; Aut in Consessu ventilanda est causa alicuius innocentis, de cuius innocentia solùm is, qui non assistit, poterat deponere, & esse medium, vt ille liberaretur à pœna graui; In his sanè, & similibus casibus, si occurrant, grauiter quis peccabit, si non assistat Consessui, cum sit causa moralis grauis detrimenti respectu ipsius Academiæ, aut alicuius tertij; quod detrimẽtum tenetur vitare, cum sit membrum Academiæ, Gradu insignitus, & suffragium in Consessu habens. Do-

ctri-

ctrinam traditam, ac tradendam extende, proportione seruata, ad quosuis alios, qui in Conselibus Academiæ suffragiū habēt, atque ad eos vocantur, quāuis non sint Doctores, aut Magistri. Sic in Academia Salmātina Deputati, inter quosquatuor Togati ex totidē Collegijs Maioribus, ac octo Consiliarij in Conselibus, seu Claustris plenis assistūt, vt dixi superiùs *lib. 1. quæst. 7.* Generaliter autem loquendo eò maior obligatio incumbit assistendi Conselibus, quò quis magis versatus est in Academiæ negotijs, & quò eius suffragium magis conducit ad eorum expeditionem.

289 Dico secundò; cum quis vocatur ad Conselsum Academiæ sub aliqua pœna, vel mulcta, & non adit illum, non habens vnde excusetur, pœnam, aut mulctam soluere tenetur, si ab illo exigatur, sed non aliter. Id enim commune est regulariter legibus pœnalibus, vt non obligent ad pœnam subeundam ante Iudicis sententiam, sed hac pronuntiata, cogatur violator pœnam soluere, cum hęc pœna supponatur iustè inflicta, & potestatem habeat legislator, & Magistratus solutionem præcipiendi, & pœnam priùs designandi, ac subditi teneantur eorum stare sententiæ, legesq; violando maneant obnoxij pœnæ subeundæ. An autem illud præceptum pœnale, & simul quæuis aliæ leges pœnales obligent ad culpam grauē, tractant Nauarrus, Salon. P. Suarez, Valentia, & alij, quos refert Diana *1. part. tract. 10. resolut. 17. 18. 20. & 21.* Communiter affirmatur, leges pœnales in materia graui, cum apponitur pœna capitis, confiscationis bonorum, aut similis obligare sub mortali; licèt oppositum iudicet probabile Diana cum Nauarro; Et prætereà communis sententia (de qua infrà redibit sermo, *quæst. 28.*) tuetur, leges pœnales Ecclesiasticas, quæ indicunt pœnam suspensionis, aut excommunicationis, sub mortali etiam culpa obligare, quamuis id ad solam excōmunicationis pœnam restringant Saloni & P. Valentia *vbi suprà.*

290 Hinc, communi stando sententiæ, si Magistratus Academię Ecclesiasticus vocaret ad Conselsum pręcipiendo assistentiam sub pœna excōmunicationis, grauiter peccaret, qui, cum posset, non assisteret; & vlteriùs si pœna infligeretur excommunicationis latę sententiæ, eam incurreret; secùs, si non esset sententiæ lata; esto post contumaciam inobedientiæ posset statim excommunicari.

261 Dico tertiò, Si Rector præcipiat, vt Conselsui assistatur sub pœna præstiti iuramenti, non præcisè propter defectum assistentiæ commiti peccatum gtaue periurij; Sed inspiciendum est, an materia, attentis circunstantijs, sit grauis, necne; Etenim iuxta doctrinam stabillitam *hoc libro 2. à num 114.* non peccatur grauiter, quoties quis non exequitur id, quod sub pœna præstiti iuramenti iniungitur, sed, cum materia est grauis ex se, aut ex circunstantijs. Videātur ibi dicta, ne eadem repetamus, & aptentur huic asserto.

262 Sed quid dicendum, si ipsi Magistratus Academiæ ad Conselsus nō conueniant? In primis certum est, non incurrere pœnas, sub quibus ipsimet vocant cæteros ad Conselsum, vt ex terminis liquet. Deinde, si rationabiliter credant, ex eorum absentia à Conselsu graue aliquod nocumentum dimanaturum fore, peccabunt grauiter, si absint, cum ex officio teneantur ad assistendum, & ad vitandum damna, quæ ipsi Academiæ, aut eius membris imminet. Et sanè, cū sint Superiores, & caput Vniuersitatis, debent adesse his Actionibus, quibus cæteri illam repræsentantes assistunt, exemploque suo præire, vt alij, ad quos spectat, promptè etiam illuc conueniant.

Quæstio XXVII. Quantum temporis teneantur lectionibus edocendis assistere singulis annis, qui Cathedras in Academijs moderantur? Et vtrùm per substitutos queant muneri suo satisfacere? Et an materias dictare ab alijs elaboratas?

263 NON est quæstio de his, qui vltrò publicè docent, vt iuuentutem litterariam instruāt, & suæ doctrinæ specimen præbeant; hi enim, sicut pro suo libito laborant, ita & pro eodem libito cessare possunt; dum nec stipendium ab Academia percipiant, nec alia de causa teneantur per tempus determinatū doctrinam tradere; sicut *suprà quæst. 24.* asser-

asseruimus, eos, qui legendo publicè intẽdunt gaudere priuilegio constitutionis Eugenianæ, debere per octo menses singulis annis doctrinæ tradendæ incumbere; &, si Academia designet stipendium alicui pro lectura, videndum erit, an determinetur ei tempus, ita vt muneri suo faciat satis, si solo tempore vnius Cursus litterarij legat, aut amplius requiratur, cum id pendeat ab his, qui designauere stipendium. Est igitur quæstio de illis, qui Cathedras moderantur, seu perpetuas, quas propietatis vocant, seu triennales, aut quadriennales (quales sunt in aliquibus Academijs) seu non perpetuas.

294 Tenendum est, stari debere statutis, seu Ordinationibus, aut etiã consuetudini cuiusq; Academiæ, cum in vnaquaq; sit præfixum tempus tum lectionum, tum Vacationum, nec in omnibus vnus, idẽq; ordo seruetur; cum in aliquibus plus temporis, in alijs minus lectionibus impendatur. Id tamen est certũ, Moderatores Cathedrarum teneri ad legendũ toto eo tempore, quod in Academia est præfixum; quod si non præstent, mulctantur, & ex stipẽdio pars correspõdens lectionibus, quas omittũt, minuitur. Imò, quãuis ab Officiali Academiæ ad id designato non obseruarentur defectus, qui in lectionibus edocendis dantur, non posset, qui à legendo cessat, percipere stipendium, ac teneretur restituere, si perciperet, cum esset iniusta perceptio; nisi defectus solùm esset vnius, aut alterius diei, nam tunc ex rationabili interpretatione censetur, Academiam ipsam cedere restitutioni, dũ per externam obseruationem, & accusationẽ ille non priuatur ea parte stipendij. In quo diuersimodè se habet hic euentus, ac alij, in quibus nec per vnum diem potest quis licitè percipere emolumenta, si absit; vt Canonicus nequit percipere distributiones eius diei, quo Choro non interfuit. Ratio discriminis est, quia Canonico annui redditus sunt designati ob assistentiam ad Ecclesiam per nouem, aut decem menses, & preterea distributiones præstantur ob singulas Horas, quibus assistit; vnde non assistens caret titulo, quo eas distributiones percipiat, siquidem titulo Præbendæ iam percipit fructus annuos. At Moderator Cathedræ non habet præter stipendiũ annuum alias distributiones pro singulis lectionibus; vnde, cum deficit, si obseruetur ab Officiali Academiæ, qui id munus habet, de annuo stipendio ei pars detrahitur; Si autem non obseruetur, sufficienti titulo gaudet ad reportandum stipendiũ, quin ipsa aliquid restituat, ex eo quòd vno, vel altero die deficiat, titulus enim est Cathedra, quam possidet, & quam moderatur continuò, etiam si aliquando desit. Vnde, quod detrahatur illi pars stipendij, etiã si vnico die eius defectus deprehendatur, nõ ideò est, quia eo die nõ posset absq; onere restitutionis percipere eam partem, sed per modum mulctæ, vt sic maior sit omnium cura in Cathedris moderandis, frequentioresq; sint, ne quidquam stipendij amittant.

295 Cæterùm si quis nec per se, nec per alium (si iustè sit impeditus) incumberet moderandæ Cathedrę, deberet ea priuari, & sic in Academiarum statutis decernitur, in quibus designetur tempus cessationis, quo transacto, debet ille Cathedra priuari; Quòd si non designetur, consuetudo erit consulenda; Et, si hæc adhuc non fuerit introducta, Senatus Academicus, aut Magistratus de hoc iudicium ferent. Videtur autem sufficere spatium duorum mensium, maximè tempore Cursus litterarij, vt quis Cathedra priuetur, si eo spatio suam Cathedram non rexerit.

296 Sed quid dicendum erit casu, quo nullus Scholaris ad audiendum aliquem Moderatorem Cathedrę conueniat, an ille tenebitur pro foribus gymnasij assistere tempore ad lectionem designato? In primis, si ad fores gymnasij non assistat, exponitur mulctæ, quæ non legentibus, aut ibi non assistentibus iniungi solet. Deinde, secluſa mulcta, distinguendum est inter tempus Cursus litterarij, in quo frequentiores sunt Scholares, & inter reliquum tempus, in quo sunt pauciores, & præcipuè in his mensibus, qui plùs calore æstuant. Igitur tempore annui Cursus, censeo, teneri Moderatorem Cathedræ, non solùm pro foro externo, sed pro interno, ad assistendum prope fores gymnasij; quippè ex se debet esse paratus semper ad legẽdum, si confluant Auditores; contingens autem est, vt confluant de nouo, quamuis tempore antecedenti non confluxerint; cum valde frequens sit, Scholares aliquas lectiones deserere, & alias adire; Præceptoresque ipsi possunt, & solent eos allicere, vt suum gymnasium frequentent. Quare prædictus Moderator non potest deesse à gymnasio sibi destinato, ne studiosi priuentur vtilitate audiendi illum, quotiescumq;

cumq; velint. Reliquo tamen tempore, quo rari ſunt Scholares, daturq; moralis certitudo, quòd nullus ſit auditurus lectionem eam, quæ ad præfatum Moderatorẽ ſpectat, non tenetur pro foro interno adire Academiam, aut gymnaſium, cum nulla inde vtilitas ſequatur, nec ex non adeundo aliquod præiudicium vtilitati Scholarium reſultet; aſſiſtentiaque ſit tunc cæremonia quædam exterior.

293 In Salmantina Academia, quid circa tempus aſſiſtendi lectionibus, debeat obſeruari, breuiter dicamus. Martinus V. *conſtitut. 11.* quę extat in ſtatutis ipſius Academiæ *pag. 19.* deſignauit tempus legendi à die Sancti Lucæ, mẽſe Octobris, vſque ad diem Natiuitatis Beatæ Mariæ Virginis menſe Septembris; præfixitque cauſas, ob quas, etiam ſi Lectores, qui ſtipendium ratione Cathedrę, vel aliunde pro legendo percipiunt, abeſſent, non poſſent priuari Cathedra, nec mulctari, dum relinquerent Subſtitutos idoneos ad volũtatem audientium, iudicio Rectoris, & Cõſiliariorum approbandos. Cauſæ autem ſunt, infirmitas perpetua, aut temporalis: domeſticum funus: nuptiæ; pręparatio ad Gradum recipiendum in ipſa Academia Salmantina; captio corporea abſque culpa; peregrinatio ad Sanctum Iacobum in Compoſtella anno Iubilæi: iuſtus timor mortis, aut periculi corporalis, ſeu amiſſionis maioris partis bonorum; occupatio in negotijs Academiæ gerendis; & vacatio cauſis Apoſtolicæ Sedis. Decernitq; Pontifex, quòd ſi aliqua ex his cauſis non detur, etiam ſi aliæ rationabiles exiſtant, nequeat ſalarium tempore abſentiæ percipi. Concedit tamẽ his, qui per octo menſes continuò, vel interpolatim intra ſingulos annos ſuas lectiones edocuerint, quòd reliquo tempore abſque mulcta poſſint per ſubſtitutos Cathedras moderari, aut lectiones dictare, ratione quarum ſtipendium percipiunt.

294 Et, quamuis Pontifex ibidem longius tempus præfixerit, quo ſi quis à lectura ceſſet aut voluntariè, aut præpeditus aliquo impedimento non deſignato inter ſuperiùs poſita, debeat Cathedra priuari, tamen vtendo facultate ab Apoſtolica Sede conceſſa condendi nouas Ordinationes, quam habet Academia, ſtatuitur, vt, qui Cathedras non perpetuas moderantur, ſi intra vnum annum, cum Salmanticæ adſint, & non ægrotent, triginta diebus continuis, aut interpolatis lectiones omiſerint, ipſo facto Cathedris priuentur. Quòd ſi excuſandi ſint ob aliquam cauſam contentam in Conſtitutione Martini V. veniam teneãtur à Conſeſſu Deputatorum expoſcere, & ſtare iudicio maioris eorum partis. Duos autem menſes eis concedi, indulgetur; quorum vnus vocatur iuſtitiæ, alter gratiæ, & hanc in Cõſeſſu Deputatorum debent eflagitare, ac nemine diſcrepante eſt impetranda. Ita extat in præfatis Academię Conſtitutionibus, *titul. 47. num. 1. & 2.* Circa eos verò, qui Cathedras perpetuas obtinent, erit obſeruanda conſtitutio Martini V. nẽpè, quòd elapſis ſex menſibus poſt abſentiam abſq; vlla ex cauſis ibi expreſſis, adhuc data alia cauſa rationabili, Cathedris priuentur; & elapſis quatuor menſibus, eadem pœna infligatur, ſi cauſa ſolùm fuerit voluntaria; In his autem mẽſibus non debet includi tempus Vacationum.

295 Qui lectiones extraordinarias habere volunt in prædicta Academia, veniam à Rectore debent poſcere, & ſimul fideijuſſorem prebere, quòd tempore illis deſignando materiam, aut Commẽtarium perficient. Hi quidem, quamuis non perficiant, & à legendo ceſſent, ſolùm remanent obnoxij mulctæ, aut pœnæ, quã Rector valet iniũgere; & fideijuſſor ad hoc exhibetur, vt eam ſoluat, ſi fortè fuerit iniuncta. Sic ſtatuitur in præfatis eiuſdem Academiæ Ordinationibus *titulo 22. numer. 8.*

300 Videamus iam, quantum temporis in vnaquaque lectione teneantur inſumere Moderatores Cathedrarum in vnaquaque Academia, & hi, qui propter legendum obtinent aliquod ſtipendiũ annuum; nam qui pro libito ſuo legũt gratis, poſſunt pro eodem libito maiorem, aut minorem horæ partem lectionibus impendere. Ergo illi debent profectò, vt Studioſorum vtilitati conſulant, integram horam inſumere; & in Academia Salmantina primarij Profeſſores horam, & dimidiam. Etenim id tempus eſt deſtinatum, vt non perfunctoriè edoceantur diſcipuli, & quidquid Præceptores inde detrahunt, Scholarium profectui inuidetur. Non tamen iniuſtè accipient ſtipẽdium, ſi aliquid horæ minuant; &, dum ſaltem per maiorem horæ partem lectioni incumbãt, vidẽtur ſuæ obligationi, rigoroſè ſumptæ, ſatisfacere. Sicut enim Scholares ſatisfaciunt ſuo muneri, & Curſum litterarium obtinẽt, ſi maiori horæ parte gymnaſio, ac

lectioni

lectioni assistant; vt superiùs libaui *à num. 245.* & inferiùs tradam *lib. 3. num. 135.* ita & Præceptores tantumdem legendo, satisfacere censentur. Attamen maior adhuc est obligatio Præceptorum ad insumendum plus temporis in lectionibus, quàm Scholarium ad assistendum; Quippè, quamuis Scholares non teneantur integra hora assistere, possunt tamen, & volunt plurimi per totam horam edoceri, & par non est, vt ea vtilitate fraudentur. Deinde ponamus, Præceptorem statim, ac hora sonat, incipere lectionē, si ab ea cessēt paulò post dimidiam horam, sequitur, vt Scholares, qui eum audire tenentur, vt Cursum litterarium probent, si paulò ante dimidiam horam gymnasium ingrediantur, sperantes, non esse finiendam lectionem, antequam hora subsequens sonet, & ideò posse suæ obligationi satisfacere, assistendo maiori parti lectionis, sequitur, inquam, hos absq; culpa sua fraudari lectione, qua ad probandum Cursum indigent, cum ipsi non debeant præmeditari, lectionem ante finem horæ fore terminandam, & opportuno tempore eam adeant. Ex his dicerem, Moderatores Cathedrarum, maximè earum, quæ requiruntur ad Cursuum probationem, non posse nisi exiguum valde spatium ab hora detrahere; esto aliquando indulgendo consuetudini possint aliquid amplius omittere propter aliquam celebritatem, Festum, aut similem rationem.

301 An verò in scriptis debeant Præceptores edocere, exponentes viua voce, quæ dictant, an suum munus adimpleant, si voce dumtaxàt exponant, pendet ab institutione vniuscuiusq; Cathedræ, & à consuetudine Academiarum. Regulariter loquendo, necessum est dictare, quæ Auditores suis codicibus exarent, & simul viua voce ea exponere; maximè in Facultatibus Theologię, Iurisprudentię ciuilis, & Canonicæ ac Medicinę; atque adeò in statutis Vniuersitatis solent designari materiæ in vnaquaq; Cathedra in scripto, & voce simul declarandę, vt videre est in statutis Salmantinæ Academiæ *titulo 11. & sequentibus, à pag. 154.*

302 Inquiris, an Cathedræ Moderator suū munus adimpleat, si dictet materiā non à se, sed ab alio antiquiori, vel recenti Præceptore elaboratā, imò alio tempore iam dictatam; vel si illam ex Authoribus de verbo ad verbum transcribat? Respondeo, non semel id fore eligibilius, ac vtilius discipulis, quàm si ipse Præceptor materiam conficiat; contingit enim, aliquos Præceptores confusione, ac obscuritate laborare, nec distincta, clara, & recta methodo materias disponere; prętereà paradoxè opinari, & quęstiunculis parū vtilibus tempus terere, omittendo celebriores quæstiones cum dispendio vtilitatis Auditorum. Et absolutè assero, satisfieri obligationi legendo materiam ab alio elaboratam, dum ille alius fuerit vir doctus, & eius Commentaria approbatione sint digna. Etenim finis intentus est, consulere vtilitati audientium, eosque doctrinæ instructis imbuere, qui finis obtinetur, etiam si materia ab alio elaborata doceatur, dum tamen ea ipsa non fuerit publicè tradita eo tempore antecedenti, quo auditores potuerint ipsā ab alio percepisse, & scriptis mandasse. Si etenim id contigisset, Studiosi vel eamdem materiam cum temporis dispendio repeterent, ac transcriberent, vel occasio eis præberetur non assistendi lectioni, quod vtrumque est vitandum. Oportet nihilominùs, Præceptores, maximè ingenio, ac doctrina pollentes, Commentaria elaborare, quæ dictāt, vt sic ipsi, dum ei labori litterario incumbunt, eruditiores reddantur, & clariùs, ac firmiùs instruāt Auditores, eorumq; argumentis respondeant; & ne eo veluti dedecore notentur, quòd alienis ornantur, & elucubrationibus non suis famam, & splēdorem ambiunt. Quomodo autem se gerere debeāt Præceptores in doctrina tradenda, docet, & exornat latè Middendorpius *tom. 1. de Academ. vniuers. orbis, lib. 9. & sequentib.* & nos aliqua decursu huius operis attingimus.

303 Ad aliam quæstionis in titulo propositæ partem accedamus. In casibus, in quibus Moderator Cathedræ potest iustè, ac licitè abesse, quos suprà retulimus, satisfacit suo muneri, per substitutum legi, faciendo. Quando autem nō permittitur ei lectionibus non assistere, minimè satisfacit vtens substituto; atque adeò eodem modo se res habet, si tunc vtatur substituto, ac si absolutè ea Cathedra Moderatore sit destituta; quare eisdem mulctis, & pœnis, adhuc priuationis Cathedræ iuxta temporis longitudinem, manet obnoxius, ac maneret, si absolutè non legeret, de quibus pœnis iam tractaui nuper. Etenim eo onere, & condition ei Cathedra conceditur, vt per se ipsum illam moderetur, dum legitima causa,

causa, aut impedimẽto non fuerit prohibe rus. Hinc non poterit percipere stipendiũ, si substituto huiusmodi vtatur, & restituere tenebitur, si percipiat. Et quidem ex se constat, Præceptores eligi, vt ipsimet doceant, nec id esse munus, quod per alios est exercendum; cum in electione, & concessione Cathedræ attendatur ad ingenium, ac scientiam illius, qui eligitur, vt cum satisfactione, & vtilitate publica eam regat; ingenium autem, & scientia non transfertur in substitutum, nec obtinetur finis intentus in concessione Cathedræ, nec subsistit ratio, propter quam quis ad eam promouetur, si absq; causa, & impedimento legitimo alteri committat, vt legat, ac doceat: esto substitutus alias sit doctus, & ingenio conspicuus.

304 Cum autem in casibus præfatis designatur substitutus, curandum est, eum esse apprimè doctum, & aptum disciplinæ tradendæ, ne fraudẽtur vtilitate Auditores, & Cathedræ authoritas splẽdorque Academiæ decrescant. Quare is eligi deberet in substitutũ, qui dignè posset eam ipsam Cathedram obtinere; sic enim illa proprio Moderatore quantùm ad sufficientiam gaudebit. Quod sanè adhuc magis est præcauendum in celebrioribus Academijs, vbi & Doctores, ac Magistri sunt clariores, & Scholarium numerus frequentior; vt sic horum commodo, & eorum decentiæ prospiciatur; aliter enim & lectiones audientibus destituuntur, & bonum publicum fraudatur, & ipsæ Academiæ aliquod splendoris detrimentum patiuntur, dum Cathedram publicè moderatur, vt substitutus, qui inter alios Cathedrarum Moderatores nequit, vt assimilis, recenseri. Cæterùm statutis cuiusque Academiæ standum est circa approbationem substitutorum, vtrùm scilicet pro libito Moderatorum possint constitui, aut debeat Magistratus, seu Consessus eos eligere, vel approbare. Quid in Academia Salmantina sit obseruandum, diximus suprà iuxta relatam Contitutionem 11. Pontificis Martini.

V.

(?)

* * *

Quæstio XXVIII. An Magistri, aut Doctores Academiæ, qui Religiosi sunt, possint publicè assistere spectaculis agitationis Taurorum, cum Senatus Academicus eis spectandis assistit?

305 AD quæstionis decisionem aliqua supponenda sunt, vt rẽ dissertiùs exploremus. Pontifex Pius V. Constitutionem edidit, quæ incipit, *De salute gregis*, anno 1567. in qua prohibuit omnibus Ecclesiasticis tàm sæcularibus, quàm Regularibus sub pœna excõmunicationis, nõ quidem latæ (vt ex verbis ipsius constat) sed ferendæ, ne spectaculis agitationis Taurorum assisterent. Imò in ea Extrauaganti videtur damnare ipsam Taurorum agitationem. Nauarrus olim de hoc consultus, respondit, salua Sedis Apostolicę censura, eam Constitutionem sic fore interpretandam, vt non procedat in agitatione Taurorum, quæ moderatè exercetur, & ea adhibita diligẽtia, vt probabiliter non timeatur, inde prouẽtura esse notabilia nocumẽta, cũ propter hęc vitanda lata fuerit lex, & cessante ratione, ac fine legis, cesset eius dispositio, quæ iuxta rationis limites debet restringi, aut extendi; *argũmento textus in leg. cum pater, §. dulcissimis, ff. de legat. 2. leg. adigere, §. quamuis, ff. de iure patronat.* Id ipse Nauarrus docuit *cap. 15. n. 21. in Manual.*

306 Hinc Ludouicus Lopez *1. part. instructor. conscient. cap. 70. pag. 177.* licitam ait esse agitationem taurorũ eo modo, quo Nauarrus fuit interpretatus Constitutionem Pij V. & laudat ibi Elisabetham Reginam Catholicam Hispaniæ, quæ non aliter permittebat, tauros agitari, nisi cornuum cuspidibus præcisis, & coercita agitantium nimia temeritate, tutisque refugijs opportunè dispositis. Inuehitur ibidem contra Medinam, qui absque limitatione docuit, *in instructio. Confessor. §. 28. de ludis; fol. 150.* licitam esse agitationem Taurorum, quia Respublica id spectaculum elegit, vt Equites exercean tur ad bellum, indeque bonum commune præferendum esse particulari. Ludouicus Lopez eum impugnat, quia alia sunt cõmodio-

modiora, ac minus periculosa præludia belli; & præterea affert assertum Ducis in militia expertri, qui affirmabat, agitationem taurorum magis docere, fugere hostes, quàm aggredi. Sed profectò nimis scrupulosus hic Autor procedit, cum hoc spectaculum licitum absolutè esse, & non invalidæ rationes suadeant, (quas non est instituti nostri discutere) & consensus totius Hipaniæ id probet, in qua sub Catholicissimis Regibus, timoratis Gubernatoribus, Sapientissimisq; viris non reclamantibus, spectacula illicita, & prohibita non permitterentur. Ideò ea esse licita, defendunt Nauarrus, & Medina *vbi suprà*; Antonius Goffar Leodiensis *in Compendio Bonacinæ, in additione ad verbum, ludere*; supponuntq; Emanuel Rodriguez *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 28. art. 2.* quamuis *art. 1.* scrupulosè se habeat; P. Franciscus Pellizarius *in Manuali Regularium, tom. 1. tract. 6. cap. 14. num. 27.* Lezana *tom. 1. cap. 10. num. 7.* pluresque alij aut tradunt, aut supponunt.

307 Quare controuersia est solùm de Ecclesiasticis, respectu quorum etiam limitata deinde fuit constitutio Pij V. vt statim dicam; qui præfatam excommunicationis pœnam extendit ad omnes Regulares, & Clericos sæculares Beneficia Ecclesiastica obtinentes, seu in Sacris Ordinibus constitutos; at ea pœna nõ extendebatur ad Clericos minoribus Ordinibus initiatos Ecclesiasticis Beneficijs non gaudentes. Insuper inibi idem Pius V. decreuit, vt Ecclesiastica sepultura careret, quicumque cum tauris congrediendo fuisset occisus.

308 Attamen Clemens VIII. die 13. Ianuarij, anno 1596. moderatione donauit constitutionem Pij V. & pœnam excommunicationis amouit respectu Ecclesiasticorum sæcularium, siue sint Sacris Ordinibus initiati, siuè Beneficia Ecclesiastica habeant; quare eum excommunicationis reatum illi non contrahunt, prædictis taurorum spectaculis assistendo, indeque mos est, vt publicè assistant, etiam seruata forma Communitatis, vt in pluribus locis Capitula Ecclesiarum, sedes ad id destinatas habent; & in Curia, Madridiensi Senatus Supremus Tribunalis Fidei, qui ex Ecclesiasticis constat, simul cũ suo Præside, qui solet esse Præsul alicuius Ecclesiæ, (vt nunc est Illustrissimus, & Eruditissimus, Dominus Don Didacus de Arce, & Reynoso, Episcopus Placentinus, qui nuper ei Episcopatui renuntiauit) locum, & sedem, quò ad hæc spectacula confluit, habet destinatam.

309 Cæterùm Clemens VIII. in sua vi, ac vigore retinuit, ac innouauit pœnam excommunicationis à Pio V. inflictam aduersus Monachos, Fratres Mendicantes, cæterosque cuiuscumque Ordinis, & Instituti Regulares. Par enim est, vt qui absteriorem vitæ normam profitẽtur, & sæculares dimiserunt delicias, his oblectamentis etiam priuentur, ne, vbi populus solet esse frequentissimus, ędificationis, ac venerationis iacturam patiantur, & ansam obmurmurationi præbeant. Ibidẽ etiam hic Pontifex reuocauit pœnam carendi sepultura Ecclesiastica iunctã his, qui tauros agitãdo occubuissent; vt cõ stat ex verbis Bullæ, quam transcribit Emanuel Rodriguez *vbi suprà*. Priùs autem, quàm Clemens VIII. aliquantum emollierat constitutionem Pij. V. Pontifex Gregorius XIII. in Bulla expedita anno 1575. die 25. Augusti; tollens omnes censuras, & pœnas, ab illo inflictas contra personas sæculares, & Milites Equestrium Ordinum, dum non essent Sacris Ordinibus initiati. Nihil tamen innouauit circa personas Ecclesiasticas.

310 Hinc audiendi non sunt, qui spectaculum agitationis taurorum, aiunt, esse damnabile, et illicitum; nempè Gregorius Lopez *in leg. 57. tit. 5. part. 1. Gloss. 2. verbo, lidiar toros.* Bernardus Diaz de Lugo *in pract. crimin. cap. 66. fol. 170.* Azeuedo *in leg. 4. tit. 10. lib. 1. Recopilat.* Alcocer *de ludo cap. 53.* Speculum conscięntiæ *lib. 1. cap. 74.* Auendaño, & Couarrubias allati ab Emanuele Rodriguez *vbi suprà art. 1.* Etenim, si illicitum esset id spectaculum, non permitteretur à Pontificibus Gregorio XIII. & Clemente VIII. & tota Hispania peccatis illaqueareturr, vt obseruaat idem Emanuel *vbi suprà*.

311 His suppositis, & præiactis, quæstio nostra dilucida est, an scilicèt Magistri, seu Doctores Regulares possint assistere huic spectaculo? quæ pendet ex alia vniuersaliori quæstione, an Religiosi, generaliter loquendo, possint ei assistere? Posse assistere, et nõ peccare, tenuere quidam, quos suppresso nomine refert Rodriguez *vbi suprà, vers. ex quo Breui*; et iudicant non improbabile Lezana, et P. Pellizarius *locis suprà relatis.* Adfauet huic opinioni authoritas extrinseca Magistrorum plurium Salmanticensium, qui publicè simul cum Consessu Academico his spe-

ſpectaculis aſſiſtunt, qui ſanè huius ſunt ſententiæ, cum nequeat de vllo eorum præſumi, illicitè, & contra proprium dictamen, & conſcientiam operari: Et cum ſucceſſu temporum Viri Sapientiſſimi, ac grauiſſimi id præſtiterint, ac præſtent, validam cohortem pro ſe hęc habet opinio; cum aliunde non poſſit confugi ad ſpeciale indultum, quod à Pontifice fuerit Academiæ Salmantinæ conceſſum, id enim nec extat inter alias Pontificum conceſſiones in ſtatutis tranſcriptas, nec eius datur notitia in ipſis Academiæ Magiſtris, quos ſedulò de hoc conſului. Nec hoc fulcimentum huius opinionis eneruatur ex eo, quòd aliqui Magiſtri Regulares non aſſiſtant Spectaculis Taurorum, vt ſunt Magiſtri Sacri Ordinis Prædicatorum, & Societatis Ieſu, ac alij; tum quia non aſſiſtentia non probat, eorum ſententiam eſſe contrariam; cum poſſint aliunde eſſe prohibiti, ne aſſiſtant, per ſpeciales ſuorum Ordinem Sãctiones, conſuetudinem, aut præceptum Superiorum; tum quia, eſtò contrarium ſentiant, adhuc pro opinione poſita ſunt illi, qui aſſiſtunt, & numero plures, & ſapientia inſignes.

312 Prætereà probant aliqui hanc ſententiam; quia excommunicatio iniuncta in præfatis Conſtitutionibus Pontificum non eſt lata, ſed ferenda; & præcisè ex prohibitione ſub pœna excommunicationis ferendæ non arguitur, prohibitionẽ obligare ſub culpa mortali, niſi aliunde hæc obligatio colligatur; at in præſenti aliunde hæc obligatio nõ colligitur; cum, ſecluſa prohibitione, & ante Conſtitutionem Pij V. Religioſos non peccare aſſiſtendo agitationi taurorum, doceat ipſe Emanuel Rodriguez, *vbi ſuprà, verſ. Aduertendum tamen;* Ergo abſq; culpa mortali poſſint Religioſi intereſſe ſpectaculis taurorum. Hanc ratiocinationem, ait P. Pellizarius *vbi ſuprà*, non eſſe improbabilem.

313 Alij apud Rodriguez *ſupra, verſ. Et fundamentum.* cãdem opinionem ſuadere intendunt ex eo, quòd ſpectaculum agitationis taurorum ex ſua natura non eſt criminoſum; ergo, dum ſcandalum abſit, nec de damnis illatis Regulares oblectentur, nec licentiosè interſint, non peccant mortaliter aſſiſtendo; vt non peccãt, dum prædictæ conditiones adſtruantur, ſi alijs ſpectaculis, ac ludis publicis adſint.

314 Sententia contraria tenet, peccare mortaliter Religioſos, qui aſſiſtunt ſpectaculo agitationis taurorum. Eam tuetur Gutierez *lib. 1. Canonicar. quæſt. cap. 7. à num. 20.* Emanuel Rodriguez *prædicto art. 2.* P. Pellizarius *vbi ſuprà*; & à fortiori hi, qui hoc ſpectaculũ damnãt, & plures alij apud hos Authores videndi.

315 Pro hac ſententia arguitur primò. Lex humana iuſta, & de re graui, ac bonas mores concernente obligat tranſgreſſores ſub culpa mortali, aut veniali iuxta variam Legiſlatoris voluntatem, quæ ex verbis ipſius legis conijci poteſt, vt docent D. Thomas *1. 2. quæſt. 96. art. 5.* Canoniſtæ *in cap. 1. de Cõſtitut.* Nauarrus *in Manual, cap. 23. num. 48.* Alfonſus à Caſtro, *lib. 1. de poteſtat. leg. pœnal. cap. 4.* Et latè proſequuntur P. Suarez, Salas, Layman, Caſtro Palao, & innumeri alij, dum de vi obligationis legis præcipientis agunt. At Conſtitutio, ſeu lex Pontificia prohibens, Regulares intereſſe agitationi taurorum, eſt iuſta, concernens bonos mores, & diſciplinam religioſam, ac pro re graui, vt ex terminis conſtat, & ex proœmio, ac verbis Bullæ Pij V. ergo obligat tranſgreſſores ſub culpa mortali.

316 Probatur ſecundò hæc ſententia. Nam intentio Legiſlatoris Eccleſiaſtaſtici vtentis in ſua Conſtitutione verbo prohibitiuo, aut præceptiuo, eſt, obligare ad mortale trãſgreſſores; niſi cõtrarium per aliquod verbum, aut ſignum denotetur, vt cum Nauarro *vbi ſuprà num. 51.* & cum Alfonſo à Caſtro *ſuprà cap. 5.* communiter ab Authoribus traditur. Sed Pius V. in ſua Conſtitutione vtitur, eo verbo, ibi *Prohibemus, & interdicimus;* Et nullo ſigno innuitur, eum nolle obligare ad mortale, quin potiùs velle, infertur ex probatione ſequenti; igitur ea Conſtitutio obligat ad mortale.

317 Probatur tertiò, quia id prohibetur ſub pœna excommunicationis maioris; at nulla excõmunicatio maior eſt infligenda niſi pro mortali culpa, vt cum D. Thoma *in 4. diſtinct. 18. quæſt. 2. ad 3.* Couarrubias *in capitul. alma mater. 1. part. §. 9. num. 1.* tradunt communiter Theologi, Canoniſtæ, & Summiſtæ; ergo aſſiſtentia Religioſorum ad ſpectaculum agitationis Taurorum eſt peccatum mortale, cum ei decernatur pœna excõmunicationis maioris, & poſſit Regularis, qui adſtitit, de facto ſtatim excõmunicari ob cõtumaciã inobedientiæ;

aliàs dicendum esset, pœnam hanc non potuisse infligi à Pontifice, vel deinde ob culpã leuem, vel nullam, imponi; quæ nequeunt asseri. Et quamuis ea assistentia Regulariũ ad agitationem Taurorum ex se non esset peccaminosa, sed indifferens, at, posita prohibitione sub excommunicationis pœna, redditur peccaminosa grauiter; quod idem accidit in pluribus materijs ex se indifferentibus, quas ob mores honestos, aut ob religiosam obseruantiam, vel regimen rectum Ecclesiæ, conuenit prohiberi, quæ redduntur malæ, quia prohibitæ; & malæ lethaliter, si à Prælatis Ecclesiasticis, aut Regularibus sub pœna excommunicationis vetentur.

318 Demum probatur hæc sententia argumento exornatorio, & ex æquitatis ratione desumpto. Etenim omnibus retrò sæculis maximè inuigilatum est, ne Clerici, & specialiter Religiosi, publicis spectaculis interessent; scilicèt, vt ait Lactantius Firmianus *lib. 6. diuin. instit. cap. 20. in fin.* ne quidquam vitiotum insideat pectoribus, quæ pacata, & pacifica esse debent, nec cuiusuis illos voluptatis consuetudo detineat, & à Deo, ac bonis operibus, quibus speciali titulo insistere tenentur, auertat. Indecens namque videtur diuinis obsequijs strictè mancipatos sæcularibus exercitamentis, ac ludis delectari. Hinc in Concilio Laodicensi *canon 54.* prohibitum fuit clericis, assistere spectaculis, quæ in scænis, aut nuptijs fiebant, & etiam conuiuijs, quæ tunc celebrabantur Id ipsum fuit eis vetitum in Concilio Agatensi *canon 39.* similesque prohibitiones extant relatę *in capit. 2. de consecrat dist. 5. in cap. his igitur 23. dist. in cap. presbyteri dist. 34.* Et Imperator Iustinianus allatus ab Emanuele Rodriguez *vbi suprà* id prohibuit omnibus Clericis etiam minorum Ordinum, & transgressoribus pœnam iniunxit, quòd tribus annis à suo Ecclesiastico ministerio arcerentur, & in monasteria redigerentur, Extat etiam sancitum Iure nostro Regio, *in leg. 57. tit. 5. partit. 1. Que los Prelados no deben ir à ver los juegos, assi como alancear, ò bohordar, ò lidiar los toros, ò otras bestias brauas, ni ir à ver, los que lidian.* Vide plura de his apud Cardinalem *in Clemẽtin. ne in agros, de statu monach.* & Bernar. Diaz de Lugo *vbi suprà, cap. 66. fol. 317.* Ex quibus infertur, quàm iustè à Pontificibus prohibitum fuerit, ne Religiosi spectaculis agitationis taurorum interfint.

319 Ad argumenta pro prima sententiam respondetur in fauorem huius secundæ; ad primũ, rectè inferri ex prohibitione sub pœna excõmunicationis præcisè, eam prohibitionem obligare sub peccato mortali propter dicta *supra n. 317.* Ad secũdũ, quòd esto agitatio taurorũ nõ sit criminosa, & assistẽtia ad illã sit materia indifferẽs, attamen reddi malã, ac inhonestã, accedente prefata prohibitione, iuxta asserta *eodẽ n. 317.* Nec quidquã probari ex assistẽtia ad alia spectacula, quæ, si vel ex se nõ sit praua, vel nõ sit prohibita, aut ex circũstãtia nõ reddatur inhonesta, poterit à Religiosis absq; culpa præstari; at assistẽtia ad spectaculũ taurorũ est prohibita; quare nõ rectè fit argumẽtũ à nõ prohibita ad prohibitam.

320 Ad argumẽtũ autẽ desumptũ ab authoritate Salmãticensiũ, forsan Authores huius secũdæ sentẽtiæ respõdebunt, nõ esse nouũ, sentiri, & edoceri à Magistris, ac Præceptoribus Academię Salmãtinæ, nõ esse peccatũ mortale, assistere Religiosos agitationi taurorũ, cũ olim id ipsũ sensisse videãtur; sed tamen Põtificẽ id resciuisse, & ægrè tulisse, eorũq; opinionẽ confutasse, præcipiendo, vt staretur Cõstitutioni Pij V. Cõstat id ex Breui expedito à Sixto V. quod rescriptũ fuit Illustrissimo D. D. Hierony. Mãriq; Episcopo tũc Salmãtino, die 24. Apr. anno 1656. Quod ita se habet.

Venerabili Fratri Episcopo Salmantino, Sixtus Papa V.

Venerabilis frater, salutẽ, & Apostolicã benedictionem. Nuper siquidẽ ad nostrã notitiã peruenit, quòd aliàs postquã fœlicis recordationis Pius Papa V. præcedessor noster sua perpetuò valitura cõstitutione spectacula, & ludos Taurorũ prohibuerit, ac tã laicis, quàm clericis sæcularibus, & quorumuis Ordinum Regularibus, ne eisdem spectaculis, & ludis interessent, sub certis in ibi contentis pœnis interdixerit; & deinde piæ memoriæ Gregorius Papa XIII. etiam prædecessor noster per quasdam suas desuper confectas litteras prædictam Constitutionem, & pœnas in ea contentas Clericos tam sęculares, quàm Regulares, non tamen laicos, & Milites quarumcumq; Militiarũ Sacris Ordinibus non initiatos, comprehendere, declarauerat, prout in Constitutione, ac litteris

, litteris prædictis, pleniùs continentur;
, Nonnulli Vniuersitatis Studij Generalis
, Salmanticensis Præceptores, tum Sacræ
, Theologiæ, tum Iuris Ciuilis Professores
, non solùm agitationibus Taurorum, &
, spectaculis prædictis se ostentare non ve-
, rentur, sed etiam Clericos in Sacris Or-
, dinibus Constitutos, dum agitationibus, &
, spectaculis prædictis contra prædictam cō
, stitutionem intersunt, nullum reatum cō-
, mittere, sed licere illis adesse posse asse-
, runt, atque publicè in suis lectionibus do-
, cent; Vnde multi tuæ Diœcesis Cleri-
, ci contra Constitutionem, & litteras præ-
, dictas, licèt à te super illarum obseruatio-
, ne etiam propositis edictis requisiti, atque
, coacti fuerint, eisdem ludis interesse non
, desistunt. Nos, vt Romanorum Pontifi-
, cum præcepta, prout decet, inuiolabiliter
, obseruentur, prouidere volentes, Frater-
, nitati tuæ, etiam tamquam nostro, & Se-
, dis Apostolicę delegato, liberam faculta-
, tem, atque authoritatem tribuimus, vt
, tam prædicti Præceptores ne aliquid con-
, tra Constitutionem, & litteras prædictas
, docere, seu asserere, quàm quoscumque
, Clericos in eiusdem Gregorij Prædeces-
, soris litteris comprehensos, ludis, seu agi-
, tationibus, ac spectaculis, prędictis aliquo
, modo interesse audeant, seu præsumāt,
, Apostolica authoritate monendi, ac illis
, præcipiendi, atque mandandi, necnon cō-
, tra inobedientes, cuiuscumque qualitatis
, fuerint, ipsis priùs etiam per edictum pu-
, blicum constito summariè, & extra iudi-
, cialiter de non tuto accessu citatis, ac vt
, pareant, sub censuris Ecclesiasticis, etiam
, pecuniarijs pœnis moderādis, & applican
, dis requisitis ad incursus censurarum, &
, pœnarum huiusmodi, declarationem, &
, executionem, omnibus, & quibuscumq; ne
, cessarijs, & opportunis tibi visis remedijs
, procedendi, & quidquid decreueris, & mā
, daueris, exequendi, ac totali executioni
, vsque ad omnimodam paritionem deman
, dādi, omni, & quacumque appellatione,
, ac recursu, & reclamatione postpositis;
, Inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, au-
, xilio brachij sæcularis, &c. Datum Ro-
, mæ die 24. Aprilis, anno Domini 1586.
, Pontificatus nostri anno primo.

321 Breue hoc promulgatum fuit Salmanticæ die 17. Iunij eiusdem anni 1586. Ex quo liquet, Pōtificem, qui damnauit doctrinam asserentium, non peccare Clericos sæculares assistentes agitationi Taurorum, à fortiori damnasse vt falsam, & menti Sedis Apostolicæ contrariam opinionem defendentem, non peccare Regulares, qui ei Spectaculo intersunt. Et quamuis, quoad Clericos sęculares, per nouam Clementis VIII. Bullam id fuerit reuocatum, nihil tamen innouatum fuit circa Regulares, vnde quoad hos semper in robore suo manet præceptū, quòd debeat defendi doctrina conformis Constitutioni Pij V. Deinde in prædicto Breui asserit Gregorius, aliquos Magistros Theologię non vereri ostentare se ludis agitationis Taurorum; quæ verba eorum actionem damnant, vt ex contextu cōstat; ex his autem Theologiæ Magistris aliquos fuisse Regulares, vero simile videtur, cum Gradum Magisterij in Theologia frequēti-ùs, & communiùs illi suscipiant; & pauci sæculares Clerici ad illum in Academia Salmantina promoueri soleant. Hæc pro secunda sententia forsan responderi poterunt ad argumentum pro prima opinione ab authoritate extrinseca Salmanticensium Magistrorum desumptum; quibus nulla noua ratio fauere conspicitur, vt in opinione antiqua persistant.

322 Nihilominùs, postquam vtriusque opinionis momenta proposui, & doctioribus iudicium certius de illis relinquo, meum proferam. Fateor, si res secundùm se pensetur, aliqua argumenta pro secunda sententia proposita efficaciùs, & solidiùs assumptum conuincere; Cæterùm animaduerto, non solùm Salmanticæ, verùm in ipsa Curia Madridiensi, & in alijs vrbibus, & oppidis Hispaniæ, plures Religiosos interesse agitationi Taurorum, & ex eis non paucos esse spectatę doctrinæ, ac omnes eos censeo timoratæ conscientiæ; Id sanè nec Pontificis Nuntium latet (indeque nec Pontificem) nec Prælatos Ecclesiasticos, nec Senatus Regios, qui publico bono, & ædificationi populi maximè attendunt; Nec tamen reclamatur, nec reprehenduntur nec id vitari conatur; Exindè ergo censeo, iam id per tolerantiam licere hi-Religiosis, respectu quorum ea tolerantia datur, quam limitationem illicò exponam; Quę resolutio arrisit non paucis Viris Sapientibus à me consultis; et primus me eam edocuit Illustrissimus Dominus Don Petrus Carrillo, et Acuña Episcopus Salmantinus, quem insignis litteratura post Academica præmia Auditorē Rotæ, et Regij Pintiani Senatus Præsidem constituit.

323 Inquires primò, an hæc resolutio vniuersaliter sit tenenda respectu omnium Regularium? Respondeo, tenendam esse respectu eorum, ad quos ea tolerantia, seu tacita permissio extenditur. Hinc censerē, Religiosos Ordinū, qui sunt magis absteri, et à commercio semoti, grauiter peccare, si intersint prędictis Spectaculis; nempè Carthusienses, Capuccinos, et Excalceatos, aliosque huiusmodi; hi enim ampliùs, quàm alij, notarentur, et detrimentum ædificationis, et venerationis erga suos Ordines apud populum excitarent; et, cum hi numquam, vt mihi persuasum habeo, eis spectaculis adstiterint, tolerantia circa illos, aut tacita permissio non datur; nec mirum, quòd in hoc discriminentur à cęteris, quibus in victu, habitatione, et vitæ rigidioris norma, cum magna populi ædificatione, discernuntur.

324 Inquires secundò, an independenter ab hac tolerantia, stando Bullis suprà relatis Pontificum, possent assistere spectaculis agitationis Taurorū Canonici Regulares, quales Salmanticæ sunt, qui in Collegio *de la Vega* versantur? Respondeo, non posse. Quippè, quamuis aliquando in Iure dispositiones circa Monachos non extendantur, eo quòd in pœnalibus, & exorbitantibus hi Canonici nomine Monachorum non veniant, vt notat Abbas Panormit. *in cap. Quod Dei timorē, num. 2. de statu monachor.* Et præterea hi Canonici inter Clericos sint recensendi, cum in lite super præcedentia Canonicorum eiusmodi, & Monachorum, sententia in fauorem illorum à Sede Apostolica fuerit prolata, propter id, quia Clerici sunt, vt Nauarrus refert *in cap. statuimus 19. quæst. 3.* & vlteriùs eos esse Clericos docet D. Thomas *2. 2. quæst. 289. ad 2.* Attamen hæc omnia non conuincunt, eos Canonicos, quamuis sint Clerici, non esse strictè, & propriè Religiosos, atque adeò dispositio Pij V. & Clemētis VIII. eos comprehendit.

325 Quod suadetur, nam in eis verbis includuntur; *Cæteriśque cuiuscumque Ordinis, & Instituti Regularibus;* Cū enim præfati Canonici sint Regulares Instituti approbati à Sede Apostolica, non est, cur in eis verbis expressis, & claris, ac vniuersalibus non comprehendantur; maximè cum ad eos etiam tendat ratio, quæ Pontifices mouit ad eas Bullas expediendas, nempè vt qui Deo speciali titulo mancipantur, cultuique diuino addicuntur, à sęculi delicijs abstrahantur. Deinde leges, quę intuitu Religionis stabiliuntur in Iure respectu Monachorū, etiā si sint pœnales, & exorbitāres extenduntur ad Canonicos Regulares (quo satis sit rationi dubitandi *num. præcedenti* libatę) vt notat Iason *in Authentica, ingressi, Cod. de Sacrosanct. Eccles. col. 4. gloss. 1.* Hinc constitutio vetans monachis postulare, comprehendit etiam Canonicos Regulares; *cap. 2. de postulat. prælat.* Et decretum prohibens monachis, quòd sint patrini, ad eos Canonicos extenditur, vt tradit Nauarrus *libr. 3. consil. de statu monachor. consil. 5.* Et rescriptum Pij V. sub pœnis grauibus prohibens Religiosis, ne fœminas in sua monasteria admittere, aut introducere præsumant, pariter includit Canonicos Regulares, vt docet idem Nauarrus *libr. 3. consil. titul. de regul. consil. 68. pag. 267. num. 3.* Vnde, cum prohibitio, de qua nunc loquimur, circa ludos agitationis Taurorum, fuerit expedita intuitu Religionis, sanè ad Canonicos Regulares extenditur.

326 Inquires tertiò, an etiam independenter à prædicta tolerantia Religiosi Ordinum Militarium, quorum quatuor insignia Collegia Salmanticæ extant, prohibeantur interesse agitationi Taurorum per Bullas præfatas Pontificum? Respondeo, prohiberi. Etenim illi verè, ac strictè sunt Religiosi, & nomine Religiosorum veniunt, dum non excipiantur; quare sub verbis prohibitorijs Pontificum suprà adductis manifestè comprehenduntur. Et quamuis Gregorius XIII. temperauerit Constitutionem Pij. V. concedens, quòd Milites quarumcumque Militiarum, dum non essent in Sacris constituti, possent interesse agitationibus Taurorum; attamen nomine Militum non significantur Religiosi Ordinum Militarium. Indeque argumentum pro nostra decisione firmatur; nam, cum exceptio firmet regulam in contrarium, & permittatur determinatè Militibus interesse præfatis spectaculis, sequitur, non permitti Religiosis Militiarum. Rursus Militibus, si sint in Sacris Ordinibus constituti, non conceditur interesse prædictis ludis Taurorum, ergo multò minùs Religiosis Ordinum Militariū; & licèt Militares Equites, etiam si sint in Sacris constituti, possint iam assistere agitationi Taurorum ex vi Bullæ Clementis VIII. attamen in ea nihil est innoua-

nouatum circa Religioſos, vt ſuprà aſſeruimus. Concluſionē poſitam tuetur Emanuel Rodriguez, *prædicto tom. 3. quæſt. Regular. quæſt. 68. art. 3.*

337 Inquires demum, an adhuc independenter à tolerantia prædicta, poſſint aſſiſtere his ſpectaculis Nouitij Religionum, & Conuerſi, ſeu qui ad domeſtica admittuntur, quin ſint ad Ordines promouendi? Reſpondeo, ſeclusis alijs circunſtantijs, ex ſe, & ex vi Bullæ præfatæ non eſſe illicitum Nouitijs, intereſſe præfatis ſpectaculis; Etenim ea Conſtitutio prohibens aſſiſtentiam Religioſis ad ludos Taurorū, eſt odioſa, & oneroſa, vt ex ſe liquet; in oneribus autē, & odijs nomine Religioſorum nouitij nō comprehenduntur, vt habetur in Gloſſa *in cap. beneficium de Regularib. in 6.* & docet ibi Ioannes Andreas, necnon Angelus *in ſum. verbo, religioſus, §. 13.* Syluester *verbo, religioſus 5. à. §. 9.* P. Henriquez *lib. 3. de pœnitent cap. 16. n. 3.* & alij communiter; eſto gaudeant fauoribus Religioſorum, vt traditur *in Clementina. 1. de priuileg. in cap. religioſo, de ſentent. excommunicat. in 6.* & cum Mandoſio, Nauarro, Tiraquello, Corduba, Sarmiento, ac alijs docui *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 4. num. 22. & diſput. 24. à num. 171.*

328 Ad Conuerſos autem expreſſè extenditur prohitio; nam, cum Clemens VIII. amouit pœnam excommunicationis inflictam à Pio V. addidit; *Monachis, & Fratribus Mendicantibus, cæteriſque cuiuſcumque Ordinis, & inſtituti Regularibus exceptis;* Quos incidere in excōmunicationem voluit, ſi Taurorum agitationem inuiſerent. His autem verbis comprehenduntur Conuerſi, qui Profeſſionem, ſeu vota Religionem conſtituē tia emiſerunt, qui ſtrictè, ac propriè Religioſi ſunt.

329 Quantum debeant hæc ſpectacula vitari, & plura de ſpectaculis, & ludis antiquorum, qui noſcere velit, conſulat Cœlium Rhodigin. *lib. 8. antiquar. lect. cap. 7.* & D. Auguſtinum ibi ab ipſo relatum; D. Chryſoſtomum *in Matheum homil. 28.* Alexandrum ab Alexandro *lib 6. genialium dier. cap. 6.* Lactantium Firmianum *lib. 6. diuinar. inſtitut. cap. 20.* Ariſtotelem, Senecam, Volaterranum. P. Petrum Ribadeneyra, et alios, quos refert Emanuel Rodriguez *vbi ſuprà art. 6.* Et præterea *lib. 13. titul. 5. in Codice Theodoſiano*, extat circa hæc piiſſima Cōſtitutio Imperatorum Theodoſij, et Valētiniani. Demum abſolutè, quando lu li liceant, tractant D. Thomas, et eius Interpretes ab eodem Rodriguez citati. Specialiter agūt de taurorum ſpectaculo Don Franciſcus de Amaya *lib. 3. obſeruat ion. Iur. cap. 5. à n. 69.* Et apud ipſum Gutierrez, Cenedo, Nauarrus, Alcocer, Marianus, Salcedo, Bernardus Diaz, Ioannes Garcia, Guzman, Ioannes de Roa, et Parladorius. Vide etiam D. Thomam de Villanueua *concion. 2. de S. Ioanne Baptiſta. circa finem.*

Quæſtio XXIX. An Religioſi, qui ſunt Magiſtri, aut Doctores in Academia, vel in ea Cathedram moderantur, ſi à ſuo Prælato Regulari à loco Academiæ extrahantur, poſſint à Senatu Academiæ, ſiue à Magiſtratu ipſius Academiæ detineri, & impediri, ne exeant?

330 PRO parte affirmatiua aliqui arguent primò. Id conceſſum eſt à Pontificibus communiter Academijs, vt poſſint ſuos Doctores, Magiſtros, ac Præceptores fouere, conſeruare, ac ab alijs oneribus immunes reddere, ita vt nullus poſſit eos inde amouere, et quo ad hoc Magiſtratibus iuriſdictio eſt præſtita, vt prædictos in Academijs retineant ad doctrinam tradendam; ergo à Prælatis Regularibus nequeunt contra Pontificū indulta, ac conceſſiones ab Academijs remoueri præfati Religioſi; et, ſi remoueantur, poterunt à Magiſtratu, ſeu à Cōſeſſu Academico (ab eo ſcilicet, cui iuriſdictio à Pontifice ſit commiſſa) detineri; vel, ſi iam diſceſſerint, reuocari; aliàs nihil operarentur Decreta, et Indulta Pōtificum conceſſa in fauorem Academiarum liceretque eorum Prælatis amouere ipſos, cum vellent.

331 Arguent ſecundò. Plùs conſuli debet Magiſtris, ac Præceptoribus, quàm ipſis Studioſis Regularibus, vt æquitas, ac ratio ſuadent, et proinde nihil his conceſſum eſt, quod etiam illis conceſſum fuiſſe non intel-

ligatur ; ac aliunde prætereà omnia in dulta , ac priuilegia conceſſa ſtudioſis competere etiam Magiſtris , ac Doctoribus, tradidimus *ſuprà lib. 1. num. 336.* At ſtudioſis Regularibus conceſſum eſt ab Apoſtolica Sede, vt vndecumque ad ſtudia generalia, ſaltem ad aliqua, poſſint cõfluere, & in eis cõmorari, quin à ſuis Prælatis impediri queant ; ergo Magiſtri, & Præceptores Regulares in ipſis ſtudijs Generalibus publicè edocentes impediri nequeunt, quominùs in eis verſentur ; ac per conſequens, ſi remoueantur, poterunt reclamare, & in eis perſiſtere, ac debebit Conſeſſus Academicus, ſeu Magiſtratus eos tueri, conſeruare, ac impedire, ne inde amoueantur.

332 Conceſſum autem id eſſe ſtudioſis Regularibus, ſaltem reſpectu Academiæ Salmanticenſis, conſtat ex Bulla Martini V. *Conſtitut. 32.* quæ affertur in ſtatutis ipſius Academiæ *pag. 59.* Hæc ſunt verba ; Quòdque omnes, & ſinguli » Religioſi in ſacra pagina ſtudentes per » Prouincias ad huiuſmodi ſtudium deſtinati quorumcumque Ordinum Mendicantium poſſint liberè ad huiuſmodi ſtudium » venire ; & ibi abſq; contradictione aliqua » ſtudere, & Gradum Lectoriatus recipere, » prout in præfato Pariſienſi ſtudio eſt fieri » conſuetum. Dilectis filijs vniuerſis, & ſingulis Prioribus, Guardianis, ac alijs eorumdem Monaſteriorum, Conuentuum » Salmantinorum Præſidentibus, & Fratribus iniungẽtes, quòd, omni exceptione, & » excuſatione ceſſante, præfatos in Sacra » Theologia ſtudẽtes, & Bacchalarios alior » ſum, vt præfertur, venientes recipiant. Et, poſtquam firmiter Põtifex obligationẽ illos recipiendi ſtatuit, proſequitur inferiùs; Verùm, quia, ſicut etiam accepimus, dilecti Filij Generales, & Prouinciales Miniſtri Ordinum Mendicantium in Generalibus, & Prouincialibus Capitulis hactenùs per eos celebratis nonnullas inhibitiones, & præcepta fecerunt continentia, ne Fratres ipſorum Ordinum ad Studium Salmantinum pro ſtudẽdo, & Gradus Lectoriatus, Licentiæ, & Magiſterij in Theologia recipiendo accedere auderent, quod de directo eſt contra noſtras præſentes Cõſtitutiones, & Ordinationes, ac naturam Generalium Studiorum, maximè huius, quòd eſt vnum de quatuor Orbis generalibus ſtudijs iure ſcripto ordinatis; Nos fidẽ Catholicam in regione Hiſpaniæ affectibus ſynceris dilatari, & ampliari, ac Regi Caſtellæ præſenti, nobis, & Eccleſiæ Dei quàm plurimùm deuoto, & Succeſſoribus ſuis, & dicto ſtudio reddere gratioſos, & ſuper præmiſſis de opportuno pro præſenti, & futuris temporibus, prouiſionis remedio prouidere cupientes, inhibitiones, & præcepta prædicta hactenùs ſub quacumq; verborũ forma edita, præſentium ſerie, authoritate Apoſtolica ex certa ſcientia reuocamus, caſſamus, & annullamus; Eiſdem authoritate, & ſcientia, Generalibus, Prouincialibus Miniſtris prædictis, Cuſtodibus, & quibuſlibet alijs dictorum Ordinum Superioribus, ipſorũque ſingulis, ac Capitulis eorumdem vbilibet in poſterum celebrandis, diſtrictiùs inhibentes, ne prædictas inhibitiones, & præcepta, ſeu ordinationes, aut quæuis alia mandata, per quę intentio præſentium noſtrarum Conſtitutionem, & Ordinationũ quomodolibet impediatur, deinceps condere, facere, ſeu ordinare audeant ſeu, præſumant ; decernentes ex nunc pro tunc irritum, & inane, quidquid ſuper præmiſſis qualitercumque à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Hucuſq; Pontifex, quæ verba tranſcripſi, tum vt aſſumptum ſuperioris argumẽti vires caperet, tum vt ex illis ſequens etiam argumentum efformetur.

333 Arguent tertiò. Ex præfatis Pontificis verbis conſtat, nullum Regularem poſſe impediri, quominùs Salmãticam accedat, non ſolùm ſtudendi cauſa, verùm etiam gratia accipiẽdi Gradus Licentiatus, & Magiſterij in Theologia, nec poſſe quidquam in contrariũ ſtatui à Prælatis Regularibus, nec à Capitulis ; ergo nec poterit ab illis ſtatui, vt, poſtquam Gradus eiuſmodi aliqui acceperunt, vſum & exercitium illius in Academia dimittãt, et inde amoueantur; cum traditio doctrinæ in ipſa Academia ſit finis magis immediatus, et proximus, propter quem Gradus ſuſcipiuntur ; Aliàs non obtineretur ſcopus intentus à Pontifice, nempè vt ea Academia Magiſtris, et Præceptoribus abundaret, hique ſuam doctrinam in publicum ſtudentium commodum diſpenſarent : ſi quidem hæc omnia deficerent, ſi à Prælatis ſuis inde amouerentur, et non eſſet poteſtas in Academia, aut in eius Magiſtratu ad reſiſtendum Prælatis, et detinendum, aut reuocandũ prædictos Magiſtros, ſeu Præceptores.

334 Arguent quartò. Si præfati Religioſi Magiſtri, aut Moderatores Cathe-

Cathedrarum possent à suis Prælatis remoueri à loco Academiæ, maximè ob aliquam causam, propter quam arbitrarentur, fore remouendos; At de causis Magistrorum, Doctorum, & quorumcumque aliorum, qui in Academiæ albo sunt inscripti, cognitio pertinet ad Magistratum ipsius Academię; sic enim ei à Pontificibus est concessum; Ergo nequeunt Prælati Regulares remouere subditos à loco Academiæ propria authoritate, quin saltem accedat authoritas Magistratus id decernens, vel ei manifestetur à prædictis Prælatis, causam esse huiusmodi, vt eius cognitio ad illos non pertineat, sed priuatiuè ad ipsos Prælatos; cur enim Academia, & Magistratus suæ iurisdictioni cedant, dum eis non constat, quòd causa ad ipsos non pertineat?

335 Etenim certum est, cognitionem causarum, saltem plurium, spectãtium ad illos Magistros Regulares pertinere ad Magistratus Academiarum; Vt videre est in Magistro Scholæ Salmantino, cui à Pontifice Martino V. ea iurisdictio est concessa; Constat *ex Constitutione 22.* allata in Statutis Academiæ Salmantinæ *pag. 36.* vbi ait; *Item statuimus, & ordinamus, quòd ad prædictum Scholasticum pertineat, audire, examinare, decidere, & determinare omnes, & singulas causas ciuiles, & criminales Doctorum, & Magistrorum, Licentiatorum, Bacchalariorum, & Studentium in quacumque Facultate, Officialiumque omnium Vniuersitatis, ac familiarium continuorum, cõmensalium omnium, & singulorum prædictorum inter ipsos, vel eorum quoslibet, vel aliàs contra prædictos, vel eorum quemlibet motas, & pendentes, siuè quas moueri, & oriri contingeat quomodolibet in futurum.* Hinc, vt alibi in hoc tractatu obseruo, Magister Scholæ Salmanticẽsis potest in Regulares sibi subditos procedere in aliquibus causis, & eos mulctare. Videtur ergo, ius penes ipsum esse, vt causa ei manifestetur, propter quam Magister Religiosus amouetur ab Academia, vt constet, an ad ipsum cognitio illius pertineat; indeque poterit prædictum detinere, aut reuocare.

336 Arguent demùm ex eo; Quia ad bonum publicum spectat, Magistros, ac Præceptores in Academia versari, cum ex illis Studentium vtilitas, & iuuentutis educatio dependeat, & inde ipsius Academiæ splendor accrescat. Quòd si liberè à Prælatis Religiosis possint ab Vniuersitate amoueri, his publicis commodis, & bono publico detrahitur; nec ob speciem alicuius culpæ, dum hæc non manifestetur ipsi Academię, videtur fas esse, illos exindè remouere; aliàs occasio præbebitur, vt etiam absque culpa, solo nutu Prælatorum, & fortassis aliquando vt maleuolentiæ, aut vindictæ (licèt id nõ sit credendum) indulgeatur, Prælati priuent Academiam Magistris, & Præceptoribus, in detrimentum publicæ vtilitatis, quæ, cæteris paribus, alijs cõmodis particularibus debet prę ferri.

337 Hæc sunt argumenta, quæ pro opinione superiori excogitare potui, nec alia, quibus roborari queat, inuenio. Meum iudicium duplici iam asserto propono. Sit primùm assertũ. Prælati Regulares, si nulla causa ex dicendis in secundo asserto interueniat, nequeunt pro solo suo placito, & nutu, & multo minùs propter aliquam maleuolẽ tiam, amouere de loco Academiæ Magistros, aut Præceptores sibi subditos, publicè in ea edocentes ex ipsius Academiæ præscripto, aut designatione, Moderantesque Cathedras, aut salario, vel stipendio ipsis designato, legẽtes. Hoc assertum conuincunt saltem aliqua ex argumentis superiùs factis, quæ repetenda non sunt. Deindè indulta Pontificum, ac priuilegia Academiarum, de quibus suprà, aliquid debẽt operari, ne frustranea reddantur; operari autem aliquid aliud nec possunt, nec intendunt, vt infrà declarabo, nisi quod in hoc asserto continetur.

338 Nec censeatur, id nihil esse (adeòque, si vlteriùs aliquid nõ superaddatur, quod operentur, reddi frustranea) nam id fauori Academiarum, & Magistrorum consulit. Etenim eam Religiosi obedientiam suis Prælatis profitentur, vt quocumque ab illis mittantur, debeant proficiscì, quamuis nulla adsit causa eos amouendi à loco, in quo versantur, & Prelati pro nutu profectionem præcipiant; nec hi tenentur exponere subditis causam, propter quam à loco in locum ipsos remouent; nec subditi ipsi ius habent, vt ea ipsis exponatur, Cæterùm in præsenti casu nequeunt Prelati pro nutu, & placito amouere à loco Academiæ Præceptores; &, si causa subsit, debent eam ipsis subditis indicare, ne illi reclament, & violari Pontificia indulta, & Academiæ priuilegia, arbitrentur. Rursùs non facilè ob leuem causam, quamuis ea sufficeret ad amouendũ subditum ab alio loco, debet Prælatus amouere Præceptorem ab Academia, sed

potiùs

potius cõsulens publico bono, & ipsius Academiæ vtilitati, non nisi ob grauem causam id est præstiturus. Ecce ergo præfata indulta, ac priuilegia non parùm operantur, nec frustranea redduntur, cum Prælatorum Regularium potestatem limitent, & coerceant.

339 Sit secundum assertum. Possunt Prælati Regulares amouere suos subditos à loco Academiæ in alium, etiam si Cathedras moderentur, aut accepto stipendio doceãt, vel ex ipsius Academiæ designatione, & consensu legant; dummodò illi culpam aliquam cõmiserint, quæ pœnam remotionis mereatur; aut eorum remotio ab illo loco grauiter interfit ad Religionis commodum, seu rectum eius regimen, vel etiam ad ingentem ipsorũ Magistrorum, qui indè amouẽtur, vtilitatem. Nec Prælati tenentur manifestare Consessui Academico, aut Magistratibus causas, propter quas subditos inde extrahunt; esto hi debeant suam profectionem, & exitum ab eo loco significare illis, tum vt vrbanitati consulant, tum vt alius, si necesse sit, ipsorum loco substituatur, aut designetur ad docendum, tum demum, vt suo subiectionis erga Academiam officio satisfaciant.

340 Suadetur assertum. Etenim quòd Religiosi Gradibus in Academia insigniantur, & in ea quoquo modo doceant, nec tollit ab eis subiectionem erga suos Prælatos Regulares in omnibus, in quibus debent eis obedientiam præstare, nec detrahit à Prælatis iurisdictionem, qua gaudent, vt subditos in suo officio cõtineant, & ad obseruantiam Regularis disciplinæ cogant, & vt suum Sacrum Ordinem recta gubernatione moderentur; Nec etenim vnquam Pontifices aliquid cõtrarium intenderunt; cum enim adeò prospiciant Religiosæ obseruantiæ, quæ conducit ad Ecclesiæ publicum bonum, & animarum salutem, ac fidelium ædificationẽ, nihil statuere in animo eis fuit, quod huic gubernationi, & obseruantiæ repugnaret. At obseruantia Religiosa labefactaretur, & sacri Ordines rectè gubernari non possent, si Prælati non valerent subditos remouere à loco Academiæ, cum hanc pœnam eorum exigeret culpa, aut Ordinis gubernatio expostularet; ergo possunt eos indè remouere, cum aliqua ex dictis causis interuenit.

341 Nam ponamus (quod non continget) subditum Regularem Magistrum scandali ministrare occasionem in loco Academiæ ob culpam aliquam grauem; aut eum ita necessarium esse, vt Religionem gubernet, vel ad tractandum aliquod negotium graue ad illam spectans alibi assistat, quòd nullus alius id valeat adeò strenuè, & cum satisfactione præstare. Quis dicat, in ijs euentibus non posse Prælatum amouere subditum è loco Academiæ, & hunc non teneri obedire, cum in hoc versetur ingens disciplinæ Religiosæ, publicæ ædificationis, & regiminis Religionis momentum? Imò etsi culpa non esset publica, si tamen eiusmodi esset, vt Religiosus animæ patereturdetrimentum, in loco Academiæ existens, aut periculũ posset scandali timeri, aut seditionem inter cæteros suæ Domus Religiosos moueret, vel eorum obseruantiam minueret, similiavè patraret, teneretur quidem Prælatus eum indè repellere, cum debeat tum illius animæ prospicere, tum sui Ordinis bono nomini, & disciplinæ Regularis obseruantię sedulò consulere, eamque sartam tectã omnibus adhibitis remedijs conseruare.

342 Explicatur amplius. Is, qui Gradum in Academia obtinuit, aut in ea edocet, non eximitur ab obediẽtia suorum Prælatorum, vt est euidens; Si autem ab eis non posset ab eo loco dimoueri, aut ea remotione, seu quasi exilio ob culpas, & delicta puniri, nec eius animæ saluti per hoc remedium valeret consuli, & ad disciplinæ Religiosæ obseruantiam compelli; vel si propter ipsiusmet Religionis specialem vtilitatem nequiret ad alia munera, aut munia auocari; sanè exemptus à Prælatis maneret, saltem in pluribus, & præcipuis, quæ Religionem ipsam, & votũ Obedientię concernunt. Indè ergò eneuaretur regularis disciplina: Sacrorum Ordinum norma laxaretur: votum Obedientiæ ferè redderetur inane: sanctiones, ac regulæ infirmarẽtur, totaque rueret moles obseruantiæ. Et ne credat aliquis, hoc fuisse à Pontificibus indultum, aut priuilegium Academijs cõcessum, vndè hęc omnia detrimenta exoriuntur?

343 Adhuc id declaratur. In Religioso Magistro, seu Præceptore, priùs est, esse Religiosum, quàm esse Gradu insignitum, aut publicum Professorem; illudque est principalius, & fundamentũ, quod nunquam est labefactãdum; & quidquid suprà illud additur, ei debet aptari, quin noceat, aut quidquam è firmitate minuat; Quod sanè ex ipsis terminis, & eorũ

attenta

attenta consideratione est manifestũ. Hinc fit, Prælatum posse subditum Præceptorẽ punire, amouere, exilio mulctare, si mereatur, aut ad alium locũ mittere, si causa granis Religionis exposcat; illumque teneri obedire; nam hæc ei incumbunt, quia Religiosus est; & huic primœuæ obligationi nõ potest se subtrahere, quia Præceptor est; aliàs ratio Præceptoris præualeret statui Religiosi. Vndè Senatus Castellæ Regius, cũ aliquando exoraretur pro quodam Magistro, Cathedræ Moderatore, à suo Regulari Prælato à loco Academiæ amoto ob causas intùs ad suum sacrum Ordinem spectantes, summa cum pietate, ac prudentia Confessui Academico exoranti respondit, illum Magistrum priùs fuisse Religiosum, quàm Gradu insignitum, Moderatoremq; Cathedræ, & indè priùs debere muneri Religiosi in obedientia Prælatis præstanda satisfacere.

344 Vlteriùs firmatur. Certissimum est, aliquas esse culpas, & causas, quæ iustè exilij, aut amotionis à loco pœna debent vindicari. Deindè etiam est certum, respectu cuiusque subditi debere dari aliquem Iudicem, seu Superiorem, qui delicta puniat, aliàs crimina impunita manerent. Tunc sic; si Religiosus Magister, aut Præceptor culpam cõmittat, cui exilij, aut amotionis à loco pœna debetur, & culpa non cadat sub iurisdictione Magistratus Academiæ, (nam hic, vt alibi decidimus, non de omnibus, sed de aliquibus causis criminalibus Regularium potest agnoscere) sanè Prælatus Regularis tenetur eam pœnã injũgere; alioquin culpa impunita manebit, cum nullus alius restet, qui illam infligere valeat, nisi Põtifex, aut eius Nuntius, siquidem Regulares sunt exempti. Pontifex autem, aut eius Nuntius de his culpis castigandis immediatè non curant; atque adeò si à Regulari Prælato nõ puniretur ille subditus, immunis euaderet à pœna; Et præterea ex se liquet, culpas intra Religionem patratas intra ipsam fore puniẽdas; & vim, ac potestatem residere in Prælatis, qua subditi frænentur, ac puniantur.

345 Confirmatur adhuc. Potest Magistratus Academiæ subditos suos, à loco Academiæ amouere propter aliquod delictum, cui ea pœna proportionetur, & cuius cognitio ad ipsum pertineat; & id quidẽ præstare valet etiã erga Doctores, ac publicè legẽtes; ergò id ipsũ præstare valebit Prælatus Regularis erga subditos suos etiã Magistros, ac publicos Professores. Etenim magis strictè subiectus est Religiosus suo Prælato, quàm quilibet subditi suo Magistratui; quod ergo huic licet, cur Prælato Regulari denegetur? maximè cũ ad Prælatum Regularem pertineat omnimoda gubernatio subditorum, & de eis sint reddituri Deo rationem, atque adeò soller ter incumbere debent, vt illos à culpis retrahãt, & ad virtutem sectãdã promoueãt, imò & progressus in eorũ spiritu, ac perfectione sollicitent; Quæ obligatio nõ eodem modo est in Magistratibus Academiç, ad quos externum pertinet moderamen in his, quæ ad Academiæ, & Academicorum publicum bonum spectant.

346 Iam verò non teneri Prelatos Regulares, si amoueant subditos à loco Academiæ, causas amotionis Magistratui, nec Confessui Academico manifestare, suadetur primò; quia nullũ extat ius, caput, aut titulus huius obligationis, quæ non est imponenda Prælatis. Deindè quia ipsi in sua gubernatione indepẽdẽtes sunt, atque adeò ab Academia non dependent, quominùs suos subditos corrigant, vel ad alium locum ob ingentem Religionis vtilitatem deducãt. Tertiòex praxi, seu quasi ex re iudicata; quia vidimus Prælatos Regulares amouentes subditos à loco Academiæ, & ea resistente, ac reclamante, suam causam obtinuerunt. Præterea, quia contingere potest, causam, propter quam Prelatus amouet subditũ à loco Academiæ, manifestari non posse, nec debere; vel quia est delictum graue occultum, ex cuius manifestatione dedecus Religioni, aut Religioso, qui amouetur, impingeretur, atque adeò reuelari non debet; vel quia causa ad Religionem spectat, & eam secretò tractari expedit. Et certissimum est, nunquam intendisse Pontificem, quodcumque priuilegiũ Academiæ concesserit, vt occulta delicta publicentur, nec, vt Religiosus, aut Religio famæ, splendoris, ac honoris iacturam patiantur. Demùm, quia causa manifestanda esset, vel vt agnoscereturr, eam esse sufficiẽtem, vel vt constaret, non pertinere cognitionem illius ad Magistratum Academiæ; sed ptopter neutram ex his rationibus manifestari debet; ergò absolutè non est vlla obligatio illam manifestandi.

347 Et quidem non est ius, aut titulus, vt Magistratus Academiç agnoscat de causæ sufficientia; nec ad eũ spectat scire, quid Prælati Regulares operentur circa suos subditos; ac sanè ille conaretur tueri Religiosum, & à pœna eximere,

aut

aut saltem super causę sufficientia oriretur lis, & controuersia, ex qua plura incommoda ex libatis superiùs emanarent. Deindè nec ea manifestatio est necessaria, vt noscatur, causam, nō pertinere ad Magistratum; nam id debet supponi, quoties casus hic euenit. Sicut, si sacrum Fidei Tribunal aliquem subditum eius Magistratus apprehēdat, non debet manifestare causam, vt inde cognoscatur, non cadere illam sub iurisdictione Magistratus; sed supponitur tūc causam esse ex his, quæ priuatiuè ad sanctæ Fidei Quæsitores spectant; Sic, sua proportione seruata, cum Prælatus amouet subditum Præceptorem ab Academię loco supponendum est, id ritè, ac rectè facere, & causam ad ipsum omnimodo pertinere. Et profectò, quando causæ subsistunt ad Magistratum pertinentes, nunquam ignorantur; atque adeò in casu præsenti, si causa ignoretur, ipsa ignoratio causę ostendit, eam ad Magistratum Academię non pertinere. Tota doctrina tradita ampliùs roborabitur solutione argumentorum, esto ea nostris rationibus maneant iam eneruata.

348 Ad primum ergo respondeo, à Pontificibus solummodò fuisse intētum, quod in nostro primo asserto declaratur; nec vlteriùs eos intendisse, satis constat ex his, quæ pro secundo asserto elucidauimus, & ex his, quæ asseruimus *lib. 1. num. 207.* circa priuilegium, quod Pontifex concessit Regularibus Studiosis veniē di vndecumque ad Academiam Salmantinam, quin à suis Prælatis impediri valeāt. Vnde quælibet indulta, ac priuilegia Pontificum concessa Academijs, & eatum Magistratibus, ac Professoribus Religiosis, explicāda sunt iuxta doctrinam adhuc traditam; cum semper debeat inspici mens, & animus Legislatoris in promulgatione legis, vel concessione priuilegij, nec possit de eo credi, nec affirmari, voluisse inferre Sacris Ordinibus grauia detrimenta, eorumque sanctissimas constitutiones infringere, aut occasionem prębere, vt disciplinæ regularis norma eneruetur; cum cōtrarium constet esse Pontificum animo inuisceratum.

349 Ad secundum argumētum respondeo, nec respectu Studiosorum Regularium, nec Magistrorum, intendisse Pontifices, quod in eo asseritur, sed dumtaxàt quod in nostro primo asserto continetur; Nec Martini V. constitutio ibi allata nobis aduersatur iuxta dicta *num. præcēdēti*, & iuxta explicationē illius, quam dedimus loco relato *lib. 1. num. 209.* Et sanè si omnes Studiosi Regulares pro libito possent vndecumque ad Salmantinam Academiam aduentare, quę ibi Collegia, & Cœnobia eos caperent? quibus victitarēt redditibus? Quomodò alibi studia Ordinū Sacrorum conseruarētur? Quot, vt arctiorem disciplinæ normam vitarent, Salmanticam aduerirent? Quomodo Prælatus Regularis posset suam Prouinciam recta dispositione moderari? Non ergò intelligenda sint materialiter verba Pontificis, sed iuxta interpretationem datam. Ibidem etiam Pontifex pręcipit, ne Regulares prohibeantur ad Salmanticensem Academiā accedere pro Gradibus accipiēdis. Ex quibus verbis sic arguo. Non est intelligendū materialiter, & absque limitatione, vt sonat, posse quoslibet Regulares assumere Gradus Magisterij, ergò nec intelligenda sunt materialiter, & absque limitatione, vt sonant, quæuis alia verba concedentia facultatem Studiosis aduenienti vndecumque ad Academiam Salmantinam, studiorum causa, aut verba, quæcumque dētur, indulgentia, vt Religiosi Moderatores Cathedrarum nequeant à loco Academiæ amoueri.

350 Consequentia probatur; nam non conceditur maiori vi, & efficacia ea facultas Studiosis, & Magistris illud priuilegium, quàm cōceditur licentia generalis ad accipiendos Gradus, vt ex tenore verborum Pontificis constat; ergò si hæc secunda licentia nequit accipi, vt sonat, neque poterit prima illa facultas, & quodlibet priuilegium. Iam verò antecedens suadetur; quia ibi non intendit Pontifex detrahere quidquam ex ordinationibus cuiusque Sacri Ordinis; indeque cernimus, in pluribus Religionibus prohiberi, ne ab earum alumnis Gradus accipiantur, quin censeatur obsisti Pontificiæ Constitutioni. Deinde posset cōtingere aliquos velle ad Gradus Magisterij promoueri, si eis pro libito liceret, qui nec Religionis splendori, nec Academiæ ornamento expedirent; maximè cum non semel eueniat, sapientioribus non suppetere pecuniā necessariam ad sumptus, qui in Gradibus accipiendis fiunt; & suppetere minùs sapientibus, & fortasse insufficientibus. Quis autem sibi persuadeat, Pontificem nolle, vt Prælati hos prohibeant à petitione Graduum? Rursus etiam contingere posset, vt plurimi ex vno Sacro Ordine optarent accipere

cipere Magisterij Gradus; quorum multitudo in detrimentum vergeret Ordinis ob incommoda, quæ indè sequerentur, & nemo non agnoscat, si rem perpendat. Demũ cum Ordines Sacri non possent suppedita re omnibus ambientibus Gradũ sumptus necessarios, illi forent hinc indè eos cõgregaturi, vnde non exigua sollicitudo, anxietas, & damna exoriretur contra regularẽ obseruantiam. Necessum igitur est fateri, verba, & concessiones Pontificias, non esse intelligendas absque limitatione, & interpretatione; Eamdemque limitationem, ac interpretationem aptamus cuicumque priuilegio, quod in casu nostræ quæstionis opponatur.

351 Ad tertium argumentum ex nuper dictis respondeo, non cuilibet Religioso pro libito licere Gradũ Magisterij in Academia assumere, nec quoad hoc tolli subordinationẽ, & dependentiã, quam debet Religiosus exhibere suis Prælatis. Nec ex eo, quòd ab his possit amoueri à loco Academiæ Magister, sequitur, absolutè reddi inanẽ susceptionem Gradus, ablato vsu, & exercitio illius; Etenim non adeò frequens est hæc amotio Magistrorũ à loco Academiæ, vt id incommodum vrgeat. Prætereà, etsi aliquis Magister amoueatur, alij, & plures remanent, qui sufficiant ad docendum in Academia, quibus eius splendor, ac ornamentum conseruatur. Deindè in dies non pauci Gradum accipiunt, atque adeò vno, aut alio deficiente, totidem succedere, & explere numerũ solent. Demùm ob alias causas solent Magistri, & Moderatores Cathedrarum à loco Academiæ discedere; nempè si promouentur ad Episcopatus; si in Generales, aut Prouinciales suorum Ordinum eligantur, (qui saltem ad tempus absunt) si alia munia obituri indè proficiscantur, aut velint Magisterij onus relinquere, & præ fatigatione, aut imbecillitate, ad alia loca pergere. In quibus casibus eadem incommoda sequuntur, nempè quòd destituatur Academia Præceptoribus, quòd eo splendore priuetur, & similia; & tamen nullus adhuc prohibuit, quominùs prædicti à loco Academiæ discederent; Cur ergò, cum negotium Religionis agitur, & Prelatus Regularis consulit disciplinæ religiosæ, & regimini sui Ordinis, hęc incommoda cõclamentur? Et sanè suspicor, aliquando de discessu Magistri Moderatoris Cathedræ non paucos ex ipsa Academia, commodũ sequi, censere, nec de illius orbitate dolere; sed potiùs arbitrari, plures suppetere, qui in eius locum dignè succedant

352 Ad quartum respondeo, causas Regularium Academicorum pertinentes ad Magistratum limitatas esse, & cæteras spectare ad Prælatos Regulares, ex quibus sunt hæ, propter quas Prælati subditos amouere queunt à loco Academiæ. Nec tenentur eas manifestare Magistratui, aut Consessui Academico, vt satis *ùn. 346.* ostẽdimus; quin indè aliquid deroget iurisdictioni Magistratus Academię, qui nullã habet iurisdictionẽ circa puniẽda delicta, quę Religiosus committit, & non sunt contra ipsius Academiæ bonum, & gubernationem; nec circa alia, quę ad ipsam Religionem spectant, ob cuius vtilitatem potest Prælatus suos subditos ab eo loco amouere; nec deindè ius habet, vt ei causæ manifestentur, maximè cum vergeret nõ infrequenter (si hi euentus frequenter contingerent) in Religionis detrimentum manifestatio. Alia vbi nuper addidi, quibus id firmiter satis statuitur.

353 Ad vltimum argumentum respondeo ex nuper dictis *num. 351.* Academiã non priuari publicis cõmodis ob remotionem alicuius Præceptoris, imò aliquando purgari, si fortè Præceptor opinione vitæ laboret; Vel si, non ob culpas, sed ob eius indigentiam ad negotia, & munia Religionis obeunda amoueatur, id in splendorem cedit Academiæ, quæ communis parens gignit alumnos, qui vbique desiderentur; Nec enim omnes Præceptores, ac Magistri in ea debent semper versari, cũ exinde debeant prodire, qui dignitates, & munera gerant, & suam doctrinam alijs in locis bono publico disseminent. Et quidẽ nunquam continget, Academiam destitui pluribus, & sapientibus Magistris, qui sufficiant ad docendum, moderandum Cathedras, educandam iuuentutem, & ornamentum Scholis præstandum, cum vnius, aut alterius discessus, vel amotio parum ex his omnibus minuat, maximè cum quotidie noui Magistri, & Præceptores prodeant. Demùm, esto aliquid splendoris Academię imminueretur ob defectum vnius, aut alterius, sanè hoc sustinendum est propter illiusmet vtilitatem, & maius, ac respectiuè præponderans, Religionis bonum. Sicut, cum Magister celeberrimus vel è viuis decedit, vel ad Dignitatem assumitur, aliquo splendore, & non exiguo ornamento Academia priuatur, & tamen non resistitur, quia interuenit aut ineuitabilis ex

morte

morte defectus, vel ipsius Magistri cõmodum ingens, & aliunde accrescit Academiæ decus ex eius promotione ad Dignitatem; Sic in præsenti casu, si amotio Magistri sit propter culpas eam pœnam exigentes, ineuitabilis moraliter debet cẽseri eius defectus ab Academia; si verò ob Religionis vtilitatem, aut munus ab eo gerẽdum, etiam intercedit commodum ipsius Magistri, & Academiæ splendor augetur.

354 Longiusculè in hac quæstione sum progressus; tum quia hic casus hac nostra tempestate fuit celebris; tum quia hoc dubium, sicut alia non pauca decursu huius tractatus, sine duce ventilaui; nullus etenim Author id disputauit ex his, quos videre curaui; & oportuit, grauem quæstionem non perfunctoriè discutere.

Quæstio XXX. An Religiosi possint regere Cathedras Medicinæ, aut Chirurgiæ, & artem Medicam, aut Chirurgicam exercere? Et an possint artem Iudiciariæ Astrologiæ, & alia diuinationum genera exequi, aut docere?

355 QVIDQVID circa Medicinam statuitur, militat pariter in Chirurgia ob proportionem, respectum, & paritatem rationis. Ad quæstionis ergo decisionem sciẽdum est, Religiosum non posse publicè studio Medicinę incumbere, aliàs incidet in excommunicationem latam *in cap. non magnopere, Ne Clerici, vel Monachi*; vbi sub excommunicationis pœna Alexander III. prohibet Religiosis, ne audiant physicam, cuius voce Medicina intelligitur. Hæc pœna confirmata fuit ab Honorio III. *in cap. super specula, eodem tit. Ne Clerici, vel Monachi*. Non tamẽ eam incurrit Regularis, qui priuatim studet Medicinæ, cum id à Pontifice non caueatur, nec sit incõueniens in priuato studio, quod in publico vitari contenditur. Et ita docet P. Pellizarius *in Manuali Regularium tomo 1. tract. 6. c. 14. n. 13.*

356 Præterea, si Religiosus dimittat habitum, & studio Medicinæ incumbat, tum ipse incidit in excommunicationem, tum Doctores, seu Magistri, qui illum Medicinam docent, ac in scholis retinent; vt extat *in cap. vt periculosa, Ne Clerici, vel Monachi, in 6.* Ille autem dicẽdus est retinere, qui aliquem positiuũ influxum, seu concursum exerceat, rogando, consulendo, defendendo sua authoritate, & fauore, aut aliqua violentia, vt explicant P. Suarez *de censur. disp. 23. sect. 4. num. 36.* Filiuc. *tract. 14. cap. 4. quæsito 11. num. 63.* Plures quæstiunculas circa hanc excommunicationem reperies apud Nauarrum *in Manual. cap. 27. num. 134.* Caietanũ *verbo excommunicatio, cap. 61.* Sayrum *cap. 35. num. 5.* P. Thom. Sanchez *in opere morali lib. 6. cap. 8. num. 92. & sequentib.* Bonacinam *tomo 1. tract. de clausura, quæst. 2. punct. 8.* Archidiaconum, Ioannem Andream, & alios Commentatores prædicti textus *in cap. vt periculosa.*

357 Iam verò ad nostram quæstionem accedendo, asserendũ est, Religiosos docentes Medicinam, aut Chirurgiam non incurrere vllam excommunicationem. Etenim non incurrunt excommunicationem præfatam, vt illicò ostendam; nec vlla alia lata est contra illos; nec lex pœnalis est amplianda, aut extendenda ad illos, qui in ipsa non exprimuntur. Quare hoc assertum defendunt Nauarrus *in Manuali, cap. 27. num. 126. vers. 6.* Toletus *lib. 1. sum. cap. 38. num. 16.* Bonacina *vbi suprà, punct. 7. num. 9.* & apud ipsum ibi Sanctarellus, & Filiucius; necnon P. Suarez *de cens. disp. 23. sect. 3. n. 17.* & apud ipsum Panormitanus, & alij: lex autem pœnalis studentes Religiosos exprimit, non, docentes.

358 Verùm prædictam excommunicationem extendendam esse ad docentes publicè Medicinam, (& consequenter Religiosos non posse Cathedras Medicinæ regere) tuentur D. Antoninus, Syluester, Archidiaconus, Hostiensis, apud eumdem Suarez *vbi nuper.* Mouentur, quia Alexander *in eo cap. non magnopere*, quod in Concilio Turonensi fuit stabilitum, hæc habet; *statuimus, vt nulli omnino post votum Religionis, & post factam in aliquo loco religioso professionem, ad physicam,* (hoc est Medicinam) *legesve mundanas legendas permittantur exire.* Et id sub pœna excommunicationis prohibet.

359 Respondeo, vocem *legendas* non significare in ea constitutione idem, ac *docendas*, sed idem ac *studendas*; quod constat tum ex acceptione non inusitata,

sitata, in qua *legere, & studere*, pro eodē accipiuntur, dum *legere* dicitur, nullo superaddito, vndè innuatur, legere idem esse, ac docere; tum efficaciùs, quia Honorius III qui eam Constitutionem innouauit, confirmauit, imò adauxit, ac extendit, non vtitur verbo *legendas*, sed *audiendas*; vnde constat, mentem Alexandri eamdem fuisse, quam explicat, & interpretatur Honorius *in prædicto cap. super specula*; cuius hæc sunt verba; *Contra Religiosas personas de claustris exeuntes ad audiendas leges, vel physicam, Alexāder Prædecessor noster statuit in Concilio Turonensi, Vt, nisi infra duorum mensium spatiū ad claustrum redierint, sicut excommunicati in omnibus euitentur.* Ecce repetit Constitutionem Alexandri, & eum solummodò contra Religiosos audientes Medicinam tulisse excommunicationem, affirmat.

360 Hinc ex se licitum est, Regulares moderari Cathedras Medicinæ, & Chirurgiæ; Quippè, si eis non prohibitum est, docere Medicinam, nec ea prohibitio in Iure reperitur, non est, cur illas Cathedras moderari non valeant, cum moderari Cathedram, sit docere publicè, obtento stipendio designato, nihilque supra hoc, quod est, docere, superaddat, obtinere Cathedram, quod in Iure prohibeatur; maximè cum aliūde obtinere Cathedras, ac eas moderari, non sit prohibitum in Iure Religiosis, vnde si scientiæ traditio non prohibetur, ex nullo capite, attento Iure communi, illicitum eis redditur, prædictas Cathedras moderari. Quod confirmatur ex doctrina P. Pellizarij, de qua redibit sermo *quæst. sequenti*, docentis, non esse prohibitum Religiosis, accipere Gradum Doctoratus in Medicina; vndè poterunt eam docere, & Cathedras moderari, cum Gradus ille ad hoc præstetur, vt publicè queat docere promotus ad ipsum.

361 Dixi *ex se, & attento Iure communi*, non esse prohibitum Religiosis docere publicè Medicinam, & Chirurgiā, ac diuersas Cathedras, quę in hac Facultate sunt, moderari. Etenim id potest ex alijs capitibus illicitum eis reddi; nempè si prohibitio in Religione detur non docendi publicè vllam scientiam, aut saltem Medicinam; seu non moderandi in Academijs Cathedras; vel saltem non obtinendi eas per Oppositionem, seu accepto stipendio. De quibus consulendæ sunt cuiusque Religionis constitutiones, & Prælatorum præcepta, ac consuetudines præscriptę. In communi autem loquendo, id videtur saltem consuetudine prohibitum, vt Religiosi Medicinam non doceant, nec Cathedras obtineant; cum eorum non sit proprium eiusmodi studium, nec aptum ad finem, c i in Religionibus intenditur; & aliquam decentię speciem respectu habitus Religiosi præferat, quòd quis Medicinæ, & Chirurgiæ edocendis incumbat.

362 Casus autem euenire potest, in quo expediat, Religiosum Medicinam docere; nam pone, Medicum insignē in Religionem fuisse ingressum, & in ea iam Professum; & ob aliquod accidens pestis, belli, aut simile, deesse Medicos, qui suam scientiam edoceant; tunc bonum publicum exigeret, vt ille Religiosus Medicinam edoceret. Cæterùm, quamuis docere Medicinam, communiter ob dicta Religiosis non liceat, tamen arguere licet in Assertionibus, quæ de Medicinæ materijs defenduntur. Et sic solent præstare Regulares Salmantini, qui Gradum Magisterij in Artibus obtinuerunt, quibus pro assistentia ad eiusmodi publicas Assertiones pro Vniuersitate habita sua distributio, seu portio præstatur.

363 Dices tamen contra assertum. Hoc ipso, quòd studium Medicinæ sit Religiosis prohibitum à Pontificibus, videtur etiam pari ratione prohibitum illis, quòd Medicinam non doceant; animus enim Pontificum eò tendit, vt Regulares non occupētur nisi in his, quę eorum professionem conducunt, non autem conducit studium Medicinæ, nec eius doctrinalis traditio. Respondeo, eam legem Pontificiam, vtpotè pœnalem, esse odiosam, & ideò vltra verba ipsius non esse extendendam, nec interpretandum animum Legislatorum. Nec in legibus pœnalibus valet argumentum à paritate rationis, vt omnes fatentur. Deindè disparitas ingens datur in præsenti; nam studium Medicinæ impediret studium Theologiæ, & Scripturæ Sacrę, quod est proprium Religiosorum; & Religiosus, qui se ei studio publicè dicaret, professionem Medici iam indè assumeret, & proprio muneri deesset. At is, qui docet Medicinam, vel eam didicit ante ingressum in Religionem, vel priuatè ei studuit, quin vllam notam offensionis, aut scandali occasionem præstaret, & quin muneri proprio defuerit, in quo non reperiūtur ea incōuenientia, quæ darentur in Religioso publicè studioso Medicinæ.

364 Venio ad secundam

quæſtionis partem, & aſſero, Religioſos nõ poſſe exercere artem Medicam, & Chirurgicam, niſi cum limitationibus infrà ſtatuẽdis. Et enim, etſi expreſsè nullo iure prohibeantur exercere eas artes, niſi cum Chirurgia exercetur cum inciſione, aut aduſtione, tamen hę artes prohibitæ Religioſis iudicantur, eo quòd ſint ſæcularia negotia, quæ, vt dedecẽtia ſtatum Religioſum, cẽſentur prohibita in generali prohibitione, qua Religioſis præcipitur, ne ſæcularibus negotijs tractandis, aut exercendis ſe immiſceant, quæ prohibitio latè continetur toto titulo, *Ne Clerici, vel Monachi.* Et ita docent Armilla *in ſum. verbo, Medicus, num. 4.* Nauartus *in Manual. cap. 25. numer. 111.* P. Thom. Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 14. à num. 18.* P. Pellizarius *in Manuali Regularium tom. 1. tract. 6. c. 14. num. 33.* & alij.

365 Exercitium autem artis Chirurgicę, cum inciſione ſaltem, in iure prohibetur Religioſis, vt conſtat *ex c. tuanos, de homicid.* in quo ſtatuitur, Monachum exercentem eiuſmodi artem cum inciſione, ſecuta indè morte, quamuis debitam adhibuerit diligentiam, eſſe irregularẽ ex eo, quòd deliquerit, artem ſibi interdictam exercens.

366 Limitatur aſſertio primò, ſi cauſa pietatis erga miſerabiles, ſeu cognatas perſonas, & ita vt nullum mortis periculum impendeat, ars Medica exerceatur, & etiam Chirurgica ſine inciſione; & id gratis, nullo accepto ſtipendio, præſtetur, vt conſtet fieri cauſa pietatis. Hanc limitationem admittunt omnes Authores nuper relati. Hinc obiter cernes, quare Medici Sacris Ordinibus initiati diſpenſationem obtineant ad ſuam artem exercendã, nempè ne irregulares fiant, quoties mors ægroti ſequeretur, quãuis adhibuiſſent debitam diligentiam, cum ſanè poſſint, etſi nolentes, cauſam morti ſuppeditare, aut eam medicinis à ſe adhibitis anticipare.

367 Limitatur ſecundò aſſertio, ſi in Religione ſit aliquod priuilegiũ à Pontificibus conceſſum, vt Religioſi in aliquibus caſibus poſsint artem Medicam exercere. Ita Gregorius XIII. conceſſit Societati Ieſu, quòd Religioſi ex illa periti Medicinæ poſſent eam exercere cum domeſticis, vel externis, dummodò alij Medici commodè haberi non valerent, & id fieret cum Superioris licentia, & abſque inciſione, vel aduſtione per ipſos immediatè facienda. Conſtat *ex Compendio priuilegiorum Societatis Ieſu, verbo Medici.* Et hinc confirmatur aſſertio poſita de prohibitione exercitij artis Medicæ; quippè, ſi illud Religioſis non eſſet prohibitum, fruſtraneum eſſet priuilegium, quo indulgetur illius vſus.

368 Ad vltimam partem in quæſtionis titulo propoſitam accedamus. Tenendum eſt, non ſolùm Religioſis, ſed omnibus generaliter abſq; exceptione cuiuſcumque ſtatus, & qualitatis ſint, prohibitum fuiſſe, ne doceant, aut diſcãt, vel exerceant artem Aſtrologiæ iudiciariæ, nec vlla alia diuinationũ genera, niſi vſus illius Artis ſit circa agriculturam, nauigationẽ, & rem medicam. Vt autem conſtet, quid, & quomodo prohibeatur, referam verba Sixti V. in Bulla, quæ incipit *Cæli, & terræ* & extat in Bullario, *tom. 2. cõſtitut. 17. Sixti V.* in ea ſtatuitur; Vt tã contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcumque, iudiciariæ Aſtrologiæ artem, præter quàm, circa agriculturam, nauigationem, & rem, medicam, in poſterum exercẽtes, aut faciẽtes iudicia, & natiuitates hominũ, quibus, de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent, etiam ſi id ſe nõ certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur; quã, contra alios vtriuſque ſexus, qui ſuprà dictas damnatas, vanas, fallaces, & perniciоſas diuinandi artes, ſiuè ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt, quive huiuſmodi illicitas diuinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, & veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta faciũt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cuiuſcumque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi, Prælati, Superiores, ac alij Ordinarij locorum, quàm Inquiſitores hæreticæ prauitatis, vbiq; gentium deputati, etiam ſi in pleriſque ex his caſibus antea nõ procedebãt, aut procedere non valebant, diligentiùs inquirant, & procedant, atque in eos ſeueriùs canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant. Hic aduerte, in Hiſpaniarum Regnis horũ delictorũ cognitionẽ, & punitionẽ priuatiuè pertinere ad Inquiſitores hæreticæ prauitatis ex conceſſione Põtificum; vt in Edictis Sanctæ Inquiſitionis quotannis publicè in Eccleſijs Matricibus legitur, et extat in tranſcripto, quod in omnibus Cõmunitatibus Religioſis vnoquoque anno Feria ſexta poſt Octauã Aſſumptionis Deiparę ex præſcripto ipſius S. Inquiſitionis legitur.

Rursùs

369 Rursùs Vrbanus VIII in Bulla, quæ incipit *Inscrutabilis*, expedita die 31. Martij, anno 1631. & extat *tom. 4. Bullarij, constitutione 113. Vrbani VIII.* confirmans Bullam relatam Sixti V. decreuit, incurrere excommunicationem latæ sententiæ, ac pœnas læsæ Maiestatis, & vltimi supplicij, necnon priuationis Beneficiorum, Dignitatum, & officiorum, ac inhabilitatis perpetuæ ad illa, &, præuia degradatione, Curiæ sæculari tradi puniendos eos, qui consuluerint Mathematicos, Ariolos, Aruspices, Vaticinatores, & Astrologiam iudiciariam exercentes, super statu Reipublicæ Christianæ, aut Sedis Apostolicæ, vel de vita, seu morte Romani Pontificis pro tempore existentis, eiusque quoad tertium gradum inclusiuè consanguineorum; Et item eos, qui huiusmodi Vaticinatorum iudicia, prognostica, prædictiones, seu præcognitiones, etiam sibi oblatas receperint, vel eis quomodolibet vsi fuerint, aut eas apud se sciēter retinuerint, seu alicui ostēderint. Causarum autem huiusmodi cognitionem decreuit ibi Pontifex, spectare, in Vrbe, & eius districtu, ad Vicarium Generalem, & Vrbis Gubernatorē, ac Auditorem generalem Cameræ; extra Vrbem autem ad Cardinales Legatos, & Prolegatos; in alijs verò partibus ad Ordinarios; & vbilibet locorū ad hæreticæ prauitatis Inquisitores; exclusis penitùs Superioribus Regularibus quoad suos subditos.

Quæstio XXXI. An Religiosi possint opponi ad Cathedras Iuris Pontificij, seu Canonici, necnon & Iuris Ciuilis, easque moderari? & vtrùm possint Iuri Ciuili addiscendo operam dare?

Vbi alia dubia de Magistris Regularibus deciduntur, maximè circa essemptiones.

370 AB vltima quæstionis parte inciendo, certum est, Religiosis esse prohibitum sub pœna excommunicationis, publicè studere Iuri Ciuili, seu legibus ciuilibus. Constat *ex cap. non magnopere, Ne Clerici, vel Monachi; capit. super specula, eodem titulo.* Non tamen prohibitum est illis, vt priuatè Iuri Ciuili studeāt. Vide, quę de Religiosis diximus *quæst. præcedenti*, circa studiū Medicinæ, eadem nāque dicenda de eis sunt circa studium Iuris Ciuilis, cum eisdem Pontificum Decretis contineatur simul prohibitio studendi Medicinæ, & Iuri Ciuili; ideoque Authores superiùs relati vtriusque Facultatis studium coniungunt, & de vtroque eodem modo philosophantur. Non tamen extat prohibitio studendi Iuri Canonico.

371 Et quidem rectè prohibetur Religiosis studium publicum Iuris Ciuilis, non verò Canonici, quia huius finis est congruens statui Religioso, nō verò finis illius. Etenim iuxta Aristotelem *lib. 5 Ethicor. cap. 10.* & D. Thomam *1. 2. quæst. 95. art. 2. & quæst. 96. art. 3.* finis Iuris Ciuilis, seu legum sæcularium solùm est humana fœlicitas vitę huius temporalis, quę consistit in vita honesta morali, naturali rationi conformi. Vel vt in procemio Decretalium asseritur; *Lex proditur, vt appetitus noxius sub iuris regula limitetur, per quam etiam humanum genus, vt honestè viuat, alterum non lædat, ius suum vnicuique tribuat, informatur.* Et *cap. factæ distinction. 4.* asseritur leges conditas esse, *vt earum metu humana coerceatur audacia, tuta sit inter probos innocentia, atque in ipsis improbis formidato supplicio, refrænetur audacia, nocēdique facultas.* Itaque ad hanc vitæ naturalis fœlicitatem respiciūt legislatores sęculares, in legum conditione, nec ex se attendunt ad finem supernaturalem; vt latè probat Miranda *in Directorio Prælator. tom. 2. quæstion. 26. art. 2.* Esto plures ex illis Christianissimi sint.

372 At Iuris Canonici finis est fœlicitas æterna, quam bonis operibus consequi speramus, media adimpletione eorum, quæ præcipiuntur à Pontificibus, quibus ad hunc finem datę sunt claues, & ad eumdem instituta est Ecclesia, cuius caput est Pontifex. Itaque in supernaturalem finem dirigit Ecclesia homines mediis suis præceptis, & constitutionibus. Hic finis iuris Pontificij satis insinuatur *in capit. cum contingat, de iure iurando, verbo debet; cap. 2. de constitution. lib. 6. cap. 1. de pactis; cap. quamuis pactum, eodem tit. lib. 6. cap. licet mulieres, de iure iurando, eodem lib. 6. Ex Extrauaganti, vnam sanctam, de maioritat. & obedient. Et ex toto titulo de summa Trinita-*

nitate, & Fide Catholica; in Decretalibus, Sexto, & Clementinis. Ad prædictum finem Concilia fuerunt omnibus sæculis congregata, & sancti Patres, ac Doctores plurima scripserunt, quorum verba, & authoritates in Iuris Pontificij capitibus referuntur.

373 Eodem modo, quo finis Iuris Pontificij, & Iuris Ciuilis inter se discriminantur, etiam differt subiectum vnius Iuris à subiecto alterius; nam subiectū scientiæ Iuris Ciuilis est homo rationalis dirigibilis in bonum sibi proportionatum secundùm rationem, & in bonum cōmune. Subiectum autem Iuris Canonici est homo dirigibilis non solùm in bonum commune, sed etiam in Deum, vt in finem supernaturalem. Quam differentiam tradit Glossa *super cap. 2. de Regulis iuris.*

374 Nec obstat, scientiam Iuris Ciuilis, & Iuris Pontificij reputari eamdem, vt tradimus inferiùs *lib. 3. à num. 139.* & in statutis Academiæ Salmantinæ *titul. 33. §. 53.* asseritur; *Y declaramos por vna mesma Facultad Canones, y Leyes*: Ac satis in id ipsum, etiam circa finem vtriusq; Facultatis, inclinat Ludouicus de Miranda *vbi suprà, quarta conclusione*, esto ad finē illius, & conclusionibus antecedentibus oppositum doceat. Non, inquam, id obstat, quia solùm reputatur eadem Facultas vtrumque Ius in ordine ad aliquos effectus, nempè ad suffragia præstanda ab Studiosis pro Cathedris obtinendis; ad designandas lectiones, quę ab illis audiēdę sunt siuè in vno Iure, siuè in alio velint Cursus litterarios obtinere, & Gradum nanciſci, & ad alia similia; Quippè indubium est, vtramque Facultatem inuicem amicari, & connecti, plurimumque vnam ab alia iuuari. Hoc tamen non tollit, re ipsa diuersam esse, & inter vtriusque finem versari discrimen, quod dedimus.

375 Ex eo autem discrimine oritur ratio, propter quā Religiosis interdictum est, ne publicè Iuri Ciuili studeant, vtpotè non proportionato eorum statui, ac professioni. Sed, quamuis non detur prohibitio respectu studij Iuris Canonici, attamē Religiosi publicè ei non studēt, nec audiunt in Academijs lectiones in eius Iuris Cathedris dictatas; tum quia opportunius ipsis est, Artes, Theologiam, & Scripturam Sacram addiscere, vt his scientijs apti reddantur ad incumbendum saluti propriarum animarum, & proximorum, medijs ministerijs salutaribus, quæ Religiones exercent; tum quia, dum materiæ Theologiæ eis exponuntur, maximè morales, etiam explicatur Ius Canonicum, & Pontificum, ac Conciliorum sanctiones; vnde audiunt illi, quæ ex Iure Pontificio ad proprium institutum spectant, quin opus sit propria eius Iuris gymnasia frequētare.

376 Cęterùm leges humanæ, quæ prohibentur Religiosis, seu Ius Ciuile, cuius studium publicum eis interdicitur, est illud, quod in Academijs edocetur, & extat in tres partes diuisum, nēpè in Digestùm, Codicem, & Volumen. Subdiuidi tur autem Digestùm in Vetus, Infortiatū, & Nouum. Continet Digestum Vetus viginti tres libros; Infortiatum verò quatuordecim libros; Digestumque Nouum duodecim libros. Codex nouem libros complectitur. Volumen quatuor distincta opera comprehendit; scilicèt Institutiones Imperiales, vulgò *Instituta*,; Tres libros Codicis supra nouem prędictos; Authenticas; & librum, seu vsum Feudorum. Extat præterea Codex Theodosianus, qui communiter non edocetur publicè; & in vnoquoque Regno datur suum ius ciuile, & id Ius Regni nuncupatur, iuxta quod (cum Iuri Ciuili communi contrariatur) causæ deciduntur. De hoc Iure, legibusq; Regni, saltem in Academijs nostræ Hispaniæ non sunt Cathedræ Institutæ; sed quātum oporteat, eas leges Regni in Academijs exponi, alibi asserimus

377 Iam verò Regulares non posse docere Ius Ciuile, tuetur Pater Pellizarius *in Manuali Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 5. sect. 2. numer. 46.* asserens, eos posse legere omnes Facultates, præter Medicinam, & Ius Ciuile. Sed tamen parùm consequenter loquitur, nam paulò post *loco infrà referendo*, docet, posse Regulares accipere Gradus in Iure Ciuili, ac Medicina, & soluit argumentum, quod opponitur ex Decretis Pontificum constituentium, non posse Regulares studio Medicinæ, & Iuris Ciuilis incumbere. At, si hoc argumentum non tollit, quominùs queant in his Facultatibus Gradum Doctoratus assumere, nec tollet, quòd eas possint edocere. Deinde hic Gradus præstatur, & accipitur ad docēdum cum publico testimonio sufficientiæ, ac doctrinæ; Quare si Gradū accipere possunt, etiam poterunt docere eas Facultates.

378 Tenendum est, esse,

& attento Iure communi poſſe Regulares docere Ius Ciuile, & Cathedras, in quibus legitur, moderari; non autem poſſe, attentis ſpecialibus prohibitionibus Religionum, conſuetudine præſcripta, & ſtatus Religioſi decentia, ac profeſſione. Tota concluſio probanda eſt eodem modo, quo *quæſt. precedenti*, probauimus ſimile aſſertum de Scientia Medicinæ; cum pariter, & ſimul Medicina, & Ius Ciuile in Decretis Pontificum contineantur. Videantur dicta *à num. 357.* quæ non ſunt repetenda. Hinc de facto nequeunt ad Cathedras Iuris Ciuilis opponi, nec eas moderari; ſicut poſſunt ad alias opponi, eaſq; accepto ſtipendio regere, niſi vi ſuarū Conſtitutionum prohibeantur. De his, & pluribus alijs quæſtionibus circa Magiſtros Regulares, & eorum Gradus, & facultatē cōceſſam Societati Ieſu à Pōtificibus ad Gradus conferendos; conſulatur P. Pellizarius *vbi ſuprà tota ſect. 2*

379 An autem poſſint Regulares Gradum Doctoratus in Iure Ciuili (idem dic in Medicina) recipere, quæſtio eſt. Poſſe quidem cum licentia Prælatorū, ſi ante ingreſſum Religionis operam dederunt Iuri Ciuili, aut Medicinę, arbitrantur P. Thomas Sanchez *lib. 6. moral. c. 14. num. 45.* Nauarrus, Calder. Salzedo, Emanuel Rodriguez, Felinus, apud ipſum. Item Pater Pellizarius *in Manuali Regular. tom. 2. tractat. 8. numer. 57.* Mouentur, quia Religioſis ſolummodò eſt prohibita auditio Iuris Ciuilis, & Medicinæ, exeundo extra ſua Clauſtra, vt eas Facultates addiſcant, vt conſtat ex capitibus Iuris Canonici *quæſtion. præcedent. allatis*; diuerſum autem eſt, audire illas, & accipere Gradum in ipſis, nec lex illud prohibens, vtpotè pœnalis, extendenda eſt ad hoc; ſicut in ſimili diximus *quæſtion. præcedent.* diſcrimen intercedere inter audiendam Medicinam, & eam edocendam.

380 Addit P. Pellizarius cum P. Thoma Sanchez, caſu quo Religioſus exiens à clauſtro audiuiſſet prædictas Facultates poſte poſteà de licentia Superiorum Gradum in eis recipere; nam eſto in ea auditione peccauerit, cum prohibitiones violauerit Pōtificias, tamē deinde nulla datur prohibitio in Iure, quo minùs prefatum Gradum recipere queat; & peccatum præcedens non reddit eum inhabilem ad accipiendum Gradum Doctoratus, atque adeò iam ſe habet, ac ſi ante ingreſſum in Religionem dediſſet operam Facultatibus prædictis

381 Opponitur horum Authorum aſſerto Rebuffus relatus à Pellizario, docens, Regulares non poſſe promoueri ad Gradus Magiſterij, ſeu Doctoratus in Iure Ciuili, & in Medicina; imò nec in Iure Canonico, nec in Theologia. Sed, cum ratione generali moueatur, quæ vera nequit eſſe in Gradibus Theologię, & Iuris Canonici, fit, vt ea abſolutè vi careat. Et deinde nihil ex prohibitionibus ſuprà poſitis inferri poteſt contra aſſertum, iuxta dicta, nec aliundè poteſt fundamentum deſumi.

382 Sententia relata, ſi ſemel ponatur, licitè poſſe Superiores prębere licentiam ad eos Gradus aſſumendos, vera eſt. Sed tamen arbitror, non niſi in raro euentu, & ſpecialibus concurrentibus circunſtantijs, quæ actionem honeſtēt, poſſe eiuſmodi licentiam tribui. Etenim omnes illę rationes, quibus ſuprà ſtatuimus, Regularibus non licere de facto, quamuis à Iure non prohibeantur, docere Ius Ciuile, & Medicinam, pariter probant, non licere, vt à ſuis Prælatis concedatur licentia docendi, & conſequenter nec aſſumendi Gradum Doctoratus in prædictis Facultatibus, cum Gradus ad docendum ordinetur.

383 Attamen, ſiuè licentia illicitè concedatur, ſiuè quis Gradum abſque licentia accipiat, eſto illicitè operetur, Gradus erit validus, dummodò nullū deſit eſſentiale requiſitū; quia valor Gradus non conſtituitur ex licentia Prælati, & dum adſint eſſentialia ipſius conſtitutiua, licentię Prælati defectus non annullat valorem, quod plurimis exemplis cuique obuijs cōfirmari poteſt. Sic Regularis, qui abſque licentia ſui Prælati Ordinibus initiatur, vel contra prohibitionem ipſius, aliundè approbatus, audit confeſsiones, illicitè agit, & tamen validè Ordines, & confeſſiones ſuſcipit.

384 Emanuel Rodriguez *tom. 2. quæſt. reg. quæſt. 74. art. 3.* aſſert Decretum Innocentij VIII. ſtatuentis, vt nullus Frater Ordinis Prædicatorum Reformatorum, ſiue de Obſeruantia Prouincię, ſeu Congregationis Hiſpaniæ, niſi per Capitulum dictæ Congregationis ſit expoſitus, præſumat ad Gradum Magiſterij in Theologia promoueri, & ſecùs agēs pro nō promoto habeatur, & cenſeatur, inhabiliſque fiat ad Gradum prædictū. Circa quod

Decretum obserua primò, ad alios Regulares non extendi, cum sit pœnale, & consequenter non ampliandum; &, quamuis aliæ Religiones gaudeant communicatione priuilegiorum, tamen in earum gratiã id concessum est, atque adeò communicant in fauoribus, non in pœnis. Deindè obserua, non incurrere prædictam pœnam Fratres præfati Sacri Ordinis, non expositos per Capitulum, si ex ignorantia adhuc crassà huius Decreti assumerent Gradum Magisterij; nam verbum, quo vtitur Pontifex, cum id prohibet, nempè vt non *præsumant*, solùm comprehendit eos, qui ex ingenti temeritate operantur; quippè, quotiès pœna indicitur contra præsumentes, solùm incurritur operando ea cum temeritate, vt docet Pater Thom. Sanchez *lib. 9. de matrimon. disputat. 32. à numer. 38.* P. Castro Palao *tractat. 16. disp. 4. p. 13. §. 6. numer. 2.* Pater Pellizarius *vbi suprà, num. 58.*

385 Obserua demùm, per id Decretum apponi requisitum essentiale ad valorem Gradus, ita vt præsumens Magisterium assumere, quin à Capitulo sit expositus, inualidè promoueatur; id enim significat, quod pro non promoto habeatur. Etenim Pontifex potest apponere aliquod requisitum essentiale ad valorem Gradus, siuè is concedatur authoritate Pontificia, siuè Regia, vel vtraque simul; nam, si authoritate Pontificia cõcedatur, sicut ab ipso pendet Facultas concedendi illum, ita & potestas negandi; negat autem eis, qui præsumunt sine licentia Capituli ad Gradum promoueri; atque adeò Magistratus Academiæ, aut quisvis alius, qui immediatè Gradum concessit, absque vlla id præstitiurisdictione, ac potestate, vtpotè denegata à Pontifice, à quo dimanat; & consequenter Gradus est inualidus, nimirùm absque vlla potestate concessus. Quòd si sola authoritate Regia Gradus concedatur, adhuc Pontifex potest Regulares sibi omnimodo subiectos reddere incapaces ad illum suscipiendum ex defectu alicuius requisiti; incapaces autem reddit eos, qui ex præfata Sacra Congregatione absque licentia Capituli præsumunt ad Gradus Magistri in Theologia promoueri; Gradus autem concessus subiecto incapaci inualidus est, quia essentialiter requirit capacitatem ex parte subiecti; vndè incapacitas, quocumque ex capite proueniat, facit, ne Gradus sit validus. Sic, si Gradus concederetur infanti, fœminæ, amenti perpetuo, aut similibus, esset inualidus ob incapacitatem subiectorum.

386 Verùm ex his nihil sequitur contra dicta superiùs circa valorem Gradus accepti sine licentia Prælati Regularis; nam, vbi simile Decretum Pontificium prohibens non datur, licentia illa non est requisitum essentiale ad Gradũ, cum potestas concedendi Gradus non dimanet à Prælato, sed à Pontifice, & à Principe Supremo; nec Prælatus potest reddere subditos incapaces ad Gradum accipiendum, sicut nequit reddere eos incapaces ad alia munia obeunda, confessiones audiendas, & alia similia præstanda, nam hæ incapacitates ad munera, aut Gradus, qui immediatè non subsunt sub Prælatorum dispositione, à Suprema Authoritate debent constitui, designatis requisitis, quæ capacitatem comprehendant, & quorum defectus incapacitatem afferant.

387 Ad Ius Canonicum, seu Pontificium deueniamus. Id est constans, posse à Regularibus edoceri, eosque valere moderari Cathedras eiusmodi Iuris, ad easque opponi, & in illo Gradum Doctoratus accipere. Ita docent plures apud Patrem Thomam Sanchez *lib. 6. oper. moral. capit. 14. numer. 44* P. Pellizarius *in Manuali Regularium tom. 2. tractat. 8. capit. 4. sect. 2. numer. 57.* Quippè nullo Iure ea omnia Regularibus prohibentur. Quare de facto Regulares aliqui vel Cathedras Iuris Canonici moderati sunt, vel ad eas obtinendas oppositionem instituerunt, quamuis id non frequenter acciderit.

388 Limitanda verò est cõclusio, quòd prædicta liceant, Iure communi attento, nam iuxta speciales Sacrorum Ordinum Sanctiones, ac consuetudines, (vt suprà diximus *num. 351.*) vnaquæque Religio ad sui rectam gubernationẽ circa hęc habet specialia statuta, quibus stabidebet. Et in nostra Societate Iesu nullus potest ad Cathedras opponi, cuiuscumque sint Facultatis; An autem eas absque oppositione moderari in Academijs queãt & alias quæstiones similes, latè discussimus *lib. 1. à num. 435.* Et communiter Regularis nullus Ius Canonicum docet, nec Cathedras illius moderatur, nec in eo Gradum suscipit; Etenim, quamuis non interueniant illę speciales rationes æquitatis, decentiæ, ac proportionis, quæ ad nõ docẽdum Ius Ciuile, & Medicinam dantur, & superiùs à nobis sunt libatæ, tamen studium

dium Iuris Canonici non omnino proportionatur statui Regularium, nisi quatenus ad Theologiam moralem, & casus conscientiæ decidendos conducit; Regularium namque propria, & aptior Facultas discenda est Theologia Scholastica, expositiua, & Moralis, necnon Philosophia, quę est primum fundamentum. His sanè scientijs præditi ad sua ministeria in commune bonum Ecclesiæ, ac Fidelium redduntur aptiores, atq; adeò eis præcipuè incumbūt. Quod omnium animis ita persuasum est, vt eas solas scientias ad Regulares pertinere arbitrentur, & mirentur, si fortè quē ex illis aliquod dubium ex Iure tractantē audiant. Priuatū autē studium Iuris Canonici, maximè in his, quæ ad dubia moralia decidenda spectant, opportunum valdè est Regularibus, præcipuè Theologiæ Professoribus, & his, qui casibus conscientiæ decidendis frequenter incumbunt.

389 Vtilissimum autem est, Regulares ministerio incumbere docendi scientias prędictas, necnon Grammaticam, Rethoricam, Linguam Hebræam, & Græcam, Mathematicam, similesq; Artes; Quidquid enim est in eo munere, per se loquendo, est virtuti conforme, aptumque ad propriam, & proximi charitatem fouendam; Quòd si aliqua incommoda dentur, sanè accidentaria sunt, & ad ea vitanda ratio ipsa status Religiosi maximè inseruit; & si quid mali ex humana fragilitate irrepit, compensatur satis ex abundanti fructu ex eo ministerio redundante. Ita P. Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 5. cap. 4. num. 7.* Hinc Pontifices Paulus III. Iulius III. Pius V. Gregorius VIII. & Paulus V. per Bullas Apostolicas approbarunt, & summè commendarunt id ministeriū docendi in Societate Iesu, quę ad illud fuit instituta, vt ipsi Pōtifices aiūt.

390 Nunc dubitabis primò, an Magistri, seu Lectores in Religionibus sint eo ipso exēpti à Choro? Lezana *tom. 1. cap. 18. num. 70.* asserit, stando Decretis à Clemente VIII. & ab Vrbano VIII. confirmatis, solùm his diebus, quibus legunt (sicut Concionatores diebus, quibus concionantur) esse exemptos. Notat tamen P. Pellizarius *vbi suprà num. 61.* commissum esse Prælatis Regularibus, vt possint cum illis dispensare in assistentia ad Chorum illis diebus, sed non teneri Prælatos ad dispensandum; Aiunt enim Pontifices, *Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, ijs tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possunt.* Non tamen ita strictè intelligenda sunt hæc Decreta, vt sumantur dies mathematicè, ita vt si dies intercedat, in quo non legatur, non fruātur eo die Lectores priuilegio posito. Etenim, quoties indulgetur priuilegium Magistris, vel Lectoribus ea conditione, vt illo non fruantur, nisi actu legant, non excluditur, quin illo gaudeant diebus feriatis interuenientibus, & tempore vacationum, quo studeant, & præparantur, vt posteà legant. Sic censet Peyrinus *tom. 1. priuil. Constitut. 2. Iulij II. §. 5. num. 21.* Et, cum hæc sit materia fauorabilis, ampliari debet, atque adeò tuetur Lezana *tom. 2. cap. 13. num. 42.* id priuilegium extendendum esse ad eos, qui edunt libros in lucem, vel munus habent resoluendi casus conscientię; nam dictio taxatiua in Decretis non excludit casus consimiles; & prædicti ita indigent tempore ad studēdum, ac hi qui actu legunt, et ipsi etiā actu legere valent.

391 Cui tamen resolutioni ego limitationem apponerem, ne occasio præbeatur, vt plures velint censeri, se ad libros in lucem edendos studium parare, indeq; exemptionis à Choro dispensationem extorqueant; Nempè quòd eius sint probatæ doctrinæ, vt libri possint ab eis edi, qui vtilitatem, & splendorem comparent; vel iam alios ediderint communi approbatione commendatos; aut à Prælatis eis sit iniunctum, vt eos edant. Id etiam, quod asseritur de resoluentibus casus conscientiæ, intellexerim de his, qui ad hoc sunt à Prælatis deputati in locis, in quibus frequenter casus ab eis decidendi afferuntur. Sed sanè in Sacris Ordinibus præscriptum iam est, quibus concedenda sit exemptio à Choro, tum propter ministeria prædicta, tum propter alias causas. Nec huic consuetudini, censendum est, resistere (si ea detur) relata Decreta Pontificū, nam de eis dubitat P. Pellizarius *vbi suprà*, an sint in vsu; & non esse, suadebitur, si de facto detur consuetudo contraria, & Prelati Regulares dispensent cum alijs non contentis in eiusmodi Decretis.

392 Dubitabis secundò, an expediat, in Religionibus concedi aliquas exemptiones, & priuilegia Magistris, Lectoribus, alijsq; Viris insignioribus? Respondeo cum Portel *part. 2. respons. mor. cas. 31. num. 18.* & P. Pellizario *vbi suprà num. 64.* (quorum verba in hac resolutione

transcribam) secundùm se, non expedire, si attendatur ad maiorem perfectionem status Religiosi; at videri expedire, suppositâ humanâ fragilitate, & conditione Cõmunitatum, in quibus non omnes sunt perfecti, sed aliqui minus perfecti, reperiũtur; dũmodo exẽptiones nõ sint immoderatę. Quare Bartolus allatus à Sylucstro, *verbo expensæ, num. 3.* docet, secundùm ius, & rectam rationem, Abbatem melius debere vestiri, & cibarijs melioribus vti, quàm Monachum; & Magistrum in Theologia, quàm alios non Magistros, & Lectorem, quàm Scholarem. Tum quia summa, & mathematica æqualitas inter Religiosos est summa inæqualitas, & confusio; tum quia in ipso corpore humano non omnia membra sunt æquè nobilia, & æqualia; Indeque in Iure Ciuili septuagenarij liberantur ab onerosis officijs, quia par est, vt exemptio ętati tribuatur. Et quidem natura hominis, nisi spe præmij, ac remunerationis alliciatur ad tolerandos grauissimos studij labores, citò deficit, & fatiscit, nec de adquirenda scientia nimis sollicitatur, ex quo maiora incommoda emanant, quàm ex aliquarum exemptionum concessione. Vtinam omnibus is esset animus, eaque mens ineesset, quæ inerat Angelico Præceptori Diuo Thomæ, qui interrogatus à Domino, quam mercedem pro tot laboribus in studendo toleratis optaret, respondit; *Non aliam Domine, nisi te ipsum;* Sed cum non cuncti eo sint expedito animo, videtur expediens, aliquas prædictis exemptiones, & priuilegia concedi.

393 Dubitabis tertiò, an hoc ipso quòd Regularis obtineat licentiam à suo Prælato, vt locum Academiæ petat studiorum causa, censeatur habere simul licentiam ad accipiendum Gradum, etiã Magisterij, aut Doctoratus, absolutis studijs? Nauarrus, Surdus, Felinus, quos refert, & sequitur P. Thom. Sanchez, *lib. 6. oper. mor. cap. 14.* censent, habere eam licentiam ad Gradum accipiendum, & quidem ipsius Religionis impensis, nisi hæ sint ingentes; quia sub prima concessione facultatis aduentandi ad Academiã, studiorum causa implicitè continetur secunda, quasi ei connexa, & consequens. P. Pellizarius *dict. tom. 2. Manual. Regular. tract. 8. cap. 4. sect. 2. num. 60.* docet, consuetudini vniuscuiusq; Ordinis standum esse, & menti interpretatiuæ Superioris mittentis ad studia; nam, cum susceptio Gradus Magisterij, vel Doctoratus sit res grauissima, non videtur venire sub ea concessione facultatis eundi ad studia; & in generali concessione non veniunt ea, quæ vero similiter non esset concessurus Superior in specie, vt ex tritâ iuris regula colligitur. In nostra Societate Iesu necessaria est facultas Præpositi Generalis, vt quis ad Gradum Magistri, aut Doctoris in Philosophia, aut Theologia promoueatur, vt constat *ex 4. parte Constitutionum c. 6. §. 10. & 17.* Inter sententias nuper positas non multum reperio discrimen; cum Authores, quibus videtur opponi P. Pellizarius, non velint, inclusam esse secundã licentiam accipiendi Gradum in prima eundi ad studia, si consuetudo contraria sit in Religione; nam hoc ipso quòd ea sit, nequit censeri inclusa. Sed solùm iudicãt, eam esse mentem interpretatiuam Superioris, dum aliud non constet; &, quando ea mens interpretatiua datur, non dissentit à præfatis Authoribus P. Pellizarius.

364 Apud eumdem P. Pellizarium loco relato reperies alias quęstiones, quas consultò omitto, cum nec sint nostri instituti, vel non multum præferant difficultatis, nempè Quinam ordo constituendi studia inter Regulares videatur cõmodior, & opportunior? Quæ ratio docẽdi in eorum Scholis vtilior appareat? An oporteat, sequi vnũ determinatum Doctorem in sententijs edocendis? Quibus medijs foueri queant studia inter Regulares? Et alia dubia his similia, necnõ alia, quæ cursu huius tractatus nos differimus.

Quæstio XXXII. An causa studij sint sufficiens in his, qui tenentur ad recitãdum Officium Canonicum, vt commutent vnum Officium pro alio?

395 QVAMVIS hæc quęstio etiam sit communis Scholaribus, qui ad recitandum Officium Canonicum tenentur, tamen eam hoc loco subiungimus, quia frequẽtior est hæc obligatio ratione Ordinis Sacri, aut Beneficij Ecclesiastici in Magistris, & Professoribus, quàm in Studentibus sæcularibus; & prætereà Studij occasiones vrgentiores in illis, quàm in his dantur.

Sup-

396 Supponit quæstio, aliquod leuamen dari in commutatione Officij; nempe, si iuxta Ecclesiæ præscriptum Officium sit de Dominica, aut de Vigilia, vel de Feria, maximè quinta, aut de Sabbatho, cum longius sit, quàm alia Officia, v. g. de Sacramento, aut de Communi vnius Martyris, vel Confessoris, præcipuè si Duplex recitetur, sanè & leuamen datur in breuiori Officio recitando, & minus tēporis insumitur. Quæritur ergo, an studij causa sit sufficiens, vt licitè recitetur Officium breuius, omisso longiori ab Ecclesia designato?

397 Supponit etiam quæstio, posse esse causam, ob quam sit licita ea commutatio, aliàs non esset quęstioni locus. Et quidem absolutè non esse peccatum mortale, etiam absque causa sufficienti, commutare vnum Officium pro alio, tuetur Diana *part. 2. tract. 12. resol. 3. & part. 7. tract. 11. resol. 7.* afferens pro hac sententia quatuordecim Authores; Et ratio est, quia ea mutatio nō pertinet ad substantiam recitationis, quæ moraliter est æquiualens, sed ad modum, quem immutari, peccatum lethale non est; imò, si causa sufficiens detur, non erit veniale. Scio, P. Suarium iudicasse, culpam mortalem esse, eam mutationem semper, aut communiter facere, non verò, si vna aut alia vice fiat. Sed saltem probabilis, & tuta est in praxi sententia proposita, & eam nunc suppono, non vendico. Illius tamen Defensores excludunt Officium Paschatis Resurrectionis, quod nequit loco alterius per annum recitari; Et benè; Etenim illius Officij breuitas non potest censeri moraliter æquiualens Officio Dominicæ, Feriæ, aut cuicumq; alteri, adque adeò mutatio fieret non solùm circa modum, sed circa substantiam. Deinde illud Officium designatum est ab Ecclesia, quasi per modum priuilegij, attendendo tum ad solemnitatem Paschatis, tum ad præstandum aliquod leuamē Ecclesiasticis, qui in Quadragesima, & in Hebdomada Maiori lōgioribus Officijs, & assistentiæ ad Ecclesiam incumbunt. Quare id Officium non debet vlteriùs extendi, cum sit veluti priuilegium, & per annum non detur causa, propter quam illud fuit institutum.

398 Non tamen defuit, qui assereret, etiam in Officium Resurrectionis posse absque mortali peccato mutari Officium Canonicum per annum. Ita Caramuel apud Dianam *vbi suprà*, qui assentis aliquibus non destituitur. Mihi profectò nunquam potuit hæc opinio probari, tum ob nuper dicta, tum quia occasionem prębet, vt plurimi (ea est humana fragilitas, & tædium circa res spirituales) eam mutationem faciant, cum sit in breuitate discrimen ingens; indeq; Ecclesiæ præscriptum circa designationem Officij Canonici singulis diebus recitandi euaneſcet; quod graue inconueniens debet censeri; et id non sequitur in mutatione vnius Officij in aliud, quod non sit Resurrectionis, quia cū plurima sint æqualia, non adest in mutione leuamē, atq; adeò non præbetur occasio, vt adeò frequēter mutatio fiat; et cum sit ferè æquiualens vnum Officium alteri, non inuertitur ordo ab Ecclesia constitutus, notabiliter.

399 His positis, assero, causam studij, per se loquendo, non esse sufficientem, vt licitè, & absque peccato venia li Officium Canonicum mutetur. Etenim nque studens ea lassitudine premitur, qua nequeat commodè Officium proprium diei recitare; nec multum temporis insumitur in recitatione vnius Officij præ alio, ita vt incommodum sequatur ex defectu temporis ad studendum; satiusq; est, illud exiguum tempus, in quo excessus esse potest, diuino cultui, quàm studio, impēdere. Et sicut studium ex se non est causa sufficiens ad non implenda alia præcepta Ecclesiastica eo modo, quo adimpletio ab Ecclesia pręscribitur, ita nec est ad nō recitandum Officium Canonicum, seruato modo, qui ab Ecclesia designatur.

400 Dixi, *per se loquēndo*, nā in aliquibus casibus causa studij potest esse sufficiēs, vt quis licitè mutet Officiū, & ea videtur posse tradi regula generalis, quòd tunc quis possit Officiū mutare, quando ob instantē aliquam lectionem, aut actum litterarium debet plurimum temporis impendere studio, & vel ei commodè non vacat, Officium longius recitare, vel fatigatione premitur, qua nisi cum incommodo nequit illud recitare, esto possit aliud breuius. Nec expectandum est incommodum graue, hoc enim si detur, absolutè quis à Recitatione excusatur, cum præcepta positiua non obligent cum graui detrimento; sed sufficit, dari incommodum, aut fatigationem, cui ęqua ratione aliquod debeatur leuamen. Etenim, vt cum pluribus docet Bonacina *tom. 1. De ijs, quæ ad priuatū Diuini Officij recitationem, &c. disp. 1. quæst. 6. punct. 2. à num. 1.* Grauis occupatio honesta,

neſta, & neceſſaria, quæ in aliud tempus commodè differri non poſſit abſq; ſcandalo, aut peccato, vel detrimento ſui, aut proximi, excuſat à recitatione Diuini Officij. Aſſerit tamen, anticipatè debere recitari, ſi occupatio id permittat; nec voluntarie, & abſque iuſta cauſa poſſe ſuſcipi negotium incompoſſibile cum Recitatione Officij Diuini. Cæterùm quando deobligentur Magiſtri, & Profeſſores à ſolutione Diuini Officij, in ſuperioribus egimus.

401 Ex dictis videtur, iuſtam eſſe cauſam ad mutandum Officiũ, ſi quis extemporaneè legat, eo die, quo parat lectionem, & eo, quo illã legit; eo etiã, quo Aſſertionibus publicis fert patrocinium, aut eas defendit; atque etiam eo, quo examen rigoroſum ſubit ad Gradum Licentiatus, & in alijs ſimilibus; quia ex ſe non modica inde euenit fatigatio animi, & mẽtis, quæ ſaltem ſit ſufficiens cauſa mutandi Officium Canonicum; quòd ſi aliquis nullam inde laſſitudinem ſentiat, ceſſabit ratio, quæ eam mutationem licitam reddit. Aliquando etiam contingit, Scholarem aliquem, vel quia non rectè didicit modum recitandi, vel quia ob recitandi tædium in periculo non ſatisfaciendi huic obligationi verſatur, rectè monendum fore, & ei conſulendum, vt aliquod Officiũ determinatũ quotidie ſoluat; ſic enim facilior ei via aperitur, vt paulatim aſſueſcat adimpletioni ſui muneris, tædium deponat, & modum recitãdi perfectè addiſcat; ſimulq; eſt inſtruendus, debere poſtmodũ Eccleſiæ præſcripto ſtare. Erit autem penes Confeſſarium, aut Virum doctum diſcernere, quando, & reſpectu quorum, ac per quod temporis ſpatium id debeat moneri, & conſuli, id intendendo, vt peccata vitentur, & aliquod leuamen indulgeatur, attentis omnibus circunſtantijs. Hic obſerua, Clementem VII. in Bulla expedita die 10. Octobris, anno 1532. conceſſiſſe Academiæ Salmãtinæ, vt omnes ſtudioſi, & Academici, qui tenentur ad Officium Diuinum perſoluendum, ſatisfaciant obligationi, recitando Officium, quod in Curia Romana recitatur; quamuis ipſi aliũde vel ob ſuæ Religionis Conſtitutiones, vel ob aliam cauſam (ſi quæ ſit) ad recitandum teneantur aliud Officium ſpeciale, ac diuerſum ab illo.

(?)

Quæſtio XXXIII. An excommunicatus, licitè, & validè poſſit promoueri ad Gradum Magiſterij, aut Doctoratus; & ad Cathedram moderandam? ac ad Collegij Togam?

402 PROHIBITA eſt excommunicato (nempè maiori excommunicatione) omnis communicatio, dum non adſit ratio ſpecialis aliqua vtilitatis, neceſſitatis, obſequij, aut legis, quæ excuſent communicationem à culpa. Inde ei etiam eſt prohibita omnis cõmunicatio forenſis, niſi in aliquibus caſibus, ſeu omne miniſterium ſpectans ad forum Eccleſiaſticum, aut ſæculare. Præterea excommunicatus non eſt capax recipiendi Beneficium Eccleſiaſticum, nec eligi poteſt ad munus, quod iuriſdictionẽ, adhuc temporalem, includat. Quæ, & alia his affinia ſupponenda ſunt ex communiori doctrina Authorum, dum de effectibus excommunicationis tractant. Hinc quæſtio propoſita inſurgit, & eam ſequentibus aſſertionibus elucidabimus.

403 Aſſero primò, excommunicatum validè recipere Gradum Licentiatùs, Magiſterij, aut Doctoratus in quacũque Facultate. Ita docent Hugolinus *de excommunicat. maiori, tabula 2. cap. 18. §. 1.* Ioannes Gutierrez *tom. 3. Canonicarum quæſt. cap. 83. num. 15. pag. 435.* Decius *in cap. intelleximus, de iudicijs num. 2.* Cardinalis, & Ioannes Andreas, quos refert, & ſequitur P. Suarez *tom. de cenſuris, diſp. 16. ſect. 2. num. 4.* Probatur, quia hi Gradus nullam iuriſdictionem includunt, & aliũde nullo Iure prohibetur ſuſceptio eorum excommunicato; ergo nullum extat caput, ex quo valor ſuſceptionis irritari valeat. Etenim excommunicatus validè præſtat plura, vt contractus, teſtamenti factionem, & alia eiuſmodi; ea nimirũ ratione, quia hi actus nec ſunt iuriſdictionis, nec eam continent, & aliũdè non ſunt ei prohibiti, ſaltem reddendo eos inualidos; eſto, ſi nõ interueniat ratio excuſans, illicitè fiant, ſi excommunicatus ſe ingerat communicationi humanæ. Nec obſtat, ſi dicas, Gradus in Theologia, & in Iure Canonico videri ſpirituales, & Eccleſiaſti-

ſiaſticos, atque authoritate Pontificia impertiri. Etenim certum eſt, non eſſe propriè Beneficia, aut Dignitates Eccleſiaſticas, ſumpta voce *Dignitatis* eo modo, quo interdicitur eius receptio excommunicato; &, cum aliundè nullum ſit ius expreſſum interdicens ſuſceptionem eiuſmodi Graduum excommunicatis, non eſt, cur ad id extendamus prohibitiones aliorum munerum, & actionum, quæ in Iure exprimuntur, ac prohibentur.

404 Aſſero ſecundò, excõmunicatum toleratum, cum nempè, qui nec eſt publicus Clerici percuſſor, nec publicè eſt denuntiatus, peccare, dum accipit Gradum, ſed eos, qui cõferunt illum, nullum culpam committere. Ratio eſt, quia excommunicatus nequit ſe ingerere humanæ communicationi; & tolerantia illa non eſt fauor reſpectu eiuſdem, ſed reſpectu cæterorum, nempè vt cæteri non peccent, nec excommunicatione minori innodentur, dum communicant cum illo; vnde conferentes Gradum neutiquam illicitè operantur, ipſe verò illicitè agit, dũ ad accipiendum illum humanę communi cationi ſe immiſcet. Quod tamen limitandum eſt, niſi aliqua neceſſitas, aut vtilitas ſpecialis (quæ ferè ſemper interueniet) in acceptione Gradus detur; id enim eum à culpa excuſabit, ſicut etiam ſimiles cauſæ excuſant à culpa in communicatione humana cum excommunicato non tolerato.

405 Aſſero tertiò, conſequenter ad nuper dicta excommunicatum non toleratum illicitè ſuſcipere Gradum. Quod aſſertum conſtat ex prohibitione communicationis humanæ, quæ ei eſt injuncta ab Eccleſia, niſi detur cauſa excuſans. Inſuper, niſi ea cauſa intercedat, peccabunt (ſcilicèt venialiter) qui ei Gradũ conferunt, & excommunicationem minorem contrahent. Quippè omnibus eſt prohibita communicatio cum excommunicato non tolerato, & ob communicationem cum illo excommunicatio minor incurritur; in collatione autem Graduum communicatio humana interuenit.

406 Aſſero demùm, ligatum excommunicatione minori nullo modo peccare accipiendo Gradum. Quippè excommunicatio minor non tollit humanã communicationem, quę in Graduum ſuſceptione datur; vt omnibus Authoribus eſt in confeſſo, dum de effectu minoris excommunicationis agunt. Nec obſtat *lex 5. tit. 9. partit. 1.* in qua duæ ſpecies communicationis apponuntur, alia, quæ priuat Sacramentorum participatione; alia, quæ hominum communicatione priuat; nam, vt ait P. Suarez *de cenſur. diſp. 24 ſect. 1. n. 1.* non agitur ibi de cenſuris propriè, ſed de pœnis quibuſdam, aut interdictis, quæ homines ſeparant ab hoc, aut illo munere, ſiuè actione. Nec prętereà obſtant aliqua Iura Canonica, nempè *cap. placuit, diſt. 18. cap. 1. diſt. 34. cap. vlt. diſt. 58. cap. In loco, 5. quæſt. 4. cap. Epiſcopi, 11. quæſt. 3. & vlt. 6. quæſt. 2.* In quibus contenderunt aliqui, excommunicationem minorem contineri, & tamen in eis Iuribus prohibetur cõmunicatio tàm ſacra, quàm humana, ſaltem cum determinato perſonarum genere. Quippè ibi non continetur propriè vlla excommunicatio, ſed pœna quædam, qua in negotijs, vel miniſterijs ſeparabantur á communicatione cum alijs, vel cum determinatis perſonis hi, quibus pœna eiuſmodi infligebatur. Et ita notauit Gloſſa *in relato cap. placuit, diſt. 18. & in cap. 1. diſt. 34.* Imò in antiquis Iuribus vox *excõmunicationis* interdum ſumitur, non pro cẽſura, ſed pro alijs pœnis, nempè pro priuatione ſumptionis Euchariſtiæ; vt accipi videtur *in cap. Nemo, 11. quæſt. 3. & in c. Presbyterorum 1. 7. quæſt. 4.* Et ſic exponit Victoria *caput, Engeltrudam, 3. quæſt. 4.* agens de hac materia, *in ſumm. in mater. de excommunicat. num. 1.*

407 Ex dictis liquidò infertur, excommunicatione maiori, vel minori innodatum, adhuc non toleratũ poſſe eligi ad Cathedram moderandã. Quippè Cathedræ moderatio non continet iuriſdictionem, nec exercitium illius, & prætereà non eſt Beneficium Eccleſiaſticum, aut Dignitas, nec extat aliqua prohibitio in Iure circa idipſum. Idem dicendum eſt de Toga Collegij cuiuſuis, poſſe ſcilicèt eligi in Togatum eum, qui eſt excommunicatus, propter rationes *ſuprà* appoſitas, quæ omnino hic ſunt aptandæ. Quod verum eſt, quamuis Collegium eſſet Eccleſiaſticum; nam, per admiſſionem in id Collegium non accipit quis aliquod Beneficium, aut Dignitatem Eccleſiaſticam, ſed ſupponitur iam ipſe Ordinibus, minoribus, aut maioribus (iuxta Collegij ſtatuta) initiatus, vel ipſum Collegium ex propria Fũdatione, omnibus requiſitis concurrentibus, Eccleſiaſticum eſſe ſupponitur, & foro iuriſdictionis Eccleſiaſticæ gaudens.

Imò

408 Imò addo, poſſe excõmunicatũ eligi validè, vt aſſumat in Collegio Togam Capellani. Etenim, licèt hæc toga ſit ex munere ſuo Eccleſiaſtica, quia ei eſt annexum aliquod Eccleſiaſticũ miniſterium, tamen nec eſt Beneficium, nec dignitas Eccleſiaſtica; ſed Toga quædam præſtanda cum onere exequendi miniſteria Eccleſiaſtica, vt celebrandi Miſſas per ſe, vel per alium, & aliqua ſimilia exercendi, quin habenti eam Togam concedatur ius percipiendi aliquos fructus, vel redditus Eccleſiaſticos, quale conceditur omnibus his, qui Beneficia, præſtimonia, Capellanias, aut Penſiones Eccleſiaſticas obtinent. Quare Togati Capellani non tenentur perſoluere Officium Canonicũ, aut paruum Beatæ Virginis ex vi Togæ, quam retinent, niſi aliunde ad id adſtringantur.

409 Et quia de Collegijs Eccleſiaſticis incidit ſermo, circa eã quæſtionem, an Collegia ſint Eccleſiaſtica, vel ſæcularia; de qua egi *lib. 1. quæſt. 8. §. 3.* & circa illud dubium, an Collegium Maius Ouetenſis Sãcti Saluatoris Salmantinum ſit Eccleſiaſticum, necne; quã attigi *lib. 1. à. num 255.* & latè, ac eruditiſſimè diſcuſſa inuenietur ad finẽ huius Operis in Epiſtola, quam mihi ſcripſit clariſſimus D. Alfonſus Vazquez de Prada eiuſdem Collegij Togatus, ſingularem circa conſtitutionem Collegij Eccleſiaſtici locum obiter obſeruaueris, qui eſt, vt aiunt Practici, *in terminis terminantibus*. Controuerſum fuit apud Rotam Romanam, an Collegium Ghiſleriorum Mediolanenſe eſſet Eccleſiaſticum? Atque eſſe merè laicum, & iuriſdictioni ſæculari ſubditum, inde probari contendebatur, quia Pontifex in Bulla erectionis reliquit illud ſub protectione Principis Mediolanenſis; & ad fundationem conſenſum præbuit Senatus itidem Mediolanenſis, addens, *Attento, quòd memoratum Collegium futurum eſt merè laicale, ac ſubditum iuriſdictioni ſæculari, &c.* Nihilominus fuit in Rota deciſum, id Collegium eſſe Eccleſiaſticum. Primò, quia Pontifex in Bulla præfata illud ſibi ſubiecit, & exemit à iuriſdictione ſæculari. Secundò, quia iuxta ſtatuta facta à Protectore ipſius Collegij, omnes degentes in illo debebant eſſe Clerici, & Eccleſiaſtici; ipſeque Rector, & etiam Protector gaudens iuriſdictione circa illud, Eccleſiaſtici etiã erant; bona item illius Eccleſiaſtica. Tertiò, quia negari non poterat, Collegium illud eſſe locum pium, nam fuit erectum authoritate Pontificia, habebatq; Eccleſiam; & finis ſtudiorum eſt cauſa pia, ac recipiẽdi in illud erãt pauperes: piã autem cauſam gaudere priuilegio Eccleſiæ, ex Iure conſtat. Cæterùm contrariæ rationes nihil obſtant; cum protectio Principis ſæcularis non tollat iuriſdictionem Superioris Eccleſiaſtici, nec probet Superioritatem Principis circa Eccleſias, ac earum iura, & bona, cum Chriſtiani Principes ſint ipſo iure Protectores Eccleſiæ, iuxta *Clementin. 1. §. ergo. de iureiurando*. Deinde verba Senatus Mediolanenſis nihil euincunt, quia nequiuit præiudicare iuri Eccleſiaſtico; & vox, qua fuit vſus, *futurum eſt merè laicale*, non poteſt officere, cum ſuper futurum, iuxta vulgata Iura, non valeat fieri fundamentum; Et demùm obſeruantia ſubſecuta fuit contraria, quæ ſuſtulit ambiguitatem iuxta *cap. cum dilectus, de conſuetud. leg. minimè, ff. de legib.* Hanc Rotę deciſionem, his rationibus, & ſolutionibus, necnon pluribus Authoribus fulcitam affert Marius Antoninus Maceraten, *in varijs Practicabilium rerum reſolutionibus, lib. 1. reſolut. 6.*

Quæſtio XXXIIII. An Regulares, Magiſterij, aut Doctoratus Gradu inſigniti, teneantur poſcere licentiam à ſuo Superiore, quoties domo exeunt ad Actus proprios Academiæ; aut ab eo poſſint compelli ad illam poſcendam?

410 ACTVS proprij Academiæ ſunt Conſeſſus; Aſſertiones publicę pro Vniuerſitate habitę; Aſſiſtentia ad Solemnia Officia in Sacello ipſius Academię; Actus eorum, qui ad Gradus ſunt promouendi: & alij ſimiles. Ad hos confluunt Magiſtri, ac Doctores; necnon ad aliquos ex his Licentiati, de quibus reſpectiuè eadem poteſt inſtitui quæſtio. Alij autem Actus in Academijs exercentur, ad quos nec ratione Gradus, nec alicuius ſtatuti tenentur conuenire Magiſtri, veluti extemporaneæ lectiones Oppoſitionum (niſi etiam ad harum aliquas ab

ipſis

ipſis Magiſtris habitas, ſancitum fuerit aſſtare) Aſſertiones publicæ diuerſarum Facultatum, & alia eiuſmodi, de quibus non ventilatur hoc dubium; cum certum ſit, nullum adeſſe caput, quare non teneãtur Magiſtri licentiam à Superiore depoſcere, ſi velint aſſiſtere, & ad id extra domum ad Academiam progredi.

411 Aſſero primò, huiuſmodi licentiam in generali cõceſſam ſupponi, atque ideò de facto non teneri Magiſtros ad eam in ſpeciali à ſuo Superiore poſcendam. Etenim in omnibus Sacris Ordinibus (Salmanticæ ſaltem, & idem vbique contingere mihi perſuaſum habeo, ſi vbique Salmantinæ Academiæ ſtylus, & tenor obſeruetur) id in vſu, ac conſuetudine extat, vt eiuſmodi licentia non depoſcatur, ſed generaliter conceſſa ſupponatur, conniuentibus omnibus Prælatis, nec vnquam hucuſque repugnantibus; adeò vt in noſtra Societate Ieſu, in qua rigidè obſeruatur forma poſcendi immediatè per ſe ipſos facultatem à Superiore ad egrediendum domo, & declarandi omnia, quæ foris ſunt gerenda, & poſt reditum reddendi rationem eorum, quæ ſunt geſta, Magiſtri facultatem non petant ad exeundum domo, cum ad eos Actus Academiæ pergunt; ſed quia eis ſocius præfixus non eſt, monetur Superior à Bidello, vt ſocios eis deſignet; Et quamuis id Salmãticæ, vbi nuper Gradibus ſunt inſigniti, nõ poſſit ex cõſuetudine domeſtica prouenire, tamẽ quia res iudicatur certiſsima, rationi, ac æquitati conſentanea, & ſic in omnibus Sacris Ordinibus adhuc fuit peractum, æquo iure id ipſum Noſtri ſequuntur, cum præterea ad id moueãt rationes nunc proponendæ.

412 Etenim, cum Generales, aut Prouinciales deſignant aliquem, vt Gradu donetur, & Academiæ aſsiſtat, conſequenter tum ipſi, tum Superiores immediati volunt, vt ille ſuo muneri ſatisfaciat, cum autem ex munere teneatur intereſſe eiuſmodi Actibus, ad eoſque ab ipſa Academia vocetur, et ſtatuta à Pontificibus confirmata, necnon ipſæ Bullæ Pontificiæ eam aſsiſtentiam aut hortentur, aut præcipiant; imò ſæpè à Rectore, aut Magiſtro Scholæ aſsiſtẽtia præcipiatur ſub pœna præſtiti iuramẽti, vel pecuniaria, aut etiam ſub pœna excommunicationis, fit, vt ille abſque noua licentia poſsit, & ſæpè teneatur eos Actus adire: nam ea licentia conceſſa ſuppo-nitur.

413 Rursùs, cum Regularis Cathedram in Academia moderatur, vel aliquam in ea lectionem quotidiè legit, non tenetur poſcere licentiam à Superiore, quoties ad id domo exit, nec vnquam Superiores coegerunt ad eam poſcendam, cum nec ipſi Iuuenes Scholares Religioſi eam depoſcant, vt ad lectiones, & Aſſertiones publicas, quas frequentant in Academia, conueniant; ergo idẽ aſſerendum eſt de alijs Actibus, qui non ſunt minùs proprij Academiæ, quàm ipſæ lectiones, cum nulla ſit inter vtrumque diſparitas. Imò nec Regulares Concionatores, qui in aliqua Eccleſia extra domum concionantur ſingulis, vel alternis diebus Quadrageſimę, à Superioribus ad id deputati, licentiam petunt, quoties exituri ſunt domo ad Concionandum, eo quòd ad id munus iam ſint à Superiore deſtinati, & cõciones ſint Actus illorum proprij. Idem autem contingit proportionatè in Magiſtris; non ergo deterior debet eſſe eorum conditio.

414 Et quidem id etiam æquitas exigit, ne eo grauamine poſcendi quotidie licentiam vexentur Magiſtri, cũ ſolùm exeunt ad ſui muneris officia exequenda, & ad aſsiſtendum Actibus, in quibus aſsiſtentia non ſolet eſſe nimis iucunda, vel ob temporis prolixitatem, vel ob alias circunſtantias. Nec militat ratio in his, quæ in alijs euentibus, vt licentia ſpecialis à Superiore poſcatur, ſicut ex terminis ipſis eſt manifeſtum. Quin fieret, vt plures Magiſtri non cõcurrerent ad Conſeſſus Academiæ, alioſque ſimiles Actus, ſi cogerentur ſemper poſcere licentiam; dum enim aliunde ipſa Academia eis id non præciperet, nollent incommodum poſcendi licentiam ſuſtinere, nullo, vel exiguo ſecuto emolumẽto; indeq; deſtituerentur Actus proprij Academiæ Magiſtris, eique itrogaretur damnum, iuſtèque ipſa poſſet conqueri, ſe eſſe deſtitutam ob moleſtiam Magiſtris ſuperadditã, cum potiùs leuandis eis, quàm opprimendis debeant Superiores inſiſtere, quantum Religionis ſtylus, & norma patiatur, ſi quidem ex eorum labore, ac traditione doctrinæ ipſi Religioni ſplendor accreſcit.

415 Denique nullum eſt fundamentum, quod conſuetudinem præfatam exeundi domo ad prædictos Actus, non petita à Superiore licentia ſpeciali,

ſed ſuppoſita, labefactet. Dices, Clementem VIII. & Vrbanũ VIII. expediniſſe Bullas, quibus omnino Religioſis prohibebãt licẽtias habituales, ſeu generales exeũdi, domo, & iniũ gebant, nõ aliter, niſi perita, & obtenta facultate, poſſe exire. Reſpondeo primò, omnibus eſſe conſtans, has Bullas ad inſtantiam aliquorum expeditas non fuiſſe receptas; atque adeò alia, quæ in eis continebantur, non fuerunt ad praxim deducta. Reſpondeo ſecundò, eſto fuſſent receptæ, non loqui de his licentijs, de quibus eſt quæſtio, cum manifeſtè conſtet, poſt eas Bullas in omnibus Sacris Ordinibus adhuc viguiſſe conſuetudinem, nec ablatam, nec interruptam, qua Magiſtri ad Actus proprios Academiæ abſque petitione licentiæ pergunt. Pontifices namque prohibebant, vt Prælati Regulares cõcederent ſuditis licentiam generalem exeundi domo, quoties vellent, cum id incommodis eſſet obnoxium, & maximè virtuti, ac voto Obedientiæ detraheretur. In exeundo autem ad Actus Academiæ non ſunt incommoda, ſed commoda, Religionique ipſi fit obſequium, nec obedientia minuitur, cum non propterea Magiſtri non teneantur poſcere licentiam, vt ad alias res peculiares exeant, & aliundè licentia generalis cõceſſa ad eos Actus ſit ſupponenda. Quare manent in eodem ſtatu ſtrictæ obedientiæ, in quo ſunt cæteri Religioſi non Magiſtri; cur ergo amplius ab eis exigatur?

416 Et inſto argumentum inquirendo, an ex Bullæ Pontificiæ cogant Moderatores Cathedrarum, alioſq; publicè legentes in Academijs, vt quoties quotidie exituri ſunt domo ad legẽdum, petant licentiam, necne? Item, an cogant Religioſos Scholares, vt eam etiam poſcant, quoties pergunt ad lectiones, & Aſſertiones Academiæ? Si non cogunt; ergo non prohibent quamcumque licentiam generalem, ſeu habitualem, ſed eam, quam aſſeruimus *num. præced.* & conſequenter non prohibent Magiſtris licentiam generalem, quam ſupponimus, eos iam habere, exeundi ad Actus Academiæ. Si dicas, eas Bullas cogere ad poſcendum quotidie eam licentiam; Sanè rem aſſeris, quæ nulli in mentem venit; nec executioni vnquam fuit mandata; nec ſic vllus eas Bullas explicauit; & ex ſe liquet, id omnino à Pontificum mente fuiſſe alienum.

417 Dices ſecundò, eſto non poſcatur licentia ad exeundum ad legendum, vel audiendum lectiones, quia iam conſtat Superioribus is è domo exitus. imò ab eis non ſolùm licentia conceditur, ſed ſtrictè iubetur, vt promptè pergatur, & puniretur Magiſter, aut Auditor Regularis, qui ſuum munus non adimpleret; Attamen aliæ Actiones ſunt, quibus non ſunt præfixi dies, vt Conſeſſus Academicorum, pompæ ad Gradus accipiendos, ac ſimiles, & vt ad eas pergant Magiſtri, teneri ad poſcendum licentiam; id enim exigit recta Communitatis gubernatio, vt ſciat Superior, an domi, an foris ſint Subditi, & vt eis vtatur ad ea, quæ occurrerint, cum aliquando poſſit contingere euentus, in quo oporteat, domi remanere Magiſtrum ad aliquod negotium Communitatis pertractandum, aut aliquod miniſterium obeundum. Quin excogitari poteſt aliquod inconueniens, ratione cuius ille debeat intra domum contineri.

418 Reſpondeo, hanc obiectionem non probare, licentiam fore à Superiore ſpecialiter poſcendam, ſed eum fore monendum de exitu à domo, quod poteſt præſtari, (ſuppoſita licentia generali) in ordine ad fines prædictos, qui obtineri poſſunt, monito Superiore, cum hic tunc, niſi vrgeat præceptum alterius Superioris ſupra ipſum, poſſit Magiſtrum domi continere. At, ſi quod amplius eſt, conceditur, nempè vt quotidie ad lectiones legendas, & frequenter ad aſſiſtendum Aſſertionibus publicis exeatur domo abſque licentia ſpeciali, quia illi ſunt Actus proprij Academiæ, & Magiſter ex munere debet eis adſtare; cur denegetur, quod minus eſt, nempe exitus ad Conſeſſus, ac alia ſimilia, quæ ſunt etiam Actus proprij Academiæ, & non adeò frequentes, ac Magiſter ratione ſui muneris teneatur eis intereſſe? Non inuenio ſolidam diſparitatem; etenim, quod additur ad finem *num. præced.* longè aliò tendit. Nam ſupponimus, Superiores ipſos velle, vt Magiſter adſit in loco Academiæ, & ad hanc aſſiſtentiam, nullum in eo inconueniens dari; aliter, non permitteretur adeſſe, ac Academiam petere quotidie, vel frequenter ad legendum, aut aſſiſtendum Aſſertionibus; quare, dum à Superioribus iudicatur Magiſter abſque inconuenienti idoneus, vt ea omnia peragat, eſt de ſubiecto nõ ſupponẽte ea argumẽti cõfirmatio.

Nunc

Nec enim non agimus, an Superior teneatur ad nō remouendum è loco Academiæ Magistrum, quod iam *superiùs* discussimus *quæst. 29.*

419 Dices tertiò, præter Bullas prædictas, aliam fuisse expeditam à Clemente VIII. ad instantiam Sacri Ordinis B. Mariæ de Carmelo, qua prohibuit, ne quis ex illo Ordine posset exire domo, nisi in speciali petita, & obtenta licentia; & hanc Bullam ab eo Ordine fuisse admissam, indeque saltem in illo teneri Magistros ad petendum licentiam à Superiore, quoties è domo exeunt, vt Actibus Academiæ propriis assistant. Respondeo primò, hoc argumentum non esse commune cæteris Sacris Ordinibus, sed speciale respectu prædictæ Religionis Carmelitanæ, in qua Viri graues, & docti ex ipsa sacra Religione viderint, an ea Bulla, quoad hoc fuerit acceptata; & an post illam adhuc Magistri licentiam in speciali non poposcerint, arbitrantes, Bullam ad hanc licentiam prohibendam non extendi.

420 Respondeo secundò, inquirēdo idem, quod *superiùs* inquirebam, & idem retorquendo argumentum, an ex vi eius Bullæ teneantur Moderatores Cathedrarum, & Auditores Scholares Carmelitani petere licentiam in speciali, quoties exeūt lecturi, aut audituri, vel adstituri Assertionibus publicis Theologicis? Non teneri, fateberis. Iam ergo Bullæ verba interpretaris, eiusque verba non rigorosè capis, vt sonant. Igitur interpretationem tantillum extendi, non videtur contra Pōtificis mentem. Nihilominùs (esto hæc secundum se appareant vera) non est animus, me in regimen grauissimi, ac Sanctissimi huius Ordinis intromittere, cum speciales cuiusque Sacræ Religionis sanctiones rectiùs à Prælatis, & Magistris domesticis, quàm ab externis dignoscantur.

421 Assero secundò, et si Superiores rigidè se gererent, si absque aliqua speciali causa vellent compellere Magistros Regulares ad poscendam nouam licentiam ab ipsis in casibus prædictis, ablata generali licentia, (etenim contra stylum communem agerent: molestiam Magistris inferrent: offensionis, & querelæ ansam præstarent:) tamen absolutè loquēdo, posse ad id illos cogere. Quippè illi sunt eorum subditi, & ex obedientiæ voto tenentur eis obedire in licitis, & honestis, disciplinęque regularis obseruantia exigit, vt subditi contra expressam Superiorum voluntatem non operentur, nec eis resistant; quin potiùs ab eorum nutu, & voluntate dependeant; nec id, quod eis iniungeretur in casu quæstionis, esset illicitum, aut inhonestum, cum petitio licentiæ sit ex se actus honestus, & meritorius, in quo humilitas, & obedientia exercentur; nec esset ea petitio contra aliquod ius Academiæ, vt *infrà* ostendam; nec contra aliquod ius ipsorum Magistrorum; quippè stylus, ac consuetudo cōtraria inuoluunt licentiam generalem Superiorum, & specialem tacitam, aut interpretatiuam; nec possunt in hoc subditi præscribere contra Superiores, cum ea licentia generalis inuoluat conditionem, nempè, *si non reuocetur*, aut *si non aliud iubeatur*; quare non est caput, vnde possent Magistri Regulares contraire Superiorum mandato, quod constabit apertè ex solutione eorum, quæ contra hanc conclusionem possunt excogitari.

422 Dices. In Academia esse statuta confirmata à Summis Pontificibus, & ab ipsis etiam Bullas expeditas, quibus præcipitur, vt Magistri assistant ad Actus proprios Academiæ; ergo hæc habet ius, vt illi non impediantur, quominùs eos adeant; ac prætereà, cum Pontifices iniungunt eam assistentiam, consequenter præbent licentiam Magistris, vt exeant domo, cum aliter nequeant assistere; nam imperans aliquid, etiam imperat id, sine quo illud non potest obtineri. Hinc ergo Magistri Regulares non indigebunt licentia Superiorum, cum eam habeant à Superiore supremo, nempè à Pontifice. Sicut, si Generalis, aut Prouincialis Religionis concessisset subdito licentiam ad exeundum domo, aut ad accipiendum, quidquid ipsi præstaretur ex donatiuo, non teneretur poscere licentiam à Superiore immediato ad hos actus exercendos, sufficeretque, ei insinuasse notitiam licentiæ alterius mediati Superioris. In præsenti autem casu iam innotescit Superioribus mandatum, & licentia Pontificum; non igitur opus est, ab eis poscere licentiam, nec certiores reddere, quoties Magistri domo exeunt ad suum munus obeundum. Adde etiā, quòd Magistratus Academiæ. verbi gratia, Rector Salmantinus, aut Magister Scholæ, solent præcipere, quisque iuxta suam potestatem, sub pœna præstiti iuramenti, aut sub pœna excom-

municationis assistentiam ad aliquos Cõfessus, seu similes Actus, eisque obedire tenentur Magistri, atque adeò nec impediri queunt, nec alia licentia eis erit opus, cum à suis Superioribus simul cum præcepto iuncto à fortiori licentia præstetur, nec ei præcepto fas sit resistere,

423 Hoc argumentum dũtaxàt probat, dari causam sufficientem, ob quam licentia generalis, seu expressa, seu interpretatiua, ac tacita concedatur Magistris Regularibus ad exeundum domo, vt assistant eiusmodi Actibus, ac Superiores prudenter se gerere debere, & cõmuniter obseruaturos esse stylum adhuc ab omnibus retentum, nisi causa specialis adsit, (quæ rarò interueniet) non cogendo subditos ad eam licentiam specialem poscendam, sed vel conniuendo ad prædictos exitus à domo, vel vbi Magistri non habent socios præfixos, hos designando, quin ipsi Magistri immediatè eos deposcant, sed Superiores moneantur ab aliquo ad id munus destinato. Cæterùm nõ conuincit quidquam contra secundum assertum. Etenim rectè stat, & componitur, à Pontificibus, statutis, & Magistratibus Academiæ iniungi, ac præcipi assistentiam Magistrorum Regularium ad Actus ipsios Academiæ, ac ab ipsis Magistris poscì licentiam, & compelli à suis Superioribus, vt illam poscant; ergo satisfit vtrisq; si petita ea licentia, exeant domo, atque ad eos Actus assistant. Tunc sic; Finis, & animus Pontificum, & statutorum est, vt ea assistentia detur; dum autem hic finis obtineatur, nec se intromittere volunt in normam domesticam gubernandi Regulares, nec eorum obseruantiæ, obedientiæ, & stylo detrahere; quin potius optant, vt sarta tecta seruentur cuiusq; Religionis statuta, & quòd Superioribus debita humilitate obediatur.

424 Id instò, & manifestè ostendo vno vel alio exemplo. Non magis vrgent hæc præcepta Academiæ, adhuc Pontificia, quàm præcepta Ecclesiæ. Da ergo, Religiosum ob aliquam causam die festo non audiuisse Missam in suo templo, nullamque iam in eo celebrari hora vndecima, qua in alijs templis celebrantur; poteritne ille exire domo, vt audiat Missam, non petita licentia? Minimè sanè; & puniretur, qui, ea non petita, exiret, quamuis id præstaret ad implendũ præceptũ Ecclesiæ, nec præceptũ obligẽs eũ ad audiẽdam Missam, præbet ei exẽptionem à petitione licentiæ, & ratio est libata; quia componitur adimpletio huius præcepti cum obseruãtia regulari, & obligatione poscẽdi licẽtiã à Superiore ad exeundũ domo. Tenebitur quidẽ Superior nõ negare licẽtiã, at subditus tenetur poscere. Idẽ dic in casu quæstionis. Imò in eo nõ adeò rigidũ est præceptum assistendi ad Actus Academiæ, cum sæpè pro libito desint ab illis, qui volunt, nisi aliquando præceptum, aut pœna imposita á Magistratu Academico vrgeat; Nec sunt valde frequentia hæc præcepta; Nec in statutis, aut Bullis Põtificijs continetur præceptum sub lethali obligans ad assistendum ad omnes eos Actus; quare casus quæstionis præsentis non habet eam vim, quam habet exemplum allatum præcepti Ecclesiæ; similiaque possem afferre ex alijs præceptis Ecclesiasticis, dum instant, & non possunt adimpleri, nisi Regulares domo exeant, cum casus cõtingentes circa illa excogitari valeant.

425 Vrgeo ampliùs alio exemplo. Plus obligat præceptum charitatis proximi, vtpotè diuinum, quàm quodlibet præceptum positiuum, siuè Põtificium, siuè Academicum. Ponamus igitur, sæcularem esse in periculo mortis, & non esse alium, qui eius Confessionem excipiat, nisi Religiosos, & ad Confessionem audiendam ex illis vnum vocari, ita vt non adeò festina mors ægroto immineat, quòd sit opus celerrimè accurrere, sed tempus sufficiens suppetere, vt Religiosus poscat licentiam à Superiore. Dicetne aliquis, cum posse exire domo impunè ad excipiendam Confessionem, quin licentiam expoſcat? Nullus profectò. Superior certè tenebitur licentiam concedere, ne ęgrotus àbsque Confessionè decedat; sed quia præcepto charitatis potest satisfieri, & simul poſci licentia, ideò per illud præceptum non derogatur obligationi poscendi licentiam. Idem ergo est asserendum pro solutione argumenti contra assertum propositi.

426 Longè aliter res se habet in casu confirmationis prædicti argumenti, cum Generalis, aut Prouincialis licentiam subdito generalem concedit ad aliquid exequendum; tunc enim non tenetur poscere facultatem à Superiore immediato, nec is gnarus eiusmodi licentiæ iam concessæ

potest

potest illum cogere, vt poscat. Quippè vterque Superior intra ipsam est Religionem, & par datur (vt supponimus) in vtroque potestas concedendi eam licentiam: nec obseruantiæ, aut obedientiæ religiosæ quidquam derogatur, eũ subditus suam obedientiam ostenderit in petitione licentię, quam pro libito poterat abvno, vel ab alio poscere; & Prælatus mediatus, dum eam concedit, tollit, vt potest, à Prælato immediato potestatem ad cogendum subditum, vt eamdem licentiam ab ipso reposcat, & ad eum puniẽdum ob vsum eiusmodi licentiæ.

427 Secùs contingit in casu nostro, nam Pontifices, & Academiæ solùm intendunt, vt Actus Academici pro dignitate celebrẽtur, assistentibus Magistris, ac Doctoribus; at longè absunt ab eo, quòd (dum ei fini non resistitur) disciplinę Regularis ordo immutetur, aut Superioribus non obediatur. Imò optant valdè, vt Magistri Regulares vtrique suo muneri satisfaciant, tum Magisterij, tum Religionis, cum vnũ ab alio decus eximium mutuetur, illeque aptior, & dignior erit Magister, qui fuerit disciplinæ regularis obseruantior; & cum fuerit in eo prius, esse Religiosum, quam Magistrum, illaque sit potior causa, nullatenus est de mente Pontificum, aut Academiarum, vt quidquam detrahant ex his, quę eorum obedientiam, subiectionem, ac obseruantiam possunt promouere, & commendare. Et quidem, si ratione Gradus Magisterij, vel Doctoratus, possent absque licentia Superioris præfati Magistri præstare omnia, quę ad Academiam conducunt, v.g. expeditionem ad Curiam pro negotijs tractandis; profectionem ad loca etiam longinqua pro redditibus ipsius Academiæ curandis, & alia eiusmodi; plurimum detraheretur obseruantiæ religiosæ; Obedientia minueretur; Superiores sua priuarentur potestate; gubernandi ordo inuerteretur, pluraque possent sequi incommoda. Pontifices autem nunquam intenderunt obseruantiæ regulari obstacula apponere; nec Academiæ, pietatis, & virtutum officinæ id vnquam patientur. Recolantur dicta *suprà hoc lib. 2. quæst. 29.* vbi latè similia firmauimus.

428 Nec contrariantur hæc primo asserto; nam aliud est, Regulares ex se paratos esse debere ad obediendum Superioribus, & hos posse cogere illos, vt vt poscant licentiam, quoties domo exeunt ad assistendum Actibus Academicis, nec ad oppositum dari in Magistris, Religiosis, aut in Academijs ius aliquod; esto detur ius in illis, ad cogendum Superiores Regulares, ne licentiam petitam à Magistris regulariter negent, (nisi specialis ratio adsit:) nec impediant illos muneri suo satisfacere, & statuta, ac Bullas Pontificias exequi; aliud est, quòd de facto Superiores non compellant illos ad poscendam licentiam, sed ratum habeant, quòd domo exeant, aut moniti designent socios ad exeundum. Id enim est res facti; illud quæstio iuris. Et, quamuis iuris Religiosi rigore attento, possint Superiores cogere ad poscendam licentiam, attamen, si causa non adsit specialis, stat eũ ea potestate imprudentia eiusmodi coactionis; nec enim prudenter agitur, quidquid agendi potestas est, vt ex terminis est manifestum; Quare vtrumque assertum probauimus, suis vnumquodque fundamentis, quæ inuicem rectè cohærent.

429 Affero tertiò, Superiores non posse regulariter negare eam licentiam, nec ad omnes Actus Academiæ, nec per multum temporis interuallum. Etenim sic frustrarent Statuta Academiæ, eique iniuriam irrogarent, & non sinerent, Magistros satisfacere muneri suo; imò quando eis præciperetur assistentia ad eos Actus sub pœna graui, nullatenus possunt negare licentiam, cum Magistri teneantur eiusmodi præcepto obedire; sicut non possunt negare licentiam ei, qui non audiuit Missam die festo, vt exeat domo ad illam audiendam, quia præceptum vrget. Cæterùm, dum non detur eiusmodi præceptum, valent eam licentiam aliquando negare, vel quia aliqua causa specialis adest, vel quia volunt exercere subditos in obedientiæ obseruãtia. Quod non esset contra Academiæ statuta; si quidem ipsi Magistri sponte sua aliquando nõ assistunt huic, vel illi Actui Academico, quin inde violent ius Academiæ; quod ergo sponte ipsi præstant, cur Superiores nõ possint iubere, vt exequantur, quin inde violetur ius Academię? In vtroque sanè euentu eadem est omnino ratio; atque adeò iudicandum non est, violari Academiæ ius, quando Superior negaret Magistro licentiam assistendi Actui, si tunc ipse Magister posset sponte sua, quamuis non impediretur à Superiore, non assistere eidem Actui Academico,

quin ideò ius Academiæ violaretur; vnde in hoc casu licentia ei posset negari. Hæc autem assertio secundo asserto est consectaria, atque adeò ad quæstionem iuris spectat; cum eam pronuntiemus, inuestigando, quid possit fieri, inspecto iuris rigore. At in quæstione de facto quid sit exequendum, iam *suprà* manet stabilitum.

Quæstio XXXV. Qua pompa funerali, & quo habitu ornati ad sepulchrum sint efferendi Magistri, Doctores, & Togati, qui è viuis decedunt?

430 MAGISTRIS, & Doctoribus Insignia esse propria, quibus ornati Actibus Academiæ solemnibus assistunt, *lib. 1.* tradidimus; nec non in Salmantina Vniuersitate, ac in alijs, maximè extra Hispaniã, toga quadam, aut speciali aliquo ornamẽto superuestiri, etiam dum communiter incedunt, ostendimus. Ea autem toga discriminanda est ab illa, qua Senatuum Iudices vtuntur, ita vt in eius gestatione, aut forma dissimilitudo intercedat, Sicut enim *ibidem n. 337.* asseruimus, puniendum fore eum, qui Insignia Doctoris sibi aptet, quin ipse sit Doctor; ita etiã, & à fortiori, nulli licet absque pœnæ reatu Insignia Senatorum sibi assumere, cum illi ob muneris dignitatem specialibus debeãt Insignibus præfulgere, quibus & venerationem sibi debitam concilient, & in exteriori ornatu Regiorum Tribunalium maiestatem ostendant.

431 Igitur, cum aliquis Magister, vel Doctor tumulandus effertur, Insignia propria, vel saltem aliquod ex his, quæ in solemnibus Academiæ Actibus gestantur, eis apponitur, siuè supra feretrum, si intùs clausi portentur; siuè in ipsismet defunctis corporibus, si palàm deferantur. Sic in Academia Salmantina pileus cum filis sericis aptatur capiti Magistrorum, qui efferuntur, vel superponitur capsæ, aut feretro, in quo Doctores defuncti portantur. In Academia Limensi Insignibus Doctoralibus ornatos efferri defunctos Doctores, testatur D. Didacus de Leon Pinelo *in Hypomnemate Apologetico pro Academia Limensi, capit. 10. num. 32. fol. 10.*

432 Idem obseruatur, cum exequiæ pro Defũcto aliquo Magistro aut Doctore celebrãtur, nempè quòd Insigne illud supra tumulum apponatur. Et quidẽ, si in loco Academiæ decedat, omnes Magistri, & Doctores simul cum Magistratibus, scilicèt Rectore, & Scholastico, funus comitantur, & assistunt sepulchralibus Officijs, cereis incẽsis gestatis, & Academici Consessus seruata forma. Deinde in Capella Academiæ, die ad id à Primicerio designata, Officium defunctorum pro eo solemniter persoluitur, & vnus è Magistris concionatur. Id autem eodem præstatur modo, si absens ab Academia Magister, vel Doctor extremum diem obeat; illicò enim ac mortis nuntium accedit, exequiæ solemnes pro illo peraguntur. Et præterea die secunda Nouembris ad solatium Defunctorum destinata ab Ecclesia, pro omnibus Magistris, & Doctoribus defunctis suffragia priuata, & solemnia celebrantur.

433 Cum aliquis Togatus ex Collegijs Maioribus Salmantinis è vita decedit, celebri pompa funerali tumulatur; Quippè omnes Togati simul ex prædictis Collegijs confluunt, & funus comitantur, ordine antiquitatis seruato, incedentes; Togati autẽ ex Collegio defuncti post cæteros pergunt, & in signũ luctus, ac mœroris fascię superhumerales, seu trabeę ad collum retorquẽtur, ac versæ portãtur; Rector itidem eiusdem Collegij galerum amplum, sericis pendentibus funiculis, portat. Super feretrum etiam fascia, vel trabea extenditur: illudque Togatorum humeris portatur. Non absimilem pompam olim in funebri pompa Virorum insignium fuisse vsitatam, apud bonæ notæ Authores comperies. Tacitus *libr. 3.* loquens de funere Germanici ait. *Igitur Tribunorum, Centuriorumque humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa: versæ fasces; atque, vbi Colonias transgederentur, atratæ plebes, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solemnia cremabant.*

434 Et meritò quidem Magistri, Doctores, & Togati, suis proprijs Insignibus, aut ornamentis decorati ad sepulchrum efferuntur. Id namque in dignitatis, seu muneris, aut illustris status signum conceditur. Sic olim Milites in clypeo, quo prœliati erant, ad sepulchrum portabantur; in quo etiam appendi solebant arma, quibus muniti præclara facinora

cinora gesserant. Inuenientur passim Authores id concinnantes. In Scriptura Sacra id ipsum reperitur; *Machabæorum lib. 2. cap. 13. v. 29.* Vbi Simon, postquam tumulum patris, fratrumque suorum cõstruxit; *Circumposuit columnas magnas, & super columnas arma ad memoriam æternam, & iuxta arma, naues sculptas.* Inde etiam Pontifices, & Antistites, ratione suæ Dignitatis ornamentis Pontificalibus superuestiti ad sepulchra feruntur; & Archiepiscopi pallio decorantur; iuxta *cap. ad hæc, 2. ad fin. de authoritate, & vsu pallij;* imò & Episcopi, nam aliqui speciali priuilegio à Sede Apostolica pallium obtinuerunt; *cap. cum in iuuentute 15. de præsumption.* Præterea inter nos etiam Imperatores belli Insignibus proprijs sui muneris decorati tumulantur; Ac etiam Equitibus Militiarum Insignia, quæ eis concessa fuerunt, cum in Militarem Ordinem fuerunt admissi, adaptantur, cum efferuntur ad sepulchrum.

435 Hinc ergo dignoscitur, quàm sit æquo iuri consentaneum, vt Magistri, Doctores, ac Togati, proprijs Insignibus, aut vestibus ornati ad sepulturam ducantur; cum enim in militia litteraria strenuè se gesserint, & Gradus Dignitatem sint adepti, vel illustri, ac nobilissimà Togà ob sua merita, scientiam, virtutem, & puritatem sanguinis fuerint decorati, par sanè est, vt id in morte splendescat, & eorum honor, ac fama vltra vitam protendatur, æternitatiq; commendetur.

436 Et quidem nihil potest illustrius fama superstes conclamare de Togatis, qui è viuis decedunt, quàm alumnos fuisse alicuius ex Collegijs Maioribus; quorum encomia non semel hoc tractatu libauimus, sed nũquam ea poterunt exhauriri. Refertas eorum elogijs paginas apud Authores reperies; Obiter ea commendant Dõ Didacus de Saauedra *in suis Idæis Politicis, Hispanè pag. 362.* & P. Mariana *de rebus Hispaniæ. tomo 2. lib. 20. pag. 239. Hispanè.* Vbi ait, ex Collegijs, velut ex arcibus inexpugnabilibus Viros strenuos ad regimen publicum prodire. Ex his ergò illustribus Propugnaculis quisquis alumnus extremum diem obit, nullo potest clariori stemmate exornari, quàm eo, quod illum Collegij Maioris manifestet alumnum. Vndè etiam postquam in Senatus assumũtur, quandocumque diem extremum obeant, fascia Collegij supra feretrum ipsorum extenditur, quasi eorum Insigne præcipuum.

437 Insignia etiam Magistrorum, ac Doctorum valdè defunctum commendant, cum eum Gradum obtinuisse, maximam conciliet æstimationem, præcipuè in celebrioribus Academijs, qualis inter cæteras eminet Salmantina. Hinc laudandus occurrit sapientissimus ille, ac Illustrissimus Castellæ Præses Don Didacus Couarrubias Episcopus Segouiẽsis, & Conchensis, Collegij Maioris Sancti Saluatoris, Salmantini, vulgo *Oueten-sis*, alumnus, qui suis scriptis scientias pluri ma luce donauit. Hic etenim, cum ad Gradum Licentiati, & Doctoris accipiendum in Academia Salmanticensi, rigidè, vt par est, in suæ scientiæ Examen vocaretur, hõc peracto, & suffragijs Examinatorum postulatis, à tribus ex illis fuit reprobatus; qui reprobationem per litteram *R.* significarunt, dum suffragia secreta (datis sibi schedulis, alia cum littera *A.* ad approbandum, alia cum littera *R.* ad reprobandum,) protulerunt; à cæteris verò Vir ille apprimè doctus, & eruditus fuit approbatus, Gradũque obtinuit. Ipse verò, inter suæ Gentis nobilia stemmata sculpi, & depingi deinceps effecit triplicem litteram *R*; qua à tribus Examinatoribus fuerat reprobatus. Quippè (ne aliò, vt possumus, rem flectamus) tanti duxit in Academia Salmantina Gradum adipisci, vt nihil sibi ad æternitatem posthumæ famæ gloriosius iudicauerit, quàm inter sua Gentilitia stemmata symbolum sculptum relinquere eiusmodi euentus, vt qui litteras illas deinceps pro Insigni sculptas intuerentur, agnoscerent simul cum causa Gradum obtentum. Rectissimè ergo Magistris, ac Doctoribus defunctis Graduum Insignia superponuntur, vt ex eis posthuma ipsos fama commẽdet. Aliundè etiam *lib. 1, n. 322. & 341. & 359* ac sæpè alibi stabiliuimus, Gradum Doctoris esse Dignitatem, & Doctores fore inter viros Primores annumerandos, de quo non pauca ibi dedimus; In signum ergo Dignitatis obtentæ Insignia illa propria Doctorum debent ipsis vita iam functis aptari, vt eorum gloria post angustos vitæ tramites perennet.

438 De his Doctorum, ac Magistrorum Insignibus aliqua iam in superioribus attigimus; Videat plura, qui velit, apud Cassaneum *in Catalog. gloriæ mundi, part. 10. consideration. 26.* Antonium Gomez *in leg. 83. Tauri*; Glossam *in Clementin. vnic. de Magistris; capit. multi, 40. distinction. capit. habeo librum, 16. distinction.* De pi-

pileo verò Franciſcus Broſeus *in Emblem. 151. Alciati*, hæc habet; *Quidenim memorem pilei celebrem lauream iam diu in Scholis non temerè vſurpatam? Eo ſiquidem indicatur, Scholaſticos à diſciplinæ ſeruitute ad Doctoratus, vel Magiſterij libertatem tranſire.* Pileus hic, qui inſigne eſt Magiſterij, vel Doctoratus, vocatur aliquando *birretum*, quam vocem vel barbaram, vel parùm latinam cenſeo. Attamen Don Didacus de Leon Pinelo *in Hyponemate Apologetico pro Academia Limenſi capit. 12. fol. 14.* aſſerit *birretum* nuncupari, quaſi *bis rectum*, quia bis rectum decet eſſe Doctorem, nempè in docendo, & operando, iuxta *caput, duo ſunt, quæſt. 1 caput, ſi quis vxorem 33. quæſt. 1.*

439 Inquires, an Doctores Bullati, ſeu ex priuilegio, poſſint ad ſepulchrum efferri Inſignibus Doctoratus ornati? Reſpondeo, abſolutè poſſe, cum ea Inſignium geſtatio Gradui ſit annexa, in eis Actibus, ad quos deſtinata ſunt Inſignia; dum autem quis effertur ad ſepulchrum, pietas, & æquitas ei permittunt ea Inſignia, quibus aliquando vti poterat ratione numeris, & Dignitatis, qua potiebatur. Cæterùm his Doctoribus Bullatis (cum dabãtur) non ſolitum fuiſſe apponi ea Inſignia crediderim, cum in exigua fuerint æſtimatione; imò in eos non pauci fuerint inuecti facetè. Videantur Melander *lib. 1. Iocorum ſeriorum*; P. Adam Contzem *lib. 4. Politicor. capit. 16.* Leon Pinelo *vbi ſuper, folio 15.*

440 Iam clauſimus hunc librum ſecundũ; Sed id animaduertas, quæſtiones, quas circa Doctores, Magiſtros, Togatos, & Candidatos in eo non repereris, in primo libro, vel in ſequenti fore à te inueniendas; cum nullam, vt credo, non diſcuſſam reliquerim, niſi fortè aliquę ſint ſpecialiſſimæ Academiæ vnius determinatæ, & cæteris non communes; Hæ enim poſſunt in qualibet Academia innumeræ exoriri; nec ab vllo exhauriri valent.

(?)



LI.

LIBER TERTIVS

DE IVRE ACADEMICO SELECTARVM QVAESTIONVM AD SCHOLASTICOS SPECTANTIVM.

PLVRES quæstiones, quæ ad Scholares pertinent, in duplici libro superiori discussimus, eoquòd ad alia etiam dubia spectarent, quæ suum ibi locum obtinebant. Ad cæteras pergimus, & Scholasticum perfectum, rectèque instructum in vtroque foro efformare conamur: indeque Iudicibus, Magistris, & Confessarijs viam tutò sequendam ad innumeros casus occurrentes aperimus.

Quæstio I. Quàm digni commendatione, honore, & patrocinio sint Scholastici, & in communi quantis priuilegijs gaudeant?

1 NON possum non prima in fronte transcribere constitutionem Friderici I. cognomẽto *Barbarroja*, circa Scholares; verba enim ipsa Imperatoris grauiùs, & efficaciùs ostẽdent dignitatem eorum, quantumque ab omnibus debeatur impẽdi sollicitudinis, vt in honore, & amore habeantur, nulla eis iniuria irrogata, sed ipsorum defensione, ac patrocinio pro viribus suscepto; vt sic suauiùs, & commodiùs insistant studijs litterarũ, quibus Reipublicæ bonum sartum tectum seruatur. Igitur sic ait *in Authẽtica, habita, quæ est sub lege, ex patroni, Cod. Ne filius pro patre vel pater pro filio, &c.*

2 Habita quidem super hoc diligenti inquisitione Episcoporum, Abbatum, Ducum, omnium Iudicum, & aliorũ Procerum sacri nostri Palatij examinatione, omnibus, qui causa studiorum peregrinantur, Scholaribus, & maximè diuinarũ, atque sacrarum legum Professoribus, hoc nostræ pietatis beneficium indulgemus, vt ad loca, in quibus litterarum exercẽtur studia, tam ipsi, quàm eorum nuntij veniant, & in eis securè habitent. Dignum namque, existimamus, vt, cum omnes bona facientes nostram laudem, & protectionem omnimodo mereantur: quorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediendũ Deo, & omnibus eius ministris, vita subiectorum informatur, quadam speciali dilectione eos ab omni iniuria defendamus. Quis enim eorum non misereatur, qui amore sciẽtiæ exules facti, de diuitibus pauperes, semetipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis sæpè hominibus (quod grauiter ferendum est) corporales injurias sine causa perferunt. Hæc igitur generali, & in perpetuum valitura lege decernimus, vt nullus de cætero tam audax inueniatur, qui aliquam Scholaribus iniuriam inferre præsumat, nec ob alterius cuiuscumque Prouincię delictum, siuè debitum (quod aliquando ex peruersa consuetudine factum audiuimus), aliquod damnum eis inferat; scituris huiusmodi sacræ constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorũ Rectoribus, qui hoc vindicare neglexerint, restitutionem rerũ ablatarum ab omnibus exigẽdam in quadruplum, notaque infamiæ eis ipso iure irroganda, dignitate sua se cadituros in perpetuum. Verùmtamen, si litem eis quispiã

supe-

» super aliquo negotio mouere voluerit, hu
» ius rei optione data Scholaribus, eos coră
» Domino, vel Magistro suo, vel ipsius ciui
» tatis Episcopo (quibus hanc iurisdictionē
» dedimus) conueniat. Qui verò ad alium iu
» dicem eos trahere tentauerit, etiam si cau
» sa iustissima fuerit, à tali conamine cadat.
» Hanc autem legem inter Imperiales Con
» stitutiones, scilicèt sub titulo, Ne filius
» pro patre, &c. inseri iussimus. Dat. apud Rō
» calias, anno Domini M.C.LVIII. mense
» Nouembri.

3 Nullum profectò verō ex hac Cōstitutione fuit prætermittendū, in qua adeò consulit Imperator Scholasticis, vt pudor sit, nostra ætate non rarò viles aliquos homunciones leui occasione in eos audacter insurgere, & animo procaci ipsis non contemnendas iniurias irrogare. Et, quod deterius est, cum plurimi ciues in locis, vbi sitæ sunt Academiæ, ferè victitent ex opibus, ac substantia Scholarium, leuidēsi data causa, in illos primi ingratissimè audaces insurgūt. Dolet de hoc Ioannes Frischen *ad Authentic. præfatum, pag. 181.* his verbis; *Sed nescio, quanta corruptela infectum vulgus soleat odio prosequi Studiosos, & illis infestum esse, quamquam ex eorum assiduitate vberrimos colligit fructus, & quàm ea releuetur impensa, ne cogatur aliò filios erudiendos mittere cum periculo fortunarū, vitæ, aut magnum. Sunt & inuidi vulgares, & plebeij fœlicitatis litterarum, vt, quamquam sine illis, benè esse nequeant, tamen fulgore illarum obcæcantur, vt pati radios eius facilè non possint; & multi melius defendunt pessimos, & homicidas, quàm Scholares.* Nec propterea ipsi sunt Scholares tolerandi, si flagitia patrauerint, sed iuxta delictorum, & personarū qualitatem puniendi à Iudicibus proprijs, non ab alijs.

4 Non solùm Scholaribus, sed etiam Professoribus scientiarum priuilegia in præfixa Authentica concessa sunt communia. Itaque Imperator præcipit, vt securè habitent in oppidis, vbi studijs vacant, eademque securitate gaudeant corū nuntij; &, quòd nullus in eos iniustè, aut iniuriosè insurgat; Irrogantibus autē iniuriam, cuiuis eorum, & oppidorum Gubernatoribus, qui id delictum non vindicauerint, infligit pœnam infamiæ, ipso iure contrahendę, & priuationem perpetuam suarum dignitatum, atq; restitutionē in quadruplum cuiuscumque damni illati; prohibetque, Scholasticos vexari titulo debiti in alio loco cōtracti, aut delicti cōmissi; cosque vult coram Iudice ipsis destinato conueniri super litibus exorientibus.

5 Præter alios plures, hanc Authenticam copiosè illustrauit Oldendorpius *tom. 1. fol. 580.* & latè ipse agit de priuilegijs Professorum litterarū, & Scholasticorum *in tractat. de iure singulari, c. 19.* Illustrauit ipsam (præter alios plures *infrà quæst. 51.* referendos) Rebuffus *lib. 2. de priuilegijs Scholasticorum*, & ibi centum, & octoginta priuilegia eorum apponit. Horat. Lucius *tractat. de priuileg. Scholastic.* centū itidem priuilegia recenset. Dionisius Gothofredus *in notis ad hanc Authenticam* aduertit, securitatem viuendi, & habitandi in locis, omnibus, etiam non Scholasticis, cōcedi, atque adeò, vt hoc priuilegium aliquid operetur, intelligēdum esse, in eis verbis concedi Scholaribus, vt sint exemptī à vectigalibus, portorijs, alijsq; oneribus. Quod autem additur ab Imperatore, ne possit eis damnum inferri ratione delicti, aut debiti alterius cuiuscumque Prouinciæ, explicat, esse idem, ac ne possint capi iure repressaliarum. Priuilegijs autem Studiosorum gaudere nuntios, & consequentèr Bidellos, ibidem docet, & nos latè *lib. 1.* egimus, & infrà agemus. Denique forū ratione studij sortiri Scholasticos, ex vltimo Authenticę capite cōstat; & videri potest Accursius *in leg. hæres 9. §. proinde, verbo, debebit, ff. de iudicijs*, & alij infrà adducendi.

6 Hanc ipsam Authenticā illustrat Ioannes Iacobus Frischen *in Resolutione Iuridica Quæstionis; Habeatne Rector, & Academiæ Concilium verum Imperium vi eius Authenticæ*, de quo *supra lib. 1.* Immunitates prętereà, & priuilegia Professorū litterarum, & Scholasticorū exponit Christophorus Besoldus *in Dissertatione de Studiosis, Magistris, Licentiatis, & Doctoribus.* Pluresque Authores ab his Interpretibus allati hanc materiam exornant; qui toto decursu videri possunt, & *in quæstion. vlt. huius libri.* & nos superiùs *præfato lib. 1.* latè de illis tractauimus; pluraque ibi exposita competunt Scholaribus; sicut etiam priuilegia, & immunitates, de quibus agendum erit in sequentibus; conueniunt omnino Doctoribus, ac Magistris, & Professoribus Scientiarum in aluo Academiæ adscriptis, quare dicenda illis pariter sunt aptanda.

Quæstio II. De priuilegio fori Studiosorum. Vbi aliqua dubia circa illud decidun-tur: & de diætis agitur.

7 EX Authentica transcripta *quæst. præcedent.* constat aperte, Studiosis competere priuilegium fori; scilicèt ne conueniãtur coram Iudice ordinario loci, in quo versantur, sed coram proprio Iudice, qui vnicuique Academiæ est designatus. Quare, sicut Clerici habentes ea, quæ à Concilio Tridentino requirũtur, gaudent proprio foro Ecclesiastico, & nequeunt coram alio Iudice, seu in foro læculari conueniri; ita Studiosi, qui aluo Academię sunt adscripti, gaudent sui fori priuilegio, & in nulla lite siuè ciuili, siuè criminali possunt coram alio Iudice, nec in alio foro conueniri; quod fori priuilegium inter cętera, quibus gaudent, est præcipuũ, & pro illo semper acriter est decertãdũ, vt seruetur illæsum.

8 Igitur Studiosus siuè in ciuilibus, siuè in criminalibus, nequit accusari, neque conueniri, nisi apud Magistratum Academiæ. Ita constat *ex prædicta Authẽtica*, & ex communi Doctorum. Et quamuis de causis criminalibus contrarium statuatur *in leg. 2. tit. 31. partit. 2.* attamen eam legem esse abrogatam tum consuetudine contraria, tum Regijs, & Pontificijs constitutionibus, tradit Don Alfonsus de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdict. cap. 40. num. 2.* Hinc Magistratus Academiæ potest ad se auocare Studiosum delinquentem, vbicumque delinquat, vt docet Bessoldus *in dissertation. de Studiosis, capit. 3. pag. 52.*

9 Quando verò Studiosus est Actor, forum Rei sequi debet; nisi Magistratus Academiæ simul fungatur iurisdictione Conseruatoris; quo casu iuxta potestatem Conseruatoriam Actor Studiosus trahet Reum ad suum forum in causis ciuilibus, dum sit intra diætas in litteris Cõseruatorijs designatas; vel si non designentur in illa diętæ, dum sit intra vnam diætam; vt annotat Escobar *suprà num. 3.* In Academia Salmantina potest Actor Studiosus reum Clericum intra quatuor diætas existentem cogere, vt in suo foro Scholastici Salmantini compareat; quia hanc iurisdictionem concessit Iulius II. Scholastico Salmantino anno 1505. derogans diplomati Innocentij VIII. qui ad instantiã Regum Catholicorum sanciuerat, ne vltra duas diætas Rei trahi possent. Et quidẽ anno 1431. Eugenius I. idem concesserat, ac Innocentius. Cæterùm quia laici Rei Principi sæculari subiecti sunt, nec Pontifex eam tollit subiectionem, Reus laicus nequit trahi ad Tribunal Academicum vltra duas diætas, sic enim statuitur *in leg. 19, & 20 tit. 7. lib. 1. Recopil.* & sic vsus forensis admisit. Idemque continget in alijs Academijs, vbi similia sunt priuilegia. Est autem diæta iure nostro Regio iter vnius diei vsque ad decẽ leucas, & in quauis leuca sunt tria milliaria.

10 Aliquando tamen Actor Studiosus potest Reum vndecumque, etiã vltra diætas, coram Magistratu Academico conuenire; scilicèt cum reus aliqua speciali ratione sortitus est forum studij, veluti si ratione contractus, submissionis, solutionis destinatæ in loco studij, & studij causa, cõueniatur; Aut si Actor studiosus, quãuis agat, tamen Rei partes sustineat, nempè si ab alieno iudice contra eum proceda tur, aut iniuria aliqua sit affectus. Quibus casibus ad Magistratum Academię, vt Iudicem ordinarium, potest trahere vndecũque Reum. Escobar *suprà cap. 41. à num. 4.* exempla proponit, quibus potest Actor Studiosus vndecumque trahere Reum; videlicèt si ei aliquid debeatur vel ex testamento, vel ex contractu, contemplatione studij relictum, aut destinatum. Prætereà *cap. 42* proponit, & probat, Reum vndecumq; ab studioso Actore trahi posse ad suũ forum, si ille se ei foro subiniisit, aut suo proprio renuntiauit. Latè hęc omnia ibi tractat, videat, qui velit, ne transcribere videar; Sat sit, notitiam libasse, quæ non fuit omittenda.

11 Notandum tamen est, in criminalibus non posse Studiosum Actorem trahere Reum ad suum forum; namque Reus (dum non sit etiam Studiosus) in suo foro debet conueniri, & Iudex alienus nequit de illo cognoscere; non vt Iudex Ordinarius; vt ex se constat, cum de iure communi forum Rei sit sequendũ; nec item vt Conseruator; quippè licet Conseruatori possit ea potestas dari, tamen ex se non datur, & Conseruator constituitur ad tuitionem, non ad vindictam. Quod cõfirmatur ex Tridentino *sess. 14. de reformat. cap. 5.* & ex communi Interpretum cõsen-

su.

su. Aliud erit, si Actor studiosus solùm ciuiliter velit agere in Reum, qui ipsum offendit, vt damnum compenset, non vt pœna mulctetur; tunc enim locum habent dicta superiùs. Potest etiam Magistratus Academiæ, lite ciuiliter intentata, Reum contumacem, aut alium in ipsius iurisdictionē delinquentem criminali pœna afficere, vt suam iurisdictionē defendat, vt tuetur Moneta *de Conseruator. cap. 7. num. 263.* Hinc si delinquentes contra Studiosos capiantur in ipso delicto à Magistratu Academiæ, debent ab illo ad proprium Iudicem remitti, quando Studiosi non sunt. Quid autem sit dicendum, si simul Studiosus, & nō Studiosus delinquāt, & causa nequeat cognosci ab vtriusque Iudicibus seorsim, sed ita sit indiuidua, vt ab vno debeat causa vtriusque cognosci, vide Rebuffum *de priuileg. Schol. priuil. 105.* Escobar *suprà cap. 44. à numer. 18.* Et quidem, si alter ex delinquentibus sit Studiosus Clericus, alter laicus non Studiosus, cum Iudex sæcularis nequeat cognoscere de Clerico, de vtroq; cognoscet Magistratus Academię, qui habet iurisdictionem Ecclesiasticam. Si autem vnus sit Studiosus, alter Clericus non studiosus, ad Episcopum pertinere cognitionem, tenet communior sententia; quæ saltem est vera, si causa sit ex his, quas pertinere priuatiuè ad Episcopum, diximus *lib. 1. numer. 485.* Si autem causa nō sit ex illis, pertinere ad Magistratum Academiæ, ait Escobar *num. 20.* In ciuitate autem, & diœcesi Salmantina, cum præuentioni sit locus inter Episcopum, & Scholasticum, is cognoscet, qui præuenit.

12 Itaque in alijs causis ciuilibus procedit doctrina superiùs tradita, & in eis potest Actor Studiosus Clitellarios, seu muliones, & nuntios quoslibet, asportantes necessaria Scholaribus vndecumque ad suum forum trahere, cum susceperint res tradendas Scholasticis in loco studij. Quod verū est, si ex proprio munere id officium exerceant; nam si ex munere non exerceant, sed rem sibi commissam aliquis Scholastico afferebat, eamque subripuit, non poterit vltra diætas trahi, dum Studiosus non sit. Idem dicito in alijs causis, & in tribus iudicijs familiæ erciscundæ, communi diuidundo, finium regundorum, Studiosum Actorem non posse trahere Reum vltra diætas; Studiosum autem Reum vndecumque trahi posse: Is autem dicitur, etiam in his iudicijs, Actor, quoad insecutionem fori, qui primus prouocauit, esto quoad alios effectus, omnes litigantes in his tribus iudicijs censeantur Actores, & Rei. Consulatur Marta *de iurisdiction. 4. p. cas. 142.* & Pichardus *in §. quædam 20. instit. de actionib.*

13 Circa enumerationem diætarum obseruare oportet, eas dinumerandas fore ab ædificijs continentibus adhuc extra portam loci, in quo versatur Studium, & Conseruator illius vsque ad primum terminum diœcesis, in qua Reus existit; ita vt si vel vno passu diætæ attingant eam diœcesim, possit ille trahi, quamuis ipse commoretur in loco distantiori illius diœcesis; nam diætæ non dinumerantur vsque ad locum proprium Rei, sed vsque ad diœcesim illius. Videatur Salgado *de Regia protect. p. 1. c. 7. §. 5.* qui plura de diætis tractat.

14 Præterea, si diœcesis aliqua sit ratione alicuius loci intra diætas, quamuis hic locus sit diuisus ab alijs locis ipsius diœcesis, eoquòd inter locum, & locum mediet alia diœcesis, sanè ad omnia illa loca primæ diœcesis extendentur diætæ, quāuis loca separata, & diuisa per diœcesim intermediam secundum se sumpta non sint intra diętas, vt tota intra diætas esse cēseatur. Exemplo res declaratur. Oppidum dictum *Barrueco Pardo* est intra diætas Scholastici Salmantini, & pertinet ad iurisdictionem Ordinis Militaris Diui Iacobi, vulgò *el Maestrazgo de Santiago*; hinc Prouincia Emeritensis, quia attiner ad eādem iurisdictionem, intra diætas etiam est recensenda, quamuis ipsa ratione sui territorij, & distantiæ illius extra diætas sit. Alia exempla affert Escobar *c. 48. n. 7. & sequent.* Vbi agit, an Prioratus diuersi cuiusque Ordinis Militaris cēsendi sint vna, vel plures diœceses in ordine ad diętas dinumerandas, & decidit, omnia territoria Ordinis Diui Iacobi, quę vni Priori subiecta sunt, reputanda fore vnicam diœcesim; alia autem territoria, quę plures ex vnoquoque Ordine Militari nanciscūtur Priores, non vnam diœcesim, sed plures esse cēsenda, quia vnusquisque Prior est exemptus, & gaudet iurisdictione quasi Episcopali, immediatèque subijcitur Senatui Ordinum Militarium, aut Assembleæ (vt Hispanè dicimus) Ordinis Diui Ioannis.

(?)

Quæstio

Quæſtio III. Alia dubia circa forum Studioſorum deciduntur, & circa iuriſdictionem Magiſtri Scholæ Salmantini erga Religioſos. (*)

15 DVBITATVR primò, an Studioſus trahere poſſit ad ſuum forum cauſas inceptas ante Studium, ſiuè crimina ante illud patrata? Iure communi attento, non poteſt, nam priuilegium fori non extenditur ad geſta ante priuilegium, iuxta *leg. ſi quis poſtea quam, ff. de iudicijs, leg. cum quædam puella 19. de iuriſdiction.* Docent Oſſualdus *lib. 17. Commentar. cap. 18. litter B.* Collantes *in pragmat. pan. libr. 2. cap. 16.* Pradilla *de legibus pœnalib. in addit. capit. 11.* Barboſa *in præfata leg. ſi quis poſteà*, & ibidem Cuiacius. Non tamen deſunt, qui dicant, id ſecùs ſe habere in Studioſis ex vi *Authentica Habita*, ita Rebuff. *de priuileg. Scholaſt. priuileg. 153.* Horatius Lucius *eodem tractat. priuileg. 66.* & Bologninus *in prædictam Authenticam, n. 220.*

16 In fauorem Academiæ Salmantinæ conceſſerat Martinus V. *Conſtitution. 22.* quòd Studioſi poſſent trahere ad Scholæ Magiſtrum cauſas ante Studiũ cæptas, ſeu pendentes, & quæuis alia geſta, vel admiſſa ante illud; Poſtmodùm ad euitandas fraudes, & ne aliqui adſcribẽtur matriculæ ſolo animo declinandi Tribunalia propria, habita fuit cõcordia cum prædicta Academia *in leg. 18. tit. 7. lib. 1. Recopilat.* & ſtatutum fuit, vt Studioſis, *No ſe les den cõſeruatorias de las deudas, y coſas hechas, y contraydas, antes que vengan al dicho eſtudio, haſta tanto que ayan hecho vn curſo entero.* vndè poſt vnum curſum litterarium tranſactum ſpatio ſex menſium, & vnius diei poterit Studioſus Salmantinus omnes cauſas cæptas, & delicta admiſſa ante Studium trahere ad Tribunal Scholaſtici Salmantini.

17 Dubitatur ſecundò, an poſt ſtudium gaudeat priuilegij foro ſtudioſus? Et ſupponendum eſt, peracto ſtudio, per quinquennium cõſeruari Studioſis ſua priuilegia; vt tenent Baldus in *Authentica Habita, numer. 23.* Antonius Gomez *in leg. 2. Tauri, numer. 7.* Bartolus, Salicetus, Rebuffus, Didacus Perez, Donellus, Oſſualdus, & alij, id probantes *ex leg. 2. Cod. de Primicer. leg. 3. Cod. de domeſtic. & protect. leg. 2. & 3. Cod. de commeat. leg. 5. in fin. ff. de captiuis, & poſtliminio reuerſ.* Dum tamen illi animũ reuertendi ad Academiã retineant, qui animus toto quinquennio præſumitur, niſi contrarium ex coniecturis ſufficientibus arbitrio iudicis probetur. Hinc, ſi Studioſus ſit Actor, poterit Reum trahere ad ſuum forum toto illo quinquennio, & non vltrà; non ſecùs ac ſi in loco Academiæ verſaretur. Requiritur verò ſaltem in Salmantina, iuxta *titul. 24. §. 4. Conſtitutionum*, vt quotannis tempore abſentię per quinquennium faciat, in matriculam ſe deſcribi per Nuntium, aut epiſtolam, niſi ſit recolens ſtudia, Hiſpanè *paſante*, qui ea annua matricula non indiget, vt obſeruat Don Alfonſus de Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdiction. capit. 32. à numer. 16.*

18 Si autem Studioſus ſit Reus, ob crimina tempore ſtudij commiſſa, aut contractus geſtos tempore ſtudij, & quinquennij poſt ſtudium, quo ſtudioſus iuxta dicta cenſetur, debet in foro Academiæ conueniri, cum Reus iure communi in proprio foro ſit conueniendus, & proprium Studioſi forum ſit Academicum. In *Studioſis Salmantinis* ſtatuta res eſt, *Conſtitution. 23. §. verùm.* Et in ſtatutis Academiæ *Salmanticenſis fol. 345.* extat decretum *Supremi Senatus* Caſtellæ expeditum anno 1567. quo indulgetur à Rege, cuius nomine fuit ſancitum, vt *Studioſi* Rei, eorumque patres, tutores, vel curatores, quibus incubuerit ſoluere debita contracta ab *Studioſis* tempore *Studiorum*, nulla habita ratione diætarum, conueniãtur coram *Scholaſtico Salmantino*; Et id locum habet, quamuis pater, curator, aut ſimiles perſonę ſint Clerici; nam quamuis ea diſpoſitio ſit Regia, & per ſe Clericos non comprehendat; at hæ perſonæ hoc ipſo quòd filium, aut minorem ad Academiam miſerunt, aut in illa retinuerunt, videntur ſe ſubmiſiſſe *Scholæ Magiſtro*, vt iudici Ordinario, eiuſque iuriſdictionem Eccleſiaſticam protogaſſe, vt eos ad ſoluenda debita poſſit cogere. Quod reſpicit fauorem *Studioſorum*, vt faciliùs inueniant aliquos, qui *Salmanticę* eis pecuniam mutuent, & merces creditò tradant. Quis enim *Scholaribus* ſuccurreret, ſi ad debita re-

cuperanda profecturum se posteà timeret ad eorum patrias? Dum autem secuti sunt, in Tribunali ipso Salmantinæ Academiæ posse debita poscere, & debitores ad illud trahere, non adeò difficulter Studiosis sæpè indigentibus subueniunt. Aliquas quæstiones circa hoc pũctum exagitat Dõ Alfonsus de Escobar *suprà capit. 49. à numer. 14.* quæ videri apud ipsum possunt, cũ ad nostrum institutum hæc attigisse sufficiat.

19 Dubitatur tertiò, an possit ad forum Academicum trahere causas iam cœptas Studiosus, qui hæres est ex asse, vel ex parte, aut bonorum possessor, aut quolibet modo successor in bonis alterius? vel an eas debeat prosequi in foro defuncti, seu illius, cui succedit? Pro vtraque parte habet hæc quæstio patronos, quorum fundamenta, & solutiones affert Don Alfonsus de Escobar *suprà capit. 50.* Breuiter assero; in Academijs, vt in Salmanticensi, quæ priuilegio gaudent (iuxta dicta suprà *quæstion. 2.* vt causæ Studiosorum cœptæ ante Studium trahantur ad Tribunal Academicum,) præfatum Studiosum successorem in bonis posse eas causas ad præfatum Tribunal trahere, cum perinde se habeat, cœptas fuisse ab ipso ante Studium, ac ab alio, in cuius bona successit, cum iam ipse, dum est Studiosus, causas sit secuturus. Deinde, si Studiosus non sponte sua adsit in Academia, sed ob eius insignem eruditionem rogatus fuerit à Principe, vt in ea doceat, adhuc si in Academia non detur priuilegium præfatum, poterit omnes causas anteà cœptas, & pendentes ad forum Academicum auocare, vt probat Barbosa *in leg. si quis posteà, ff. de iudicijs;* quod in fauorem Studij videtur generaliter concessum, ne ille occasione assistendi eiusmodi causis à docendo amoueatur.

20 Secluso autem priuilegio, causæ finiendæ sunt in foro, in quo sunt inceptæ, nisi noua actio proponatur, siuè realis, siuè personalis, siuè mixta, nam iuxta ius commune vbi iudicium est cœptum, ibi est prosequendum; *leg. si is, qui Romæ 34. leg. tam ex contractibus 57. ff. de iudic. leg. 57. titul. 6. partit. 1.* Vide Olanum *in Concordia litter. C. num. 28.* Doctrina tradita extendenda est ad Studiosum successorem maioratus, cum militet eadem ratio. Cæterùm si hæreditatis, vel maioratus sint bona vacantia, poterit Studiosus petere coram Academico Iudice eorum possessionem, etiam si sint vltra diætas. Si autem alius detur possessor eorum, nisi hic sit intra diætas, nequibit de possessione contra eum agere; excepto casu, quo possessio ei data fuerit, *saluo iure tertij*, seu *sine præiudicio tertij*; tunc enim valet Studiosus possessionem petere coram Academico Iudice. De quo, & aliis quæstiunculis circa id ipsum consule Don Alfonsum de Escobar *vbi suprà, cap. 50. §. 3. à num. 34.*

21 Aliqua nunc per compendium sunt præstringenda, vt saltem duorum notitiam libemus, quæ, si ex professo essent disceptanda, longos tractatus desiderabant, & aliena à Theologo calamo censerentur. Primò igitur assero, doctrinã stabilitam de causis cœptis ante studium etiam applicandam esse causis, in quibus agitur de actionibus realibus, seu hypotecarijs, veluti ex censu, emphyteusi, & similibus, quando in Studiosum successorem transeunt. Attamen in causa feudi Studiosus in omni casu conueniendus est coram domino feudi, vt tradit Rebuff. *de priuileg. Scholastic. priuileg. 153.* nisi Reus sit Clericus, & causa feudi criminalis, de qua Dominus feudi, dum sit secularis, cognoscere nequit. Videatur Marta *de iurisdiction. 4. part. cas. 183.* Deinde Studiosus, qui vectigalia, seu alia iura Regia habet quouis titulo, neque conuenire, neque conueniri potest coram Magistratu Academico, sed coram Regijs Iudicibus; & ea videtur ratio, quia in his causis se illis Iudicibus submisit, & præterea cum sint causæ gazæ Regiæ, Rex ipse iurisdictionem circa illas priuatiuam prædictis Iudicibus concessit, ab alijs eam auferendo. Ita cautum est *leg. 6. titul. 1. libr. 4. Recopilation. leg. 57, titul. 6. partit. 1.* Tenent Guzman *de euiction. quæstion. 7. numer. 41.* Bouadilla *libr. 2. politicor. cap. 18. numer. 159. & alij.* Nec assentio doctrinæ Don Alfonsi de Escobar *suprà capit. 50. §. 2. à numer. 32.* tuentis, id non procedere respectu Scholastici Salmantini, quia etiam est Iudex Regius. Etenim hac ratione etiam excipiendi essent ferè omnes alij Magistratus Academiarum, qui iurisdictione Regia gaudent. Deinde id ipsum suadet oppositum; nam si in his causis Scholasticus vsurus foret iurisdictione Pontificia, hæc non potuisset à Rege limitari; cum autem vsurus sit Regia iurisdictione, hæc à Rege limitari potuit; Limitatam autem fuisse, probatur

tur ex prædictis Iuribus Regijs, & eorum Interpretibus, necnon ex conſuetudine, & praxi.

22 Prætereà Studioſus ſuccedens alteri in aliquo officio, negotiatione, æconomia, decurionatu, vel in alio ſimili, non gaudet foro Academico quoad reddendam rationem ſui muneris, nam in his cauſis ſiuè ante ſtudium, ſiuè poſt ſtudium geſtis Iudicem habet ad eas deſtinatum, nempè ordinarium loci, vt cautum eſt *leg. final. titul. 14. libr. 9. Recopilation.* Rursùs ſi quis non Studioſus ſuccedat Studioſo, cauſas ab hoc in foro Academico cæptas poteſt in eodem finire, quia ea cauſa, eo modo, quo eſt, tranſit in ſucceſſorem. Adhuc ſi Studioſus condemnetur, vel hæres Studioſi, in foro Academico, & alterius ſit iam fori, cum ſententia eſt executioni mandanda, adhuc apud Academicum iudicem, & non apud alium petenda eſt ſententiæ executio, iuxta *leg. properandum. §. ſin autem, Codic. de iudic.* Et tenent plures relati à Parlador. *libr. 2. capit. final. 1. part. §. 1. numer. 24.* Vlteriùs Studioſus, vt ſingularis ſucceſſor, vtputà emptor, venditor, locator, legatarius, non ſolùm ante litem inceptam debet in proprio foro conuenire, & conueniri; ſed etiam, ſi lis ſit cæpta in alio foro, quia inſtantia cępta non tranſit in regularem ſucceſſorem; Ita Bartolus, Abbas, Decius, Puteus, Capycius, Moneta, Ponte, & plures alij relati à Don Alfonſo de Eſcobar *capit. 51. numer. 2.* Quod ipſe limitat, ſi in Studioſum res alienetur contra prohibitionem, *titul. ff. & Codic. de litigioſis*; Et etiam quando contra prohibitionem *tit. de alienatione iudicij mutandi cauſa facta*; quibus caſibus non gaudet ſuo foro Studioſus; at Iudex Academicus debet cognoſcere de dolo, aut fraude contractus, an interfuerit, vt conſtet, an ipſe ſit Iudex cauſæ; nam in generali quoties de valore priuilegij, ſiuè fori agitur, à Iudice ipſius priuilegij cauſa eſt cognoſcenda.

23 Itaque ceſſiones, aut donationes factæ Studioſo, niſi fiant à parentibus, præſumuntur fraudulentæ, & ad cauſas ſuper his exortas non gaudet ille foro Academico; quòd ſi in caſibus permiſſis donatio, aut ceſſio intercedat, & aliquis dolum, ſeu fraudem opponat, à Iudice Academico de ea eſt cognoſcendum. Studioſus deinde venditor, aut in quouis alio contractu, in cauſa euictionis proprio foro gaudet, ſi intendat, ſe de euictione non teneri; ſecùs, ſi fateatur, & liti pro emptore aſſiſtere velit, tunc enim eius forum ſequi debet. Ita communior ſententia. Proprio etiam foro gaudet, ſi de retractu iure ſanguinis agatur, aut de recognitione chirographi, vel de actione ad exhibendū, vt contra Guzman reſoluit Eſcobar *vbi ſuprà c. 54. n. 9.*

24 Si cum Studioſo ſint alij litis conſortes, & cauſa ſit indiuidua, illi gaudebunt eodem foro Studioſi, ſecus ſi ſit diuidua cauſa. Ita Rebuff. *vbi ſuprà, priuileg. 106.* Quando duo Studioſi inter ſe litigant, coram Iudice Academię agere debent. Quòd ſi alter ſit Studioſus, verbi gratia, in Academia Salmantina, alter in Complutenſi, aut cum alio priuilegiato in lite Studioſus concurrat; vt cum fiſco, Epiſcopo, Equite, aut Religioſo Ordinum Militarium, milite, aut ſimili, iure communi attento, Reus in proprio foro eſt conueniendus, nam hi priuilegiati habent priuilegium, ne extra proprium forum trahantur, quo priuilegio etiam gaudet Studioſus, ergo ſiuè is ſit Reus, ſiuè alius priuilegiatus, in proprio foto debet conueniri; vbi enim paria ſunt priuilegia, potior eſt cauſa Rei; *Leg. verum 11. §. item quæritur, leg. ſi minor 24. ff. de minorib.* Et ibi Cuiacius, atque Antonius Faber. Quòd ſi priuilegium vnius ex conceſſione, & indultis potentius ſit, quàm priuilegium alterius, & derogatorium illius in caſu cōcurrentiæ, ſtandum eſt priuilegio potētiori. Hinc infert Don Alfonſus de Eſcobar *vbi ſuprà, cap. 55. à numer. 18.* Studioſum Salmantinum poſſe trahere quemuis Reum priuilegiatum ad ſuum forum, dum ſit intra diætas; nam iuriſdictio Scholaſtici Salmantini ordinaria, & conſeruatoria indulgetur poſſe exerceri in quaſvis perſonas, cuiuſcumque dignitatis, & conditionis exiſtant; & derogantur priuilegia Ordinum Militarium, & cuiuſcumque Academiæ, ſeu Eccleſiæ Cathedralis.

25 Hinc ſi Studioſus iniuriam infligeret alicui Religioſo, coram Scholaſtico Salmantino eſſet conueniendus, & non poſſet Religioſus coram ſuo Conſeruatore eum conuenire, niſi priuilegium Religio haberet, quo derogaretur priuilegium conceſſum Studioſo, & iuriſdictioni Scholaſtici Salmantini. In præſenti impugnat Eſcobar *numer. 27.* Emanuelem Rodriguez, eo quòd hic aſſeruerit,

Religioſos vti ſuo Conſeruatore aduerſus alios æquè priuilegiatos, ſi ab illis iniuria afficiantur, & contendit, litem agendam eſſe coram Conſeruatore iniuriantium, qui ſunt Rei. Sed hoc altiorem exigit diſputationem; nam Conſeruator proprius aditur, vt tueatur Religioſos, quorum Conſeruator eſt, eoſque defendat, cenſuras infligendo, ſi opus ſit, in aduerſarios, qui eorum priuilegia impediunt, aut vim aliquam inferunt; Et ſtandum eſt priuilegijs cuiuſque Religionis circa iuriſdictionem Conſeruatorum. Cæterùm in caſu Studioſi poſito, niſi contrarium ex priuilegijs Regularium cõſtet, coram Scholaſtico eſt conueniendus.

Obiter obſerua, præter ea, quæ iam in ſuperioribus tradidimus, adeò certum eſſe, Magiſtrum Scholæ Salmantinum non gaudere iuriſdictione erga Regulares in cauſis eorum criminalibus, quæ ad ipſam Academiam non ſpectant, vt olim Pontifex ad inſtantiam inſignis Cœnobij Sancti Stephani Salmantini Sacri Ordinis Prædicatorum expediuerit Bullam, (quę apud illud aſſeruatur) inqua declarat, non poſſe prædictum Magiſtrum Scholæ cognoſcere de delictis ſpecialibus Regularium ſibi ſubditorum, nec ob illa eos punire, aut in cuſtodia retinere, ſed eiuſmodi delictorum cognitionem pertinere priuatiuè ad Prælatos Regulares.

Quæſtio IIII. Quinam non Studioſi fori Academici priuilegio gaudeant? Vbi etiam de fideiuſſoribus Studioſorum.

26 EGIMVS *libr. 1. quæſtion. 13.* de his, qui, cum Studioſi non ſint, gaudent tamen aliquibus priuilegijs Academicorum, & huc remiſimus quæſtionem de communicatione priuilegij fori Studioſorum. Igitur regulare, & commune eſt, vxorem ſequi forum mariti, non ſolùm ratione domicilij, ſed etiam, ſi forum competat ratione artis, aut priuilegij perſonalis; Ita docent cum communi Oſſualdus *lib. 17. commentar. cap. 12. litter. L.* Barboſſa *in leg. quia tale 14. numer. 23. ff. ſoluto matrim.* Et ſic in Iure ſtatutum eſt *in leg. eos. 6. Cod. de fabricenſib. lib. 11. leg. ne ad diuerſa, Cod. de ſilentiar. libr. 12. leg. 2. in fin. Cod. de Epiſcop. & Cleric. leg. quoties 3. ff. de priuileg. Scholarum libr. 12.* Hinc vxor cuiuſcumque Academici, ſiuè Doctoris, ſiuè Studioſi, foro mariti gaudet, quia id priuilegium ex perſona mariti conſequitur; vnde aſſeritur in *leg. final. Codic. de incolis; Mulierem honore maritorum erigimus, genere nobilitamus, & forum ex eorum perſona ſtatuimus.* Quarè coram Magiſtratu Academico conuenienda eſt, ſicut maritus. Inde, ſi lis cępta ſit ante matrimonium, etiam poteſt eam trahere ad forum Academię in caſibus, in quibus maritus ante tempus ſtudij cępras lites trahere poſſet, ſcilicèt in Academijs, in quibus id priuilegium trahendi cauſas incæptas datur; nam in alijs iure communi attento, trahi nequeunt, *iuxta leg. cum quædam puella, ff. de iudic.* & ſuperiùs iam diximus.

27 Sed ſi Academicus ſit Clericus coniugatus, & foro Eccleſiaſtico gaudeat, dubitatur, an vxor gaudeat foro Academico, qua parte Iudex Academiæ Eccleſiaſticam iuriſdictionem exercet? Supponendum eſt, valdè eſſe controuerſum, an vxor Clerici in Minoribus foro mariti gaudeat? Affirmatiuam ſententiam tuetur Didacus Perez *in leg. 1. titul. 3. libr. 1. Ordin. verſu vxor.* Iuxta quam dicendum eſt, vxorē Studioſi Clerici gaudere foro Academico quoad iuriſdictionem Eccleſiaſticam; vnde non eſt audiendus Don Alfonſus de Eſcobar *de Pontific. & Reg. iuriſdict. capit, 36. num. 10.* aſſerens, nihil hoc intereſſe ad hanc dubitationem, cum Magiſtratus Academiæ, ſaltem Salmantinæ, ſit Iudex Eccleſiaſticus, & Regius, & inde debeat cognoſcere de cauſis eiuſmodi vxoris, ſiuè vxor Clerici in Minoribus gaudeat foro mariti Eccleſiaſtico, ſiuè non. Etenim Academicus Clericus ſolummodò gaudet foro Eccleſiaſtico (ſi in eo concurrant requiſita à Tridentino) & forum Regium non eſt eius forum; ergo, ſi vxor ſolùm ratione mariti gaudet foro, vt ipſemet Author tuetur, non foro Regio Magiſtratus Academiæ, ſed Eccleſiaſtico gaudebit; nec Iudex Academicus poterit de cauſis illius cognoſcere, niſi vt Iudex Eccleſiaſticus, ſicut nequit cognoſcere, niſi vt talis Iudex, de cauſis mariti. Hinc ad Iudicem Eccleſiaſticum appellandum etiam erit, non ad ſęcularem, à ſententia Iudicis Academici in eiuſmodi cauſis.

28 Vidua cuiuſcumque Academi-

demici toto tempore viduitatis gaudet foro mariti; Id enim commune est viduis, vt maritorum foro gaudeant; *leg. final. Cod. de incolis, versu, sin autem; Authentica de nupt. §. non tamen, collat. 4. leg. filij 22. §. vidua, ff. ad municipalem; leg. quotiens 3. Cod. de priuileg. Scholarum libr. 12. Glossa final. in capit. ex parte, de foro competenti; leg. 13. titul. 4. libr. 4. ordin.* Quod verum est, etiam si sit vidua studiosi, & hic, si viueret, transacto tempore amissurus esset forum Academicum, quia tempus mortis inspicitur. Deinde est verum, etiam si post studium decedat vir, dum tamē sit intra quinquennium, in quo censetur Studiosus iuxta dicta superiùs, dummodò circunstantiæ ibi præfixę concurrant.

25 Fideiiussor studiosi non gaudet fori priuilegio, sed apud suum iudicem est conueniendus, vt tuentur Baldus *in Authentica Habita, numer. 25.* Iulius Pacius *ibidem cap. 4. numer. 17.* Hering. *de fideiiussor. capit. 23. numer. 14.* Rebuff. *de priuileg. Scholastic. priuileg. 152. limit. 2.* Etenim id commune est fideiiussori cuiusque priuilegiati; vt in foro proprio conueniatur; et sic de fideiiussore Clerici docent communiter Authores. Quòd si creditor conueniat studiosum in foro Academico, tunc fideiiussor poterit ibidem conueniri, ne continentia causæ diuidatur. Excipitur tamen casus, quo fideiiussor studiosi alteri studioso se obligauerit, nam tunc factus est debitor respectu illius Studiosi, qui eum intra diætas existentem trahere poterit ad suum forum Academicum, vt constat ex stabilitis superiùs. Vltetiùs si Studiosus fideiiussorē dederit, quòd iudicio se sistet, vel iudicatum soluet, casu quo hæc fideiiussio præstita fuerit coram alieno iudice, non valebit; sicut si eam Clericus præstitisset coram iudice sæculari. At si illum fideiiussorem dederit coram Iudice Studij, nisi fideiiussor suo foro renuntiauerit, debet in eo conueniri, vt obseruat Don Alfonsus de Escobar *suprà cap. 39. à numer. 11.* quod intelligendum est, si fideiiussor possit proprio foro renuntiare; nam plures non possunt, vt Studiosus alterius Academiæ, agricolæ in Hispania, & similes.

26 Ex dictis etiam fit, fideiiussores Agassonis, seu Clitellarij, qui res necessarias Studiosis portat, posse ab his conueniri in suo Academico foro, dum illi proprio foro renuntiauerint, etiam si sint extra diætas; nam si intra illas sint, cum redditi fuerint debitores Studiosorum, hi valent eos ad suum forum adducere. Imò etiam, si extra diætas sint, & foro non renuntiauerint, dum iis priùs sit contestata cum Reo principali, & is non compareat, poterunt ad Tribunal Academicum trahi. Rursùs, si aliquis Magistratus approbet fideiiussiones præstitas in fauorem Studiosi, & fideiiussor, aut non sit capax fideiiubendi, aut non fuerit in facultatibus tempore fideiiussionis, potest cōueniri coram Iudice Academico, quia ex culpa tenetur, & cōsequenter tenetur quasi ex delicto.

27 Cæterùm si Studiosus sit fideiiussor alterius Studiosi, certum est, conueniendum esse in foro Academico; quòd si vnus sit ex vna Academia, alius ex alia, in foro Rei lis est tractanda iuxta superiùs tradita de duobus priuilegiatis concurrentibus. Si autem Studiosus sit fideiiussor alterius non Studiosi, aliqui tenuerunt, foro suo debere renutiare, vt sit idoneus fideiiussor, & tunc esse conueniendum coram Iudice ordinario. Sed verius iudico, semper conueniendum esse coram Magistratu Academico, nam foro suo renuntiare non valet, sicut Clericus nequit proprio foro renuntiare; Et ita docet Don Alfonsus de Escobar *suprà capit 39. à numer. 37.*

28 Obiter in præsenti obseruandum est, cum Rebuffo *supra priuileg. 171.* Studiosum non esse cogendum fideiiussores omnino idoneos dare neque in contractu, neque in iudicio, sed quos inuenerit, aut potuerit; vel, si nullum inuenerit, sufficere illi cautionem iuratoriam; ac proinde cogendos esse dominos equorum, aut domorum, vt eas ipsis locent, quouis fideiiussore dato, aut cautione iuratoria, dummodò Studiosus non sit notoriè pauper, aut ignotus. Et in quolibet casu arbitrio Magistratus Academici relinquendum est, vt censeat, quæ sit sufficiens fideiiussio, vel cautio.

Quæstio V. Quæ aliæ personæ foro Studiosorum fruantur?

27 ADHVC alij non Studiosi sunt, ad quos extenditur priuilegium fori Academici. In primis

enim filij ſtudioſorum gaudent eo priuilegio, dum patres viuunt, illo ipſo gaudentes, ne parentes ab ſtudijs auocentur, ſi pro filijs in alijs tribunalibus agere, aut conueniri debeant; quę ratio ceſſat, parentibus mortuis, & ideò tunc filij eo foro non potiuntur. Tradunt hanc doctrinam Barboſſa *in leg. quia tale, ff. ſoluto matrimonio*; Didacus Perez *in leg. 1. titul. 1. libr. 4. ordin. colum. 5.* & alij communiter. Vt autem filij gaudeant prædicto foro parentum, neceſſum eſt, quòd in patria poteſtate exiſtant; quare filij emancipati non gaudent, ceſſat enim ratio conceſſionis priuilegij, cum pater non debeat agere, aut conueniri pro filio emancipato. Quòd ſi in patria poteſtate exiſterent filij, nepotes, & pronepotes, etiam gauderent priuilegio fori, & de trinepotibus id ipſum tractat Barboſſa *vbi nuper à num. 23.* Qui euentus nequeunt apud nos contingere, cum per matrimonium filij à patria poteſtate ſoluantur.

30 Nuntij, & familiares ſtudioſorum iuxta aliquos Authores non gaudent priuilegio fori; Eis quippè ſolùm cõceditur in *relata Authentica Habita, & in leg. 2. titul. 31. partit. 2.* ſecuritas, quæ eſt idem, ac Regia protectio; Cæterùm ſententia communior, & receptior cõtrarium tuetur, ſcilicet nuntios, famulos, necnon Officiales omnes Academiæ, vt ſunt Bidelli, Notarij, Lictores, Oſtiarij, Typographi, & ſimiles, gaudere priuilegio fori Academici. Ita docent Horatius Lucius *de priuileg. Scholaſtic. in fin. tractat.* Rebuffus *eodem tractat, priuileg. 166.* Monet. *de conſeruator. cap. 7. à num. 541.* Marta *de iuriſdiction. 4. part. caſ. 111. à num. 13.* Eſcobar *de Pontificia, & Regia iuriſdiction. capit. 37. à numer. 8.* Dueñas *regul. 305.* Bologninus *in Authentic. Habita, numer. 15.* Oſſualdus *libr. 17. Commentar. capit. 20. litter. K.* vbi pro hac ſententia adducit Iulium Pacium, Sichardum, & Matthæum Stephanum. Quæ doctrina intelligenda eſt, loquendo de iure communi.

31 Probatur hæc aſſertio; nam in primis priuilegium domino conceſſum circa forum communicatur famulis, vt tradi ſolet de famulis Cardinalium, Epiſcoporum, Militum, & ſimilium. De quo conſulendus eſt P. Suarez *de legib. libr. 11.* Deinde Officiales Academiæ ipſis Studioſis inſeruiunt, & corpori Academico ſunt coaptati, vnde cum priuilegia concedantur tum ipſi Academię, tum Studioſis, conſequens eſt, vt eis etiam competant. Hoc aſſertum confirmatur ex dictis *lib. 1. q. 13. §. 4. n. 338.*

32 Cæterùm *in leg. 18. §. 7. titul. 7. libr. 1. Recopilation.* ſtatuitur, famulos Studioſorum in noſtro Regno non potiri priuilegio fori, niſi ipſi ſint Studioſi. Et quamuis Martinus V. *Conſtitution. 22. & 23.* in fauorem Academiæ Salmanticenſis indulſerit, vt priuilegio fori gauderent omnes familiares, & continui commenſales Doctorum, Magiſtrorum, Licentiatorum, & Studentium; tamen Academia hæc habet facultatem ab Apoſtolica Sede reuocandi in ſuo Senatu quaſuis Conſtitutiones Pontificias, ad ipſius regimen ſpectantes, & conſequenter poteſt admittere decretum Regium, quamuis eis Conſtitutionibus repugnet; Conſtat autem ex praxi, admiſiſſe prædictam legem Regiam. Imò erga famulos laicos non poterat non admittere, cum in Academia erga illos communiter iuriſdictione Regia vtatur Scholaſticus Salmantinus; & Pontifex, niſi ob cauſas pertinentes ad bonum Eccleſiæ, ac Fidei, nequeat auferre à Principe Supremo iuriſdictionẽ in laicos ei ſubditos.

33 Annotare tamen oportet, ſi contemplatione domini Studioſi fieret iniuria nuntio, aut famulo non ſtudioſo, competere domino priuilegium fori in cauſa nuntij, vel ſerui, nam tunc non agitur ex perſona famuli. Deinde annotandum eſt, in Academijs, vbi non datur limitatio, quæ in noſtro Regno, vt priuilegium fori competat famulis non ſtudioſis, opus eſſe, vt hi matriculæ adſcribantur, vt in loco Studij dominis Studioſis miniſtrent, & non ſint diarij, ſed verè domeſtici, ac præterea neceſſarij iuxa qualitatem perſonæ. Quæ omnia præcauent rectè Authores præfati, ne detur fraus circa iuriſdictionem.

34 Typographos, & Bibliopolas, alioſque ſimiles gaudere non ſolùm priuilegio fori, verùm & alijs immunitatibus Academicorum, tuẽtur aliqui, quorum ſententiam abſque approbatione retulimus *libr. 1. quæſtion. nuper citata.* Contraria ſententia eſt mihi probabilior, & verior, eamque tenent Don Alfonſus de Eſcobar *vbi ſuprà, numer. 37.* Petrus Gregorius *lib. 18. de Republ. cap. 7. num. 16.* vbi ait, ſic in Senatu Pariſienſi fuiſſe pronũtiatum. Etenim omnes prædicti exercent offi-

officium, quo victitant, & aluntur, commune quidem non solùm vtilitati Academicorum, sed etiam aliorum; & remotiùs ministeria exhibent Studiosis, quàm ipsorum famuli non Studiosi, quibus saltem in nostro Regno priuilegium fori nõ competere assueuerauimus; & aliunde non extat indultum speciale expressum circa prædictos; nec debet priuilegium Studiosorum ad eos extendi, cum extensio hæc sit odiosa. Et sanè in praxi hanc doctrinã video obseruari. Aliàs, si pharmacopolæ Studiosorum, vt aliqui Authores tradunt, gauderent hoc priuilegio, pariter contenderent institores, sartores, sutores, & alij, qui necessaria Studiosis ministrant, eo potiri, quod absurdum est, & reipublicæ regimini non consentaneum.

35 Ipsi Magistratus Academici fori priuilegio gaudent in suis causis criminalibus, & ciuilibus; si aliqua obseruentur. Nẽpè in causis criminalibus ipsi cognoscunt in omnibus casibus, in quibus alij Iudices Ordinarij de similibus suis causis cognoscunt; Quas exprimunt Interpretes *in leg. qui iurisdictioni 10. ff. de iurisdict.* Quare cognoscere possunt de iniurijs, quæ ipsis irrogantur, & de criminibus, quæ cõtra ipsorum iurisdictionem committũtur. In causis ciuilibus iure nostro Regio statutum est, vt Iudex Ordinarius possit suas causas delegare; Ita Gregorius Lopez *in leg. 9. tit. 4. partit. 3. in fin. in gloss. verbo, algunome.* Hinc infert Escobar *vbi suprà, cap. 38. num. 7.* in Salmantina Academia posse Magistrũ Scholæ corã suo Vicario, qui nũcupatur Iudex Studij, agere, & conueniri; atq; è conuerso Iudicẽ corã Magistro Scholę, nisi velint adire Iudices Superiores. De Rectore Salmãtinæ Academiæ idem proportionatè dicito, quòd scilicet in causis suam iurisdictionem concernentibus, vel criminalibus, vt si iniuria ipsi irrogetur, aut sua iurisdictio impediatur, ipse sit Iudex. In alijs verò causis coram Scholæ Magistro, & agere, & cõueniri debet. Etenim exemptio, ac iurisdictio Rectoris solùm respiciunt certa genera causarum; in alijs autem eumdem Iudicem habet, ac si Rector non esset, cum respectu aliarum ipse non sit Iudex, & iudicem habere debeat; non autem alium nisi Scholasticum Salmantinum, eiusvè Vicarium. Obseruat tamen Escobar *cap. 21. num 213.* in causis pertinentibus ad ipsum Rectorem non posse aditi Scholasticum Salmantinum per viã recursus, querelæ, aut appellationis, quia in eis Rector immediatè subiacet supremis Potestatibus. Quod ego limito, nisi Rector operetur contra statuta Academiæ, tunc enim adiri posse Scholasticum Salmantinum, suadetur, tum quia est Iudex Conseruator illorum, & iurisdictio Conseruatoria potest in quemuis exerceri, qui Conseruatore non sit superior, tum ex frequenti consuetudine, & praxi.

36 Demum ad forum Academiæ trahẽde sunt causæ, quæ Tribunal ipsum Academicum, eiusque dignitatem respiciunt; quare Rei quilibet, etiam non subditi, dum existant intra diætas, possunt ad id forum vocari ob promissionem iudicialem, aut aliam obligationem, seu pœnam ipsi Tribunali, vel Fisco Academico debitam.

37 De Clitellarijs, seu Mulionibus, qui necessaria studiosis portant, tenendum est, vt iam asseruimus, posse eos in foro Academico ab Studiosis cõueniri; Et insuper addendum, eos gaudere etiam priuilegio eius fori, dum publicè id officium exerceant authoritate Iudicis Academici, & in matricula sint adscripti. Nec eis refragatur constitutio Regia suprà tradita, quòd famuli Studiosorum (si non sint studiosi) non gaudeant priuilegio fori; quia ea lex abstulit priuilegium famulis singulorum, non verò eis, qui publicè inseruiunt, & ministeria exhibent Studiosis saltem vnius Prouinciæ, aut Vrbis; sic etenim consuetudo eam legem fuit interpretata. Nec obstat, quòd ab aliquibus Authoribus traditur, eos, qui asportant necessaria ad locum studij, si conueniantur in aliqua causa coram Iudice Academico, posse declinare iurisdictionẽ; quia vel intelligendi sunt de his, qui id officium, non ex proprio munere, nec authoritate eiusmodi Iudicis exercent; vel non sunt audiẽdi; cum eo ipso quòd hi foro Academico gaudeãt, possint in illo conueniri, sicut possunt Studiosi, in omnibus causis. Quod adeò verum est, vt etiam agricola, vel alius priuilegiatus illud officium publicè exercens, si Reus sit, possit trahi etiã vltra diætas ad forum Academicum, sicut possunt Rei studiosi, quia Reus in suo foro conueniẽdus est, & ad illud trahendus, vbicumque existat; & quando Reus dupli cis fori priuilegio gaudet, potest Actor ad quodlibet illorum eum trahere, cum in proprio foro Reum cõueniat, nec ad aliud teneatur. Videatur Collantes *in pragmat.*

mat. lib. 3. cap. 6. Author Suarez *libr. 2. resp. 16. c. 4.* Escobar *suprà. c. 42. §. 1. n. 18.*

Quæstio VI. Quando, & in quibus casibus amittatur forus Studiosorum?

38 IN primis amittitur forus, finito tempore Studij, & quinquennij post ipsum, in quo censetur quis Studiosus; imò intra quinquennium, si arbitrio Iudicis constet, eum, qui studia absoluit, nec ad Academiam esse rediturum, nec prosecuturum Studia litterarum, cessat fori priuilegium. Deinde amittitur à vidua Studiosi, si nuptias contrahat cum alio nō Studioso. Rursus amittitur ab Officialibus Academiæ, à Clitellarijs, & similibus, illicò ac officia dimittunt, cū non gaudeant priuilegio fori ratione personæ, sed officij. Adhuc amittitur à filijs Studiosorum, cum exeunt à patria potestate, si ipsi non sint Academici. Præterea ab Studiosis ipsis amittitur, si non habeant requisita *infra quæst. 8.* adstruenda.

39 Amittitur etiam forus Studiosorum propter crimen hæresis, aut concernens, cuius cognitio priuatiuè pertinet ad Sacræ Fidei Quęsitores. Item si Studiosus occidat Clericum, & Magistratus Academię careat iurisdictione Ecclesiastica, forum amittet, quia per id crimen ad forum Ecclesiæ, vt Reus, transfertur. Quòd si crimen committat Studiosus, cui in ipsis Academiæ statutis pœna amissionis fori infligatur, illud amittet. Sicut etiam amittet, si Magistratus Academicus propter enorme delictum illum priuet priuilegio fori, & ex aluo Academiæ eum remoueri præcipiat. Similiter amittit forum Studiosus in causa, in qua Reum vltra diætas coram suo Iudice Academico conuenerit, nam poterit ipse in foro alterius reconueniri; vt tradunt Bouadilla *lib. 2. cap. 17. num. 128. & cap. 18. num. 162.* Rebuffus *de priuileg. Scholast. priuileg. 160.* Salicetus *in Authentic. Habita, num. 25.*

40 Difficilius est, an Studiosus per resistentiam factam Iudicibus Regijs, aut Ecclesiasticis forum amittat? Si resistentia fiat ipsi Magistratui Academico, indubitatum est, ad eum causę cognitionem pertinere. Si autem fiat Iudici Ecclesiastico, non proprio, secundum ius commune, asserit Narbona *in leg. 20. tit. 1. lib. 4. Recopilat. gloss. 18. num. 36.* amittere forum, si iniustè resistat; secùs verò, si resistat iustè. In Academia Salmantina Studiosum ob prædictam resistentiam non amittere forum, constat ex *Constitut. 23.* Martini V. vt expendit Escobar *de Ponticia, & Regia iurisdict. cap. vlt num. 16.* Imò id extendit ad omnes Hispaniæ Academias ex iure Regio; nam *in leg. 28. tit. 7. libr. 1. Recopil.* statuitur, amitti forum propter resistentiam Iudicibus Regijs factam; ergo non propter factam alijs Iudicibus, cum ea sit quasi exceptio, quæ firmat regulam in contrariū.

41 Quòd si resistentia fiat à Studioso Iudicibus Regijs, constat ex ea lege, & ex pluribus Regijs rescriptis ad Prætores locorum, in quibus sunt Academię, destinatis, priuilegium fori amitti. At intelligendum est, si Studiosi non sint Clerici foro Ecclesiastico gaudentes, quia hi nequeunt trahi ad tribunal Regium in his causis criminalibus, quare remittendi sunt à Iudicibus Regijs, si eos capiant, ad Magistratum Academiæ, quamuis resistentia fuerit, vt aiunt, qualificata. Quòd si non sint clerici eiusmodi, forum in ea causa amittent; Rex quippè suam iurisdictionē erga Studiosos tribuens Magistratui Academico, potest eam limitare, vt in casu prædicto limitat, præcipiens, vt à Iudicibus sæcularibus de ea causa cognoscatur; & sic obseruari, sæpè Salmāticæ vidimus; Esto non possim non dolere, quòd valde rigidè aliqui Iudices Regij erga Studiosos in his, & similibus casibus se habuerint, nec attenderint, quę sæpe in hoc tractatu ex varijs Authoribus grauissimis repetimus, aliquid indulgendum esse ætati iuuenili; nec Studiosos adeò acerbè, ac alios Reos, fore tractandos, sed proportionatè iuxta delicta fore non parum de rigore tū vinculorum, tum supplicij, remittendum.

42 Restat nunc examinare, an forus ab Studioso amittatur, renuntiatione simplici, aut etiam iurata, vel submissione facta alio Iudici extraneo? Tenendum est, nullo modo ex his amitti forum, quia Studiosus nec expressè, neq; tacitè (nisi ex aliqua causa administrationis, vt superiùs libauimus, & in iure est cautū) ratione loci, delicti, aut rei, potest foro renuntiare, aut alieno Iudici se submittere validè. Etenim priuilegium fori vniuerso Ordini Studiosorum, non singularibus

est

eſt conceſſum; neque in fauorem ſingulorum, ſed in gratiam Studiorum, & litterarum; atque adeò nulli licet renuntiare id, quod non ſibi, vt perſona ſingularis eſt, exstat conceſſum; cum id eſſet in præiudiciũ totius ordinis Studioſorum, cui ipſe præiudicare nequit; ſicut ob eamdem rationem nequit Clericus fori priuilegio gaudens ei renuntiare, cum id priuilegium in fauorem totius Cleri, & Eccleſiæ ſit conceſſum. Quare iuramenta interpoſita in ſimilibus fori renuntiationibus ſunt nulla, & annullantur *in cap. ſi diligenti, de foro cõpetenti.*

43 Hinc nec ipſe Magiſtratus Academiæ poteſt conſentire renuntiationi fori, tum ob præiudicium inde illatum ſtatui Studioſorum; tum quia, cum ipſe Iudex priuatiuus ſit in cauſis Studioſorum, eique conceſſa fuerit erga illos iuriſdictio, ablataque ab alijs Iudicibus, nequit ipſe per conſenſum efficere, vt alij Iudices gaudeant iuriſdictione, quæ illis non eſt præſtita à Supremis poteſtatibus, à quibus in Iudices inferiores omnis iuriſdictio deriuatur. Conſulantur Barboſa *de poteſt. Epſcopi, allegat. 124. num. 7* Balboa *in cap. 1. de foro competenti, quæſt. 1.* Vultejus *in leg. 1. Cod. de iuriſdict. num. 128. & 168.* Oſſualdus *lib. 17. commentar. cap. 10. litt.* N. *& cap. 20. litt.* K. Videatur etiam circa hanc, & præcedẽtem quæſtionem Beſſoldus *de Studioſis, cap. 2.*

Quæſtio VII. De alijs priuilegijs, quæ ſunt conceſſa Scholaſticis.

44 PRAETER priuilegium fori, & alia toto decurſu libata, adhuc plura priuilegia Scholaſticis ſunt cõceſſa, quæ omnia, valdè expediret, defendi, & obſeruari, vbi Iure ſpeciali non ſunt abrogata; loquimur enim de iure communi. Igitur Horatius Lucius *de priuileg. Studioſor. priuileg. 1.* docet, omnia priuilegia competentia Pijs cauſis competere cauſis Studioſorum, quæ etiam cenſendę ſunt cauſæ piæ, cũ in Studio publica vtilitas vertatur, & cauſa pia dicatur, quæ ad vtilitatem publicam ſpectat. Idem *priuileg. 2.* ait, Scholares, & Academias gaudere priuilegijs Eccleſiarum, & Clericorum; & inde docent aliqui, fas eſſe, ſumptus ex bonis Eccleſiaſticis in Profeſſores Academiarum conferre. *Et priuileg. 7.* tradit, Studioſos frui priuilegijs Pauperum. Ac etiam *priuileg. 8.* affirmat, eos potiri priuilegijs Peregrinorum, quia vel extra patriã in cauſa pia detenti verſantur; vel in ſua patria ſtudent, ſeu docent, quaſi peregrini, & aliorum odio expoſiti.

45 Idem Horatius Lucius *priuileg. 23.* inquit, donationem ſtudioſo factã ſine inſinuatione valere; & *priuileg. 61.* legatum incertum, Studij cauſa, præſtari debere; rurſus *priuileg. 3.* cauſam Studiorum magis priuilegiatam eſſe, quàm dotis, ac propterea, ſi legatum ad Studia, & ad dotes ſit relictum, & vtriſque nõ ſufficiat, Studiorum fauorem prẽualere: Deinde *priuileg. 9.* Studioſos gaudere priuilegijs Ciuium; Et *priuileg. 10.* Studioſos abſentes Studiorum cauſa potiri commodis præſentium; Ac *priuileg. 11.* ea omnia, vt reſtitutionem in integrum, & ſimilia, quę conceduntur abſentibus ex iuſta cauſa, cõ petere etiam Studioſis abſentibus.

46 Ipſemet Horatius Lucius *priuil. 16.* probat, filium, qui ex voluntate patris incepit Studia, poſſe eum compellere, vt ſumptus neceſſarios miniſtret; Et *Priuileg. 21.* dantes mutuum Studioſis poſſe illud repetere etiam ab inuitis parẽtibus; Item *priuileg. 18.* Senatus Conſultum Macedonianum non habere locum in Studioſis; rurſus *priuileg. 27. & ſequentib.* expenſas, & libros filijs præſtitos ad ſtudia cenſendos eſſe ex pietate paterna donari, & non venturos fore in collationem; & ſub alimentis contineri tum illos, tum cætera neceſſaria ad perſonæ qualitatem, docet Franciſcus à Souſa *in repetit. §. actiones, Inſt. de action part. 4. à num. 103.* Quòd ſi collatio in aliquo caſu ſit facienda, æſtimari debent libri eo pretio, quod tempore collationis habent, non eo, quo empti fuerant, cum ad Studioſorum manus peruenerunt. Præterea Parladorius *Rerum quotidianar. quæſt. 14. num. 6.* docet, eum, qui debet præſtare alimenta, ſeu debitorem alimentorum, quæ alicui ſunt deſignata ad ſtudendum, teneri ad portandũ ea ſuis ſumptibus ad locum Academiæ, vbi ille verſatur. Obiter nota, eum, cui relicta ſunt alimenta, vt ſtudeat, ad ſtudium teneri ex eo tempore, quod deſignatur ab eo, qui relinquit alimenta; quare ea amittet, ſi id non exequatur. Si autem tẽpus non ſit deſignatum, debet ſtudijs vacare tem-

retempore commodo, & opportuno, viri prudentis arbitrio, designando: aliter negari ei possunt prædicta alimenta.

47 Docent adhuc Aloysius Ricius *in collect. decis. part. 5. decis. 3042.* Hunnius *ad Authentic. Habita, cap. 2. quæst. 12.* Vincentius Carocius *de remed. contra sententias præiudiciales. except. 56.* libros Studiosorum nec per generalem expressam hypothecam censeri obligatos, nec executionem in illis fieri posse; nec creditores eius, qui proximus est Gradum Doctoris accipiendo, posse sequestrare sumptus, qui ad Gradum sunt destinati. Deinde Eneckel *de priuileg. parent. priuileg. 5. num. 21.* Kremberg, *de sumptibus Studiorum, quæst. 6.* tuentur, si pater det filio Doctori, Magistro, aut Licentiato, libros, & Insignia Graduum, ea effici quasi castrensis peculij, & in collationem non venire, nec donationem reuocari posse.

48 Horatius Lucius *priuileg. 34.* ostendit, dominos domorũ compelli posse, vt eas Scholaribus locent; & *priuileg. 72.* Scholares in Prouincijs Imperij posse immediatè ad Imperatorem appellare à quauis sententia; & *priuileg. 57.* Scholasticos excusari tum in loco studij, tum in patria à muneribus personalibus; Rursus *priuileg. 52.* represalias tempore aliquorũ Imperatorum frequentes non extendi ad Scholares; Imò nec extendi ad parentes, qui pergebãt ad locum Studij ad filios inuisendos, post Rebuffum affirmat Philippus Paschal *de patria potestate, parte 4. cap. 10. num. 31.*

49 Ioannes Camman *disp. de Iurib. Maiestat. disp. 11. thes. 85.* & plures alij docent, omnes Studiosos liberos esse à censu, & exactionibus quibuscumque ratione librorum, aliarumque rerum, quas Studiorum causa afferunt, aut habent; ita vt nec attendatur consuetudini soluendi vectigalis respectu eorum; & publicanos, seu exactores iniustè aliquid ab illis extorquentes, quadrupli pœna, & insuper alijs debere puniri.

50 Prolixum fuisset, fundamenta, & iura priuilegiorum, quæ retulimus, recensere, nec item cuncta priuilegia, quæ ab Authoribus traduntur, exprimere; Ad summa capita ea redegimus; Consulat, qui velit, Horatium Lucium, ex professo de illis tractantem, necnon & Rebuffum; præterea Besoldum *in dissertatione de Studiosis, cap. 3.* Middendorpium *de Academijs vniuersi orbis lib. 1. cap. 23.* Hunnium, & alios Interpretes *in Authentic. Habita*; D. Alfonsum de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdictione*, passim decursu tractatus.

51 Obseruauerim tamen circa priuilegia præfata, & alia, quæ *lib. 1.* adduximus, ac cætera, quæ pro qualibet Academia sunt concessa (vt de Salmantina *lib. 1.* ostendimus) plura eorum vel desuetudine non efflorere; vel iure speciali, vnicuique regno proprio, fuisse abrogata; atque adeò inspiciendum esse, quænam in singulis Vniuersitatibus obseruentur.

Quæstio VIII. Qui sint Studiosi, & quæ conditiones requirantur, vt priuilegio fori, & cæteris immunitatibus gaudeant?

Vbi de nomenclatura Scholasticorum, & Scholarium.

52 LITTERAE suam cum militia similitudinem, & vicinitatem habent, & inde non pauca nomina mutuãtur; sic *Tyrones* vocamus Scholares incipientes, seu de nouo ad Academiam venientes, mutuato nominè à Tyronibus, qui militare incipiebãt. De his asserit D. Isidorus; *Tyrones dicti, antequam sacramento probati sint, milites non sunt. Romanus autem mos fuit, puberes primùm exerceri armis: nam decimo sexto anno Tyrones militabant, quo et iã solo sub custodibus agebant.* Dabatur autem Magister tyronum, qui eos probaret, & instrueret; Sic *4. Reg. cap. 25. v. 19.* asseritur; *Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones.* De tyronibus, eorumque Magistro consule Capitolinum *in vita Maximini*; Suetonium *in vita Galbæ, cap. 6.* P. Pinto Ramirez *in Spicilegio tract. 1. cap. 44. à n. 15.* & apud ipsum alios. Sic etiam nomẽ *Schola* fuit à militia desumptum; ea enim vox erat propria militiæ; Sic loquitur Vegetius *lib. 2. cap. 21. ibi; Per diuersas cohortes, & diuersas Scholas milites promouentur.* Diuersæque Scholæ in militia dabantur, quæ erant quædam Societates, aut Collegia Militum, nempè Equitum, Preditum, Scutariorum, Sagittariorum, Clibanariorum,

rum, & Gentilium, in quibus singuli in armorum vsu exercebantur. Et plura de illis extāt in vtroque Codice, Theodosiano, & Iustinianeo, sicut etiam de Scholis militiæ inermis, in quibus alia officia, aut ministeria exercebantur, vt in Scholis Fabricensium, in Schola societatis Sacrarum largitionum, & similibus; & extat titulus *De priuilegijs Scholarum in Cod. lib. 12.* Earum verò præpositi dicebantur Capita, seu Primicerij. Plura de illis vide apud Gutherium *de offic. domus Augustæ lib. 2. cap. 14. & lib. 3. cap. 10.* Filesac. *lib. 1 select. cap. 3.* Meursium *in Glossario Græco Barbaro, verbo, Scholarij;* Martinium *in lexico Philog. verbo, Schola.* Inde in nostra etiam Hispania vocamus Scholam eam, in qua exercetur, & addiscitur aliqua ars, v.g. Scholam equitandi, saltandi, tangendi, & similes alias.

53 Inde ergo litterariam Scholam dicimus eam, in qua litterarum Studia edocentur, addiscuntur, & exercentur, & illos, qui in ea addiscunt, per antonomasiam *Scholares*, seu *Scholasticos* nuncupamus; etsi enim, qui alias Scholas equitandi, tangendi, & similes frequentant, potuissent Scholasticorum, aut Scholarium voce insigniri, tamē ea frequētatibus nobiliorem cæteris Scholam litterarum vnicè est applicata. Hodie vtrumque nomen Scholasticorum, & Scholarium confunditur; sed olim Scholares dicebantur, qui in Schola addiscebant; Scholastici verò, qui causas defendebant, & inter se disputabāt, vt cernere est *in leg. 2. Cod. Theodosiano de concussione aduocatorum*; Hinc idem est, *Scholasticè dicere*, ac rem per controuersiā disputare, vt obseruat Petronius *in Symbolis p. 52. vers. 6.* Hinc etiam *Theologos Scholasticos* nuncupamus eos, qui res diuinas, & quæstiones Deum respicientes varijs argumentis, & controuersijs perquirunt, ad differentiam eorum, qui casus conscientiæ, seu Theologiam moralem, vel ad mores pertinentem, edocent, aut addiscunt, qui non adeò metaphysicis argumentis res stabiliunt; esto non minus ingenij, & acuminis sæpè in his moralibus quæstionibus inuestigandis desideretur. Appellantur etiā Scholastici in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, qui dignitatem habent, quæ dicitur *Scholastria*; & ipsi alio nomine Magistri Scholę dicuntur, quorum nomenclaturam alibi in hoc tractatu dedimus. Vnde, quia huic dignitati in Alma Ecclesia Salmanticensi annexum est munus Cancellarij, Conseruatoris, & Iudicis ordinarij Academiæ Salmantinæ, ipse in instrumentis publicis subscribit, *Scholasticus Salmantinus*, & nos eo nomine frequēter vtimur in hoc tractatu, de illo loquentes.

54 Igitur Scholares, seu Scholastici sub nomine Studiosorum comprehenduntur, & etiam sub voce Academicorum, gaudentq; priuilegio fori, & cæteris, quæ in Academijs singulis vigent, dum tamen sint qualitatibus prædiri, quæ nūc sunt exponendæ. In primis debent esse aliuo, vel matriculæ Vniuersitatis adscripti, vt omnes Interpretes fatentur; per eam namque inscriptionem suum nomen dant litterariæ militiæ, & iuramentum præstāt de obediendo Rectori Academiæ in licitis, & honestis, quæ nempè pertineant ad ipsam Academiam, eiusque bonum publicum, vtilitatem, & authoritatem; fiuntq; inde subditi Magistratuum ipsius Academiæ. Hæc conditio suppleri nequit nisi à Principe; de illa quippè extant leges cōditæ in vnoquoque Regno, & in nostro sic est stabilitum. Videatur Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdict. cap. 32. à num. 3.* legis autem dispensatio, vel reuocatio ad solum Principem spectat; iuxta *leg. legē 9. Cod. de legibus* De iuramento Rectori præstando vide Ioannem Frischen *in Authent. Habita, pag. 189.* Baldum *ibidem num. 57.* Rebuffum *de priuileg. Schol. priuileg. 153.* Hunnium *eodem tractatu, cap. 1. quæst. 1.* Hoc iuramentum præstatur, cum matriculæ adscribuntur. Aduerte tamen, si Scholasticus audierit lectiones in Cursu annuo, & per obliuionem, aut alia de causa legitima non fuerit matriculæ inscriptus, posse Senatum Academicum supplere eam inscriptionem omissam, vt sic Cursus annuus probetur; Id enim non est, reuocare legem circa inscriptionem in matricula conditam, sed eam interpretari, præmissa inquisitione de causa legitima, et de lectionum auditione continua. Et sic prętstatur in Academia Salmantina, quando casus occurrit.

55 Addit idem Escobar, illud supplementum matriculæ, seu dispensationem non posse concedi à Pontifice, quia cōditio matriculę respicit temporalem gubernationem Academiæ, & non singulos Studiosos, siue clericos; & quoad id regimen soli Principi in suo territorio subiecta est Academia. Quòd si quis matriculæ sit inscriptus, & errore Secretarij, aut Notarij, nomen fuerit mutatum, aut eius negli-

negligẽtia amissum, potest id supplere Rector cum Academico Senatu; id enim non est dispensare, sed declarare, eum reputandum fore matriculæ adscriptum, cum præstiterit, quantùm in se est, & non debere ipsi nocere errorem, negligentiam, aut dolum Notarij.

56 Postquam quis cursum litterarium perfecit, aut Studia finiuit, iam asseruimus, gaudere per quinquenniũ priuilegio fori, & cæteris, dum per coniecturas sufficientes non constet, eum mutasse animum studendi, aut reuertendi ad Academiam. Cæterùm dum in illa versatur, & matriculæ adscribitur, vt cursum litterarium peragat, conditio alia requiritur, vt prædictis priuilegijs fruatur, nempè vt Scholas frequentet, discendi gratia. Ita Besoldus *in dissertat. de Studiosis cap. 2.* Salicet. *in Authentic. Habita, num. 30.* Palacios *in rub. §. 38. n. 3.* Rebuffus *de priuileg. Scholast. priuil. 141. & seq.* Horatius Lucius *eodem tract. priuil. 73.* Didacus Perez *in leg. 8. tit. 2. lib. 1. ordin* & alij plures ab ipsis relati. Faciunt hunc textus *in leg. si duas §. 6. & vtique, ff. de excusat. leg. 1. Cod. de collegiat. lib. 11. leg. qui sub prætextu, C. de Sacrosanct. Eccles.*

57 Aliqui tamèn ex relatis Authoribus cõtendunt, frequentationem Scholarum posse suppleri, si quis domi suę studeat Sed in primis non ideò intendunt, posse cursum litterarium obtineri, si quis Scholas non frequentet, nam inferiùs ostendemus, ita in hoc standum esse Statutis, vt nullatenùs obtineatur cursus eiusmodi, nec probari queat, nisi assistatur lectionibus specialiter determinatis in Statutis ipsis; & sic docet Escobar *suprà num. 10.* asserens, in scholarum frequentatione, & lectionum auditione non solùm attendi ad priuatam singulorum vtilitatẽ, sed ad publicam, & ad authoritatem Academiæ, ac Professorum decentiam; indeq; ad vnguem, ait obseruanda esse, quæ in Statutis disponuntur. Itaque præfati Authores solùm cotendunt, Scholares studentes domi gaudere priuilegio fori, & cæteris immunitatibus.

58 Sed adhuc non stant à veritate, si loquantur non de recolentibus studia post cursus litterarios finitos (de quibus vera est eorum doctrina) sed de his, qui actu Studia prosequũtur, vt eos Cursus obtineant. Etenim priuilegia eis concedun-tur, dum suo muneri satisfaciant, & Academijs assistant; vt ex eorum frequentia honor litterarius accrescat, & Academiarum fama euulgetur, quo fiat, vt in maiori habeantur æstimatione, & alij ad Studia suscipienda alliciantur. Et quidem, si singuli possent domi suæ manere, adhuc studendo, pariter omnes id præstare valerent, & Academia omnino desereretur discipulis, Professoresque, & Magistri in otio essent. Quis autem non videat, id esse contra mentem Fundatorum ipsarum Vniuersitatum, & contra finem, qui in eis intenditur? Fallunturq; qui existimant, se domi studentes tantùm in litteris profecturos, ac si Academias frequẽtarent; id enim est asserere, non esse opus Magistris ad Scientias addiscendas, meliùsq; sine eis addisci posse. Vnde stabilio, tãquam certum, eos, qui Academiam non frequentant, neque in foro externo, neq; in conscientia, posse gaudere priuilegijs Studiosorum, nec cursus annuos probare. Inferiùs hæc latiùs ostẽdemus, & plura dubiola declarabimus, circa lectiones, tempus in eis insumẽdum, an sufficiat assistere, quin dictata scribantur, et similia.

59 Alia etiam conditio requiritur ad gaudendum priuilegijs præfatis, scilicèt vt Studiosi litterarum disciplinæ incumbant in Studio generali, et Academia approbata; Ita docent Petrus Gregor. *de republ. lib. 18. cap. 1. à num. 3.* Baldus *in proœm digest. §. & hæc tria, num. 10. prim. lectur.* Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 56. à num. 21.* Sunt autem in Hispania nostra eæ omnes Academię approbatę, quas recensuimus *lib. 1. à num. 92.*

60 Adhuc alia conditio requiritur, nempè vt Studiosus non incumbat studio scientiæ illicitę, seu reprobatæ, qualis est Necromantia, et similes; Qui enim eis tempus impẽdunt, priuilegia amittunt. Ita tuentur Salicet. *in Authentic. Habita, n. 2. & 11.* Baldus *ibidem num. 27.* Horatius Lucius *tract. de priuileg. schol. in fin.* Rebuffus *eodem tract. priuileg. vlt.* Petrus Gregor. *vbi nuper, cap. 7. versu vlt.* Quam doctrinam rectè limitat Escobar *suprà cap. 32. num. 64.* videlicèt eum Studiosum priuilegijs priuari, qui dumtaxàt disciplinis illicitis incumbit; nam, si quis simùl addisceret Ius ciuile, seu Canonicum, et Necromantiam, posset quidem puniri propter studium huius disciplinæ illicitæ, sed gauderet priuilegijs, cũ studio licito Iuris incumberet.

61 Inquires nunc, si Scholaris matriculæ adscriptus frequentet Academiam,

miam, sed lectionibus assistat, non addiscendo, sed perstrependo, confabulando, & alios interturbando, an gaudeat priuilegio fori, & cæteris? In primis assero, hunc peccare lethaliter, quia damnum graue infert alijs Scholaribus, & ipsi Academiæ; & etiam committit culpam scandali, dum occasionem præbet, vt alij idem, ac ipse, præstent. Consequenter affirmo, eum non obtinere cursum litterarium, nec hunc posse probari ab illo. Deinde dico, eum non gaudere vllo priuilegio Studiosorum; quippè iam statuimus, opus esse frequentatione Academiæ, & assistentia ad lectiones, vt gaudeat priuilegijs Studiosus; hic autem, de quo dubium præsens versatur, nec frequentat Academiam, nec lectionibus assistit; ea enim frequentatio, & assistentia non est moralis, & humano modo, qualis est requisita ad gaudendum priuilegijs; Si enim roges, quid faciat ille Scholaris, nullus tibi respondebit, eum assistere lectionibus, eas audire, & addiscere; sed potiùs respondebitur, eum confabulari, perturbare cæteros, & scandalum gignere. Sicut in simili non iudicatur assistere Missæ, qui, dum ea celebratur, cum alijs colloquitur, vel huc, illucque diuagatur, quia ea assistentia solùm est materialis, sicut si esset dormiens, non verò moralis, & humano modo habita; quare ille sic assistens non satisfacit præcepto Missæ in die festo. Vide Rebuffum *supra priuileg. 70. & in Authentic. Habita, verbo, omnibus.*

62 Confirmatur, nam qui studijs non incumbit, sed iocis, & ludis, indignus est, qui priuilegijs gaudeat, nam verè non est Studiosus; Sic priuilegia concessa militibus ad vltimas voluntates conficiendas, non competunt eis, si in otio, aut patria quiescant, sed dum in expeditionibus sunt occupati, *iuxta leg. penult. Cod. de testament. milit. &c.* vt asseritur *in cap. cauete, 22. quæst. 5.* mendacium est, se Christianum dicere, & Christi opera non facere; sic etiam est mendacium, se Studiosum dicere, & Studij munera non explere. Videatur Sagitarius *quæst. illustr. dec. 4. quæst. 7.*

63 Inde Scholares non studentes deberent ab Academia ejici, sicut commorantem in Collegio, & non studentem, eo priuari debere, cum Andrea Barbat. docet Bissoldus *in dissertat. de studiosis cap. 2. pag. 9.* Rigidius adhùc id cauebatur in Iure, nam *in Codice Theodosiano leg. 1. de Studijs liberalibus vrbis Romæ, & Constantinop.* sic habetur; *Immineant Censuales, vt singuli eorum, qui ad Vrbem discendi veniunt cupiditate, tales se in Conuentibus præbeant, quales esse debent; Qui turpem, inhonestamque famam, & consociationes (quas proximas esse putamus criminibus) æstiment fugiendas, ne vè spectacula frequentiùs adeant, aut appetant vulgò intempestiua conuiuia. Quin etiam tribuimus potestatem, vt, si quis de his non ita in Vrbe se gesserit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poscat, publicè verberibus affectus, statimque nauigio superpositus, abijciatur Vrbe, domumq; redeat.*

64 Rectè profecto in oratione quadam facta Scholaribus Vintembergensibus aiebat Georgius Maior allatus à Bessoldo *suprà pag. 12. Cum inter vos sint aliqui, quos hic non amor doctrinæ, neque discendi cura detinet, sed liberiùs, & licentiùs videndi occasio procul à Parentum cõspectu; & quorum vita, studium, & opera occupatur rebus minimè Ordini nostro conuenientibus, illis edicimus, vt hinc discedant procul, & talem alibi potiùs, quàm in Academia nostra vitam agant; Quæ non ideò tantùm nocet plurimùm, quòd prouocat iram Dei, attrahit, accelerat, & cumulat pœnas publicas, & calamitates, turbat tranquillitatem publicã, frangit, & eleuat authoritatem legum; sed etiam permultorum animos grauiter offendit morum dissolutione, quæ laxatæ disciplinæ speciem præsefert, aliquos verò contagijs horum infectos, & pollutos corrumpit, vt degenerent. Quòd si commorati hic tales diutiùs fuerint, nec vitæ, & morum emendatione præbuerint spem frugis melioris, nostrum erit perficere, vt à talibus Catharmatis hic catus expurgetur, ne pars syncera trahatur; & si optaremus, eos memores pietatis, & officij sui, diligentiores esse in studijs, & regendis moribus.* Hinc cernitur, quantùm debeãt inuigilare Magistratus Academiarum, vt Scholares in suo officio se cõtineãt; eos expellẽdo à loco Studij, qui otio, & tumultib⁹ vacãt, ne cæteros perdant.

65 Iam olim Scholarium petulãtium in vrbe Carthagine licentiam dolebat S. Augustinus *libr. 5. confess. cap. 8.* Et in Academias Italiæ, & Galliæ istius modi Scholares non studentes, sed turbantes irrepsisse testatur Specchanus *cent. 2. class. 1 quæst 5. sub num. 1.* Stephanus Tornacensis Episcopus, *Epist. 208.* Ioannes Filesac. *libr. 1. selectar. fol. 355.* & adhuc antiquiùs è Romana vrbe aliqui Athenis Studiorum causa

versantes, adeò desides, & ab ipsis Studijs erant alieni, vt post septenniũ ibi insumptum Romam ipsis redeuntibus, non esset, qui crederet, eos fuisse Athenis versatos, vt reperies facetè decantatum à vate Horatio *Epod. 2. lib. 2.* Hæc mala omnino sunt ab Studiosis vitanda, dum, vt asserit Camman. *disp. de iuribus Maiestat. 3. th. 36.* Quales Schola exhibet, tales habitura est Respublica, & Ecclesia Moderatores, ac primarios ciues; &, vt in *Authentica Habita* à Friderico Imperatore pronuntiatur, Studiosorum scientia totus illuminatur mundus, & ad obediendum Deo, & Principibus vita subiectorum informatur. Hoc ipsum assumptũ prosequemur *quæst. sequenti.*

66 Ad calcem aliqua sunt obseruanda; Primò non censendos fore Studiosos, nec priuilegijs gaudere, etiam si matriculæ adscribantur, & Scholas frequentẽt, homines publicè infames, & eos, qui è manu carnificis egressi sunt, vt tradit Bessold. *suprà cap. 2. pag. 14.* Etenim censendum est, subreptitiè illos fuisse matriculæ adscriptos, cum aliàs non permitteretur, in gremiũ Academiæ admitti. Quare, etiam si de nouo delinquant, non attinet ad Academiæ Magistratum causæ cognitio, nec impositio pœnæ, nisi delictum commisissent aduersus Studiosum, & intra diætas existerent, intra quas Rei etiam alterius fori trahi possunt ad Tribunal Academiæ, si ciuiliter actio intentetur, vt damnum illatum compensetur, non verò si intentetur criminaliter, vt pœna imponatur; sic enim in proprio foro sunt conueniendi, cum non gaudeant foro Studiosorum iuxta dicta *suprà hoc libro, quæst. 2.*

67 Secundò obseruandum est, tradita in hac quæstione de pers trepẽtibus, exsibilantibus, & commouentibus alios, intelligenda esse, si continuatè, & frequenter id præstent, non verò si vna vel alia vice, ita vt communiter moderatè se gerant, & attentè lectionibus assistant, sic enim gaudebunt fori priuilegio, ac cæteris; esto debeant puniri, & coerceri. Nec peccabunt mortaliter, si aliquando rarò id efficiant, nec lectiones per aliquot dies impediant; quia non est reputanda grauis quantitas damni, quod inferunt, nec graue scandalum, quod pariunt. De quo etiam inferiùs sermo redibit.

86 Tertiò obseruare oportet, vbi in Magistratu Academiæ vtraque iurisdictio residet, Ecclesiastica, & Regia, Studiosos laicos gaudere foro iurisdictionis Regiæ, & Studiosos clericos foro iurisdictionis Ecclesiasticæ in prædicto Magistratu residentis, dum tamen hi clerici habeant requisita à Tridentino *sess. 23. cap. 6. de reform.* Vbi decernit, initiatos prima tonsura, aut in quatuor minoribus Ordinibus cõstitutos non aliter gaudere priuilegio fori, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeant, aut deferentes clericalem habitum, & Tonsuram alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiant, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Vniuersitate de licentia Episcopi quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versentur. Don Alfonsus de Escobar *vbi suprà capit. 32. num. 6.* ait, Clericos coniugatos studiosos, etiam si prædicta requisita habeant, non gaudere foro Ecclesiastico, sed Regio Academico, quia Tridentinum solis non coniugatis, si in Studio essent, concessit, vt foro Ecclesiastico fruerentur. Et insuper aduertit, quocumque requisito ex dictis deficiente, vt licentia Episcopi, vel simili alio, Cleticum Studiosum non fore potiturum eo foro, nisi in casu absentiæ ab Ecclesia, cuius seruitio est destinatus, si ea absentia ex impedimento necessario oriatur, vt si alicubi ægrotet, aut vinculis detineatur; vel si absentia de licentia Episcopi sit in loco Studij, vt Tridentinum concedit.

Quæstio VIIII. Quæ sint obligationes in communi Scholariũ?

69 DE obligationibus Scholarium in speciali, seu in singulis casibus occurrentibus, agemus toto hoc libro, cum dubia circa illos decidamus. Nunc in communi aliqua libabimus. Fusè de illis tractant Middendorpius *de Academijs totius orbis tom. 1. ferè per totum*; Bessoldus *in dissertatione de Studiosis, capit. 2.* P. Alfonsus de Andrade in libro Hispano *de perfecto Scholastico*, & alij passim.

70 Communis omnium hominum obligatio sectandi virtutem maximo perè Scholasticis incumbit, vt timore Dei scientia firmata, & profectus vberes faciãt, & in publicam vtilitat: accrescãt. Vitiorũ quippe sequaces indigni sunt,

sunt, qui scientiis ornentur, & animus cupiditatum illecebris irretitus nequit veram, & sanam doctrinam ebibere, qua sibi, & alijs prodesse valeat; Nec mens ad voluptates intenta potest ad studia litteratum expediri, quæ totum exigunt hominem à curis profanis, & à cogitationibus improbis alienum.

71 Modestiam debent præ se ferre Scholastici tum in actionibus, ac moribus, tum in verbis, tum in cultu, ac vestitu. Iuuentutem enim Studijs addictam, & instar Clericalis normę compositam dedecent immodestæ facies, motus incompositi, verba procacia, vana, iuramẽtis intermixta, parùm pudica, & ornamẽta corporis magis ad luxum, quàm ad decentiam parata. Sic quondam in Academia Salmantina (in qua nunc etiam plurimi eodem tramite incedunt) vt ait P. Antonius Possevinus *lib. 1. Bibliothecæ selectæ cap. 8.* Scholastici se habebant; Eius verba sunt; *Cæterùm, cum quatuor millia Salmanticæ littteris operam dent, ac verò septem aliquando fuisse millia, scriptum sit, ij omnes vitæ honestate, moribus, sermone, cœnobium Religiosorum (& horum quidem valdè obseruantium) repræsentant. Vestes omnes induunt ad talos vsque, quibus angustior domi res non sit. Neq; verò arma non sericum, non alicuius generis colores gestant. Vt mirandum non sit, vbi ea ratio, & forma. Academiæ sit, quam & sequuntur aliæ Hispaniæ, & Lusitaniæ Academiæ, ibi diuinum cultum efflorescere in Regnis, atque inde per vniuersum orbem semina omnis religionis seri, ac matureſcere.*

72 Pacis, quietis, & concordiæ amor cordibus Scholasticorum omnino est inuiscerandus, ne tumultus foueant, nec ad rixas prouocentur; procul à se omnium armorum genera proijciant, maximèque ignea. Quid enim litteris cum armis? Adeò sanè dissonat, Scholarem incedere armis oneratum, noctu per compita loci vagantem, aut rixis, seu duellis incumbentem; ac militem in exercitu, dum cæteri commilitones præliantur, euoluentem Ius ciuile in suo tentorio quietum permanere. Scholastici, qui arma ambiunt, pergant ad castra, nec alios turbẽt, qui suo muneri insistunt.

73 Vnio maxima inter Scholares ipsos penitus est curanda; nec pro Nationum varietate affectus debent esse diuersi. Hæc solet tumultuum, & discordiæ frequens esse occasio, quòd inter se cõiunctì, qui ex vna Prouincia, Regione, aut Natione sunt, inimicitias cum alijs alterius Prouinciæ, Regni, seu Nationis gerunt, & conuicia inuicem in se iactant, quibus prouocati ad arma descendunt. Sin minùs, pro aliquo suę Prouincię Candidato impetu cæco feruntur, quasi premium non sit pro meritis deferendum, sed pro ipsorum affectu. Quòd id non semel contingat, cernere est in his, quæ annotat Iacobus de Vitriaco *in Histor. Occident. cap. 7.* loquens de Academia Parisiensi, in qua ipse litteris incubuerat tempore Philippi Augusti Regis, quo vndique ad illam Studiorum causa confluebatur. Eius verba dignissima obseruatione sunt, nam mutatis terminis, seu vocibus, quid hodie in Academijs contingat, describunt. Ait ergo; *Non solùm autem ratione diuersarum sectarum, vel occasione disputationum sibi inuicem aduersantes Scholastici contradicebant, sed pro diuersitate Regionum mutuò dissidentes, inuidentes, & detrahentes, multas contra se contumelias, & opprobria impudenter proferebant. Anglicos, potatores, & caudatos, affirmãtes. Francigenas, superbos, molles, & muliebriter compositos, asserentes. Teutonicos, furibundos, & in conuiuijs suis obscœnos, dicebant. Normannos autem inanes, & glorioſos. Pictauos, proditores, & fortunæ amicos. Hos autem, qui de Burgundia erant, brutos, & stultos reputabant. Britones autem leues, & vagos, iudicantes, Arturi mortem frequenter ijs obijciebant. Lombardos, auaros, malitioſos, & imbelles. Romanos, seditioſos, violentos, & manus rodentes. Siculos, tyranos, & crudeles. Brabantios, viros sanguinum, incendiarios, rurarios, & raptores. Flandrenses, superbos, prodigos, & commessationibus deditos, &, more butyri, molles, & remissos appellabãt. Et propter eiusmodi conuicia de verbis frequenter ad verbera procedebant.*

74 Magistros, ac Professores summa debent Scholastici veneratione prosequi. Erga omnes comitatem, & vrbanitatem seruent, in eius exercitio se inuicem præuenientes. Vanitatis sint expertes, ne sibi commune odium, & fastidium concilient; facilè alijs in locis, ac sedibus cedant; nec de suo sanguine gloriabundi prærogatiuas ambiãt. Mutuo æqualitatis, quantum decentia patiatur, & familiaritatis commercio sese immiscеant; nulli detrahant, nec in iras leui quaque occasione superueniente, assurgant. A Venete, & Baccho abstineant; & vt ait Neuian. *in Sylua Nuptiali, lib. 5. n. 52. Abeãt hinc de-*

licatuli, & belluones. Pinguis enim venter non studet libenter. Et qui celebrat omnia festa, numquam addiscet Codicem, & Digesta.

75 Cum ciuibus loci, in quo versantur, concorditer agant, nec causam dissidijs ministrent, in suo officio sese continentes. Statuta Academiæ obseruare tenentur; destinatis lectionibus assistendo, nec illas vllo tempore interturbando; strepitus quippè, & clamores vilium sunt homuncionum. Exercitia litteraria frequentent, & quæ in eis disputantur, obseruent, vt profectus in disciplina faciant. Libros necessarios apud se habeant; & suo quisque studio, horis destinatis, incumbat; inquiratque à Viris litteratis, quo pacto Studium suscipiat, quos libros euoluat, quid ad maius in litteris incrementum præstet. Quæ inter studendum dubitat, seu non percipit, ab alijs inuestiget, & toto animo conetur ad vtiliora sectãda. Et quidè Studiosus libros suos vendens, ni si prematur ineuitabili necessitate, est infamis infamia facti iuxta Rebuffum *de priuileg. Scholast. priuil. 57.* Ceterùm libros iocosos, & qui solùm delectent, á se repellat, ne animum ab Studio diuertant.

76 Magistratibus, ac Iudicibus Academiæ obsequium, & obedientiã Scholares exhibeant, vt subditos decet. Donatiua à tyronibus, quæ vocantur vulgò, *Patentes, y Barbas*, nequaquam exorqueant; Etenim, præter quàm quòd in casibus inferiùs exponendis (cum de hoc puncto quæstionem instituamus) peccatum id graue est, restitutionique obnoxium, sanè cum inter amicos vrbanè, & in rebus modicis id non præstatur, dedecet viros ingenuos, & proprium est ignobilium, deprauatorum, & prædonum. Denique tales se præbeant Scholastici, vt nomen, quod sortiuntur, iustè retineant, parentibus grati, Reipublicæ spectabiles, Academiæ digni alumni. Hæc quasi in fronte præfixisse sufficerit, quæ vtinam omnes haberent præ oculis, vt nec latum vnguem à tradita norma discreparent. Ad specialia iam deueniamus.

(?)

[***]

Quæsto X. Ad quid obliget Scholares, & alios Academicos pœna præstiti iuramenti de obediendo Rectori?

(!)

77 SCHOLASTICI, qui aluo Academiæ Salmanticensis adscribũtur, præstant iuramentum de obediendo Rectori, (idemque in alijs Academijs contingit; quare eis quæstio hæc est communis) idemque iuramentum præstant quotannis Magistri, ac Doctores in Sacello ipsius Academiæ, die ad id designato; imò Magister Scholæ tenetur idipsum simul cum illis eo die præstare. Hęc autem obedientia non est vniuersalis, qualis præstatur Prælato à subdito Regulari, sed in ordine ad ea, quæ spectant ad bonum publicum Academiæ, regimenque ipsius, profectum Scholasticorum in Studijs, modestiam, & moderationem in ornatu, huiusmodique alia. Similiter prædictum iuramentum præstatur à Regularibus, qui Academiam frequentant, & quotannis post nouum electum Rectorem, qui in profesto Sancti Martini eligitur, matriculæ adscribuntur, vt sic Communitates Regularium gaudeant foro Academiæ, & coram Scholæ Magistro possint suas causas agere, & præterea ipsi Religiosi Studentes possint Cursus Theologiæ peragere, & deinde Gradus obtinere.

78 Independenter ab hoc iuramento Scholares, & Academici subduntur Rectoris iurisdictioni, sicut respectu aliorum Iudicum, & Superiorum non est necessarium iuramentum, vt quis eorum sit subditus, sed hoc ipso, quòd ibi degat, vel ibi officium gerat, vbi illi præsunt, eis subijcitur; sic etiam hoc ipso quòd quis aluo Academiæ inscribatur, munusvè in illa gerat, Rectori fit subditus, cum ille in Academia sit Superior, & caput; & consequenter absque iuramento gaudet priuilegijs Studij. Quod confirmatur, quia, vt constat *ex constitutione 5.* Academiæ Salmantinæ, potest Rector compellere Scholasticos, qui de nouo Academiam ingrediũtur, vt id iuramẽtum præstent, atq; eos punire, si detrectent præstare; ergo, quia illicò

illicò vt in numero Scholasticorum constituuntur, subditi fiunt Rectori; aliàs, si subditi non essent, nequiret eos compellere, ac punire. Ita Don Alfonsus de Escobar *de Regia, & Pontificia iurisdictione in Studijs &c. cap 7. à num. 1.*

79 Quare iuramentum ad id præstatur, vt nouo vinculo teneantur Academici obedire Rectori, nouaque pœna periurij ligentur, si eius mandata transgrediantur; sicut vasallus aliàs obligatur ad feudum persoluendum, & insuper tenetur iurare feudi solutionem à se fore præstandam, vt nouo vinculo obstringatur; idque videre est in omnibus materijs, in quibus quis aliquid exequi tenetur, quod tamen iurare potest, aut vouere, vt noui vinculi obligationem subeat; Sic valet quis iurare, aut vouere auditionem Missæ diebus Festis, solutionem decimarum, ieiunia aliundè debita, continentiam à peccatis mortalibus luxuriæ, & similia. Vide Couartub. *in cap. quamuis pactum. 1. part. §. 7. in fin.* Caietanum *2.2. quæst. 88. art. 5. dub. vlt.* P. Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 18.* P. Vazquez *1,2. quæst. 72. art. 6. disp. 98. cap. 3. num. 7.*

80 Hinc non rectè asseruerunt Pacius in *Authentica Habita, Cod. ne filius pro patre &c. cap. 9. num. 3.* Rebuffus *priuileg. 153. versu, Item dicunt;* Mathæus Stephan. *lib. 3. part. 2. cap. 10. num. 7. & cap. 12. num. 52.* relati ab Ossualdo, & ab Escobar *vbi suprà num. 8,* iuramentum prædictum ideò præstari, ne Academicus, si conueniatur coram Rectore, possit eius iurisdictionem declinare, & alios Iudices adire iuxta priuilegium concessum in *in relata Authentica Habita.* Etenim inspiciendum est, an secluso iuramento, posset ille declinare iurisdictionem Rectoris; nam, si posset, non tollit iuramentum, quo minùs ita præstet; si autem non posset, nihil ad id iuramentum refert; cum iuramentum solummodò noua obligatione roboret subiectionem, quam ille aliunde habet.

81 His positis, casus pro praxi frequens est, an sub mortali peccato obligentur Academici exequi id, quod Rector præcipit sub pœna præstitit iuramenti? Facilè decidetur hoc dubium, si supponamus doctrinam inter Authores communem; nempè iuramentum promissorium duas continere veritates, aliam de præsenti, aliam de futuro. Veritas de præsenti est ea, quæ dum iuratur, reperitur in intentione adimplendirem iuratam; quæ veritas si deficiat, est peccatum mortale id iuramentum, quamuis materia iurata sit leuis; id namque est, iurare simpliciter cum mendacio. Veritas de futuro est illa, quæ post iuramentum factum reperitur in executione rei iuratæ. Hęc si deficiat, & materia sit grauis, committitur peccatum mortale periurij; Si verò materia sit leuis, solum peccatum veniale patratur; verbi gratia, iurauit quis peregrinationem ad limina Apostolorum, si eam non adimpleat, mortaliter peccat, quia est materia grauis; Iurauit rursùs recitare semel salutationem Angelicam, si non reciter, materia est leuis, & ideò dumtaxàt venialiter delinquit.

82 Iuramentum ergo de obediendo Rectori promissorium est, cum iuretur quid exequendum de futuro; &, cũ præstatur, debet adesse animus, & intentio adimplendi illud in omni materia licita, & honesta; nam si ea intentio desit, erit peccatum mortale eiusmodi iuramenti prolatio. Deinde, cum acceditur ad rei iuratæ impletionem, vrgente Rectoris præcepto, videndum est, quænam sit qualitas materiæ iniunctæ; si enim sit grauis, peccatum graue erit, eam non exequi, & deficiet ei iuramento veritas de futuro in materia graui; si autem materia sit leuis, solùm peccabitur venialiter in defectu executionis, & obedientiæ.

83 Hæc assertio infertur manifestè ex doctrina de iuramento promissorio nuper libata, & inter Authores melioris notæ communi. Deinde confirmatur, quia in eo, qui aliunde tenetur obedire Superiori, iuramentum, ac votum de obediendo illi solùm addit nouum vinculum, & obligationis firmitatem, ita vt ratione illius non fiat inobedientia absolutè peccatum veniale, aut mortale, sed vt fiat, quod aliàs erat peccatum veniale, vel mortale, maius peccatum ratione circunstantiæ voti, aut iuramenti, quæ circunstantia constituit culpam in ratione, seu specie sacrilegij, aut periurij, v. g. tenetur Clericus sæcularis obedire Episcopo in rebus ad iurisdictionem Episcopalẽ pertinentibus; peccat, si non obediat, leuiter, aut grauiter iuxta materiæ qualitatẽ. Quòd si hic Clericus iurasset, seu vouisset Episcopo obedire, tunc inobedientia non esset absolutè peccatum veniale, aut mortale ratione voti, siuè iuramenti, sed supposita materia, & suppositio, esse peccatũ mortale, seu veniale ratione materiæ, noua cir-

cunstantia grauitatis ex voto, seu iuramento proueniret.

84 Similiter igitur, cum Academici teneantur obedire Rectori, quia caput, & superior eorum est, iuramentum de obediendo illi dum taxàt superaddit nouũ vinculum, & firmitatem, ratione cuius erit grauius peccatum inobedientia in genere peccati mortalis, aut venialis iuxta qualitatem materiæ; ex qua desumẽda est grauitas, aut leuitas peccati; & ex iuramẽto desumenda est circunstantia addens grauitatem. Hæc doctrina traditur à Medina *in sum. lib. 1. cap. 16. §. 11.* Emanuele Rodriguez *2. tom. summæ cap. 9. num. vlt.* Don Alfonso de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdict. cap. 7. à num. 9.* P. Azor *lib. 11. institution. moral. cap. 8. quæst. 11.* P. Thom. Sanchez *in sum. tom. 2. lib. 3. c. 4. n. 2. & 6.* Vbi plures refert.

85 Sed ad praxim magis accedamus, exponendo, quæ sit materia grauis uis, aut leuis in his, quæ communiter sub pœna præstiti iuramenti à Rectore iubentur. Solet ergo ille sub pœna præstiti iuramenti iniungere, vt omnes Scholastici eum comitentur in sancti Martini Festo, & cũ nouus Rector simul cum illo ad Sacellũ sanctæ Barbaræ in Ecclesia Matrice tendunt, vt iuramentum solitum nouus Rector præstet, & deinceps in Consessu Academiæ se exhibeat; similem comitatum solet alijs diebus præcipere. Rursùs potest, & assolet (si se ferat occasio) iubere, vt omnes alicui Supplicationi publicæ, vel Funeri alicuius Academici assistant; aut orationem aliquam diebus determinatis ad Deum in Sacello Academiæ fundant. Hæc ergo si non adimpleantur, quamuis causa excusans desit, nõ est peccatum mortale, sed dũtaxàt veniale; quippè materia prædicta nõ est grauis, sed leuis, cum non maximè interesit ad publicum bonum, nec ex transgressione graue damnũ sequatur. Idem dico, si ipse, vel Magister Scholæ præcipiat, ne Scholastici sericis vestibus vtantur: vtrumque tamen sub limitatione statim apponenda.

86 Et, quamuis Medina cõtrarium sentiat in his duobus, scilicèt in comitatu Rectoris, & in vsu vestium sericarum, tamen Don Alfonsus de Escobar, & P. Thomas Sanchez impugnãt Medinam, & nostrum assertum tuentur. Quod tamẽ ego limitauerim; Si Scholastici omnes, aut saltem numero plurimi inter se cõuenirent de non comitando Rectorem, vel de afferendo vestes sericas; tũc enim quisque, vt cooperans, peccaret grauiter; quia damnum graue sequeretur, nempè quòd Rector absque comitatu, & cum defectu graui decentiæ, quam eius dignitas iustè illis in casibus exigit vt sibi debitam, incederet; & quòd scandalum ex vsu earum vestium sequeretur ex ea conuentione, & publicus defectus modestiæ, ac moderationis in ornatu; & præterea in vtroque casu daretur contemptus præcepti à Rectore iuncti.

87 Cæterùm si Rector sub pœna præstiti iuramenti præcipiat, vt aliqui siuè, Doctores, aut Magistri, siuè Consiliarij, vel Scholastici conueniant ad rẽ grauem, & valdè vtilem tractandam, ac decernendam; vel si iubeat, non afferri arma ignia, aut alia prohibita; Vel non impediri lectiones strepitu, & vocibus per plures dies ante tempus Natiuitatis Domini, Bacchanalium, & Hebdomadæ sanctæ, aliaq; his similia, materia esset grauis, & transgressio foret peccatum mortale cum circunstantia periurij; quia ea trãsgressio vergeret in damnum graue boni publici, & vtilitatis Academiæ.

88 Dixi suprà, transgressionem obedientiæ Rectoris in aliquibus materijs non esse peccatum lethale, quamuis nulla causa excusans interueniat; Etenim, si detur causa legitima excusans ab executione præcepti, siuè sit materia grauis, siuè leuis, nulla dabitur culpa in non adimpletione illius. Id etenim commune est omnibus præceptis positiuis, vt absq; culpa prætermittãtur, si causa legitimè excusans adsit. Excusabitur autem quis legitimè à comitatu Rectoris, aut funeris, seu alterius similis obsequij, si sit debili valetudine; aut ornatum decentem, quo possit domo egredi, non habeat; vel in causa pietatis detineatur, vt si ægrotanti assistat, vel quid simile gerat; pluresque aliæ causæ his affines excogitari valent.

89 Iam verò quæres primò, an ipse Rector, cui præstatur iuramẽtum, possit illud relaxare? Respondeo, in primis posse respectu huius, aut illius in vno, vel alio casu suspendere præceptum iniũctum in communi omnibus, sicut enim potest illud præceptum non iniungere, sic potest suspendere, & quasi dicere; Id omnibus præcipio, nisi Ioanni, aut Petro. Vel, quod in idem recidit, valet præbere facultatem, vt aliquis illud non adimpleat.

90 Deinde certa est ea doctrina-

ctrina, quæ tradit, non esse semper necessariam iurisdictionem Ecclesiasticam ad irritandum, siuè relaxandum iuramenta, cū id queant præstare respectu filiorum impuberum patres, & in certis casibus coniuges ad inuicem, & domini respectu seruorum, tam in iuramentis, quàm in votis. Et præterea is, in cuius fauorem iuramētum fuit factum, potest illud remittere. De quibus consulantur Aragon *2.2.quæst.89.artic.9.* Sotus *de iustit.& iur.l.b.8.art.9.quæstion.1* P. Azor *Institut.moral lib.11.cap.9. in fin.* P. Thom. Sanchez *in summa tom.2. lib.3. cap.13.& 20.* Et ego *in tomo in Bullam Cruciat.d.sp.26.anum.10.* vbi plures Authores de hac materia tractantes reperies.

91 Inde fit, posse à Rectore remitti, aut relaxari iuramentum factum in eius fauorem; vt tenet Escobar *vbi supr. num.21.* dum tamen id iuramentum nō sit præstitum etiam in fauorem Academię, quo casu Academia simul cum Rectore poterunt illud remittere. Et sanè cēseo, iuramentum de obediendo Rectori, non solum in eius fauorem concipi, sed & ipsius Academię, cuius vtilitati, & recto regimini expedit, vt omnes Academici sub vno capite militent, & vinculo iuramenti fortius ad id adstringantur, in idque simul cōueniant, quin sit inter eos vlla difformitas, & quasi separatio. Quarè id iuramentum absolutè sumptum, censerem, nō posse omnino à solo Rectore remitti respectu omnium, nec respectu vnius in omnibus materijs.

92 Quę res secundò, an iuramentum de obediendo Rectori obliget, cum nouus Rector eligitur, antequam nouum iuramentum fiat? In primis fit hoc iuramentum quotannis ab Scholasticis Salmantinis expressum, vel implicitum, cum matriculæ adscribuntur, & qui Salmantinam Academiam recenter frequentant, bis matriculæ subijciuntur; semel cum primùm ad diem Diui Lucæ veniunt, & iterùm post festum Sancti Martini, nouo Rectore electo, vnde vtrique Rectori iuramētum præstant; qui verò anno antecedenti erant adscripti matriculę, semel solùm ei adscribuntur post Sancti Martini diem. Verùm hoc non fit, vt iuramentum, quod nō aliter obligaret, eos obliget, sed vt aluo Academiæ inscripti eius priuilegijs gaudeāt, & cursus Scholasticos probare queāt. Quippè censeo, iuramentum priùs præstitum semper eos obligare, dum in Academia versantur; quia iurant de obediēdo Rectori, quisquis hic sit; Contingit enim, sæpè decursu anni Rectorem ante diem sancti Martini Salmantica discedere, aliumque Rectorem in aliquos menses, seu dies eligi, quin denuò iuramentum præstetur ei ab Scholasticis; & nihilominus Rector hic medio tempore electus solet plura, aut aliqua saltem iubere sub pœna præstiti iuramenti (vt præcipit comitatum in die sancti Martini) quod præceptum legitimè iniungitur, alias à grauissima, & sapientissima Academia non sustineretur, & idcirco ea pœna contrahitur, si præceptum violetur, vti omnes sibi persuasum habent. Signum igitur est manifestum, iuramentum semel emissum de obediendo Rectori obligare, etsi alius Rector eligatur. Vide Couarrub. *in cap.requisisti. num.6. de testam.* Didacum Perez *leg.3. tit.10 lib.1.ordinat.* P. Thom. Sanchez *in sum.tom.2.lib.3.cap.13.*

Quæstio XI. An Scholasticus promoueatur validè, & licitè ad Gradum Bachalaureatus afferens litterarios cursus aliquos falsos, aut deficiente ei aliquo requisito secundum Academiæ statuta?

93 SIT prima assertio, eum validè in foro interno gradum Bachalaureatus accipere. Sic cum Palacios, & a lijs tenet P. Thom. Sanchez *tomo 1. consil.moral.lib.2.cap.1.dub.37.à num.3.* & Diana *4.part.tractat.4.resolut.173.* Siuè gradus sit in Artibus, siuè in Theologia, aut Iurisprudentia, siuè etiam in Medicina Ratio est, quia hic Gradus pro foro interno solùm posset esse inualidus, si eo gaudens, præcisè ex vi illius, damnum alijs inferret, vel sibi aliquid vsurparet; hoc autē non contingit; nam, si doctus ille non sit, saltem eà doctrina, quà alij rectè gradu potiti florent, nec poterit se opponere Cathedris, nec eas obtinere, nec munus gerere aduocati, aliaue similia. Quòd si adeò doctus sit, ac alij, poterit munia prædicta obire, cum pro foro conscientiæ ad ea gerenda non annulletur gradus ob defectus in quæstione propositos; nēpè ob cursum vnum, vel alium falsum; ob defectum matriculę; ob carentiam schedulæ examinis, si aliunde erat sufficiens ad audiendam illā facul-

facultatem. Docent ita plures Magistri cõsulti, & sic sensisse non paucos neotericos, ait Pater Thomas Sanchez *suprà numer. 14.*

94 Ex quo sumenda est ratio à priori huius asserti. Etenim, quando concurrit id, quod secundum ius naturale est necessarium, defectus solemnitatum, quæ iure humano requiruntur, non annullat contractum, vel quasi contractum pro foro conscientiæ; vt tuentur Couarrub. *reg. peccatum, 2. part. §. 3. num. 9. & cap. cũ esses de testam. à num. 5.* Nauarr. *in sum. cap. 28. in addit. ad num. 58. cap. 25.* Ludouicus Lopez *1. part. instructorij noui, cap. 165. fin.* Henriquez, & alij. Sed ad gradum Bachalaureatus iure naturali sola est necessaria ea doctrina, quam solent habere hi, qui illo ritè, & rectè donantur in Academia (quæ doctrina valdè solet esse exigua, eo quòd hic gradus non multùm, nisi in aliquo raro casu, qualem attigimus *lib. 2. numer. 260.* in ordine ad alia officia, & munia æstimetur) ergo pro foro conscientiæ validus erit ille gradus, dum eiusmodi doctrina adsit, quamuis desint solemnitates requisitæ iure humano, & statutis Academiæ. Cæterùm pro foro externo inualidus erit ille gradus, si ab aliquo probetur defectus solemnitatis, aut requisiti essentialis; quod commune est omni contractui. Dixi *essentialis*; tum quia pro foro externo essentialiter aliquæ solemnitates requiruntur, sine quibus contractus est inualidus, sicut etiã testamenta, & alia huiusmodi; tum quia è contra aliquę solẽt esse solemnitates, quibus adhuc dificientibus, pro foro externo valent actus; esto puniri possint, qui eos exequuntur absque illis.

95 Sit secunda assertio. Si non detur iuramentum in probatione cursuum, & requisitorum, non erit peccatum mortale accipere gradum Bachalaureatus, prædictis requisitis deficientibus, dummodò adsit ea doctrina, quam cõmuniter habent, qui ad illum promouentur; & quàm exigua soleat esse in pluribus, iam libauimus. Asserti ratio est, quia celebratio cuiusvis contractus ex defectu præciso solemnitatum, quæ iure humano requiruntur, nõ est peccatum mortale, & aliundè nullius ius læditur, nec quidquam vsurpatur, vt superiùs attigi; non igitur adest caput, vnde gradum sic accipere, peccatum lethale sit. Nec indè id peccatum consurgit, quòd ille immeritus honorem gradus accipiat. Quippè nec honor est magnæ æstimationis, nec, si doctrina non accedat, vtilitatem affert plurimi momenti.

96 Et quidem contra Alcocer *in sum. cap. 27.* docet P. Thomas Sanchez *vbi suprà num. 5.* promoueri minùs sufficientem ad gradum Bachalaureatus, non esse peccatum graue; quia ratione solius gradus huiusmodi nulli fiditur, sed doctrina spectatur. Nec hinc argumentum fit ad gradum Licentiati, aut Doctoris, vel Magistri; rationes enim disparitatis desumentur ex his, quæ probant, esse peccatum lethale, accipere eos gradus, ac approbare ad illos insufficientem. Videantur dicta de his *lib. 2. q. 15.*

97 Dices primò; ex nostra doctrina inferri, non esse peccatum lethale, hominem imperitum, imò litterarum ignarum accipere gradum Bachalaureatus, deficientibus omnibus requisitis, ac solemnitatibus. Nego sequelam. Et in primis, si non deficiant requisita iuxta Academiæ statuta, qui accipit eum gradũ ritè, sanè iam habuit schedulam examinis, & annis aliquibus præfixis ab statutis interfuit lectionibus; vnde nequit supponi, esse omnino imperitum, & litterarum ignarũ; quòd verò sit minùs sufficiens, non obstat iuxta dicta *num. præcedenti.* Deinde, si deficiant ea requisita, supposuimus, eum habiturum eam saltem notitiam, aut doctrinã, quam solent communiter habere, qui eum gradum accipiunt cum schedula examinis adscripti matriculæ, & cursus legitimè probantes; hi autem nequeũt esse omnino litterarum ignari.

98 Dices secundò, sequi ex nostra opinione, in Academijs, in quibus ad Cathedras obtinendas Scholastici suffragium præbent, suffragari licitè eos, qui cursus falsos afferunt. Respondeo, id minimẽ sequi ex vi traditæ doctrinæ; nam in hoc agitur de iure alterius, cui damnum graue inferri potest; at in acceptione gradus Bachalaureatus cursum aliquem falsum afferendo, nulli infertur damnũ; quare, licèt hi cursus ad gradum absque peccato mortali afferantur, non inde colligitur, afferri posse ad suffragium. Quid autem tenendum sit circa suffragia eiusmodi, seqũenti quæstione statuemus.

99 Demùm assero, si iuramentum intercedat ad accipiendum prædictum gradum, quo quis iuret, se afferre cursus legitimos, satisfeciisseque solemnitatibus ab statutis Academiæ præfixis, si hæc secùs se habeant, non posse absque peccato

to mortali accipere gradum. Quod assertum est constans, cū hoc casu daretur periurij peccatum. Neque potest alium inducere, aut rogare, vt id iuret, cum sit inductio ad periurium. Hic obseruandum est, validè esse curandum à Notarijs, & Secretarijs Academiarū, ne Cursus litterarios falsos admittant, præstita diligenti sollertia ad eos dignoscendos. Inde *in leg. 12. & 14. tit. 7. lib. 1. Recopil.* apponitur formula, qua hi cursus sunt probandi, vt ex vna in aliam Academiam transferantur.

Quæstio XII. An in Academijs, vbi ius suffragij ad Cathedras habent Scholastici, possint illud præbere, si solùm habeāt aliquem Cursum falsum, aut eis desit aliud requisitum ab Academiæ statutis? & an restituere teneantur, si causa sint, vt aliquis amittat Cathedram?

(?)

100 OLIM per Scholasticorum suffragia in celebrioribus Academijs Cathedræ obtinebantur; nunc tēporis secùs contingit. Attamē, quia in alijs Regnis forsan ita obtinentur, & quia ad pristinum stylum potest res in nostris etiā reuocari, vtilis erit hæc quæstio. Pro cuius enodatione aduertendum est, Scholasticos posse in duplici differentia ad præsens considerari. Primò, si non sint auditores ordinarij eius Facultatis, ad quā Cathedra pertinet, & se ingerant ad suffragandum; verbi gratia, si Theologus, aut Medicus Scholaris ingereret se ad præbendum suffragiū in Cathedra Iurisprudentiæ Canonicæ, aut Ciuilis. Secundò, si auditores ordinarij sint ipsius facultatis, desit tamen illis aliquod requisitum ab statutis Academiæ præfixū ad suffragia præstanda; v.g. In Academia Salmanticensi requiritur ad suffragium, vt quis in ipsa Facultate Cursum probauerit, & fuerit examinatus in Grammatica, ac schedulam approbationis à Magistro Examinatore obtinuerit; quòd sit matriculæ adscriptus; quòd domum Oppositoris non fuerit ingressus, nec directè, aut indirectè pretium, vel munus acceperit, vt pro eo præstet suffragium & alia huiusmodi. Potest ergo deesse Scholasticis aliquod ex his requisitis, ita vt Cursum verū non habeāt, sed falsum supponant: aut non sint matriculę adscripti; aut pretium ab Oppositore, vel de eius mandato acceperint.

101 Hoc animaduerso, asserо primò, eos, qui non sunt auditores ordinarij Facultatis, & se quomodolibet ingerunt ad præstandum suffragiam, peccare mortaliter, nec id eis vllo modo licere. Etenim quiuis ex his nullum habet ius suffragandi, & in re grauissima exponit se periculo, vt ipsius causa aliquis amittat Cathedram, aliàs non amissurus, atque adeò periculo violandi iustitiam commutatiuā in materia graui; ergò peccat mortaliter. Et præterea si ante suffragium iubetur iurare, se habere omnia requisita necessaria, periurij etiam erit reus. Vnde si eius causa vnus ex Oppositoribus amittat Cathedrā, tenebitur damnum restituere, quia iustitiā commutatiuam violauit. Quomodo autē restitutio fiat officiorum, munerum, ac dignitatum, seu beneficiorum, latè tractāt Authores agētes de restitutione, quod ad nos non spectat. Assertum positum docent Aragon *2.2. quæst. 62. art. 3. fol. 227.* Sotus *de iust. lib. 4. quæst. 6. art. 3. ad fin.* Medina *1.2. quæst. 96. art. 4. ad 4.* Ledesma, P. Henriq. & alij, quos refert, & sequitur P. Thomas Sanchez *1. tom. consil. lib. 2. cap. 1. dub. 52. num. 5.*

102 Idem est affirmandum de eo, qui, quamuis sit auditor ordinarius eius Facultatis, attamē Cursum in regrum non habet, sed falsum ostendit. Quippè is verè, & realiter nullum habet ius ad suffragandum, nec ei adest id, quod præcipuè, ac primariò exigitur ad suffragium præbendum. Rursùs idem asseuerādum est de eo, qui habens Cursus integros, postquā semel suffragium præbuit, iterùm in eadem Cathedra suffragium præstat; quia caret iure, vt bis possit præstare suffragium. Demum idem asserendum est de eo, qui præter Cursus veros, suponeret falsas aliquas qualitates, ratione quarum amitteret aliquis Cathedram, aliàs nō amissurus; & ratio est tradita. Qualitates hæ solebant suffragijs olim coniūgi, v.g. si quis esset Bachalaureus in Iurisprudentia Canonica, & studeret Ciuili, aut haberet plures Cursus in eadem Facultate; quæ omnia simul, & suffragia perpendebantur, & aliquando pauciora suffragia cum pluribus qualitatibus præponderabant

rabant pluribus suffragijs, & sat erant ad Cathedram obtinendam.

103 Circa restitutionem verò moneo, posse per suffragia, de quibus in hoc asserto locuti sumus, auferri Cathedrã à digno; & etiam posse auferri à minùs digno, qui tamen eam erat obtenturus. Si à primo auferatur, integrè ei debet fieri restitutio dãmni; quia ex iustitia commutatiua ei debebatur, & iniustè est ablata. Si à secundo, non erit restituendum æquale, sed arbitrio prudentis. Quippè restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, eòque tendit, vt compenseturid, quod ex iustitia commutatiua debebatur. Sed minùs digno nõ debebatur ex ea iustitia Cathedra; solùmque debebatur ex iustitia, nullam cõtra eũ fraudem facere, nec fraude impedire illius emolumenta, quæ ipse posset sperare, & habere; cum ad eam fraudem faciendam, & id impediendum Scholastici ius non habeant; igitur non est restituendum æquale Cathedræ, quæ ex iustitia non debebatur; sed æquale iuri, quod ille habebat, ne fraudibus impediretur ad sua emolumenta obtinenda. Quod penes arbitrium viri docti, ac prudentis stabit. Sic loquuntur in simili agentes de Beneficijs Ecclesiasticis Nauarra *lib. 3. de restitut. cap. 5. à num. 26.* Caietanus *2.2. quæst. 62. art. 2. 4. dubio circa solutionem ad 4.* Nauarrus *in sum. cap. 17. à numer. 71.* Richard. *in 4. distinct. 15. art. 5. quæst. 4. ad 7.* Scotus *ibidem quæst. 2. in fin.* Capua *libr. 2. decis. 130. num. 3.* D. Antonin. *2. part. titul. 1. cap. 12. §. 20.* Syluester *verbo, restitutio 3. quæst. 12.* Couarrub. *reg. peccatum, 2. par. §. 7. num. 8. concluf. 4.* Paludan, *in 4. dist. 15 quæst. 2. art. 2. concl. 4.*

104 Assero secundò, non peccare mortaliter (secluso iuramẽto, de quo inferiùs) Scholasticos, qui suffragium præstant, quamuis non habeant aliqua requisita iuxta Academiæ statuta; scilicèt, quamuis non sint adscripti matriculæ, vel examinis schedulam non obtinuerint, aut munus acceperint, dummodò sint auditores eius Facultatis, & Cursus habeãt. (Non loquor de ipsa muneris acceptione, de qua, & de restitutione debita postmodùm quæstionẽ instituemus; sed de suffragio præstito ei, qui Cathedram meretur.) Hanc conclusionem tuetur P. Thom. Sanchez *vbi sup. num. 52. & 53.* cum Nauarro, Soto, Ledesma, Palacios, Ludouico Lopez, & alijs.

105 Probatur; quia hi Scholastici habent, quod substantiale, ac præcipuum est in ordine ad ius suffragij, scilicèt esse auditores ordinarios illius Facultatis, & probauisse Cursus integros; cætera autẽ sunt quid accidentale, ac solemnitates dũtaxàt pro foro externo requisitæ. Deinde, quia supposito eo, quod substantiale est, priuatio iuris ad præstandum suffragiũ est pœna, quæ inducitur per statuta, ac leges Academię, quę sunt pœnales; leges autem pœnales non obligant ante iudicis sententiã; ac condemnationem, atque adeò ante illã habent illi ius suffragandi. Confirmatur, quia, quando quis reputatur legitimus Iudex, aut parochus, non eneruatur valor sententię, aut absolutionis propter impedimẽtum occultum; argumento desumpto ex vulgatissimo textu *in leg. Barbarius Philippus, ff. de offic. prætoris*; at illi Scholastici, dũ occultum est illud impedimentum, & defectus non sunt substantiales, reputantur lęgitimi electores ad Cathedram, ergo possunt iure suffragij vti, cum aliunde non teneantur abstinere ob illum defectum. Videantur P. Molina *de iust. tract. 2. disp. 96. fol. 591.* Sotus *de iust. lib. 1. quæst. 6. artic. 6. ad 4.*

106 Et quamuis in statutis, ac legibus Academiæ proferatur, Scholasticum patientem eiusmodi defectus *ipso iure*, seu *ipso facto* inhabilem reddi ad ferendum suffragium, attamẽ has formulas verborum in legibus inhabilitantibus nõ obligare ante iudicis sententiam, docent rectè Aragon *2.2. quæst 62 art. 3.* P. Thom. Sanchez *in summa, lib. 2. cap; 22. num. 22. & 26. & cap. 26. num. 1. & cap. 39. num. vltim. & lib. 6. cap. 15. à num. 64.* Et idem *libr. 10. de matrim. disp. 8. num. 14.* Idem dicito, proportione seruata, de electoribus ad Collegia, vel ad Ecclesias, vt defendunt Sotus, Molina, & alij *locis relatis.*

107 Fit exindè, eiusmodi Scholasticos præstantes suffragium iuxta suæ conscientiæ dictamen nõ teneri, quidquam restituere, etsi ob eorum suffragia aliquis ex Oppositoribus Cathedram amiserit. Quippè nullam iniustitiam committunt, ex qua obligatio restituendi consurgat, dum iure suo suffragandi vtuntur, & pro foro externo non condemnantur; cum pro foro conscientiæ habeãt requisita substantialia, & cætera solùm sint pro foro externo, quæ dum non conuincitur deesse, non inducunt inhabilitatem pro foro conscientiæ.

108 Oppositam sententiam tuentur Salon *2.2. quæst. 63. art. 4. in fin. & quæst. 62. art. 3. controu. 1.* Emanuel Rodriguez

guez *tom. 1 sum. cap. 2. & cap. 295.* Medina *1. 2. quæ. 62. art. 4. ad 4.* Aragon *2. 2. q. 11. art. 3. & quæst. 62. art. 3.* Corduba *lib. 1. qq. quæst. 36.* Mouentur primò, quia Scholastici præfati, si matriculæ non sint adscripti, non sunt pars Vniuersitatis, ergo non sunt electores, nec habent ius suffragij. Nego antecedens; quia, dum Cursus integros habent, & sunt auditores ordinarij, pars sunt, & membra Academiæ, quæ illis sua priuilegia communicare intendit, dum non cõdemnantur. Quod constat, quia, si delinquant à iudice Academiæ puniuntur, & ei subiecti sunt, dum Scholasticorum habitũ, & lectionum frequentationem non deserunt, aut compelluntur eo habitu exui, vt praxis Salmantinę Academię demõstrat. Æquum est autem, vt, qui ad onera reputantur pars Vniuersitatis, reputentur pariter ad commoda.

190 Mouentur secundò; quia ex priuilegio Pontificio Academiæ condunt eas leges conuentionales, & propter bonum commune reddunt inhabiles ad suffragia prædictos Scholasticos; sicut Collegia, eorumque Fundatores, & Ecclesiæ similes leges condunt respectu electorum; Et, cum Scholastici non habeant ius suffragij ex natura rei, sed ex concessione Academiæ, si hæc neget illis ius suffragij, non restat caput, vnde eo gaudeant. Respondeo, Academiam eas leges condere, vt pro foro externo obligent, ita, vt, si defectus prædicti probentur, nequeant Scholastici præbere suffragium; non tamen aliud intendit vt *num. præcedenti* dicebamus. Quin ex mẽte Legislatorum colligitur, noluisse ante condemnationem reddere inhabiles Scholasticos; tum quia legislator sartam tectã opinionem, famam, & ius vniuscuiusq; cõseruare velle præsumitur, dummodò exterius quid in contrarium nõ appareat, vt in præsenti euentu contingit, in quo eiusmodi Scholastici reputantur veri electores; tum quia bonum publicum, quod ab his legibus intenditur, & vitatio damnorũ, quę præcauentur, per occulta impedimenta nõ labefactatur, sed per publica, vt ex se manifestum est; ergo, qui propter bonum publicum reddit inhabilem eum, qui patitur aliquos defectus, aliundè non substantiales, solum respicit ad defectus publicos, iam probatos, vtpotè ad eos, qui fini legis contrariantur; non autem contrariantur occulti defectus, quibus adhuc toleratis, finis legis subsistit.

110 Consequenter ad suum assertum tuentur Auteores huius sententiæ, quam impugnauimus, Scholares præfatos, si suffragium ferant, & causa sint, vt aliquis Cathedram amittat, teneri restituere damnum. Sed negato asserto primo, robore caret secundum, nec noua indiget impugnatione, nec argumentorum solutione.

111 Ventilauimus adhuc quæstionem de suffragio pręstito à prædictis Scholasticis, quin intercedat iuramentum. Nunc discutienda est casu, quo iuramentum interueniat. Prænotandumq; est, solere in Academijs ante suffragiorũ collationem interrogari Scholasticos à Superiore, seu Magistro Scholarum, seu Rectore, vel alio Iudice proprio, vtrùm habeant omnia requisita, quę exiguntur ab statutis? Nec modò loquimur de alijs iuramentis iudicialibus, quæ interponuntur in speciali, quando ad forum externum deducitur inhabilitas alicuius, ratione cuius est accusatus, & interrogatus. Nam de hoc infrà redibit sermo.

112 Iudicat P. Thom. Sanchez *tom. 1. consil. mor. lib. 2. cap. 1. dub. 53. à num. 3.* Scholasticum, dum non præcedit infamia, aut indicia probata, vel semiplena probatio, posse absque peccato vti verbis æquiuocis, & amphibologicis, quin manifestet veritatem, ita, vt si interrogetur, an sit subornatus, iuret non esse, intelligendo intra se, *ita vt teneatur dicere*; &, si rogetur, an intrauerit domum Oppositoris? an locutus cum eo fuerit, & similia, iurer, hæc non feciſſe, retinẽdo eadem verba, quæ nuper dixi, intra se; vel si leuiter fregerit statutum, retineat intra se, non fregisse illa contra mentem statuti. Hoc vltimum probat, quia per epikeiam constat, non fuisse mentem legislatoris in statuto priuare iure suffragij Scholasticum propter leuem fractionem illius. Quod confirmant sua authoritate Nauarrus, Ludouicus Lopez, & P. Hẽriquez ibi allati.

113 Primum suadet; quia ad interrogandum iuridicè, &, vt reus teneatur veritatem fateri, requiruntur indicia probata, aut infamia, aut semiplena probatio; vnde, cũ supponamus, hæc non dari, non tenetur ille fateri verum, etsi teneatur vti verbis æquiuocis, & amphibologicis, ne iuret falsum. Nec obstat, si dicatur, ea requiri, cum agitur de infligẽdo supplicio, & non aliter. Etenim etiam in præsenti agitur de Scholastici iure suffragãdi, quod ius ipse habet iuxta asserta superiùs, & docetur

rur à Soto, & Ledesma ibidē allatis. Hinc fit, eiusmodi Scholasticum, postquam sic iurauit posse suffragium suum præbere.

114 Demum respondet ad argumenta sentētiæ, quam tenēt Medina, Aragon, Alcocer, Salon, & alij Magistri recentiores. Arguunt primò. Scholasticus, qui nō habet requisita ab statutis, si iuret, se suffragaturum iuxta statuta, mendacium profert; ergo est periurus, & nequit suffragari. Respondet, non iurare mendacium, cum vtatur verbis æquiuocis, scilicèt retinendo intra se, se suffragaturum iuxta statuta benè intellecta, quæ non intendūt priuare illum iure suffragij, dū non fuerit accusatus, aut infamatus, siuè conuictus, & condemnatus.

115 Arguunt secundò; quia ea requisita, etsi deficiant, nō reddunt infamem Sholasticum, cum non sint infamiæ defectus requisitorum, ergo non requiruntur indicia, vt de illis iuridicè interrogetur; maximè cum ipse non cogatur præbere suffragium, nec suam detegere culpam, sed possit, saluo suo honore, abstinere à suffragio Respondet, eum habere ius suffragādi, & posse, ac velle vti iure suo, nec illo spoliari, dum non fuerit conuictus; quare, etsi absit infamia, potest amphibologicè iurare, vt potè iuridicè non interrogatus. Et potest addi, esse subornatum, sapere infamiā; quam, si fortè Scholasticus pretium pro suffragio accepit, potest vitare, & se ipsum nō infamare; & cum aliundè velit vti vero iure suo suffragandi, non aliter vitabit, nisi modo dicto.

116 Arguunt tertiò; quia Academia cum his conditionibus præbet ius suffragandi, ergo eis deficientibus, ius non datur; & consequenter nō potest quis iurare, nec suffragium ferre. Respōdet, eas leges Academiæ non esse cōditionales, sed pœnales, atque adeò non obligare ante iudicis sentētiam. Nec hæ leges omnes sunt conditæ à Fundatoribus Vniuersitatum, sed variantur sępè, & nouæ conduntur à Visitatoribus, & Reformatoribus, qui leges illas conuentionales non intendunt ferre, sed pœnales.

117 Arguunt vltimò, quia ex oppositā sententia sequitur occasio scādali, & malorum in Vniuersitate; & nihil prodesset illud interrogatorium generale, & ille vsus in Academijs adeò receptus, atque à tot viris doctis approbatus; indeque transgressores, vt periuri, puniuntur, si posteà eorum delictum innotescat. Respondet, nec scandalum, nec mala sequi ex eo, quòd delicta occulta non manifestentur, nec puniantur; & illud interrogatorium prodesse ad terrorem; viros autem doctos contrarium sentire, quia casus hic est sub opinionibus.

118 Consultò totam sententiam Patris Thomæ Sanchez latè retuli, & ferè transtuli, in claram methodum redactam, vt si cui duriuscula videatur, subi tanti viri authoritate molliatur. Ego quidē ei subscribo, & quia benignior est Scholasticis, & quia sufficienti ratione fulcitur. Si tamen eueniret casus, ego consiliū præberem Scholasticis, de quibus egimus, vt suffragium non præstarent; hæc enim pars saltem est tutior, licèt oppositā sit tuta in praxi. Et quamuis sententiam propositam arbitrer veram, aut adminus probabilem, rectè stat, vt consultius sit, oppositam sequi, quam etiam probabilem esse authoritas, & argumenta, quibus nititur, satis demonstrant.

119 Restat, exponamus, quid tenendum sit de Scholastico, qui habet aliquem defectum ex his, de quibus adhuc locuti sumus, si iuridicè interrogetur, præcedente infamia, aut semiplena probatione, vel indicijs probatis? Tenendum est, debere exponere veritatem, aliàs erit periurus. Quippè ex nullo capite excusatur à propalatione veri, & iudex legitimè eum cogit, vt affirmet, ac iuret veritatem; igitur, si eā occultat, periurij est reus.

120 Sed ponamus, eum iurauisse falsum; inquiro, an tunc possit præbere suffragium, & vtrùm teneatur restituere damna, si eius causa quis Cathedrā amittat? Circa primum quæsitū est duplex sententia; Prima Soti, & Ledesmę asserentium, nō posse præbere suffragium; non secùs ac si esset cōdemnatus; inde inferūt solutionem secundi quæsiti, nempè teneri ad restitutionem, si præbet suffragium; quia reus legitimè interrogatus, si veritatem inficietur, tenetur ad pœnam restituendam, ad quā damnaretur, si veritatem confessus fuisset. Secunda sententia est P. Thomæ Sanchez *vbi sup. dub. 52 n. 14.* defendentis, cum Scholasticum non amittere ius suffragandi, quia hæc amissio est pœna, quæ nisi post iudicis sententiam non incurritur; nihilominùs in casu posito esse obligatū ad restitutionem; quippè, etsi non teneatur ad pœnam, tamen tenetur ad damnum ex negatione iniusta veritatis secutum: hoc ipso qnòd aliquis ex Oppositoribus ei exceptionem

tionem oppoſuit, quæ in ſe erat vera, ac iuſta.

121 Hæc ſecunda ſententia eſt conformior principijs in hac quæſtione præiactis. Etenim poſuimus, leges inhabilitantes eſſe pœnales; & has non obligare, niſi poſt iudicis ſententiam condemnatoriam. In præſenti autem non datur condemnatio, eſto impedita per periurium; quod non obſtat, vt ille Scholaſticus ſuum ius retineat. Id aſſertum intelligo de retentione iuris pro foro externo; (nam infrà meum ſenſum exponam, loquendo de foro interno,) & pro foro interno etiam, ſi nullus ex Oppoſitoribus exceptionem oppoſuit. Dices; ergo non tenebitur reſtituere ei, qui ipſius cauſa amiſit Cathedram; ſi enim verus elector eſt, & ſuffragium præſtat iuxta dictamen ſuæ conſcientiæ, cur reſtituere ſit cogendus? Nego conſequentiam. Quippè ratione iniuſtæ negationis veritatis, quæ iuſtitiam violauit, addito poſteà ſuffragio, ac damno ſecuto, tenetur ad reſtitutionem. Si enim is, qui Cathedram amiſit, illum Scholaſticum legitimè accuſauit, negando poſtmodùm veritatem, Scholaſticus illi iniuriam irrogauit, ſeu aduerſus illum iniuſtitiam commiſit. Si verò alius quilibet eum denuntiauit, iudex, quaſi agens partes Academiæ (hoc enim eſt, à iuſtitia ſtare) examinat, atque interrogat prædictum Scholaſticum, qui iniuſtè negans veritatem irrogat iniuriam iuſtitiæ, ſeu his, quibus cõſulit iudex, ne lædantur, dum conſulit Academiæ.

122 Replicabis; In caſu præſenti ſolùm ex actione iniuſta poteſt conſurgere, tamquam ex radice, obligatio reſtituendi; ergo vel præbere ſuffragium eſt actio iniuſta, ex qua ea oritur obligatio, & hæc eſt ſententia prima Soti, & Ledeſmæ; Vel negatio veritatis eſt actio, ex qua oritur, atque adeò, quamuis non præſtet ille ſuffragium, tenebitur reſtituere, quod abſurdiſſimum eſt; quare namque reſtituat damnũ, cuius ipſe nullo modo cauſa, nec occaſio eſt? Quòd ſi obligatio oriatur ex præſtatione ſuffragij, & hęc licita defenda tur, abſurdum etiam eſt, obligationem reſtituendi prouenire ex actione, quam licitè quis peragit, & ad quam ius verum habet.

123 Poſſet reſponderi, obligationem reſtitutionis oriri ex vtraque actione ſimul ſumpta, non ſeorſim accepta; Nam is per actionem ſecundam ſuffragandi non cooperatur actioni iniuſtæ, ſed liberè apponit conditionem, qua obligatio reſtituendi, quæ inceptiuè erat iam contracta per primam actionem, perficitur. Sed adhuc mens non quieſcit; Etenim apponere eam conditionem, eſt, cooperari liberè ad perficiendam iniuſtitiam, ex qua obligatio reſtitutionis dimanat; & eſt, apponere cauſam proximam damni iniuſtè illati, quam quis vitare debet; ergo eſt actio iniuſta. Si enim damnum indè ſecutum, non eſſet iniuſtum, & imputabile ſuffraganti, non teneretur illud reſtituere. Fateor, has omnes replicas, quas contra ſententiam Patris Thomæ Sanchez excogitaui, vim habere; Ideò cenſeo, ſi nullus ex Oppoſitoribus exceptionem oppoſuit, & Scholaſticus pro benemerito ſuffragetur, eum non peccare, nec teneri reſtituere; nam cui, vel ob quam cauſam ſit reſtituendum? Si verò exceptio fuit ei oppoſita, cum in ſe, & ſtando veritati, ille in foro interno non ſit immunis, nec poteſt ſuffragari licitè, nec liberatur à reſtitutione, ſi ſuffragetur. Id enim mihi ſuadent replicę factę. Et ſolùm in hoc ſenſu crederem. P. Thomã Sanchez eſſe intelligendum,

124 In aliquibus Academijs Doctores, & Magiſtri præſtant ſuffragia ad Cathedras obtinendas, de quibus, ſeruata proportione, eodem modo eſt philoſophãdũ, ac in præſẽti de Scholaſticis diſſerui mus. Quantitas autem reſtitutionis faciẽdæ, ſi amittat quis Cathedram propter ſuffragium eius, qui iuridicè, ac legitimè rogatus veritatem negauit, & patrauit periurium, an debeat eſſe æqualis damno ſecuto, an arbitrio prudentis taxanda, cõſtat ex traditis ſuperiùs *in hac quæſt. n. 103.*

125 Id demùm præ oculis eſt habendum, ſi quis alios inducat ad præſtandum pro minùs digno ſuffragium, ſiuè eis perſuadens, contra ſuam mentem, eſſe magis dignum, ſiuè alia via, & ille Cathedram obtineat, teneri inductorem ad integrum damnum per reſtitutionem compenſandum; & alios tunc debet monere de reſtitutione à ſe facta, vt ipſi ab onere reſtitutionis liberentur; aliàs & ipſi tenebuntur pro qualitate damni à ſe illati, & cooperationis ad illud. Cæterùm valdè à noſtris Regibus cautum eſt, vt Cathedræ donentur benemeritis, & vt omnino abſtineatur à donatiuis, promiſſionibus, & ſubornatione ſuffragantium, vt ſic liberè pro digniori ſuffragium præſtent.

Id sub pœna pecuniaria, & exilij per biennium statuerunt Ferdinandus, & Elisabetha Reges anno 1494. & Philippus II. anno 1506. Et extant de eo *lex 15. 16. & 17. & 31. tit. 7. lib. 1. Recop.*

Quæstio XIII. Quantum temporis, & in quibus lectionibus, & quomodo, Scholastici insumere debeant, vt eorum Cursus annui possint probari?

126 PAVCA admodũ circa hoc punctũ in Authoribus reperi, illud tamen cum Viris sapientibus sæpè contului, quia valdè frequenter occurrit. Academiarum quidem Rectores, & qui plena authoritate Statuta condiderunt, designauere Cursus annuos, qui in eis sunt peragendi in vnaquaq; Scientia, vt Studiosi ad Gradum Bachalaureatus obtinendum accederent, & simul designauere lectiones, quæ ab eis audiendæ sunt quolibet anno, illas diuidendo, ac distribuendo eo ordine, qui commodior, & vtilior sit; vt Scholastici maiorem profectum, & incrementum in litteris percipiant, & simul Academiarum splẽdori consulatur, dũ omnes Cathedræ nunc ab his, nunc ab alijs frequentantur, & omnes Magistri audiuntur.

127 Igitur Cursus annuus ex maiore parte anni coalescit; Et quia sex mẽses, vnusq; insuper dies rigorosè est maior pars; indultum est, vt id temporis sufficiat ad annuum Cursum; ac proinde à die post Diuũ Lucam, vsque ad diem vigesimam mensis Aprilis solet Cursus recenseri; vel si procedente tempore quis adscribatur matriculæ, seu aluo Academiæ, recensentur sex menses, ac vnus dies, quibus ad lectiones designatas adstiterit. Et prætereà si quis Cursum annuum in nulla Academia peregerit à die Diui Lucæ vsque ad Aprilem, potest verno tempore Cursum prædictorũ sex mensium, & vnius diei peragere, qui vulgò vocatur *Cursillo*; & consequenter immediatè potest in hyeme alium Cursum annuum conficere; è contra verò nequit, si à die Diui Lucę vsque ad Aprilem perfecerit litterarium Cursum, perficere aliũ tempore verno immediatè sequenti.

128 Sed dubitatur primò, quot diebus sit opus lectionibus assistere, vt cõscientia tuta possit Cursus annuus etiam cum iuramento (quale à testibus communiter exigitur) probari? Respondeo, ex se opus esse assistere omnibus diebus lectiuis intra annuum Cursum, & aliter non posse probari, nisi materiæ paruitas excusaret. Etenim non adeò rigorosè loquendum est, vt etiam exigui temporis defectus in assistentia ad lectiones censeatur impedire licitam Cursus probationem. At quot dies sub hac paruitate dicemus contineri? Aliqui senserunt, solos sex, aut octo dies; aliqui extendunt ad viginti; nec defuerunt viri docti, qui assererent sufficere ad Cursum litterarium probandum, si quis sex in mẽsibus assistat lectionibus, vt debet, quatuor mensibus, & dimidio. Nimis laxam censeo hanc extremam opinionem; Etenim si ab annuo Cursu demas mẽsem, & dimidium, & separes deinde omnes dies Festos, ac Feriatos, vix tempus restat, quo lectionibus assistatur. Assentio affirmantibus, viginti dies, & non vltrà, censendos esse paruitatem materiæ, ita vt, si quis non vltrà à lectionibus defuerit, possit licitè ad Cursum probandum procedere; si verò pluribus diebus defuerit, minimè poterit, nisi eos priùs suppleat. Etenim sic sentire plures Litteratos Magistros animaduerti, & videtur rationi consona moderatio, nec rigida, nec laxa; & considerato annui Cursus spatio, viri prudentis arbitrio pro exiguo defectu, & non graui, illi dies sunt reputandi.

129 Dubitatur secundò, an si quis Scholasticus tempore Cursus litterarij ægrotet, ita vt à lectionibus desit per duos, aut tres menses, possit licitè eũ Cursum probare, non supplendo tempus ægritudinis? Forsan diceret aliquis, non posse; quia, licèt penes ipsum non steterit defectus, tamẽ de facto nõ adstitit lectionibus, nec apposuit requisita necessaria, & essentialia ad peragendum validè Cursum, quę sunt assistentia ad lectiones per tempus designatum; Vbi autem media essentialia, etiam inculpatè, non apponuntur, nequit finis obtineri. Esse autem assistentiam ad lectiones medium essentiale ad probandum Cursum litterarium, patet, tum quia non aliud, nisi hoc tanquam vnicum post inscriptionem in matricula requiritur; tũ quia in probatione Cursus solùm de hoc testes deponunt; tum demum quia aliàs probari posset Cursus ab eo, qui nulli lectioni adstitit.

Id

130 Id videtur poſſe confirmari, nam quòd non ſteterit per Scholaſticum, dum ægrotabat, non aſſiſtere lectionibus, parum ad rem conducit; aliter ſi totos ſex integros menſes ęgrotaſſet, pariter poſſet Curſum litterarium probare, cum per ipſum nō ſtetiſſet defectus, quod abſurdum cernitur. Vel ſi poſt inſcriptionem in matricula, iuſſu parentum ab Academiā abfuiſſet ad inexcuſabilia peragenda negotia ſuæ familiæ, poſſet Curſum probare, cum per ipſum non ſtetiſſet, ac id etiam abſonum apparet. Et ſępè in alijs materijs conſtat, plures fines non obtineri, ſi media requiſita non apponantur, adhuc inculpatè. Sic, qui gaudens Bulla Cruciatæ in die Stationis non viſitat Altaria, quia ęgrotat, eſto deſideret viſitare, non lucratur indulgentiam, quamuis non ſtet per ipſum defectus viſitationis; vt docui *tom. in Bullam Cruciat. diſp. 6. num. 43. & 45.* Sic, vbi in certamine proponuntur præmia, verbi gratia, currentibus in ſtadio, ſi quis ad locum pergat, vbi certamen peragitur, & nomen ſuum inter Concertatores ſcribat, ſi ante Curſum ægrotet, & nō currat, nequit præmium Curſus mereri. Etenim in his locū habet illud axioma; *Qui cadit à littera, cadit à cauſa*; & illud iuris principium; *Actum nihil dicitur, cum quid ſupereſt ad agendum*; & conſonat *lex penult. Cod. ad Syllanianum*; *lex ſiuè, ff. de verbor. obligation.* Quare ægrotans illos ſolùm dies videtur poſſe recēſere pro materiæ paruitate, quos; etiam ſi non ægrotaret, valeret enumerare, nempe viginti dies iuxta dicta ſuperiùs. Quòd ſi vltra hos dies aut ęgrotet, aut ſanus adhuc lectionibus non aſſiſtat, debebit reliquum tempus ſupplere; ita vt, ſiuè in ægritudine, ſiuè in defectu quolibet aſſiſtentiæ ad lectiones, & in vtroque ſimul, viginti dies, & non vltrà, lectiui conficiantur.

Nihilominùs tamen, re cum Viris Doctiſſimis conſulta, cenſeo, ægrotantem in loco Academiæ, poſtquam matriculę eſt adſcriptus, poſſe Curſum litterarium probare, quin eos dies ſuppleat, quibus morbo laborauit. Id non eſt probādum ex Iuris rigore, ſic enim rationes adductæ ſatis oppoſitum ſuadent; nec deſumenda eſt paritas ab alijs euentibus in confirmatione ſuperiori adductis, in quibus rigor Iuris inſpicitur, cum non dentur in eis æquitatis rationes, & volūtatis Superiorum rationabilis interpretatio, quæ in præſenti interuenit. Itaque id aſſertum ex æquitatis fundamento colligitur. Etenim, cum quis ad Academiam aduentauerit, (communiter pluribus factis expenſis) animo obtinēdi Curſum litterarium, ac ſuum nomē militiæ litterariæ dederit, totumque ſe ei deuouerit, ſanè præſumendum eſt, Fundatores Academiarum, & Statutorum Conditores nolle, ita rigidè ab eo exigere lectionum frequentationem, vt ęgritudine præpeditus nequeat Curſum probare; indè enim ei & infirmæ valetudinis damnum, & in Curſus amiſſione detrimentum proueniret, maioribuſque poſteà expenſis grauaretur, ſi in Academię loco foret remāſurus ad ſuppleudum lectionum auditionem, cū ingenti ſanè incōmodo, quod, maximè hi, qui extra patriam inibi verſantur, ſuſtinere coguntur. Interpretanda ergo ſunt benignè Statuta in hoc caſu, in quo culpa caret, qui ægrotat, & aliundè ex ſe in loco Academiæ adſcriptus matriculæ paratus erat ad aſſiſtendum lectionibus; hæc namq; interpretatio videtur manifeſtè eſſe iuxta mentem Fundatorum, & Conditorum, ac Principis, qui apponit obtentionem Curſuum, vt medium in ordine ad Gradū obtinendum; ipſęque Academiæ, vt benignæ Scholaſticorum matres, annuent profectò probationi Curſus.

Et quidem in Eccleſijs Cathedralibus, quamuis aſſiſtētia ad Chorum per deſignatum tempus requiratur, vt quis reddītus annuos præcipuos obtineat, tamen ſi ægrotet, non tenetur poſteà aſſiſtere totidē dies, vt illos obtineat. In bello etiā, vbi cæteri milites actu excubias agunt, pugnant, aut aliter laborāt, militi in ipſa acie ægrotanti non aufertur, aut minuitur ſtipendiū. Idem etiā in militia litteraria proportione ſeruata, contingit. Nec inde ſequitur, poſſe probare Curſus annuos, qui quatuor, aut quinque annos in lecto ægrotaſſet; cū enim noſtrum aſſertum innitatur æquitati, & rationabili, ac benignæ interpretationi Statutorum, hæc ęquitas, & interpretatio nequit tantū extendi, cum ex terminis id abſonum cernatur. Quare ſtādo ei æquitati, & interpretationi, diſcernendi ſunt ęuētus: indeq; etſi quis duobus menſibus ægrotaret (vel ſi etiam maiori Curſus litterarij ſpatio) poſt nomen in matricula adſcriptū, ea ęquitas locum habebit. Quod idem cōtinget, ſi quis extra locū Academiæ exierit, animo ſtatim reuertēdi, & in alio loco, quò pergebat recreationis, aut negotijcauſa incidat in morbū; nā tūc cēsēduſeſt in loco Academię ęgrotare cū animū reuertēdi illicò

illicò retinuerit, nec ex se voluerit Cursum amittere, sed potiùs paratus proximè fuerit ad eum obtinendum. Secùs est, cum quis ægrotat ante aduentum in locũ Academiæ, quia tunc nec matriculæ est adscriptus, nec sub gremio Studiosorum designatus, nec proximus obtentioni Cursus. Et etiam secùs est, si exeat è loco Academię, animo non reuertendi per aliquos menses intra Cursus spatium contentos. Disparitatis enim ratio ex terminis ipsis dignoscitur

131 Dubitatur tertiò, an in diebus Vacationum à lectionibus, quales sunt à profesto Natiuitatis Domini vsque ad diem Circũcisionis, & à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis, possit quis abesse à loco, vbi est Academia, & in aliũ migrare recreationis, aut negotij causa? Respondeo, posse; nam, si illis diebus nulla datur obligatio assistendi in Academia, nec in lectionibus, non est, vnde cõ surgat obligatio assistendi in ipso loco Academiæ, cum assistentia in hoc loco sit propter assistentiam ad lectiones, quo fine cessante, non datur obligatio illius medij exequendi. Sicut etiam potest Scholasticus omnibus diebus Festis, & Feriatis exire à loco Academiæ, venationis causa, aut simili, nec id vnquam illicitum esse, quis audiuerit, in ordine ad Cursus litterarij probationem; Idem autem iuris est in his diebus separatim sumptis, ac in diebus illis Vacationum simul sumptis, cum materialiter se habeat, quòd dies sint cõtinuati, aut disiuncti.

132 Dubitatur quartò, an vbi Rector Academiæ est Scholasticus Studiosus, vt Salmanticę euenit, si in Vniuersitatis negotijs, quibus assistere tenetur, v. g. in Consessibus, seu Claustris, & in Recitationibus lectionum, quę pro obtinendis Cathedris fiunt, occupetur, quin valeat per plures dies lectionibus ordinarijs assistere, possit Cursum litterarium probare, quin eos dies suppleat, assistendo lectionibus totidem diebus? Respondeo, non esse ei opus supplere eos assistẽtiæ defectus; Quod ex Interpretatione manifesta animi, & intentionis condentium Statuta Academiæ colligitur; cum sanè assistentia ad Actus proprios ipsius Academię æquiualeat assistentiæ ad lectiones ordinarias, & dici possit, Rectorem tunc assistere, quasi eminenter, vt termino philosophico vtar. Nec præsumi debet de condentibus Statuta, voluisse, ne Rector suum Cursum litterarium probaret, si lectionibus deesset, dum tunc tẽporis in alijs actionibus litterarijs, aut similibus eum occupari ipsa Statuta præciperẽt, fieret enim Rector peioris conditionis, quàm cæteri Scholares, cũ ipse assistens non minùs, ac illi, in Academia, non posset suum Cursum, sicut illi, peragere, eo quòd militaret obsequijs ipsius Academiæ ex Statutorum præscripto. Quare interpretandum est, Condentes Statuta cõ mutasse lectiones ordinarias, quas assignãt cæteris Scholasticis in alias actiones, quas Rectori præscribunt, si hę sunt exercendæ, dum lectionibus tempus impẽditur. Quòd si tunc non exerceãtur, tenetur Rector Studiosus, sicut cæteri, lectionibus interesse.

133 Nunc videamus, quibus lectionibus assistere teneantur Scholastici, vt licitè Cursum probare valeant. Tenendum est, debere assistere eis, quæ designatæ sunt in Statutis pro singulis annis. Etenim Cursus annui peraguntur, vt Gradus in Academia obtineatur; qui Gradus est præmium, honor, & quasi merces à Principe concessa, cum autem hic in Statutis ipsius authoritate conditis declaret media essentialiter exequenda, vt ad illud præmiũ, seu Gradum perueniatur, possitq; id præstare, vt ex se patet, cum sit vltronea ipsius cõcessio, ac non aliter velit Gradum cõcedi, nisi designatis lectionibus auditis, fit, omnino esse necessariam earum lectionum auditionem. Quod etiã ab incõuenienti ex contraria actione secuto probatur; Nam, si fas esset Scholasticis pro libito lectiones eligere, inuerteretur ordo Academiæ, aliquæ Cathedræ destituerentur Auditoribus, affectu, ac negotiatione quidã Professores expoliarentur discipulis, & alij frequentissimos eos haberent; præiudicium fieret vtilitati Studiosorum, cui melius cõsulere nonerunt Conditores, & Reformatores Statutorum, viri doctissimi, & prudentes, quã ipsi Studiosi, aut quilibet alij.

134 Quare non sunt audiẽdi, si qui asserant, Scholasticos satisfacere suo muneri, dum alijs lectionibus assistãt, ex quibus maiorem vtilitatem percipiũt; id enim iam dilutũ manet. Nec indulgẽdũ est Scholasticis, qui aiunt, se v.g. in Facultate Canonum fuisse adscriptos matriculæ, legum verò esse prosecuturos studium, & nullum commodum ex auditione Canonum percipere. Nam eis respõdeo primò, quòd in Facultate Iuris Ciuilis possũt matriculæ inscribi, si id intendunt; at si in Facultate Iuris Canonici inscribantur, debere illud audire, nam aliàs volunt duo incom-

compossibilia, nempè finem Gradus obtinere, & media essentialiter requisita non apponere; sicuti siquis matriculæ adscriberetur in Facultate Medicinæ, & omnes lectiones, quibus assisteret, essent Theologicæ, quis dicat, eum posse probare Cursum in Medicina? Respondeo secundò, non esse tot lectiones per statuta designatas, vt non possint Scholastici & illis assistere, & alias proprias Iuris Ciuilis audire; &, quamuis labor acerescat, non tamen possunt absque labore, & Cursum in Iure Canonico obtinere, & simul profectum in Iure Ciuili facere. Respondeo tertiò, falsò excogitari ab Scholasticis, se non caperevtilitatem ex lectionibus per statuta designatis, quippè maximam percipient, si eis attentè intersint; & notitiæ Iuris Canonici ingenter proderunt etiam his, qui studio Iuris Ciuilis incumbunt, cum vtrumque Ius adeò inuicē amicetur.

135 Primum in præsenti dubiū est, quātū tēporis in vnaquaq; lectione debeat assisti? Respondeo, debere assisti vltra dimidiū spatij, quo lectio durat, ita vt si lectio vna hora peragatur, vltra dimidiā horā assistendū sit; Si verò duret lectio per horā, & dimidiam, vt in Cathedris primarijs Salmantinis euenit, vltra tres horæ quadrantes assisti debeat. Id enim iam omnium calculo, & consensu, & quasi consuetudine inductum est, vt sufficiat. Nec debet rigidum videri, cum ex se censendum potiùs esset, toto tempore lectionis fore illi assistendum, & paruitatem materiæ admittendam esse dumtaxàt, qua posset non assisti, vt absolutè, etsi non perfectè, satisfieret Statuto; quo casu paruitas materiæ multò magis restringenda esset, ita vt parum à toto tempore lectionis posset tolli. At Statutum, vt dixi, communi sensu omnium sic est acceptū, vt sufficiat, vltra dimidium tēporis interesse lectionibus.

136 Secundum dubium. An sit necessarium scribere, quæ Professores in lectionibus designatis dictant? Sanè id esset vtilius, & omnino consulendum; sed necessarium non est, vt fert interpretatio communis Statuti, cui non pauci in vsu conniuent. Cæterùm necessaria est assistentia moralis; nempè ea, quæ sufficiat, vt dicatur, quem assistere, & saltem exteriùs attendere lectioni (nam quòd internè non attendat, non iudicāt de hoc Statuta, & testes in probatione Cursus laturi testimonium) sicut solet dici de assistentia morali ad Sacrum audiendum, vt præcepto satisfiat, in sententia valdè probabili, ac tuta.

137 Ex quo infero primò, eum, qui nec scriberet dictata à Professore, nec exteriùs attenderet, sed cum alijs colloqueretur, non satisfacere obligationi assistendi lectioni, nam eodem modo se habet, ac si domi, vel in foro esset in ordine ad moralē assistētiam, imò nocumentū infert alijs, dum suis cōfabulationibus impedit attentionem. Et quidem culpæ non leuis Rei sunt, qui vocibus & strepitu lectiones perturbant; Contra eos pulchrè inuehitur Didacus Perez *ad Ordinat. Reg. lib. 2. tit. 3. leg. 7.* ostendens, eos non valere Cursum obtinere, & posse excōmunicari; quod probat *ex cap. in loco 5. quæst. 4.* & aduersus eos rectè adducit Glossam *in leg. 1. Cod. de tyronibus, lib. 12.* Illum consule. Infero secundò, mutum, & omnino surdum esse incapacem peragendi, & probandi Cursus litterarios, quia neuter potest assistere moraliter lectionibus, nequit enim audire explicationem, nec dictata scribere; Idem dico de eo, qui non intelligeret linguam, in qua scientię explicantur; incapax est enim, vt addiscat. Cęterùm cæcus capax est, etsi ne queat scribere; sufficit namque audire, vt discere valeat. Quare, vt *libr. 1. numer. 75. 79.* retuli, Nicasius de Voerda rexit Academiam Mechlinienſem in Hassię Prouincia, qui à tertio ætatis anno fuit luminibus captus, & peritissimus solo auditu sciētiarum euasit, ita vt Doctor in Iure Canonico in Colonienſi Vniuersitate creatus, in eadem, & in Louanienſi Iura docuerit, & plures Tractatus dictauerit; qui obijt anno 1491. Vt testatur Iacobus Middendorpius *de Academijs totius Orbis lib. 5. pa. 280.*

138 Igitur ex dictis concludendum est, eum, qui non præstat suprà dicta, peccare mortaliter, dum suum litterarium Cursum efficit probari à testibus, quos ad falsum iuramentum inducit; & hos similiter graue peccatum patrare, dum iurant falsum. At sufficit, testes vidisse quem vt plurimùm lectionibus debitis assistere; difficile enim esset, vt singulis diebus, & singulis lectionibus eum assistere intueretur. Summam ferè totius doctrinæ traditæ in hac quæstione redegi in breuissimum compendium in quoddam interrogatorio, quod ad expiandas conscientias in lucem edidi Salmanticæ anno 1653; & publicè in Cathedris fuit laudata, & probata à pluribus ex Professoribus Salmantinis, qui mihi priuatè gratulati sunt, quòd Scholasti-

lasticos ad cognitionem sui debiti trahere curauerim, cum illorum plurimi aliter operarentur in præiudicium publicæ disciplinæ in Cathedris designatis per statuta traditæ. An verò, si Cursus litterarij absque requisitis præfatis probētur, possit quis Gradum Bachalaureatus obtinere, dixi suprà *q. 11. à n. 93.*

Quæstio XIIII. An Scholaris, qui bona fide alias lectiones audiuit ab his, quæ in Satutis sunt designatæ, possit licitè Cursum litterarium probare?

(?)

139 STABILIVIMVS iam, opus esse ad probandū Cursum annuum litterarium, eas lectiones audire, quæ in Statutis designantur, nec aliter licitè posse probari. Nunc vestigamus, an id etiam teneat casu, quo quis bona fide alias lectiones audiuerit? Ad decisionem supponendum est, quis dicatur bona fide eas audiuisse. Et quidem aptandum est in præsenti, quod solet dici de possessore bonæ fidei, & malæ fidei; Possessor malę fidei (vt exponit Panormitanus *in cap. grauis, de restitution. spoliator.* & Ludouicus Lopez *in instructorio conscientiæ, part. 1. cap. 132. §. quis autem dicatur, & cap. 237. initio,* ac communis Expositorum) is est, qui est conscius, aut dubius, rem non esse suam, ac nullam facit indaginem veritatis; Possessor autem bonæ fidei est, qui rem possidet cogitatione domini, sine scientia vel dubio, quòd sit aliena. Hinc in casu nostro is dicetur mala fide audire lectiones non designatas in Satutis, qui scit, se non satisfacere muneri suo, nec posse licitè probare Cursum litterarium, eas solùm audiendo; aut dubitat, an satisfaciat, nec à Viris Litteratis id inquirit. Is verò dicetur bona fide eas lectiones audire, qui iudicat, se satisfacere suæ obligationi, & posse licitè Cursum probare, quin de eo dubitet; vel quia sic ab alijs audiuit, & fidem eis præstitit, quin cogitaret, eos decipi, vel existimaret se teneri ad interrogandum id ab alijs; vel qui videns alios eisdem lectionibus assistentes, & in eodem Cursu litterario versantes, pro cōperto habuit, se ad alias lectiones non teneri.

140 Magnum autem discrimen versatur inter eum, qui mala fide eis solis lectionibus interest, & inter eum, qui bona fide adest, non solùm quoad effectum probandi Cursum litterarium, cum primus non possit; & secundum posse, illicò dicemus; verùm etiam antecedenter. Nam qui mala fide eas lectiones audiuit, & in animo habet (vt commnniter contingit) probare Cursum litterarium, ad cuius probationem iuramentum requiratur, habitualiter est in statu peccati mortalis, cū intentionē continuatam habeat committendi peccatum lethale inducendo alios, vt iurent pro ipso falsum, nempè audiuisse ipsum lectiones in Statutis designatas; id enim est, quod iuratur. Qui autem propositum habet committendi peccatum lethale, dum nō cesset à proposito, & ipsum culpæ pœniteat, vt oportet, est in statu peccati mortalis.

141 Quare non solùm tempore Cursus litterarij, sed etiam post illum, si habeat animum probandi cum anno sequenti, existit toto eo tempore in illo statu peccati; Sicuti possessor malæ fidei est in statu peccati lethalis, donec rem restituat, si possit, etsi ea sit quantitas sufficiens ad furtum graue; vt in confesso est omnibus Authoribus, dum tractant de restitutione, & præscriptione, ac docet Ludouicus Lopez *vbi suprà, capit. 132.* Hinc obiter idem dicendum est de eo, qui lectionibus absolutè non assistit, vel Scholas non frequentat; toto eo tempore, quod requiritur ad probandum Cursum litterarium, & habet propositum, quòd probandus sit ille Cursus. Is etenim etiam est in statu culpæ lethalis, cum non cesset à proposito habituali patrandi mortale peccatum. Cæterùm qui bona fide audit alias lectiones à designatis in Statutis Academię, cum non sit in animo commitendi culpam lethalem, non est in eo statu peccati. Vnde, si à bona fide non cadat, & reperiat testes, qui Cursum litterarium probent, licita erit probatio. Nostra autem quæstio supponit, eam bonam fidem cessasse, quia is, qui eam habebat, veritatem agnouit; Quid ergo in hoc casu erit præstandum?

142 In primis certum est, si antequam Cursus litterarius finiatur, id agnoscat, illicò teneri ad assistendum lectionibus, quæ in Statutis designantur;

tur; aliàs operabitur iam mala fide, atque adeò ex tunc erit in statu peccati lethalis, si habeat animum probandi Cursum litterarium, quin assistat lectionibus, ad quas tenetur, nec poterit licitè Cursum probare; ni si exiguum adhuc tempus deesset vsque ad finem Cursus, vt paruitas materiæ (quam superiùs designauimus) esset iudicanda, adhuc si illi dies, qui deessent, cõiungerentur cum alijs, quibus forsan ipse Scholis non adstitisset. Id cernitur in possessore bonæ fidei, qui rem adhuc non præscripsit; is enim, postquam cognouit, rem esse alienam, fidei malę possessor redditur, si retineat absque intentione restituendi illam domino, & in statu peccati versatur, quare tenetur illicò domino reddere, *iuxta leg. in ciuilem, Cod. de furtis*; & tradit cum communi relatus Ludouicus Lopez *cap. 227. §. cæterum est*.

143 Deinde censeo, eum, qui bona fide audiuit lectiones non designatas in Statutis toto tempore Cursus, aut saltem aliquo, si post notitiam veritatis adstitit lectionibus, ad quas tenebatur, posse licitè Cursũ probare. Moueor, quia is frequẽtauit Scholas, audiuit lectiones, & non est imputabile ei, quòd non interfuerit lectionibus designatis; ergò rectò iure potest de voluntate legislatoris præsumi, quòd noluerit, eum inculpatum, lectionibus assistentem, & materialiter dũtaxàt violantem Statuta, priuari probatione Cursus, quem ipse curauit debito modo, quantum ex se est, peragere. Et sanè æquitas id suadet, fundamentumque sufficiens datur, vt sic interpretemur animũ condentis Statuta. Equidem Legislator, vt ait D. Thomas *1. 2. quæst. 96. art. 6. ad 3.* nec omnes casus particulares occurentes præuidere potest, nec, si præuideat, oporteret, vt exprimeret, quia confusionem pareret; Si igitur aliquis casus est excogitabilis, in quo Statutorum conditor permitteret, vt Cursus litterarius probaretur, non auditis lectionibus à se designatis, is profectò esset, de quo agimus, nec alius vrgentior potest dari.

144 Nec militat ratio facta in audiente mala fide lectiones non designatas in Statutis; Sibi namque imputet, quòd nequeat licitè Cursum probare, & quòd oleum, & operam perdiderit; cum enim penes ipsum steterit, quominus requisita à Conditore Statutorum adimpleuerit, imputabilisque ei sit non adimpletio, nequit ea benigna interpretatio Statuti fieri, nec fundamentum simile reperitur, ad sic interpretandam mentem Legislatoris; quin potius ad oppositum datur fundamentum; nempè vt non gaudeat beneficio probationis Cursus litterarij, qui consultò noluit apponere media requisita ad illud obtinẽdum. Et quidem diuersi effectus oriuntur ex bona fide, ac ex mala; sic constat ex iure, *§. 30. & seq. Inst. De rerum diuis.* & sæpè alibi. Ac item ex pluribus casibus practicis. Nam, si quis bona fide Officium vnum pro alio recitauit, non tenetur certior factus iterum recitare, & manifestè excusatur: si autem mala fide, & sine causa illud præstitit, saltem nõ adeò manifestè excusatur à repetenda recitatione, nec ab aliqua culpa est immunis. Idipsum posset alijs exemplis firmari.

145 Nec vlteriùs militat ratio asserti propositi in eo, qui toto tempore Cursus, vel per magnam illius partem non frequentauit Scholas, nec lectionibus interfuit, vel quia otio & ludo vacauit, vel quia negotijs proprijs fuit præpeditus; Etenim is eodem modo se habet, ac si extra Academiæ locum esset, cum Scholas non frequentet, nec lectionibus assistat; si autem extra Academiæ locum versaretur, etiam si per ipsum non staret, ad locum prædictum aduentare, nullus diceret, posse obtinere Cursum, & illum probare. Et quidem hic minus pro se habet, quàm ille, de quo est quæstio in præsenti, cum ille, vt supponimus, Scholas frequẽtet, & bona fide lectiones audiat, quas, credit, sibi sufficere ad probandum litterariũ Cursũ; & hæc sint exercitia propria Scholastici, qui suum Cursum peragit; & dumtaxàt materialis sit eius defectus, dum has lectiones loco aliarum audit: Hæc autem non reperiuntur in non assistente culpatè, nec in eo, qui præpeditus negotijs ab Scholis, & lectionibus abstinet.

146 Ex his manet solutum argumentum, quod opponi poterat, nempè auditionem lectionũ esse medium essentialiter requisitum, vt Cursus probetur; nihil autem interesse, quòd culpabiliter, vel inculpabiliter medium non ponatur, cum, non posito illo, finis nequeat obtineri. Quippè dicendum est, Scholarem bona fide alias lectiones audientem ponere medium *formaliter*, esto non ponat *materialiter*; quippè ponit medium, quod ipse bona fide iudicat esse sufficiens, & iniunctum à Conditore Statutorum, & quod in his circumstantijs, æquo iure interpretamur,

mur, Conditorem voluisse, esse medium sufficiens; esto noluerit, absolutè, seu non intercedente præfata bona fide, esse sufficiens.

147 Sed dices, inde sequi, quòd, si quis matriculæ adscriptus in Facultate Iuris Pontificij, audiret Medicinæ, aut Artium lectiones bona fide, posset probare Cursum in Iure Pontificio. Nego sequalem, & nego suppositū. Quippè supponitur, posse in illo esse bonā fidē, quæ nequit profectò dari. Quis enim sit tam hebes, & ignorans, qui, si matriculæ adscribatur in Facultate Iuris, non videat, omnino esse diuersam Facultatem, cui dat operam, Medicinæ, aut saltem de eo non dubitet? aut quis intendat Cursus probare in Iure Pontificio, & in eo Gradum Bacchalaurearus obtinere, & Medicus è Studijs euadere, non Iurisperitus? ipse enim suo fini repugnaret, dum Gradum appeteret, qui non posset ei inseruire ad exercendam Medicinæ scientiam, quam addisceret.

148 Demus tamen, esse aliquem adeò ignarum, cui nec species dubitandi fuisset oborta, & bona fide lectiones præfatas audisset, adhuc non posset licitè Cursum in Iure Pontificio probare, quia in hoc non militat ratio à nobis facta, cum non possimus æquo iure interpretari mentem Legislatoris, aut Conditoris Statutorum eam fuisse, vt qui etiam bona fide lectiones audiuisset in Facultate, aut scientia omnino diuersa, posset probare Cursum in alia; ad eam enim interpretationem debent supponi termini habiles, & quòd mutatio lectionum non sit adeò discrepans, sed potiùs quòd lectiones bona fide auditæ etiam conducant ad finem intentum, scilicèt obtinendi Gradum, finitis Cursibus litterarijs; nullo autem modo conducunt lectiones Medicinæ ad obtinendum Gradum in Iure Pontificio, & testimoniū publicum, quòd quis studuerit Iuri Pontificio, Cursibus requisitis, & in eius doctrina profecerit.

149 Replicabis; igitur nostra doctrina solùm aptari potest illis, qui matriculæ adscripti sunt in vna Facultate, v. g. Iuris Canonici, & in ea mutant lectiones, ita vt si teneantur audire lectionem Decreti, & Decretalium, audiant lectiones Sexti, & Clementinarum; Non autem aptari poterit præfata doctrina his, qui matriculæ adscripti in prædicta Facultate Iuris Pontificij bona fide audirent lectiones v.g. Vespertinas, aut Primarias Iuris Ciuilis, aut similes, cum teneretur audire lectiones Iuris Canonici.

150 Fateor, hanc replicam quam ego excogitaui, vim aliquam præferre. Nihilominùs tamen non eneruatur nostra assertio superiùs posita, cum saltem firmum maneat, illum, qui bona fide audiret lectiones non designatas in Statutis, si lectiones sint eius Facultatis, in qua matriculæ adscriptus est, posse licitè probare cursum litterarium, quod replica apposita non impugnat.

151 Deinde videtur, posse extendi nostram doctrinam ad casum in replica adductum, esto non æqualis sit in eo certitudo, aut probabilitas; sufficiens tamen apparet, vt in praxi tutò quis huic doctrinæ assentiat. Etenim Ius Canonicū, & Ciuile inter se mutuò fœderantur, atq; adeò qui Iuris Ciuilis lectiones audiuisset, medium proportionatum ad finem Gradus obtinendi in Iure Canonico præparasset; Quod exinde manifestius fit, quia Saltem in Academia Salmantina, is, qui adscribitur matriculæ in Iure Pontificio, vt postmodùm in eo Gradum Baccha laureatus assequatur, tenetur ex designatione Statutorum audire in primo Cursu litterario lectionem Iuris Ciuilis, nempè Institutionum Imperialium; Et è conuerso qui matriculæ adscribitur in Iure Ciuili, vt Gradum in eo obtineat, tenetur in primo Cursu audire lectionem Iuris Canonici, nempè Primariam, aut Vespertinam. Deinde, qui Gradum Bacchalaureatus in Iure Canonico obtinuit, si vnum Cursum in Iure Ciuili supperaddat, potest eo solo Gradum Bacchalaureatus in Iure Ciuili obtinere. Demum in Statutis Academię Salmantinæ *tit. 33. §. 53.* declaratur, eamdem esse Facultatem legū, & Canonum, & fauet huic declarationi, quod docet Miranda *in Director. Prælator. quæst. 6. art. 2. prope finem;* vtriusque Iuris finem valde inter se conuenire. Signum igitur est, lectiones vnius Iuris conducere ad Gradum alterius, & esse media proportionata ad eum finem. Quare non se habet res, sicut in casu proposito *suprà num. 147.* nam qui adscriptus matriculæ in Iure Pontificio, aut Cæsareo, solùm audiret lectiones Medicinę, non apponeret medium proportionatum, nec conducens ad finem, cum Medicina, & Ius Pontificium, vel Cęsareum inter se non connectantur, nec in Statutis designetur lectio

Medi-

Medicinæ in vllo anno audienda ab his, qui Iuri prædicto incumbunt; Quod cum aliter se habeat in casu replicæ appositæ, disparitatis ratio fit manifesta.

152 At inquires, quomodo in casu nostræ assertionis possint testes cū iuramento deponere, eum, cuius Cursus litterarius probatur, audiuisse lectiones in Statutis designatas, (id enim est, quod iuramento deponitur) cum eas non audiuerit, licèt bona fide illas omiserit, & interfuerit alijs? Respondeo, testes verum iurare, cum ille per æquialentiam audiuerit lectiones in Statutis designatas, quæ æquialentia conflatur tum ex bona fide, tum ex assistentia cōtinua ad alias lectiones, & ex interpretatione benigna, & rationabili Statutorum, quæ in eo casu iudicātur designare, seu permittere auditionē earum lectionum, quibus ille bona fide interfuit. Vel aliter explico, nempè eos testes iurare verum, quia ille, cuius Cursum probant, formaliter satisfecit Statutis, licèt materialiter ea non adimpleuerit, vt dicebam *superiùs num 146.* quæ adimpletio formalis sufficiens est ad veritatem iuramenti, si quidem eò tendit iuramētum, vt constet, illum satisfeciſſe Statutis Academiæ in frequentatione, & assistentia ad lectiones. Constat autem ex dictis, eum verè satisfeciſſe.

153 Adhuc dices, non posse iurare verum testes, nisi vtantur æquiuocatione, & amphibologia; iuramenta autem huiusmodi non esse licita absq; causa graui. In primis affero, casum, de quo in præsenti, esse grauem, & aliunde dari sufficientem causam ad vtendum æquiuocatione; vnde, esto ea vtantur testes, nihil illicitum patrant. Et quidem, Cursum litterarium probari, (si aliunde sine culpa fieri potest) res grauis est, tum quia plures impensæ facultatum fiunt in aduentatione ad Academiam, in habitatione in loco, vbi est, atque in reditu ad patriam, pluraque incommoda sustinentur; tum quia inde pendet citior consecutio Gradus, & commoda deinde, quæ post illum sollicitantur; Hæc autem omnia disperderentur, si Cursus non probaretur; quis autem non iudicet, esse causam grauem hāc, ex qua grauia cō moda, aut incommoda resultant.

154 Deinde aio, prædictum iuramentum absolutè non esse æquiuocū, amphibologicum, aut dolosum, cum ad hoc requiratur, aliud in mente haberi, aliud verbis significari; seu, vt explicat Nauarrus *cap. 12. num. 8.* id datur iuramentū, cum quis rogatus respondet verum secundum suam mentem, sed falsum secundum mentem rogantis. In præsenti autem non respondetur falsum secundum mentem rogantis, dum rogans inquirit, an is, cuius Cursus intēditur probari, audiuerit lectiones designatas in statutis, & eis satisfecerit? Verū autem est, satisfeciſſe illis, & audiuisse lectiones per æquiualentiam designatas, seu quas in casu bonæ fidei, iudicatur, permissas, & designatas à Conditore Statutorum.

155 Quia tamen, cum testes eum, de quo loquimur, non viderint assistentem lectionibus designatis, & forsitam eius bonam fidem ignorent, aut non calleant doctrinam in hac quæstione sancitam, periculum datur, vt falsum iurent, si rem cum iuramento deponant; oportet, antequam rogentur, vt iurent, eos admonere de veritate facti, & de traditæ doctrinæ practica, & tuta probabilitate, vt sic intelligant, se iurare verum, & absint à periculo periurandi. Quin ad tutiorem se gerēdi modum, poterunt moneri, vt iurent, illū audiuisse lectiones designatas in Statutis, subintelligendo in mente, *eo modo, quo sufficit, vt Cursus probetur; seu designatas per æquiualentiam, aut iuxta benignam, ac rationabilem Statutorum interpretationem, in casu bonæ fidei.*

Quæstio XV. Quæ lectiones in quauis Facultate debeant in vnoquoque Cursu litterario ab Scholaribus audiri in Academia Salmanticensi, vt Cursus annuus licitè possit probari?

156 IN singulis Academijs specialia sunt circa lectiones audiēdas Statuta, quę non facilè possent in compendium redigi. Idcò dumtaxàt Principis omnium Academiæ Salmantinę referam sanctiones, vt, si præ manibus Statuta non habeantur, possint à Cōfessarijs, aut ab alijs moneri Scholastici de lectionibus, ad quas audiendas tenentur, aut ipsimet hinc eas cognoscere.

157 Igitur in Theologia quatuor Cursus litterarij peraguntur, vt quis

Gra-

Gradum Bacchalaureatus obtineat. In primo, & secũdo anno audienda est lectio Scripturæ Sacræ, & item alia Primaria, aut Vespertina Theologiæ, à quolibet ex Moderantibus prædictas Cathedras. In tertio autem, & quarto anno solùm exigitur vnica lectio, scilicet vel Primaria, vel Vespertina Theologiæ. Ante primum autem annum Theologiæ requiritur Gradus in Artibus, & non nisi Bacchalaureati in illis possunt Cursum Theologicum assequi. Obserua in præsenti, Religiosis cõcessum esse à Pontificibus, vt Gradũ Bacchalaureatus in Artibus possint in Academijs obtinere, dum Cursum Philosophicum intra suam Religionem audiuerint. Obserua deinde, Gradum Bacchalaureatus in Theologia non posse ex se obtineri iuxta statuta in Academia Salmantina, nec posse quem incorporationẽ eius Gradus nanciscì, nisi prædictas lectiones audiuerit; & nihilominus sæpè oppositum fieri cernimus, cum absq; auditione earum lectionum ille Gradus, seu incorporatio obtineatur. Id, nescio, quo iure fiat, sed tamen licitè præstari non dubito; & credam, Statuta benigna, & rationabili interpretatione donari, cum à Viris Sapientissimis, & timoratis id reducatur in praxim.

158 In Iure Canonico seu Pontificio quinque Cursus annui requiruntur, vt Gradus Bacchalaureatus præstetur. In primo anno duæ debent lectiones audiri; altera in Primaria, aut Vespertina Cathedra Iuris Canonici, quæcumq; ex duabus Primarijs, aut Vespertinis eligatur; altera in qualibet Cathedra Iuris Ciuilis ex omnibus, quæ in Academia dãtur. Et communiter Cathedra Institutionum Imperialium designatur. In secundo anno, & in tertio duæ itidem lectiones sunt designatæ, nempẽ Decreti, & Decretalium. In quarto anno vnica lectio exigitur, scilicet Sexti, aut Clementinarum. In quinto anno alia lectio sola, nempè Clementinarum, si quarto anno non sunt auditæ; quo casu etiam potest quis loco Clementinarum audire lectionem Primariam, aut Vespertinam Iuris Canonici. At si quis Clementinas quarto anno audiuit, debet in quinto lectioni Sexti interesse.

159 Annotandum est, in primo anno communiter in matricula, vt nuper dixi, designari lectionem Institutionũ Imperalium; satisfieri tamen Statuto, si quælibet alia lectio in Cathedra Iuris Ciuilis audiatur, attamen quia incipientibus ea est commodior, & vtilior lectio, ea præ alijs indicitur. Deinde nota, in secundo anno, & tertio, lectionem Decretalium fuisse designatam in Statuto anni 1618. quin determinetur Cathedra Primaria, aut Vespertina, atque adeò videtur satisfieri, si audiatur lectio ab aliquo ex Regẽtibus alias tres Cathedras non perpetuas Decretalium, quæ sunt in Academia; esto per Statutum anni 1594. fuerit designata Primaria, aut Vespertina; & quoad hoc nõ videatur fuisse Statutum reformatum, sed quo ad alia, quæ continet; & praxis communis hoc confirmat; licèt, si stemus verbis Statuti recentioris, non sit opus, hanc limitationem amplecti.

160 Annotare etiam oportet, eos, qui in Academijs alijs aliquos Cursus litterarios obtinuerunt, in quibus diuersæ lectiones extant designatæ, & postmodùm in Academia Salmantina illos prosequuntur, quandoque debere lectiones prædictas in alias mutare; v.g. Qui in alia Academia in tertio anno designatam ibi lectionem Sexti audiuit, & quartum annum litterarium in hac peragit, non debet lectionem Sexti audire, sed lectionem Decretalium, seu Primariam, aut Vespertinam Iuris Canonici. Quod quidem in Statutis dispositum non reperio, sed tamẽ à Secretario Academiç, qui de his apprimè est instructus, ita monentur, qui post tres annos in alia Academia peractos, & lectionem Sexti ibi auditam, quarto anno ad Salmantinam Vdiuersitatem aduentant. Crediderim, sic à recentibus Academiæ Visitatoribus dispositum, quorum sanctiones inter Academiæ Statuta non extant. Et forsan ab illis etiam est iniunctũ, vt prima lectio Iuris Ciuilis audienda determinatè sit in Cathedra Institutionum Imperialium.

161 In Iure Ciuili quinque Cursus annui transiguntur, vt quis ad Gradum Bacchalaureatus assequendum perueniat. In primo anno audiendæ sunt duæ lectiones; alia Institutionum Imperialiũ, in quacumque ex duabus Cathedris; alia Iuris Canonici primaria, aut Vespertina. In secũdo anno vna lectio desideratur Codicis Iustinianei; Idem in tertio anno requiritur. In quarto autem, ac quinto vnica etiam lectio Digestorum Primariæ, aut Vespertinæ Cathedræ designatur.

162 Qui in vtroque Iure volunt

lunt Gradum Bacchalaureatus obtinere, ſi attendamus Statuto anni 1594. poſt obtentum Gradum in Iure Canonico in hac Salmanticenſi Academia, duos Curſus debent peragere, in quorum vnoquoque audiant lectionem Codicis, aut Digeſtorum. Qui autem in Iure Ciuili Gradum ſunt aſſecuti, vt Gradum in Iure Canonico aſſequantur, duos etiam Curſus tranſigere tenentur, & in vtroq; audire lectionem Decretalium, vel Sexti, aut Clementinarum. Attamen primum ex his immutatum cerno, forſan per recentiorem alicuius Viſitatoris ordinationem; quippè qui Gradum in Iure Canico in Academia Salmantina obtinent, vnico Curſu ſuperaddito, & in Iure Ciuili audiendo tranſacto, Gradum in eo Iure aſſequuntur. Hinc ferè omnes matriculæ adſcribuntur, vt Iuri Canonico incumbant, & in eo Gradum aſſequantur, nempè vt poſtmodùm, ſi velint vnum dumtaxàt Curſum ſuperaddere, in vtroque Iure Gradum obtineant; quòd ſi in Iure Ciuili Curſus annuos tranſigerent, & in eo Gradum Bacchalaureatus acciperent, poſtmodùm duobus Curſibus indigerent, vt in vtroque Iure ad prædictum Gradum promouerentur. Et abſolutè commodius, & vtilius eſt, Gradum in Iure Canonico obtinere, quàm in Ciuili; quia habilis quis redditur ad accipiendum Gradum Licentiatus, & Doctoratus in eodem Iure, qui Gradus ad plures Præbendas, & Dignitates Eccleſiaſticas requiritur, ad quas Gradus in Iure Cæſareo nõ ſufficit. Sed digni reprehenſione ſunt, qui ad Ius Canonicum addiſcendum, & Gradum in illo obtinendum matriculæ adſcribuntur, & tamen nec eius Studio incumbunt, nec lectionibus interſunt eiuſmodi Iuris, vel ſolùm perfunctoriè eas audiunt. Hi ſanè finem aſſequi intendunt, quin media ad illum neceſſaria apponant, & ſibimetipſis contradicunt, dum Ius Canonicũ penitùs ignorant, nec de illo curant, & ſimul in Iure Canonico Gradum, & teſtimonium publicum doctrinæ in eius ſtudio obtentæ affectant. Audio illos aſſerentes, nihil ſibi prodeſſe Ius Canonicum, cũ non ſtudeant, vt ſint Parochi, aut beneficiati. Sed facilè illis reſpondeo; Ergo non dent ſuum nomen Iuri Canonico in matricula, nec Gradum in illo intendant; nã aliter incompoſſibilia coniungunt: Atq; etiam eis reſpondeo, Ius Canonicum Iuri ciuili valde amicari, & ad huius intelligẽtiam non obeſſe; & ad plurima profectò munia eſſe opportuniſſimum. Vel ſtudiũ vtriuſque Iuris coniungant; vel, ſi ſoli Iuri Ciuili tempus impendere ſtatuunt, penitùs omiſſo Iure Canonico, in illo, non in hoc Curſus litterarios peragant; ſi aliter fiat, res eſt omnino abſona, ſi attentè perpendatur.

163 In Medicina neceſſarij ſunt quatuor anni Curſus, vt Gradus Bacchalaureatus obtineatur, & ante primum prærequiritur Gradus idem in Artibus obtentus. In primo anno duæ lectiones deſignantur; alia audienda à moderante Cathedram Primariam, aut Veſpertinam; alia à moderante Cathedram proprietatis Philoſophiæ naturalis. In ſecundo, & tertio anno duplex etiam exigitur lectio: quædam Primaria, aut Veſpertina; quædam verò Chirurgiæ à regente Cathedam audienda. In anno quarto duę itidem lectiones præfigũtur, altera Primaria, ſeu Veſpertina, altera methodi. Et præter eos quatuor litterarios Curſus requiritur examen ante Gradum, cui Rector Academiæ eſt prę ſens, & Examinatores ſunt, qui Gradum Doctorum in Medicina habent in hac Academia.

164 Per Statuta etiam requirebatur, vt tertio, & quarto anno auditores Medicinæ ad ægros inuiſendos Medicos comitarentur, vt praxim addiſcerẽt; & poſt obtentum Gradum, alios duos annos inſumerent in ea praxi addiſcenda, & non niſi poſt illos tranſactos Schedula, ſeu teſtimonium publicum prædicti Gradus eis traderetur. Id iam in deſuetudinem abijt, & ideò aliquando, & in aliquibus locis ægroti nõ tam laborãt febribus, quàm Medicis.

165 In Artibus tres anni requiruntur ad Gradum conſequendum; In primo anno aſſiſtendum eſt lectioni, quæ in Cathedra perpetua Summularum docetur. In ſecũdo audienda eſt lectio à Moderante Cathedram perpetuam Logicæ. In tertio duæ lectiones exiguntur, alia in Cathedra Philoſophiæ Moralis. Etenim præcedit examen ante promotionem ad Gradum in Artibus, cuius norma traditur in Statutis *tit. 28. num. 22.*

166 Decurſu temporis rigor Statutorum circa Gradus obtinẽdos, & Curſus probandos paulatim lentior eſt redditus. Quippe per ea decernebatur, vt nullus poſſet Curſum probare, ſi ante finẽ lectionis è gymnaſio exiret; & quòd ante Gradum in Iure obtinendum plures lectio

nes

nes quis legeret è suggestu, quibus eius scientia tentaretur, & alia eiusmodi, quæ nulli non constat, minimè obseruari. Ad calcē monuerim, quolibet die anni posse quem in matricula adscribi, vt Cursum obtineat, si sex menses, & vnum diem, lectiuos, interfit postmodum lectionibus. Deinde, si in aliquo Cursu non adimpleuerit tempus necessarium, potest in sequenti anno adimplere. Rursus, si, finito Cursu hyemali, & non obtento, quis adueniat, & matriculæ inscribatur, posse obtinere verum Cursum, vulgo *Cursillo*, & posteà, si velit, Cursum sequentem. Demum tyrones in Academia Salmanticensi non posse obtinere illos dies Cursus litterarij, qui à die Diui Lucæ, vsque ad diem Sancti Martini intercedunt, nisi statim matriculę inscribantur; & postmodùm tum ipsi, tum cęteri post diem Sancti Martini sub nouo Rectore debent adscribi matriculæ. Hic aduerte *in leg. 8. tit. 16. lib. 3. Recop.* statui nec Academias, nec Protomedicos posse supplere Cursus litterarios requisitos, vt Medici exerceant suam Artem, & *ibi leg. 9. 10. & 11.* constitui formā circa Gradus, & Academias, in quibus suscipi queunt, & circa examen Medicorum, Chirurgorū, Barbitonsorum, ac Pharmacopolarum.

Quæstio XVI. An Scholastici possint diebus festis transcribere lectiones, & codices, tum ad discendum, tum lucri gratia?

167 DVO quęrimus. Primum difficultate caret; scilicèt an possint Scholastici diebus Festis licitè in gymnasijs scribere lectiones, vel domi eas trāscribere, vt inde discant? Affirmatiuè respondeo. Probatio huius conclusionis, ne eadem repetamus, desumenda est ex dictis *lib. 2. quæst. 10.* vbi simile quæsitū enodauimus de Professoribus scientiarum, an nempè possent docere verbo, & scripto præfatis diebus; & respondimus posse, quia actus potentiæ spiritualis ordinatus ad finem spiritualem, qualis est discendi, & docendi, etiam si fiat per ministerium corporale, liber est, & non seruilis, ac consequēter licitus diebus Festis. Recolantur ibi dicta.

168 Secundum quæsitum non adeò est planum; videlicet an Scholastici diebus Festis possint lucri gratia co dices, aut materias transcribere? Quod etiam commune est alijs scribentibus nō Scholasticis. Aliqui nimis rigidè tuentur, transcribere, non solùm lucri gratia, verùm & absque spe lucri, esse opus seruile, ac diebus Festis non licere. Ita Pedraza 3. *præcepto*; Caietan. 22. *quæst. 122. art. 4. versu, ad secundum dubium*; Margarit. Confess. 3. *præcepto fol. 70.* Syluest. *verbo Dominica, q. 5. conclus. 5.*

169 Alij asserunt, transcriptionem, quæ immediatè fit ad discēdum, vel docendum, esse opus liberum, ac licitum diebus Festis; secùs quæ immediatè fit propter lucrum. Sic Nauarr. *in sum. cap. 13. num. 14.* Sotus *de iust. lib. 2. quæst. 4. art. 4. versu, testium*, P. Thom. Sanchez *tom. 2. consil. lib. 5. cap. 2. dub. 9. num. 3.*

170 Alij demùm affirmant, transcriptionem etiam ob lucrum immediatè factam licere diebus Festis, & opus seruile non esse. Ita Medina *lib. 1. sum. c. 14. §. 8.* Ludouic. Lopez *in instruct. conse. lib. 1. cap. 52.* Henriquez, & recentiores docti, quorum meminit P. Thom. Sanchez *vbi suprà num. 2.* Et ipse *num. 5.* ait hanc sententiam esse satis probabilem, & tutò posse in praxi obseruari, quando quis ob pretium transcribit, ita vt ea transcriptio alij deseruiat ad studium.

171 Huic postremæ sententiæ, absque limitatione, assentio. Probatur primò. Transcribere gratis est licitum die festo, vt, præter paucos, communiter affirmatur ab omnibus; At spes lucri non mutat naturam operis; ergo transcribere cum spe, & intentione lucri licitum est die Festo. Minor ab ipso P. Thoma Sanchez videtur clarè doceri, & si parùm sibi consequens posteà videtur; nam *vbi suprà, dub. 6. num. 11.* hæc habet *Quarta conclusio; omne opus, quod est licitum in die Festo vel ex se, vel propter necessitatem, vel propter consuetudinem, vel propter aliam quamcumque causam, erit etiam licitum, licèt fiat principaliter propter lucrum.* Ergo fieri propter lucrum, non mutat naturam operis, quod absque lucro erat ex se licitum. Sed absque lucro erat licitum ex se, transcribere, ergo lucrum non mutat naturam transcriptionis; & licita erit transcriptio etiam facta immediatè, & principaliter ob lucrum.

172 Probatur secundò. Transcribere codices, seu lectiones ex se est me-

dium

dinm ordinatum ad finem spiritualem, nẽ pè vt doctrina inde addiscatur; sed mediũ, quod ad eum finem ordinatur, quãuis fiat per ministerium corporale, est liberum, & non seruile; ergo transcribere non est opus seruile, atque adeò licitum diebus Festis. Quam doctrinam P. Thomas Sanchez illustrat; quia, sicut possum lectionem, quã audio, per me transcribere, ita licebit mihi id per alium præstare, soluto ei pretio; quia ille moraliter me iuuat ad Studium. Rursus nam mihi licèt, ab amico poscere, vt concionem, aut codicem gratis transcribat; igitur, vt id exequatur lucri gratia; cum respectu illius transcriptio eodẽ modo vtrobiq; se habeat, nec ipse magis discat, si gratis, aut si ob pretium transcribat. Confirmatur. Nam qui docet aut cõcionatur, medio ministerio corporali, nõ intẽdit inserere suæ mẽti affectũ, seu passionẽ spiritualem, sed aliorũ animis; & ordinatio ad hunc finẽ reddit opus liberũ; ergo cũ trãscriptio prædicta ordinetur ad aliorũ Studiũ, erit opus liberũ, quãuis trãscribẽs nõ ordinet illã ad Studiũ proprium sed ad lucrũ; nõ aliter ac si quis doceret scientiam, vel concionaretur ob lucrũ, nõ aliter docturus, aut cõcionaturus; quia ex se cõcio, & lectio ordinãtur ad affectũ spiritualem mentibus inferendum.

173 Probatur tertiò ex praxi cõmuni Sapiẽtũ, qui libros ad prælũ parãt, & eos trãscriptoribus præbent, vt propter lucrũ etiã die Festo eos trãscribãt. Imò, vt ait ipse P. Th. Sanchez, licitũ est, petere ab aliquo, vt soluto pretio diebus Festis trãscribat claris, & cõcinnis characteribus lectiones, quas quis obscuris litteris scripsit, vt posteà meliùs ab ipso, vel ab alio legãtur; absolutè ergo eiusmodi transcriptio licita est diebus Festis.

174 Opponitur pro prima sentẽtia; scribere nihil aliud est, quàm formare characteres ad extra secundum tenorẽ exẽplaris à quo trãscribitur; sed hoc est opus mechanicũ, sicut est facere statuã, imprimere, picturas delineare, & alia huiusmodi; ergo, sicut hæc nõ licẽt die Festo, quia sunt opera seruilia, ita nec transcribere licebit. Huic argumẽto satisfit exponẽdo differẽtiã inter opus seruile, & liberũ. Ex se etenim, qui facit statuã, imprimit, aut pingit (dũ nõ pingat ad discẽdũ) ordinat laborem ad passionẽ materialẽ, seu affectionẽ inferẽdã operi, quod præ manibus habet; & ille labor ex se ad quid materiale ordinatur; At trãscribere ordinatur ad explicãdũ cõceptus, & inferẽdã mẽti passionẽ spiritualẽ. Quod instãdo argumentũ cõfirmo. Nã si quis proprios cõceptus scribat, atq; vt cõcinniùs id præstet, ante oculos habeat exemplar characterum, à quo conformitatẽ in suis characteribus desumat, sanè non ideò opus seruile cõficiet, & tamẽ hoc est, formare characteres ad extra secũdùm tenorẽ exẽplaris; ergo idẽ in nostro casu cõringit; nã si semel scriptio nõ est opus seruile, dũ ordinatur ad quid spirituale; quòd fiat secũdùm tenorẽ exẽplaris, aut absq; illo, gratis, vel lucri causa, naturã operis nõ mutat. Et quidẽ imprimere, aut statuã formare in nullo euẽtu est opus liberũ, sed seruile; scribere autẽ in omniũ sentẽtia saltẽ in plurimis euẽtibus est opus liberũ; ergo nõ eodem modo hæc opera se habent, nec ab vno ad aliud fit argumentum.

175 Dices; iuxta nostrã doctrinã pingere, vt quis inde discat, est opus liberũ, & licitum die Festo; pingere autẽ nõ ad discẽdũ, sed principaliter lucri gratia est illicitũ, & opus seruile; ergo intẽtio lucri potest trãsferre opus liberũ ad seruile, & licitũ ad illicitũ. Hoc argumẽtũ etiã soluere tenetur P. Thom. Sanchez, qui tuetur, nõ esse opus illicitũ, picturas conficere ad discendũ, quãuis accedat intẽtio vẽ lẽdi illas, & accipiendi lucrũ. Respondeo ergo, aliqua esse opera ex se ordinata principaliter ad Studiũ; alia non esse ordinata; Prima licent, etiã si fiant propter lucrũ, & medio ministerio corporali, vt docere verbo, ac scripto, cõcionari, & similia; huiusmodiq; est opus transcribẽdi lectiones, libros, conciones, ac alia, quæ studio immediatè inseruiũt. Secũdi generis opera nõ licẽt, nisi cũ fiunt media ad studiũ; fiunt autem per intẽtionẽ discendi, quæ tunc principaliter mouet ad ea exequenda. Tale est opus picturæ, quod ex se principaliter nõ ordinatur ad Studium, sed ad repræsentandũ effigiẽ; vnde, nisi fiat per intentionẽ mediũ ad discendum, non est opus licitũ die Festo.

176 Replicabis; ergo pariter liberi, ac licitũ die Festo opus erit, si quis efformet è ligno, aut è lapide statuã, ea intẽtione principali, vt addiscat. Huic replicæ pariter tenetur satisfacere P. Th. Sanchez. Respondeo, ex pictura principaliter intẽdi habitum spiritualem mentis, à quo posteà dirigatur manus, ac penicillus; ex aliis verò artibus intendi, ac procurari principaliter facilitatẽ in potentia materiali executrice, ac dexteritatẽ in illa. Deinde pictura multò minori corporali labor, fit

quàm opera aliarũ artiũ; quare cõſtat, in illud picturæ opus præcipuas partes animũ inſumere; in alia verò potẽtias executrices corporeas plus agere. Et eſto nõ liceret pingere diebus Feſtis, nõ inde probaretur nõ licere trãſcribere, quod noliri inſtituti eſt. Quare ob noſtram concluſionẽ nõ tenemur defendere, alia opera non eſſe ſeruilia, ſed negare quamlibet paritatem ab illis deſumptam, ex traditis rationibus pro concluſione poſita diſcrimen reddendo.

177 Opponitur pro ſecunda ſententia à P. Thom Sanchez. Tranſcribere modo præfato eſt quidam labor manuum ordinatus immediatè ad lucrũ temporale, & ad vtilitatem, ac ſuſtentationem corporis, non ſecùs ac alia officia mechanica; igitur eſt opus ſeruile, & illicitum die feſto. Reſpõdeo ex doctrina eiuſdem Authoris, quam tradit, cum noſtram concluſionem ſatis probabilem eſſe affirmat, & tutò in praxi poſſe executioni mãdari; ſcilicèt alia opera mechanica non iuuare ex ſe ad ſtudium, quod eſt finis ſpiritualis, ſicut iuuat tranſcriptio, indeq; hanc nõ eſſe opus ſeruile, ſed liberum; &, ſicut poteſt quis per ſe tranſcribere lectionem, quam audit, vel ab amico poſcere, vt gratis eam tranſcribat, quin feſtum violet, ita poſſe tranſcribere per alium, etiam ſoluto pretio, quia perinde ſe habet vnũ, ac aliud; & lucri ſolutio naturã non mutat operis, ac id moraliter eẽſetur iuuare ad Studium.

178 Hinc iam liquet, poſſe pauperes ſcholaſticos tranſcribere diebus Feſtis codices, vt lucrum ad ſui ſuſtẽtationem obtineant. Poſſe prætereà dominos ſuis famulis imperare, vt lectiones, aut materias tranſcribant; & à fortiori poſſe vnũquemq; ad ſuum vſum, ac in Studijs profectum ea omnia tranſcribere, quin ideò opus ſeruile exerceat. Confirmatur tota doctrina. Nam Secretarij Magnatum, & Prælatorum diebus Feſtis per longum tẽporis interuallum epiſtolas exarant, in quibus non proprios conceptus, ſed dictatos, aut inſinuatos à dominis conſcribunt; & hi quidem pretio accepto id præſtant, cum eis annui redditus, vel ſalarium diurnum concedatur. Quis autem vnquam eos, vt violatores Feſtorum, damnauit? aut quinam illam ſcriptionem cenſuit ſeruilem? Nec ſanè à dominis id permitteretur (maximè cum neceſſitas non vrget,) ſi ſeruile eſſet opus; cum tamẽ Prælati id cõſentientes ſint & timoratæ conſciẽtiæ, & viri docti. In hoc ergo opere ſcriptionis epiſtolarũ (etiam extra neceſſitatem excuſantem ab obſeruatione Feſti) lucro accepto, inſtantur, ac infringũtur manifeſtè omnia argumenta contraria. Adde, vt ſit appoſitiſſima inſtantia, poſſe Secretarios habere ante oculos exẽplaria epiſtolarũ, (libri etenim de formula cõſcribendi epiſtolas diuerſas ſolẽt eis eſſe familiares,) atq; ex illis tranſcribere, paucis mutatis, epiſtolas diebus Feſtis, nec ideo opus ſeruile exequũtur, vt omnibus eſſe in cõfeſſo, mihi perſuadeo.

Quæſtio XVII. Quos contractus facere queunt validè Scholaſtici?

179 DE contractu, ſeu quaſi cõtractu ludi, ſeorſim diſceptabimus. De alijs cõtractibus non tã diſputo, quàm remiſſiones facio. Etenim in hoc conueniunt Scholaſtici cum cæteris omnibus. Vnde in primis contractus nequeunt facere niſi earum rerum, quarum dominium, vſumfructum, aut adminiſtratione m habent; cum autem eam habeant reſpectu alimẽtorũ, quę eis ad victũ tribuũtur, poſſunt emere, mutuare, ſimiliaq; præſtare in ordine ad ea, quibus indigẽt ad ſuſtẽtationẽ, ſui ſtatus decẽtiã, & honeſtã recreationẽ; quare etiam in ludo poſſunt alienare ea, quæ aſſeremus inferiùs. Deinde hi vel ſunt minores viginti quinq; annis, vel non? Rurſùs minores, aut ſũt puberes, aut impuberes? Si puberes, nequeunt celebrare cõtractus de rebus immobilibus, ſine authoritate Prętoris; ac de mobilibus, ſine authoritate curatoris. Si autẽ ſint impuberes, authoritas tutoris eſt neceſſaria.

180 Prætereà ſi minor pubes iuret contractũ, tenetur ad illum; gaudet verò beneficio reſtitutionis, ſi vltra dimidiũ læſus ſit, niſi expreſsè hanc etiam reciſſionem exceperit; impubes verò, iuxta probabiliorem ſententiam, beneficio reſtitutionis, & relaxationis iuraméti gaudet; quamuis plures id inficiẽtur de eo, qui pubertati eſt proximus. Impuberes autẽ nec in conſcientia tenentur ad iuramentũ ſeruandum, ſi teneatur ſententia docens, cõtractus impuberum nullam obligationem naturalem inducere, Ceterùm contractus minoruñ, qui iuramento firmi remanent, debent eſſe alioqui validi, ſcilicèt authoritate legitima facti; eſto valdè ſit communis ſententia aſſerens, iuramẽto firmari eos cõtractus, alioqui nullos, vtpotè factos abſq; authoritate Prætoris, vel curatoris.

Hæc

181 Hæc omnia, et similia prolixã desiderant ventilationem, ab hoc opere alienam. Consulantur Interpretes *ad leg. 1. Cod. si aduersus venditionem, & ad Authenticam, Sacramenta puberum, eodem tit.* Item Gregorius Lopez *leg. 6. verbo, maior. tit. 19. par. 6.* Antonius Gomez *tom. 2. variar. cap. 14. num. 18.* Molina *lib. 2. de primogen. c. 2. num. 28.* Donellus *lib. 21. cap. 13.* Burgos de Paz *leg. 1. Tauri, n. 288.* Fachinæus *lib. 3. controuersiar. cap. 10.* P. Ludouicus Molina *de iust. tom. 3. tract. 2. disp. 579. à num. 26.* Basilius Legionensis *de matrimon. libr. 12. de sponsalib. cap. 8. num. 55.* P. Thomas Sanchez *in Decalogum lib. 3. cap. 12* vbi plures Authores refert; P. Lessius *de iust. lib. 2. cap. 18.* et omnes, quotquot de iustitia, et iure et de contractibus scripsere, vt Cardinalis Lugo, P. Rebell. Dicastillo, Oñate, et alij passim. Et Summistæ verbo *Contractus, Donatio, Alienatio, Minor, Impubes, Iuramentum.* Igitur Scholasticis, iuxta circumstantias ætatis, et qualitatem contractus, aptanda sunt, quæ cæteris sunt communia. Id in communi dico, dum in Academijs sunt, ea alimenta, quæ administrant, validè alienare, dum eis prodigè non vtantur. De quo in speciali aliquas quæstiones inferiùs agitabimus. Solùm in præsenti obiter aduertas, in nostro Regno cautum esse *in leg. 4. tit. 7. lib. 1. Recopilat.* non posse nec coram Iudice, nec à parentibus Scholasticorum exigi, quod eis mutuò datur, aut creditò venditur absque ipsorum parentum mandato. Quare hi contractus mutui, et venditionis inualidi redduntur.

Quæstio XVIII. An, & quomodo liceant Scholasticis sponsiones circa eum, qui obtenturus est Cathedram; Hispanè las apuestas? *& circa alia ad ingenium spectantia?*

182 SECLVSO Superioris præcepto prohibente, possunt Scholastici facere sponsiones adinuicem, ita vt vnus affirmet, Petrum, verbi gratia, obtenturum fore Cathedram; alter verò alium; Et lucrum inde proueniens qui ex illis adquirat, potest retinere, quin debeat restituere, precisè ob rationem sponsionũ, nisi aliud sit caput, ex quo oriatur restitutionis obligatio. Probatur, quia spõsiones sunt cõtractus quidã fortunæ, quo vterq; spõdens periculo iacturæ, et lucri exponitur; ali unde nulla lege prohibentur, imò probantur, et permittuntur in iure ciuili, *leg. si pater, C. de inoffic. testam. leg. si quis ita stipulatus fuerit, ff. de verb. oblig.* Ergo prædictæ sponsiones, sicut et aliæ specialiter nõ prohibitæ, sunt licitæ, et cõsequẽter lucrũ ex eis acceptum potest retineri, cũ nullũ sit caput ex se, quod restitutionẽ inducat.

183 De quacumq; sponsione tuentur oppositũ D. Anton. *2. p. tit. 1. cap. 23. §. 9.* Syluest. *verbo, ludus, quæst. 6.* Gabriel *in 4. dist. 15. quæst. 13. art. 3. dub. 8.* arbitrantes, et si nõ debeat restitui lucrum ex sponsionibus adquisitũ, tamen esse turpe, et illicitum; aiuntq; prohiberi *in leg. solent, cum sequenti, ff. de aleæ vsu.* Sed non esse turpe, iã probauimus: sicut non sunt turpes nec illiciti plures ludi fortunę, in quibus simile est vtrinq; periculum lucri, et iacturæ. Deinde illæ leges non sunt nobis contrariæ; nam, postquam in prima prohibentur aliqui ludi, et permittuntur alij, in quibus vires corporis exercentur; in sequenti asseritur, licere sponsionem in prædictis ludis permissis, non verò, quando certamẽ non fit pro virtute; Hæc sunt verba; *In quibus rebus* (scilicet in ludis, in quibus vires corporis exercentur) *& lege Titia, & Publicia, & Cornelia, etiam sponsionem facere licet. Sed ex alijs, vbi pro virtute certamen non fit, non licet.* Nota aduersatiuam *sed;* quæ supponens licitas sponsiones circa maiorem, aut minorẽ virtutẽ, seu vires corporis, causa exercẽdi illas, prohibet spõsiones circa easdẽ vires ostẽdẽdas, quãdo nõ pro virtute, hoc est, pro exercẽdis viribus, sed alia de causa, nẽpè odij, et æmulationis, aut libidinis sponsiones fiunt. Itaq; circa eosdem ludos permittuntur, et prohibentur sponsiones, nõ propter se, sed propter causam, aut finẽ appositũ. In quo nihil nostræ sententiæ aduersatur. Et quidẽ non reprobari ibi sponsiones, sed sponsiones prauas, docent Iulius Clarus *libr. 5. receptarum, verbo, ludus, versu, quæro etiam;* Medina *de restitution. quæst. 22.* Sotus *de iustit. libr. 6. quæst. 7. art. 1.* Petrus Saterna *de sponsionibus mercat. 2. part. num. 17.* Antonius Gomez *libr. 2. variarum capitul. 11. num. 4.* Couarrubias *regul. peccatum, 2. part. §. 4 num. 2.* Nauarr. *in summa latina noua, capit. 20. num. 18.* Alcocer

lib.

lib. de ludo, cap. 46. Decius, Paulus, Baldus, Alexander, quos ſubſcribens refert Padilla *leg. de fideicomiſſo, Cod. de tranſact. num. 9.*

184 Dixi initio quæſtionis, *ſecluſo ſuperioris præcepto prohibente.* Etenim in Academijs ſolent eiuſmodi ſponſiones prohiberi; & in Academia Salmantina prohibentur à Magiſtro Scholarum ſub pœna excommunicationis latæ ſentẽtiæ ob grauia nocumenta indè emergẽtia. Quo caſu ſi ſponſiones fierent, eſſent illicitæ, vtpotè prohibitæ; ſed lucrum ex illis adquiſitum poſſet retineri abſque onere reſtitutionis. Quippè in his ſponſionibus peccaretur contra obedientiam, non contra iuſtitiam; obligatio autem reſtituendi oritur ex violatione iuſtitiæ, non ex fractione obedientiæ. Sic Alcocer *vbi nuper, concluſione vltima & capit. 47. concluſ. etiam vltima*; P. Thom. Sanchez *tom. 1. conſil. lib. 1. cap. 8. dub. 32. num. 4.*

185 Dixi etiam, licere ſponſiones abſque onere reſtitutionis ex ſe, niſi aliud ſit caput, vnde oriatur obligatio reſtituendi. Etenim omnes illi Scholaſtici, qui nequeunt amittere in ludo aliquam quantitatem (de quo alibi) neque poſſunt amittere eam in ſponſionibus præfatis; & qui lucrantur, ſicut etiam in ludo, reſtituere tenentur. Quæ de ſponſionibus circa Cathedras diximus, pariter conueniunt quibuſcumque Academicis.

186 Circa alias ſponſiones Scholaſticorum nihil eſt ſpeciale, ſed cõmune quibuſuis ſpondentibus, verbi gratia, an poſſint fieri circa patrationem peccati, circa euentum ægritudinis, contendẽdo fore moriturum ægrotum, & his ſimilia, quæ non ſunt noſtri inſtituti. Videantur Alcocer, & P. Thom. Sanchez *locis relatis*; Angles *floribus 2. p. materia de ludo, à fol. 292.* Ludouicus Lopez *2. p. inſtruct. c. 35.* Sotus, & Couarrub. *vbi ſuprà.*

187 Similiter commune eſt alijs ſponſionibus, à quocumque fiant, an teneantur reſtituere, qui in notitia rei, ſuper qua ſpondetur, excedit alium? Et non teneri, niſi ſciat per ſcientiam, aut experientiam certam, & non ſufficere ad onus reſtitutionis aliquam ſuſpicionem, credulitatem, aut fidem humanam, ſentiunt Ludouic. Lopez *lib. 2. de contract. cap. 15.* Frãciſcus Garcia *part. 2. de contract. cap. 18. à fol. 544.* &, an ſi contra certò ſcientem rẽ aliquam aliquis contendat, & ſpondeat, ne gans illi fidem, certò ſciens poſſit ſpondere, & retinere lucrum? Et poſſe, quia nulla ibi eſt fraus, & alter ſuam temeritatem ſibi imputare debet, affirmant Nauarrus *in ſum. Hiſpana cap. 19. num. 18.* Ludouicus Lopez *2. part. inſtruct. cap. 35. fol. 266.* Medina *lib. 1. ſum. cap. 14. §. 28.* Et addunt Alcocer, & Franciſcus Garcia *vbi nuper*, non eſſe opus, vt quis conteſtetur, ſe certò ſcire rem, ſi alteri ſpondenti id poteſt conſtare. Et præterea non eſſe neceſſarium, conteſtari id, quando ſponſio eſt ad prandium paruæ quantitatis inter ſpondentes inſumendum, etiam ſi alteri non poſſit de certitudine conſtare, nam tunc veriſimile eſt, conſentire partes, vt alter, etiam ſciẽs, lucretur; quod Alcocer tenet, etiam caſu, quòd non ſit inſumendum lucrum, ſed reſtenturus ſit illud lucrans; & ſubſcribit P. Thom. Sanch. *tom. 1. conſil. lib. 1. c. 8. dub. 13. num. 13.*

188 Adhuc inter Scholaſticos, & Academicos poſſunt interuenire ſpõſiones ſpeciales ipſorum, nempè quiſnam plura carmina recitet, quis memoria plures lineas librorum retineat limitato tempore, quis plures textus vtriuſque Iuris viderit, recordetur, aut promptiùs exponat, & circa ſimilia ad ingenium, & diſciplinam litterariam pertinentia. In quibus dubitari poteſt, an qui alterum notabiliter in his excedit, poſſit cum eo ſpondere, & lucrum inde adquiſitum retinere? In quo dubio idem prorsùs eſt dicendum, ac dicitur in ſimili caſu de eo, qui arte ludendi excedit alium. Breuiterque ea aptabimus noſtro caſui. In primis, ſi quis certò ſciat ſuum exceſſum, & alter neſciat, nequit ſpondere, nec lucrari, & tenetur reſtituere, ſi lucretur; quia non fuit æquale periculum lucri, & iacturæ inter ſpondentes.

189 Deinde, ſi ab vtroque ignoretur exceſſus, poteſt lucrari in ſponſione, & retinere lucrum; non verò illicò ac certò cognouit, ſe excedere notabiliter. Quippè, dum ignorauit, expoſuit ſe periculo iacturæ; & ea eſt cõuẽtio partiũ, vt poſſint retinere, quæ lucrãtur, dũ de exceſſu notabili non cõſtat. Cæterùm ſtatim ac ille agnoſcitur, periculum nõ eſt æquale, ac proinde nec cõtractus. Quòd ſi quis, licèt ignoret ingeniũ, aut memoriã alterius ſpõdẽtis, ſciat, ſe memoria adeò inſigni vigere, vt nullus, aut ferè nullus cũ vicerit, aut æquauerit, iã moraliter eſt certus de exceſſu notabili, ac propterea nequit alterius

ceri, nec lucrum retinere: Nec potest quis fingere imperitiam, vt spondeat, & lucretur; est enim fraus, quæ reddit inæquale periculum, & sponsionis contractum.

190 Quòd si excedens notabiliter moneat alium de excessu, & nihilo minùs ille spondere velit, poterit primus lucrum retinere, quia scienti, & volenti nulla fit iniuria. Consulantur circa ludum, & circa sponsiones Philiarchus *de Offic. Sacerd. tom. 2. p. 2. lib. 5. cap. 2. fin.* Petrus de Couarrub. *de remedio luſorum 3. part. cap. 14.* Medina *Cod. de restitut. quæst. 22.* Nauarrus *in sum. latina antiqua cap. 19. n. 15.* Emanuel Rodrig. *in Bull. compoſit. §. vnico, num. 38.* Ludouicus Lopez *2. p. instructor. cap. 35.* Alcocer *lib. de ludo cap. 16.* Syluest. *verbo, ludus.* Aragon *2. 2. quæst. 32. art. 7.* Azeuedo *lib. 8. recopilat. tit. 7. leg. 2. num. 78.* Et ego id tractaui *tom. super Bullam Cruciatæ, disp. 34. cap. 14.* vbi refero Villalobos, Eligium Basseum, Dianam, Cardinalem Lugo. P. P. Salas, Molina, Rebellum, Azor, Dicastillo, Henriquez, & alios quam plures de his dubijs agentes *locis ibi à me allatis.*

191 Quæ superiùs diximus de Scholasticis spondentibus circa Cathedras contra præceptum Superioris proprij ipsorum, applicandum est ipsis ludẽtibus, si detur præceptum, & censura, ne vltra talem limitatam quantitatem ludant; vt olim Magister Scholarum Salmantinus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, absolutionem sibi reseruans, præcipiebat, ne vllus Scholasticus vltra duos argẽteos luderet. In quo casu, si vltra quã titatem præfixam ludant, & lucrẽtur, peccabunt sanè, et excommunicationem incurrent, sed non tenebuntur restituere, si à potente ludere lucrentur. Etenim peccatum hoc non est contra iustitiam, vnde obligatio restituendi prouenit, sed contra obedientiam, vnde non prouenit. Nec potest Magister Scholarum impedire trãslationem dominij in ludo, nec circa ludum nouas condere leges; ad ipsum enim, nec ad Rectorem, non spectat, leges condere, sed curare, vt conditæ obseruentur, et addere nouas pœnas contra transgressores, et præcepta, ac cẽsuras ferre circa ea, quæ expediunt recto regimini Academiæ, et Scholasticorum vtilitati, vt quotannis per publica edicta, quæ in gymnasijs leguntur, ipse exequitur.

192 Cæterùm id operatur præceptum Superioris prohibentis eiusmodi ludum vltra quantitatem limitatam, vt, qui amisit, possit coram illo repetere pecuniam, et lucrans possit ab eo cogi, vt restituat. Videãtur Sotus *lib. 4. de iustit. 5. quæst. art. 2. vers. an verò Scholasticus*; Alcocer *de ludo, cap. 17.* P. Thomas Sanchez *tom. 1. consil. lib. 1. cap. 8. dub. 27.*

Quæstio XIX. Quam quantitem possint Scholastici exponere ludo, & quam lucrari absque onere restitutionis, & à quibus?

194 HANC quæstionem tractaui *tom. in Bullam Cruciat. disp. 34. num. 169.* et stans opinionibus, quibus ibi subscripsi, latiùs in præsenti rem exponemus, vtpotè valdè in praxi necessariam. In genere loquendo, duo sunt cõmunissima apud Authores; Alterum, filios familias, et minores viginti quinque annis non posse alienare bona in ludo, cum limitatione infrà tradenda; quia non sunt sui iuris, nec habent liberam eorum administrationem; Alterum, lucrantes ea bona, teneri restituere, vtpotè adquisita ab eo, qui non poterat alienare. Ita D. Thom. *2. 2. quæst. 32. art. 7. ad 2.* Bañez, Aragon, Angles, Ludouicus Lopez, Alcozer, D. Antonin. Medina, Couarrub. Innocent. Castro, Sarmiento, Syluester, Soto, Nau. & alij, quos refert, et sequitur P. Thom. Sanchez *tom. 1. consil. lib. 1. cap. 8. dub. 7.* Machado, Diana, Trullench, Emanuel Rodriguez, P. Henriquez, P. Dicastillo, P. Lessius, et plurimi alij à me allati *loco citato per totum caput.*

194 Temperanda autem est assertio propositionibus sequentibus. Scholasticus, qui habet non sanè ditissimos parentes, sed tamen sufficientibus facultatibus degentes, potest ex singulis centum, quæ ei pro sustentatione, ac victu mittuntur, quinq; exponere ludo, et amittere, quin resultet onus restitutionis. Ita vt si pro sex mensibus mille ei drachmæ mittantur, possit amittere quinquaginta. Etenim ludi recreatio peropportuna est ad transigendam vitam, et censentur parentes in eam alienationem factam in ludo consentire, cum sit moderata; imò si

non consensuros fore, iudicaretur, deberent censeri irrationabiliter inuiti. Ita Sotus Nauarrus, Alcocer, Medina, Bañez, Aragon, & recentiores allati à P. Th. Sanchez *suprà num. 3.* Ausonius Noctinot *in compendio 7. partis* Dianæ, *verbo, Filius familias num. 3.*

195 Rursùs, qui ditissimos habet parentes, & ei notabilis quantitas in alimenta ministratur, potest viginti aureos amittere in ludo. Ita Sarmiento *1. p. de reddit. cap. 2.* Nam respectu huius censetur ea moderata quantitas, vt in recreatione ludi expendatur. Et obiter nota, idē, quod de ludo asserimus, pariter intelligi de donatione; poterit enim quis donare, quæ potest ludere, cum in exercitio liberalitatis non minor voluptas, ac recreatio, quàm in ludo inueniatur, & quæ magis decet iuuenem.

196 Præterea, si Scholasticus, sit filius Magnatū, nempè Ducis, Marchionis, aut Comitis, potest maiorem quantitatem exponere ludo amittendam, quàm alij inferioris status, quia quantitas, quæ in alijs personis est magna, in his moderata censetur. Et sic intelligitur Speculum conscientiæ *lib. 1. cap. 77.* asserens absolutè, non teneri restituere, qui ab eiusmodi personis lucratur; scilicèt si non sit nimia quantitas, nam nec hi Proceres valent nimiam quantitatem alienare. Sic Alcocer *de ludo cap. 14.*

197 Adhuc potest Scholasticus alienare in ludo bona aduentitia, cuiuscumq; quantitatis sint, ea scilicèt, quæ ipsi, independenter à parentibus, donantur, vt insumat, & quæ ipse ab alijs potentibus alienare fuerit in ludo lucratus. Item bona castrensia, & quasi castrensia; nam, cum horum habeat dominium, ac liberam administrationē, cessat ratio, qua probatur, non posse filium familias, & minorem viginti quinq; annis alienare bona.

198 Deinde assentio Patri Dicastillo *tom. de iustit. lib. 2. tract. 18. disp. 4. dub. 2. num. 7.* qui, cū P. Molina, docet, si filius degens extra domum paternam acciperet à patre pecunias commensuratas suæ sustentationi, ac victui, quin per fraudem eas extorqueret, quamuis maiorem quantitatem, quàm adhuc designatam, exponeret ludo, & amitteret, dum tamen propterea à patre augmentum pecuniæ annuę non exposceret, sed alimentis restantibus victitaret, non teneri collusorē lucrantem, qui de hoc esset conscius, lucrum restituere.

199 Si Scholasticus sit sub potestate tutoris, aut curatoris (& idem est commune cuiuis minori, adhuc non Scholastico) & ludat cum potente alienare, lucrari potest, & lucrum retinere; at si ille à minore lucrum obtineat, valebit etiam illud sibi absq; restitutionis onere retinere. Ita P. Dicastillo, & cū eo Dian. *7. p. tract. 9. resol. 13.* Etenim, & si leges rescindant contractus minorum, tamen earū intentio non videtur esse, vt in contractu oneroso ludi minor possit lucrari sentiens commodum, & non debeat soluere experiens onus.

200 Demùm loquendo de bonis aduentitijs, quorum, is qui donauit, cōcessit administrationem, non expectata patris licentia, diximus iam illa posse exponi ludo, vt docet Bañez *2. 2. quæst. 32. art. 7.* Addo vlteriùs, quando horum bonorum vsusfructus penes patrem manet, filium familias, qui natus est viginti quinq; annos, posse ludere proprietatem eorum, dū modò suus pater habeat vsumfructum per totum tempus, quo illum leges ipsi cō cedunt; quippè ex vno capite habet iam ætatem requisitam, vt inire queat contractus, ex & alio nulli irrogat iniuriam. Sic Alcocer *lib. de ludo cap. 24.*

201 Quæ diximus de Scholastico versante in Academia extra domū paternam, aptanda sunt ei, qui intra patris domum commoratur; qui id valebit ludo destinare, quod attenta sui status ratione, & alijs circūstantijs, prudēs arbitrabitur, non esse contra voluntatem rationabilem parentum, qui tenentur consentire, vt filij in recreatione ludi moderatam quantitatem expendant. Imò quamlibet quantitatem, quam pater præbuerit filio, vt ipse pro suo libito eam expendat, poterit in ludo amittere, cum eam potens sit alienare.

202 Inquires, quid dicendū sit de Scholastico, cui pater nulla mittit alimenta, ipse verò industria sua adquirit pecunias ad sui sustentationem, & adhuc ei bona, de quibus disponat, supersūt? In primis, si absque facultate parentum à domo patria recesserit, docent Nauarra *de restit. cap. 1. num. 7* Matienzo *lib. 5. recopilat. tit. 1. leg. glossa 1. num. 2.* Pinellus *l. 1. Cod. de bonis maternis, 1. p. num. 34.* non posse alienare bona, quæ ipsi supersunt, sed teneri mittere ad patrem, quæ lucratur, præter necessaria ad sustentationem sui, ad honestam recreationē, & ad aliquas eleemosynas. Etenim pater retinet vsumfructum,

ctum, & locorum distantia non tollit ius patriæ potestatis; *leg. Pomponius, ff. de procurat.* Attamen, si filius habita à parentibus licentia profectus est, & illi verbis significarunt, se liberã concedere filio facultatẽ disponendi de his, quæ lucratus fuerit, tũc ea bona alienare, & exponere ludo poterit. Hinc est, vt tutiùs quis lucrari possit in ludo pecunias ab Scholastico, qui est in famulatu domini, quàm ab alijs; quia communiter patres eam facultatẽ concedunt, & ille sua industria, & diligentia adquirit pecunias, quas ludo exponit.

203 In omnibus alijs euentibus, præter adhuc assignatos, qui lucratur ab Scholastico filiofamilias, tenetur ei restituere lucrum, quia non potuit hoc ab illo alienari. Sed dubitatur primò, an teneatur restituere omnes pecunias, quas vno consessu lucratus est, excedentes quantitatem suprà prefixam; an eam solam partem, quæ excedit quantitatem illam? Alcocer *lib. de ludo, cap. 16.* & inclinat Medina *quæst. 10. de rest tut.* docet, integram quãtitatem fore restituendam, quia totus ille contractus ludi redditur tũc vitiosus, indeque dominium non trãsfertur. Verùm melius asserit P. Thomas Sanchez *tom. 2. consil. lib. 1. cap. 8. num. 3.* cum nonnullis neotericis doctis, teneri dumtaxàt restituere excessum, quia solùm quoad illum redditur nullus cõtractus, nec vitiatur vtile per inutile. Quare si quis ab Scholastico filiofamilias potente alienare in ludo quinquaginta drachmas, & non ampliùs, lucraretur centum, teneretur restituere quinquaginta, & alia quinquaginta sibi posset reseruare.

204 Dubitatur secundò, an, si Scholasticus filiusfamilias nollet restituta à lucrante pecuniam accipere, lucrãs possit sibi eam retinere? Respondeo, adhuc non liberari lucrantẽ ab onere restitutionis, quam deberet præstare parẽtibus Scholastici, qui amisit pecunias; ad eos enim illæ spectant; Nisi prudenter, & maturè iudicaretur, parẽtes ægrè laturos, fieri sibi eiusmodi restitutionem, quasi suo honori detrahatur; indèque non cẽseantur inuiti, vt, semel iam amissa à filijs pecunia, eius dominium in lucrantem transferatur. Non tamen facilè iudicandi sunt inuiti, maximè si pecuniæ quantitas non est exigua. Sed non tenetur lucrans proprijs expensis mittere pecuniam ad parentes, si absint; sat erit, si vel eos moneat, vt curent, sibi mitti; vel si expensis eorum ipsam transmittat.

205 Dubitatur tertiò, an Scholasticus, qui potest ludo exponere centum drachmas, v. g. per integrum annum, possit vna vice eas amittere? Nescio quis asseruit, non posse; quia hæc licentia amittendi in ludo iudicatur concessa ex quadam æquitate, & voluntate interpretatiua patris, qui tamen permittit filio recreationẽ honestam per totum annum, licèt eã quantitatem amittat, non verò pro vna dumtaxàt vice. Sed oppositum est verum, quippè ille potest cedere iuri suo, quod habet ad sumendam recreationem per totum annũ, & illam sumere vna vice, ita vt, si iacturam præfixę quantitatis faciat, non vltrà, aliam quantitatem ludo exponat.

206 Sed pro praxi notaueris, colludentes, si ignorent, an possint exponere ludo minores aliquam quantitatẽ, an iam amiserint eam, quam possunt exponere, teneri priùs inquirere congruo modo, quonam pacto res se habeat; vel ab ipsis colludentibus, si fidedigni sint, id ipsum interrogando, vel ab alijs, qui potuerunt id agnouisse; aliàs exponuntur periculo ludendi illicitè, & cooperandi actui peccaminoso colludentis, si ille nequit eas pecunias, quas ludo exponit, alienare. Quòd si lucrans ante ludum id non exequatur, tenetur posteà id ipsum præstare. At, si nequeat explorare verum, & qui amisit, aut nolit id asserere, aut iam absens sit, ita vt commodè nequeat sciri, poterit tutò lucrans retinere pecunias, quia res manet sub dubio, & in dubijs melior est conditio possidẽtis; dum tamen paratus sit, quandocumque detur opportunitas, explorare rem, & restituere, quod lucrari nequiuerit. In quo non nimis scrupulosè est procedẽdum. Assertum stabilitum tenuere docti Magistri apud P. Thom. Sanchez *tom. 1. consil. lib. 1. capit. 8. dub. 7. n. 6.*

207 Dubitatur quartò, an Scholasticus possit amittere omnes pecunias, quas lucratus est, non solùm cum illo, à quo lucrum adquisiuit, sed cum alio? Suppono, posse in eodem omnino ludo lucrari initio, & posteà totum lucrum amittere, quia absolutè non fuit lucrum, cum tale non dicatur, nisi quod reportatur in fine ludi. Suppono deindè contra Armillã, & Rosel. *verbo, ludus, num. 8* & Gabriel. *in 4. dist. 15. quæst. 13. art. 3. dub. 6.* ludentem cum eo, qui pecunias amisit, licèt non in eodem ludo, sed in alio, seu alio die, posse amittere, quod lucratus fuerat. Non enim obstat, eam quantitatem iam esse patris,

cum

cum filius, quidquid adquirit, patri adquirat. Etenim ratio æquitatis poſtulat, vt pater ſentiat onus, ſi commodum ſenſit, & collutor recõpenſet totidem, quæ perdiderat ex bonis patris, cuius in poteſtatẽ pecuniæ à ſe amiſſæ deuenerant. Quòd ſi lucrãs iam inſumpſerit lucrum abſque patris facultate, aut cum alio illud amiſerit, nõ poterit is, qui primus amiſit, totidem recuperare; (ſupponimus enim, quantitatem excedere normam præfixam) quippè illud lucrum non ceſſit in vtilitatem patris, nec is debet damnum ſentire, nec filius eius bona diſſipare ea amittendo, præter lucrum primum, quod iam amiſerat. Hoc ſuppoſitum docetur à Philiarch. *de officio Sacerdot. tom. 2. p. 2. lib. 5. cap. 2.* Tabiena *verbo, ludus q. 10.* Silueſtro, Nauarro, Ludouico Lopez, Angelo, & alijs.

208 Ad dubium ergò reſpõdeo cum Bañez *2. 2. quæſt. 32. art. 7. fol. 1179. §. Reſpondetur*; poſſe etiam cum alio, à quo ipſe non lucratus fuit quidquam, amittere lucrum, quod ſemel adquiſiuit ab alio, & adhuc prodigè nõ inſumpſit. Quippè datur voluntas interpretatiua patris, vt filius poſſit amittere in ludo, quæ in ludo eſt lucratus; cum exindè ille non fiat pauperior, quàm abſolutè ante ludum erat; & hæc lucra ludi fortunæ quotidie mutẽtur, & ſupponatur, ludentem nunc lucrari, nũc amittere; nec ſint, ſicut alia lucra obtenta à munere, vel ab arte, quę non ſunt expoſita contingentijs adeò dubijs. Hinc ſi pater noſcens lucrum, ſeriò tolleret facultatem ludendi filio, & exponendi periculo iacturæ eam qantitatem, circa quam alienandã poteſt eſſe rationabiliter inuitus, non poterit filius eam ludo exponere, & lucrans ab eo, tenebitur reſtituere; quia tũc ceſſat interpretatio voluntatis paternæ, quæ ſola reddebat licitam, & validam alienationem.

209 Dubitatur quintò, ſi Scholaſticus habeat Beneficia Eccleſiaſtica, quam quantitatem poſſit ludo exponere? Reſpondeo, redditus Beneficiorum eſſe bona quaſi caſtrenſia, & poſſe filium eos validè alienare, & in ludo, ſi eos exponat, poſſe ita transferre dominium in lucrantẽ, vt is ab onere reſtitutionis maneat immunis. Quippè iuxtà probabiliſſimam, & valdè communem ſententiam Eccleſiaſtici ſunt verè domini fructuum ex Beneficijs procedentium; eſto peccent, ſi eos non rectè expendant. Legantur Maior *in 4. diſtin. 24. quæſt. 17.* Alcocer *de ludo, cap. 38.* Couarrubias, & alij apud Dianam *7. par. tr. 9. reſol. 16.* Confirmatur ex doctrina, quam cũ Iulio Claro, Pariſio, Nicolao de Vbaldis, Guillielmo de Monte Laudato, tradit P. Fagundez *de inſtit. & iur. lib. 6. cap. 10. num. 9.* ſcilicèt poſſe Clericum Beneficiarium validè teſtari de diſtributionibus quotidianis in vſus profanos, imò & licitè poſſe; dũ vſus illi non ſint illiciti; vnde ſequitur, poſſe eas validè exponere ludo profano amittendas.

210 Idem dico de Scholaſticis, qui ſunt Equites militares, ſi habeãt Commendas, poſſe earum redditus exponere ludo, dummodò inter bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia recenſeantur. Nec obſtat, quòd ſi Profeſſi ſint, votũ pauperta tis emiſerint; nam hoc votum eos non obligat ad non alienãdum bona; quippè ſic ſeruari in Ordinibus Militaribus conſueuit, vt poſſint transferre eorum dominium abſque onere reſtitutionis. Et, quamuis de Eccleſiaſticis rigidè cenſeretur, non poſſe transferre dominium reddituum Eccleſiaſticorum, vt inſumãtur in vſibus profanis, id tamen in prædictis Equitibus locum nõ habet, quia non percipiunt titulo Eccleſiaſtico fructus, quos ex Commendis adquirunt.

211 Sed quid dicendum de Religioſis Militaribus, qui in Academia Salmantina ſcientijs operã nauant, in ſuiſque illuſtribus Collegijs verſantur. Hi ſanè, quamuis verè Religioſi ſint, non tamẽ ſunt eadem regula metiẽdi, qua cæteri Religioſi non Militares, quibus quæ quantitas liceat ludo exponi, docui *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 34. cap. 14. à numer. 163.* Igitur votum Paupertatis in prædictis, annuente licentia, & conſenſu Prælatorum, non eſt nimis ſtrictum; atque adeò poſſunt ludo alienare, quæ poſſunt in quocumque alio vſu; nec eis præfigunt quãtitatem, vltra quã nequeant excedere. Si enim à Prælatis limitatio deſignaretur, illicitè eam tranſgrederentur, deficerentque ab obedientia; Cæterùm validè transferrẽt dominium, cum abſolutè eis ſit permiſſum, dum viuunt, de bonis, quę poſſident, quomodolibet adquiſitis, diſponere. Quare nullum inijcerem ſcrupulum lucranti ab eis quamuis quantitatem, nec onus reſtitutionis ei iniungerẽ. Quod adhuc firmatur, quia illi poſſunt validè inter viuos bona à ſe poſſeſſa donare; poſſunt ergo pariter alienare in ludo, ſeu in alia recreatione.

212 Pſura, aut ferè omnia

ex

ex dictis pariter competunt minoribus, & filijs familias, quamuis Scholaſtici non ſint; ſed non fuerunt prætermittenda, quia attinguntur caſus valdè inter Scholaſticos frequẽtes. Alias autem quæſtiones circa ludum, & eius fraudes, ac reſtitutionis modum omitto, quia ſunt æquè communes filijs familias, & alijs; & extra inſtitutũ noſtrum eſſet, tractatum communem de ludo hic inſerere. Videantur omnes Authores decurſu huius quæſtionis relati, Et videndus ego *vbi ſuprà toto c. 14.*

213 Ad quæſtionis calcem aduerte, aliquos ludos per leges prohiberi; ſi tamẽ quis in illis lucretur pecuniam, non teneri reſtituere, attenta dumtaxàt legis prohibitione; nam leges vel non intendunt imponere reſtitutionis onus, vel in eo ſenſu non ſunt receptæ. Ita cum alijs P. Salas *de contractib. dub. 6. num. 20.* Datur tamẽ amittenti in eis ludis actio ad repetendum id, quod amiſit; *leg. alearum, Cod. de Religioſ. & ſumptibus funerum.* Hinc, ſi quis amiſit pecunias in prædictis ludis, & adhuc non ſoluit, non tenetur in conſcientia ſolutionem præſtare; quippè ei, cui datur actio ad repetendum, cõceditur etiam exceptio ad non ſoluendũ. Ita P. Leſſius *de iuſt. & iur. lib. 2. c. 26. dub. 4.*

214 Vlteriùs aduerte, eum, qui ſub fide credita amittit aliquid in quouis ludo, etiam non prohibito, quamuis pignus, aut chirographum appoſuerit, non teneri ſoluere; *leg. 8. & 9. titul. 7. lib. 8. Recopilationis.* Si autem iurauerit ſoluere, tenebitur ad ſolutionem ratione iuramenti, quod ſupra rem licitam præſtitit; Sed poterit relaxari iuramentum ab his, qui ſimilia iuramenta poſſunt relaxare, etiam inſcio eo, in cuius fauorem eſt factum, & tũc ceſſabit obligatio ſoluendi. Sic P. Henriquez *lib. 7. de indulg. cap. 35. num. 6.* Cæterùm, ſi ſoluatur pecunia, quæ ſub fide credita in ludo fuit adquiſita, non tenetur lucrans ad reſtitutionem. Ita Couarrub. Medina, Bañez, Alcocer, Gutierrez, Caſtro, Auendaño, & alij, quos affert idem P. Henriquez *loco relato in gloſſa, litt. N.* Hæc, etſi omnibus ludentibus communia, valent prodeſſe Scholaſticis, apud quos hæc dubia poſſunt non ſemel occurrere.

(::)

Quæſtio XX. An Scholaſtici, & Academici habentes Beneficia Eccleſiaſtica, aut Præbendas, excuſentur à reſidentia, & faciant fructus ſuos?

215 ASSIDVITAS commorationis in loco Beneficij cauſa ſeruitij Eccleſiaſtici perſonaliter præſtandi dicitur reſidentia. Spectato iure communi omnia Beneficia Eccleſiaſtica reſidẽtiam requirebant, vt Abbas, & Doctores communiter colligunt *ex cap. conquerente, & ferè toto titulo, de Clerico non reſidente*; conſuetudo tamen obtinuit, vt Beneficia ſimplicia, & præſtimonia non expoſcant reſidentiam. Cætera Beneficia, & Præbẽdæ eam requirunt; eſto in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis, conſuetudine, aut Pontificum indulto obtinuerint Dignitates, Canonici, & Portionarij, vt aliquibus menſibus poſſint abeſſe, & non reſidere; & in vnaquaque Eccleſia mos eſt ſpectandus; In Hiſpania communiùs poteſt quis ab Eccleſia tribus menſibus abeſſe; in aliquibus autem Eccleſijs pluribus adhuc menſibus, vt in Caurienſi, propter terræ intemperiẽ, quinque menſes conceduntur. Inter ipſos etiam Canonicos diſcrimen eſſe ſolet, paucioribus menſibus conceſſis eis, qui Canonicatus habent per oppoſitionem obtẽtos, quos *affectos* vocant. Non diſputo, an omnis reſidentia ſit de iure diuino, vel ſolùm Eccleſiaſtico, nec plura alia circa fructus, & diſtributiones agitari ſolita, vt ad rem propoſitam deueniam. Videantur Doctores *in relatum tit. de Clerico non reſidente*; Sũmiſtæ verbo *Beneficium, Reſidentia*, Garcia *de Benefic part. 3. cap. 2.* Ioannes Selua *de Benefic. part. 4. à quæſt. 1.* Rebuffus *in praxi Beneficiorum, tit. diſpenſatio de non reſidendo*; Albianus *tract. de reſident.* Thomas Campegius *tractat. de reſident. Epiſcopor.* Couarrubias *lib. 3. reſolut. cap. 13.* Caietan. *2. 2. quæſtion. 185. art. 5.* Sotus *lib. 10. de iuſtit. quæſtion. 3. art. 1.* Corduba *lib. 1. quæſtionarij, q. 19.* P. Azor *tom. 2. inſtitut. moral. lib. 7. à capit. 3* Ioannes Maior, Nauarrus, P. Vazquez, Leſſius, alijque plures, quos relatos inuenies apud P. Layman *tom. 2. lib. 4. tractat. 2. c. 6. & ſeq.*

Cau-

216 Causæ à residentia excusantes attinguntur à Tridentino *sess. 23. cap. 1. de reformat.* ibi; *Cum Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac euidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas aliquos nonnumquam abesse postulent, & exigant*; decerniturque à Sancta Synodo, eas causas, seu earum quamcumque fore priùs approbandam, vt licèat ab Ecclesijs abesse. Earum etiam fit mentio *in cap. de cætero, cap. inter quatuor, cap. tuæ, cap. relatum, de Clerico non residente; in cap. ad supplicationem, de renũtiat. in cap. quorundam, 74. distinct.*

217 Ad quartam ex causis allatis à Tridentino, nempè *Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas*, spectat absentia studiorum causa; Etenim euidens est, maximè ad Ecclesiam, atque ad Rempublicam conducere, vt qui Ecclesijs inseruiunt, præcipuè si proximorum curam habeant, litterarum disciplina vigeant, alioſque erudiant, vt apti reddantur ad quæuis munera cum publica vtilitate exercenda. Hinc *in cap. cum ex eo, de elect. in 6.* conceditur Episcopo dispensare cum promotis ad Ecclesias Parochiales, vt vsque ad septẽnium, quo in studijs morari possunt, non teneantur Sacerdotio initiari, dummodò intra annum ab obtenta Parochia ad Subdiaconatum promoueantur, & idoneos Vicarios constituant, qui Parochiam administrent.

218 Præterea *in cap. vlt. de Magistris*, permittitur Beneficiarijs, vt per spatium quinquennij studeant Theologię, & eam doceãt absque temporis limitatione; adhuc à suis Ecclesijs absentes, quin fructibus priuentur. Quam concessionem ad studium etiam Iuris Canonici plures Authores extendunt, vt Abbas *in cap ex parte, de Clerico non residente, num. 5. & in cap. licet, cap. vltim. de Præbend.* Nauarrus *in Manuali, cap. 25. numer. 121.* Aduertunt tamen Doctores, si Beneficia curata sint, non posse Beneficiarios per longum tempus abesse, nisi pauci admodum sint in Academijs Magistri, necessariumq; sit, eos munus exercere Magistrorum, & sic Ecclesiæ amplius prodesse, quàm si propria Beneficia administrarent. Vlteriùs *in capit. cum de diuersis, 3. de priuileg. in 6.* concessit Innocẽtius Quartus, vt reciperent integrè prouentus suos Ecclesiasticos hi, qui ad Scholas pergerent Romanas, vt studio iuris diuini, aut humani, seu Canonici, & Ciuilis incũberent, sicut cæteri studentes in Generalibus Studijs. Hæc sunt de iure communi.

219 Cæterũ ex consuetudine in hoc iure aliqua datur in Ecclesijs varietas, quarũ stylo, & statutis, vtpotè rationabilibus, standum est. Quippè in aliquibus, residẽtia primo anno integro, aut tempore ibi destinato, ita requiritur, vt, nisi ea præcesserit, non gaudeat quis fructibus, siuè in studijs, siuè in quouis alio munere occupetur; in alijs verò adhuc in prima residentia dispẽsatur, vt quis ediscendę, aut docendæ scientiæ, publica exposcente vtilitate, vacet. Circà Beneficia autem curam animarum habentia attendendum est etiam diœcesium consuetudini; In Hispania quidem absentia à propria Parochia non facilè permittitur; & Prælati, ad quos attinet, causas absentiæ approbare, licentiamque indulgere, nõ nisi ex vrgenti causa eam facultatem concedunt.

220 In Salmantinæ Academiæ fauorem expediit Bullam specialem Eugenius IV. quam vocant vulgò *la Eugeniana*, vt studijs ibi operam dantes percipe rent fructus ex suis Præbendis, & Beneficijs, de qua egimus *lib. 2. q. 24.*

221 Hi autem, qui studiorum causa in Academijs resident, dum suæ Ecclesiæ consuetudo non repugnet, faciũt fructus suos; ex quibus id erit depromendum, quod necessarium sit ad seruitium Ecclesiæ præstandum loco ipsorum absentiũ, si id seruitium substitui requiratur, nec ad illud sufficiant illi prouentus, qui præsentibus præstantur. V.g. si Parochus ab Ecclesia absit, & congruæ Vicarij, seu Viceparochi sustentationi nõ sufficiant hi prouentus, qui ex oblationibus fidelium, ex funeribus, ex Sacramentorum administratione, atque ex eleemosynis comparantur, & Hispanè solet nuncupari *el ingresso*, tunc ex summa fructuum Beneficij demendum est id, quod sufficiat ad illius congruam sustentationem, siuè ex designatione Episcopi, siuè ex conuentione partium. Is autem, qui absentis munus substituat, eligendus est, iuxta consuetudinem Ecclesię, vel diœcesis, seu ab ipso Episcopo, seu à Capitulo Ecclesiæ, seu demùm ab ipso, qui absentiã parat.

222 At verò absentes ab Ecclesia, in Academijs versantes, non possunt percipere distributiones quotidianas, quippè hæ sunt Ecclesiasticorum redditũ portiones quotidie distribui solitæ illis, qui Diuino Officio statis horis intersunt; de quibus agitur in *Clement. Vt ij, qui, de æta te, & qualit. ordin. in Extrauag. cum nonnul-*

læ,

la, inter commnes, de Præbend. in capit. vnico, de Clericis non reſident. in 6. in cap. licet vobis, de Præbend. Etenim eſto aliquando his gaudeant adhuc nonnulli, qui Choro non interſunt, vel quia id ſpecialiter ab Eccleſia ipſa conceditur ob graues, & vrgentes cauſas, vel quia tunc temporis in ipſius Eccleſiæ miniſterio occupantur, vt v.g. Canonicus Pœnitentiarius audiens Confeſſiones, dum in Choro Horæ dicuntur, & ſimiles, vel quia ob infirmitatem, aut corporalem neceſſitatem pro præſentibus habētur; Occupatis autem in litterarum ſtudijs extra ſuas Eccleſias nulla prædictarum ratio ſuffragatur, vt poſſint quotidianas diſtributiones percipere. Idemque eſt dicendum de aliis diſtributionibus, ſeu emolumentis, quæ inter præſentes diſtribuuntur ratione anniuerſariorum, aut ſimili titulo; hæc enim abſentibus non conceduntur, iuxta *cap. vnic. de Cler. non reſid. in 6* Videatur P. Azor *tom. 2. inſtit. mor. lib. 7. c. 7. q. 4.*

Quæſtio XXI. An Scholaſticus iter faciens à loco Academiæ ad ſuam patriam, ſi præuideat, non poſſe in ea adimplere præceptum Communionis tempore Paſchatis, debeat eam anticipare in loco, vndè exit?

223 CIRCA tempus Paſchæ, quo præceptum annuæ Communionis fideles obligat, ſolent Scholaſtici ad ſuas patrias ex Academijs reuerti. Et circa illos duo certa ſunt. Primum, ſi poſt Dominicam in Palmis iter aggrediantur, & acceſſuri ſint ad ſuam patriam ante Dominicam in Albis (quod tempus communiter, ſaltem in maiori parte Hiſpaniæ deſignatum eſt ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiaſtico Communionis) poſſe ei præcepto ſatisfacere, vel in loco Academiæ, vel in patria; vtrobique enim habent propriam Parochiam, vel ratione domicilij, vel quaſi domicilij; quare, cum præceptū ſolùm obliget pro eo tempore, & non pro hoc loco potiùs, quàm pro illo, dummodò quis in propria Parochia, ſi fieri poteſt, Eucharistiam accipiat, ſit, vt vtrobiq; poſſint adimplere præceptum.

224 Secundò certum eſt, ſi Scholaſtici poſt inceptum tempus deſignatum ad præcepti adimpletionem exeant è loco Academiæ, & non ſint ad ſuam patriam acceſſuri, niſi poſt finitū tempus eiuſmodi, teneri antecedenter adimplere præceptum. Quippè hoc iam vrget, & ipſi adimplere tunc queunt, cum poſteà non poſſint, ergo, quando poſſunt, tenentur. Sicut qui die feſto ab hora nona vſque ad veſpertinum tempus impeditus eſt Miſſam audire, & poteſt ei aſſiſtere ante horam nonam, tenetur; quia præceptum audiendi Miſſam toto mane obligat, etſi eo mane poſſit adimpleri, obligatio datur adimplendi illud. Idem eſt de recitatione Officij Diuini reſpectu eius, qui ad illud tenetur, & præuideret, ſe non valiturum recitare ab hora tertia veſpertina, v.g. vſque ad duodecimam, tenetur ante eam horam tertiam perſoluere integrum Officium. Aliud eſt, ſi quis nō præuideat impedimentum ſuperueniens, & omittat auditionem Miſſæ, aut recitationem Officij vſque ad aliquam horam, in qua poſſet præceptis ſatisfacere, ſi tunc occurrat impedimentum ſufficienter excuſans, non tenebitur ad præceptorum adimpletionem.

225 His poſitis, quæſtio eſt, ſi Scholaſticus exeat ex loco, vbi eſt Academia ante Dominicam in Palmis, v.g. & propter patriæ diſtantiam præuideat, ſe ad eam non acceſſurum, niſi poſt Dominicam in Albis, an teneatur anticipare Euchariſtiæ ſumptionem in loco, vnde eſt exiturus? Teneri, affirmant Cruz *quæſt. 3. de pœnit. dub. 3. concl. 2.* Nuñus, Syluius, Cardinalis Lugo, P. Vazquez, Gaſpar Hurtado, Fagundez, & Diana, quos refert Leander de Sacramento, *tom. 2. de Sacram. tract. 7. diſp. 3 quæſt. 30.* Qui minùs rectè citat pro hac opinione Patrem Layman *lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 9* Nam is expreſsè oppoſitā cōcluſionem tuetur his verbis; *Qui præuidet, ſe in Paſchate à ſacra Communione impeditum iri, non tenetur tempus præſcriptum præuenire, dummodò intra eum annum ſemel communicarit.* Quę limitatio, vt infrà dicam, eſt vera; nec debuit propter limitationem referri Pater Layman pro opinione præfata.

226 Non teneri, defendunt Molfeſius *tract. 3. cap. 8. n. 28.* Coriolanus *1. p. ſect. 3. art. 1. n. 6.* Bonacina *diſp. 4. quæſ. 7 punct. 2. num. 15.* P. Filliucius *tract. 4. n. 59.* Victorellus, Pitigianus, Ægidius, Suarez,

rez, Azor, Reginaldus, quos sequitur Leander *vbi nuper*. Hæc sententia est vera cum limitatione à P. Layman *vbi suprà* præfixa. Quippè nemo obligatur ad anticipandum opus præceptum, nisi opere anticipato satisfaciat præcepto; at non satisfit præcepto per anticipatam Communionem; ergo non datur ad illam obligatio. Minor suadetur; nam si ad tempus designatum respiciamus, cum nondum aduenerit, non potest satisfieri præcepto, vt vrgenti in designato tempore; sicut nequit satisfacere præcepto audiendi Missam die Dominica, & ieiunãdi in Vigilia, qui præuidens fore præpeditum illis diebus, anticiparet ieiunium, & auditionem Missę. Si autem ad præceptum in se attendatur, cum solùm obliget, semel in anno accipere Eucharistiam, & supponamus, præditum Scholasticum intra illum annum eam accepisse, fit, vt inspecto præcepto secundùm se, & præciso à tempore, quod designatur, iam ei satisfecerit, atque adeò non indigeat alia sumptione anticipata Eucharistię.

227 Hinc limitatio in asserto apposita declaratur. Nam *in capit. omnis vtriusque, de pœnitent. & remiss.* iniũgitur præceptum accipiendi Eucharistiam *ad minus in Pascha*, & in Tridentino *sess. 13. canon. 9.* repetitur idem præceptum Communionis *singulis annis, saltèm in Pascha*; Vbi duo præcipiuntur, aliud vt principale, nempe Communio vltra annum non differenda; aliud vt minùs principale, & veluti accessorium, nempè quòd in Paschate Communio fiat. Vnde, si accessorium non potest adimpleri, saltem debet principale. Vndè, si quis intra annum non acceperit Eucharistiam, & nequeat tempore designato accipere, tenetur eam anticipare, vt præcepto principali satisfaciat.

228 Indè cernitur disparitas inter adimpletionem huius præcepti, & præceptorum ieiunandi, & audiendi Missam; scilicèt, quòd hæc præcepta alligata sunt diei determinato, & cum die finitur obligatio; at in illo præcepto, cum duo includantur, etsi secundum sit alligatum tẽpori, tamen primum obligat ante illud tẽpus, si in illo adimpleri nequit, cum obliget, semel in anno Eucharistiam accipi.

229 Sed inquiris, quis annus in præsenti intelligatur, aut à quo tempore computandus? Sanè iuxta mentẽ Patris Layman debet intelligi annus Ecclesiasticus, in quo obligat præceptum Communionis, à Paschate vsque ad Pascha; ita vt si quis post Communionem in Paschate antecedenti peractam, tursùs decursu tẽporis Eucharistiam sumpserit, præceptum principale adimpleat, esto eam sumpserit, v.g. mense Augusto, aut Septembri. Ratio est, quia limitatio suprà posita, & probata fundatur in eo, quòd quis debeat satisfacere præcepto principali annuæ Communionis; at si annus intelligeretur alio modo, v. g. à Dominica prima Aduentus, vel à prima die Ianuarij, inefficax esset ea ratio, & limitatio; siquidem, quamuis ille non anticiparet Communionẽ, posset post Pascha satisfacere præcepto annuæ Communionis, cum restaret plurimum tempus, vsque ad sequentem Dominicam primam Aduẽtus, vel primam diem Ianuarij; ergo supponit ille Author, finiri annum tempore Paschatis, & incepisse in Paschate, atque adeò teneri quem anticipatè sumere Eucharistiam, ne annus dilabatur cũ Paschate, quin præcepto principali annuæ Communionis satisfecerit.

230 Quòd si opponas; ergo ille poterit non accipere Eucharistiam per integrum annum solare, n, qui à die prima Ianuarij, vsque ad vltimam Decembris computatur, si quidem non tenetur, si sumpsit Eucharistiam mense Augusto anni antecedentis, & impeditus est tempore Paschatis, anticipare Communionem, quia iam satisfecit præcepto, & rursùs, si anno sequenti tempore Paschatis sumat Eucharistiam, adimplebit etiam præceptum noui anni Ecclesiastici incipientis ab eo Paschate, in quo est impeditus. Quod absonũ videtur, & contra mentem Concilij Lateranensis, & Tridentini, quæ intra annum solarem Confessionem, & Communionẽ iniungunt, cum singulis annis eas fieri præcipiant.

231 Respondeo, id non esse absurdum, & Concilia præcipere, vt fideles singulis annis Ecclesiasticis Eucharistiam accipiant, quod in casu posito verificatur. Et quidem probabilis sententia docet, eum, qui tempore Paschatis non sumit Eucharistiam, etiam culpabiliter, non teneri, eo tempore transacto, illam sumere; ergo, quia indicat hæc sententia, annũ designatum à Concilijs esse Ecclesiasticum, & tũc finiri; aliàs, cum semper instare præceptum annuæ Communionis, teneretur ille, si non esset finitus annus, sumere Eucharistiam, & non posset expectare tempus sequentis Paschatis. Eam autem sententiã docent Medina *Codice de pœnitent. quæst. de*

Con-

Confeſſione ſemel in anno agenda; P. Henriquez *lib. 8. cap. 5. n. 1.* P. Granado *in 3. par. tract. 10. diſp. 4. num. 7.* Sotus, Siluester, Armilla, Tabiena, Victoria, Ortiz, Cardinalis Toletus, & P. Sa, quos refert Leander *vbi ſuprà, q. 29.* & in hanc ſententiam inclinant Bonacina, Cruz, & Diana, vt fatetur ipſe Leander.

232 Nec eadem eſt ratio de Confeſſione annua, ac de Communione; nam annus Cõmunionis iuxta dicta recẽſetur à Paſcha, vſque ad Paſcha, cum tempus hoc ſit deſignatum ad illam; at ad Cõfeſſionem non datur tempus deſignatum, vndè annus incipiat, ſeu in quo finiatur; quare annus, in quo omnes tenentur confiteri, eſt Solaris, ſcilicèt à prima die Ianuarij, vſque ad vltimam Decembris, ſi habeant cõſcientiam peccati mortalis; quare, etſi in caſu ſupra agitato, non teneretur ille Scholaſticus ſumere Euchariſtiam vſque ad ſequens Paſcha, teneretur tamen confiteri ante vltimam diem Decembris, ſi peccati mortalis eſſet reus, vt ſic ſatisfaceret prẽcepto annuę Confeſſionis, quod vagè per totum annum obligat, ſi toto eo anno non peregiſſet Confeſſionem, Etenim, quamuis quis in mortali exiſtens teneatur confiteri tempore Paſchatis ante ſumptionem Euchariſtiæ, ea tamen obligatio oritur ex præcepto diuino ſumendi dignè Euchariſtiam, non ex præcepto annuæ Confeſſionis, quod tunc determinatè non obligabat; eſto ei ſatisfiat per eam Cõfeſſionem, ſicut ſatisfieret per Confeſſionẽ quouis alio tempore anni peractam.

233 Cæterùm ſententiam aſſerentem, eum, qui in Paſchate Euchariſtiam non accepit, poſtea teneri accipere, tuentur Nuñus *in 3. p. q. 80. art. 11. diffic. 2.* Trullench *lib. 3. in Decal. c. 3. dub. 2. n. 15.* Cardinalis Lugo, Syluius, Villalob. Ochagauia, Nauarrus, Coriolanus, P. Azor, Filliucius, Layman, Reginaldus, Gaſpar Hurtado, & Suarez, quos refert, & ſequitur Leander de Sacramento *loco relato, quæſt. 29.* Qui, vt conſequenter loquantur, tenentur dicere, annum pro Communione deſignatum non eſſe à Paſchate vſque ad Paſcha, ſed à prima die Ianuarij vſque ad vltimam Decembris, quod ex eorum fundamentis conuinco. Nam ipſi probant, vt videre eſt apud Leandrum, nõ teneri quempiam anticipare Communionem ante Paſcha à paritate aliorũ præceptorũ, quia non tenetur anticipare ieiunium ante Vigiliã, nec auditionem Miſſæ ante diem feſtum; Sed nec tenetur ieiunare poſt diẽ ieiunij, neç audire Miſſam poſt diem feſtũ, ſi id nõ prẽſtitit illis diebus, eo quòd præcepta vltra illos dies non progrederentur; ergo ſtãdo his paritatibus, ſicut non tenetur quis anticipare Communionem ante tempus præceptum, ita nec poſtponere, finito tempore præcepto. At iuxta hanc ſententiam tenetur ille ad Communionem poſt tempus Paſchatis, ergo in tempore Paſchatis non eſt finitus annus, pro quo obligat prẽceptum annuæ Communionis, ſed ille annus procedit vlteriùs, vt ſaluetur, durare obligationem præcepti ad ſingulos annos tẽdentis, nam elapſo vno anno, incipit obligare pro alio anno, ſicut elapſo die ieiunij, aut die feſto, præcepta obligant pro ſequẽtibus diebus ieiuniorum, & feſtis. Paritas enim aut nihil, aut vtrumque ſuadet.

234 Ex his aſſero, ſi annus, pro quo obligat præceptum annuę Communionis ſit à Ianuario, vſque ad Decembrem, & non poſſit quis tempore Paſchæ ſumere Euchariſtiam, non teneri eam anticipare, ſed tamen debere eam ſumere poſt Paſcha. Si verò ſit annus Eccleſiaſticus, in quo non multùm inſiſto, teneri anticipare, ſi intra eum annum Eccleſiaſticum, à Paſchate præcedenti, vſque ad illud Paſcha non ſumpſit Communionem, ſecùs ſi ſumpſit; &, ſi non anticipet, non propterea teneri accipere Euchariſtiam poſt Paſcha. De Confeſſione autem, iuxta ſuprà dicta, vno modo ſemper eſt philoſophandum.

235 Sed rogas, an Scholaſticus, qui non anticipauit Communionẽ, & toto tempore Paſchæ iter facit, teneatur in itinere ſumere Euchariſtiam, ſi in aliquo loco poſſit? In primis, ſi ille non ſolùm eo tempore, ſed toto integro anno eſſet iter facturus, ſanè teneretur, quia pro eo anno non cenſetur habere Parochiam, & eſt vagus, aut peregrinus. Vagos autem, & peregrinos teneri ad præceptum annuæ Communionis adimplendum, eſt certiſſimum; & eos poſſe ſatisfacere ei præcepto in quauis Eccleſia, etiam ſi ſit Religioſorũ Mendicantium, docent Emanuel Rodriguez *tom. 1. quæſt. Regul. q. 56. art. 3.* Hinojoſa *verbo, Euchariſtia, fol. 228.* Diana *part. 2. de dubijs Regular. reſolut. 12.* P. Thom. Sãchez *lib. 3. de matrim. diſput. 23. n. 17.* Portel, P. Henriquez, Granado, Fagundez, Nauarrus, Sotus, Cardinalis Lugo, & alij, quos citat, & ſectatur Leander de Sacramento *tom. 2. de Sacrament. tract. 7. diſp. 3. quæſtion. 17.*

239 Si autem non sit iter facturus toto anno, sed accessurus ad locum, vbi domicilium, aut quasi domicilium habet, non tenetur sumere Eucharistiã in itinere, si sequamur sententiam de anno naturali, pro quo obligat præceptum annuæ Communionis. Etenim, potest adimplere post Pascha substantiam præcepti, nempè sumptionem Eucharisticam; aliundè in itinere nequit adimplere accessoriũ, quod in præcepto includitur; id enim iniungit, vt Eucharistia accipiatur eo tempore Paschę in propria Parochia, si eam quis habeat; cũ autem ille, dum est in itinere, nequeat Eucharistiam sumere in propria Parochia, quã habet in loco, ad quẽ est accessurus, fit, vt in itinere non teneatur; non quidem ratione præcepti principalis, quia ei potest post Pascha satisfacere; sicut etiam satisfaceret, si in ipso itinere Eucharistiam sumeret; non item ratione præcepti accessorij, quia nequit illud in itinere adimplere.

237 Fateor, mihi tutius apparere, quòd in itinere ille Communionẽ sumeret; quippè separabilia sunt, communicare tẽpore Paschatis, & quòd id in propria Parochia præstetur; quare, cum vnum ex his potest fieri, nempe accipere Eucharistiam, etiam si non possit aliud, nempè in propria Parochia, videtur ad illud instare præceptum, nisi in itinere esset graue incommodũ, quem detineri, vt confiteretur, & Eucharistiam acciperet. Sicut præceptum ieiunij obligat ad abstinentiam à carnibus, & ad vnicam comestionem; & tamen, qui ob laborem excusantur à limitatione comestionis, adhuc tenentur non comedere carnes, quia id est separabile, nisi alia causa, v.g. ægritudinis, excusaret eos etiam ab hac obligatione adimplenda.

238 Quòd si sequamur opinionem de anno Ecclesiastico intra duo Paschata contento, scilicèt ab vno ad aliud, sanè si ille non anticipauit sumptionẽ Eucharistię, nec semel intra eum annum illam sumpserit, tenebitur (dum sine graui incommodo possit) eam sumere in itinere, siquidem instat prę ceptum, & finitur tẽpus, in quo valet adimpleri, secundùm id, quod est principale, esto non adsit propria Parochia in itinere, quod est accessorium. Si autem anticipauit Communionem, aut intra eum annum saltem semel sumpsit Eucharistiam, non tenetur in itinere sumere, iuxta superiùs dicta.

Quæstio XXII. An Scholastici existentes in Academijs teneantur obseruare leges, & præcepta, etiam sub censuris imposita, quæ in ipsorum patria seruantur?

239 HÆC quæstio etiam de Professoribus scientiarum ventilari potest, sicut etiam aliæ, quas in hoc libro tractamus; at quia communiores sunt Scholaribus, ideò hoc loco eas agitamus. Sic etiam *libro 2.* plura disputauimus, quæ ęquè his conueniunt; & proportionatè singulis quæque sunt aptanda. Agimus in prę senti non de legibus, ac præceptis vbique obligantibus, sed de specialibus, quę solent esse in vnoquoque loco; qualia sunt, vt dies alicuius Sancti sit festus, vt ieiunetur, aut abstineatur à carnibus tali die, vt in Ecclesijs nemo opera data confabulationes intermiscеat, aut sumat puluerem, quem vocamus *tabaco*, hisque similia.

240 Igitur pro sententia rigidiori asserente Scholasticos à sua patria absentes adhuc teneri ad seruanda specialia præcepta, seu leges illius, possent referri hi Authores, qui iudicant, illos non contrahere domicilium in eis locis, vbi student, sed aduenas esse; & aliũde tenẽt eos, qui extra suum territorium existunt absque domicilio, redituri ad ipsum, teneri ad seruandas prędictas leges, ac præcepta. De quibus videri potest Leander de Sacramẽto *de præcept. Eccles. tract. 1. disp. 3. quæst. 6. & quæst. 11.*

241 Communis, & vera est sententia contraria Scholasticos deobligans ad obseruatione eiusmodi legum. Ita tenent, qui absolutè docent, nullum existentem extra proprium territorium obligari ad illius leges seruandas; Couarrub. *in c. Alma mater, p. 1. §. 10. n. 3.* Siluester *verbo, excommunicatio 2. n. 7.* P. Suarez *tom. 1. de Religion. lib. 2. de festis, cap. 13. & lib. 3. de legibus, cap. 82.* P. Rebellus *de obligat. iustit. p. 2. lib. 2. q. 7. sect. 3.* Nauarrus, Ludouicus Lopez, P. Thom. Sanchez, Lessius, & alij, quos refert, & sequitur P. Layman *tom. 1. lib. 1. tract. 4. c. 11.* A fortiori assertionem positam tuentur, qui defendunt, existentes per modum transitus extra proprium territo-

citorium non teneri legibus illius; cum Scholastici non per modum transitus absint à sua patria, sed habendo quasi domicilium in locis, vbi studẽt, Id igitur affirmãt Sayrus *in claui Regia lib. 7. capit. 3. num. 11.* Philiarcus *tom. 1. de offic. Sacerdot. part. 2. libr. 3. cap. 23. notab. 3.* P. Henriquez *libr. 9. sum. cap. 25. num. 2.* P. Azor *institut. mor. 1. part. lib. 5. cap. 18. quæst. 14.* Maior, Grassis, Petrus de Ledesma, Armilla, Rosella, Acuña, Villalobos, Basilius Legionensis, Bosius, Maldetus, Driedo, Gordonus, Diana, Trullench, P. Sa, Granaco, Salas, Reginaldus, Fagundez, Filliucius, Castro Palao, & alij apud Leandrum *vbi suprà, quæst. 6.* Et Iurisprudẽtes cõmuniter, Abbas, Imola, Zabarella, Baldus, alijque plures, quos refert, & sectatur Pasqualigus *tr. de ieiun. decis. 211.*

242 Suadetur conclusio primò *ex cap. 2. de Constitution. in 6.* ibi; *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra diœcesim cõmittentes minimè ligari noscuntur.* Ecce extra territorium non obligant leges, ac cẽsuræ. Probatur secũdò, quia eatenùs lex obligat, quatenùs datur iurisdictio ad eam condendam, & eius obseruationem procurãdam; at non datur iurisdictio in his, qui leges in proprio territorio, diœcesi, aut vrbe promulgant, vt extra territorium eas promulgari, vel obseruari faciant, nec eorum iurisdictio extenditur vltra terminos sui territorij; igitur extra illud nõ datur obligatio eas leges seruandi; Ideòque *in cap. 2. nuper relato* asseritur; *Extra territorium ius dicenti impunè non paretur; idemque est, si supra iurisdictionem suam velit ius dicere.*

243 Et quamuis hi, qui absunt à proprio territorio, subditi sint Episcopi, qui censuram tulit, adhuc nõ obligantur, quia censura fertur in subditos intra diœcesim existentes. At, si Scholasticus existat in Academiæ loco, qui est intra diœcesim ipsam suæ patriæ, tenebitur ad seruandas leges, quæ vtrique loco sunt communes, & quæ dimanant à Superiore vtriusq; loci. Præterea, si in diuersa sit diœcesi, & statutũ, aut lex propriæ diœcesis respiciat rem in illa sitã, aut eius territorij commodum, debet illud obseruare; v. g. si studeat in Academia, aut doceat Canonicus, vel Clericus, & in eius diœcesi detur statutum, quòd omnes Clerici, aut Canonici conueniant ad Synodum, aut Capitulum, certo anni tempore, tenetur ad id exequendum; *c. ex tuæ, de Clericis non residentibus.* docentque Couarrub. *vbi suprà, num. 3.* Abbas *in cap. postulasti, num. 9. de foro competenti*; Nauarrus, Syluest. Sayr. P. Suarez apud Layman *suprà numer. 3.* P. Auila *de censur. part 3. cap. 3. disput. 2. dub. 2.* Sumiturque argumentum *ex l. 121. ff. de regul. iur.* (quæ nec fideliter transcripta, nec citata est apud Layman) *Qui non facit, quod facere debet, videtur facere aduersus ea, quia non facit*; Et ibi Gothofredus; *In fraudem alterius quis facit, qui id nõ facit, quod in eius vtilitatẽ, & cõmodũ facere debet.*

244 Assertio posita extendenda est ad aliquos casus. Primò, si in loco Academiæ nõ seruetur aliqua lex, vbiq; alibi obligãs, non teneri existẽtes ibi ad eius obseruationem. Sic existens Mediolani nõ tenetur ieiunare quatuor primis diebus Quadragesimæ, quia in ea vrbe nõ ieiunatur, estq; quasi priuilegium locale, quo gaudere possunt in eo loco existentes; Ita constat *ex c. illa, dist. 12.* & docent Thom. Sanch. *lib. 1. mor. c. 12. n. 28.* Syluest. P. Lessius, Suarez, & alij. Sic eriam quicumq; per Castellam transeunt, aut in ea versantur, possunt Sabbato comedere intestina, & extima animaliũ, etsi id cõmuni lege Ecclesiastica sit prohibitũ, vt docet P. Lessius *de iust. lib. 4. c. 2. dub. 8. n. 55.* et alij passim.

245 Secũdò, si in propria diœcesi sint aliqua peccata, et censuræ reseruatę, quæ tamen reseruatę non sunt in loco, vbi quis studet, posse eum, qui illorũ est reus, absque priuilegio absolui à quouis Confessario approbato; nam huius iurisdictionem ad absoluendum non potest tollere Episcopus diuersæ diœcesis, dum reseruat illa peccata, et censuras. Hoc intelligendum est, si extrà propriam diœcesim ille in eiusmodi peccata est dilapsus. Si verò iam inciderat, dum existeret in propria diœcesi, an possit absolui in alia diœcesi, tractaui latè *tom. in Bullam Cruc. disp. 23. n. 22. & disp. 25. à. n. 16.* Ibi videndus, nã casus est valdè cõmunis.

246 Sed contra stabilitam assertionẽ oppones. Prælati Regulares possunt obligare suos subditos, etiam extra Monasteria, aut Collegia existentes, suis statutis, præceptis, ac sententijs, et eos citare, ac excommunicare, et in alieno territorio fugitiuos propria authoritate capere, vt docet Syluester *verbo, excommunicatio 2. num. 15.* Ergo potest Episcopus suis legibus, et præceptis obligare Scholasticos, et quoslibet alios subditos in alieno territorio existẽtes. Nego cõsequentiã; Disparitas est, quia Prælatis Ordinum Regularium cõpetit iurisdi-

ctio in ſuos, nõ ratione territorij, ſed per ſe & ratione perſonalis obligationis, quam Religioſi contrahunt, dum obedientiæ votum emittunt; quod votum non datur in ſubditis reſpectu Epiſcopi, atque adeò nec perſonalis illa obligatio, ſed ratione territorij ei ſubduntur. Hinc Prælatus Regularis regit ſubditos, de illiſque curam habet, vbicumque exiſtant, non verò Epiſcopus. Vel dicito non illepidè cũ Sylueſtro *vbiſupra*, ratione territorij fieri ſubditos ſuorum Prælatorum Religioſos, ſed totum mundũ eſſe eiuſmodi Prælatis pro territorio; quod de Epiſcopis nequit verificari.

Quæſtio XXIII. An Scholaſtici, & Academici teneantur obſeruare leges ſpeciales eius loci, in quo ſtudent, quæ in ipſorum patria non obſeruantur?

247 NON eſt quęſtio nunc de his, qui per tranſitũ in aliquo loco ſunt, ſed de his, qui magnam anni partem in Academijs tranſigunt, vt ſunt Scholares, & Profeſſores ſcientiarum; quę pars anni ſufficiens eſt, vt comparetur quaſi domicilium in eis locis, & illi cenſeantur nõ hoſpites, ſed habitatores, iuxta doctrinam Nauatri *tract. de Iubilæo, notabili 32. n. 43.* & P. Layman *tom. 1. lib. 1. tract. 4. cap. 12. num. 1.* & aliorum: de quo nos inferiùs latè agemus.

248 Leander de Sacramento *tom. 2. de Sacram. tract. 1. diſp. 3. quæſt. 11.* ſententiam negantem eos teneri illis ſpecialibus legibus munit authoritate plurium, quorum aliqui ſpecificè loquuntur de noſtro caſu; alij verò tenẽt, non cõtrahi domiciliũ ab Scholaſticis, nec quaſi domiciliũ, ſed ſemper aduenas reputari; indeq; infert hic Author, illos ſtare à ſententia negante. Pro hac ſententia affert Patrem Thomam Sanchez *lib. 5. conſil. mor. c. 1. dub. 3. n. 1.* Et poſteà pro ſententia oppoſita citat eumdem Thom. Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 18. num. 9 & in ſum. lib. 1. cap. 12. num. 41.* Et addit; *Vnde dicendum eſt, Sanchez ſibi eſſe contrarium, quod referens illum pro vtraq; ſententia non notat Paſqualigus.*

249 Mitor virum exactum, & eruditum hæc dicentem. Nam P. Thomas Sãchez primo loco hæc habet, vt ipſe Leãder refert; *Conuentus Religioſorum non tenetur ſtare præceptis, aut conſuetudinibus particularibus oppidi, vbi reſident, ſed tantùm generalibus præceptis, & conſuetudinibus.* In ſecundo loco, affirmat, eos, qui maiori parte anni reſident in aliquo loco, teneri legibus ſpecialibus illius; Et non loquitur de Religioſis, ſed de alijs, ideoque addit; *Valdè enim rationi diſſonat, Scholares, qui triennio in loco ſtudij habitant, non teneri illius legibus, & conſuetudinibus.* Itaque docet, hos teneri abſolutè, atque adeò non rectè à Leandro, & Paſqualigo pro ſententia negante citatur. Rursùs ait, non teneri Religioſos, quia ſunt exempti, quod nec eſt huius quæſtionis, nec à veritate alienum. Quæ ergo eſt contrarietas in affirmando, exemptos non teneri legibus ſpecialibus loci (quod plures Authores docent) & non exemptos teneri? Maximè cum concluſio de exemptis eodem modo ſit firma, ſiuè exempti exiguo tempore, ſiuè per totam vitam in eodem loco habitent; indeque cernitur, eam doctrinam eſſe omnino extra præſentem quęſtionem, in qua agimus de non exemptis, & non perpetuò habitantibus in loco ſtudij, ſed per magnam partem anni. Imò nec ex vi argumenti poteſt Thomas Sanchez ſibi contrarius eſſe conuinci; Nam, ſi arguas; exemptus non tenetur legibus ſpecialibus loci, ergo nec tenetur non exemptus; Conſequentia hæc negatur vt falſa, & vt malè illata. In primis vt falſa, quia ex ipſis terminis colligitur diſparitas, cum exemptio à iuriſdictione Epiſcopi, & Iudicum ſæcularium, inuoluat carentiam obligationis ex vi præceptorum, aut legum, quę introducuntur ab Epiſcopo, Clero, aut populo. Deindè vt malè illata; quia doctrina de exemptis eſt generalis, quamuis exempti per totam vitam habitent in loco; cuius legibus non teneri affirmatur; Et ſicut ex hoc aſſerto non infertur benè, ergo non exempti non tenentur eiuſmodi legibus, quamuis per totam vitam in eo loco commorentur; ita nec infertur, non teneri, ſi magna parte anni ibi habitent; cum ex vi illationis non magis vnum, ac aliud deducatur. Stet ergo, P. Thomam Sanchez ſibi non eſſe vllo modo contrarium, ſed maximè conſequentem.

250 Igitur ſententia docens, Scholaſticos, & Academicos teneri ad obſeruandas leges, & conſuetudines eius loci, in quo ſtudio vacant, communis, & vera eſt. Eam tenent Baſilius Legionenſis *lib. 5. de matrim. capit. 7. §. 1. numer. 5.* Villalobos

lobos *tract. 2. diſſic. 33. num. 6.* P. Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 14. num. 2.* P. Fagundez, & alij, quos refert, & ſequitur Leander *vbi ſuprà.* Medina *1. 2. quæſt. 96. art. 5.* Roſella *in ſum. verbo, ieiunium, n. 16.* D. Antoninus, Syluester, & alij, quos refert, & ſectatur P. Layman *tom. 1. lib. 1, tract. 4. cap. 12.* A fortiori hanc ſententiam tuentur Authores, qui dicunt, hoſpites ſpatio vnius diei manentes in aliquo loco, teneri legibus ſpecialibus illius. Ita Couarr. *variar. reſol. c. 20. num. 8.* Abbas *in c. conſiliũ, de obſeruat. ieiunij.* P. Salas *de legib. diſput. 4. ſect. 4. n. 41.* P. Sa *verbo, ieiunium. n. 1.* Nauarrus, Rodriguez, Philiarchus, P. Leſſius, & alij.

251 Aſſertum probatur; quia ejuſmodi Scholaſtici, & Academici ſortiuntur forum in eo loco, in quo ſtudijs incumbunt, ratione quaſi domicilij; hoc autem ſufficit, vt teneantur legibus ſpecialibus, & conſuetudinibus eius loci. Deinde ex ſe cõſtat, eſſe abſurdum, illos magna anni parte in aliquo loco habitare, & cum incolis nõ ſeruare conformitatem in ieiunijs, in feſtorum obſeruatione, in abſtinentia à carnibus, aliſque huiuſmodi; & ſanè difformitas ſcandalum poſſet parere, & rectæ Reipublicę gubernationi opponeretur. Præterea in probationem adduci poteſt, *cap. illa, diſt. 20.* Vbi D. Ambroſius apud S. Auguſtinum *epiſt. 118. ad Ianuarium*, inquit, *Cum Romam venio, Sabbathum ieiuno; cum Mediolani ſum, non ieiuno; Sic & tu, ad quamcumque Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi.* Similia habentur *in cap. Quæ contra, diſt. 8. in cap. quiſquis, diſt. 41.* Vbi Gloſſa, *verbo, viuit*, affirmat; *Nota, quòd quilibet conformabit ſe ſocijs ſuis in cibis, & moribus:* Et Gloſſa *in relato cap. Illa*, apponit illud vulgariſſimum diſtichon;

Si fueris Romæ, Romano viuito more;
Et ſi ſis alibi, viuito, ſicut ibi.

252 Et quamuis hæc vltima aſſerti probatio etiam militet reſpectu eorum, qui vel vno die in aliquo loco cõmorantur, & propterea Authores ſentientes, eos, qui per tranſitum breui tempore in loco exiſtunt, non teneri legibus ſpecialibus ipſius loci, reſpondeãt, ea verba Auguſtini, & Ambroſij, ſolùm importare conſilium, & tunc dumtaxàt inducere obligationem, cum ſcandalum timetur ex non obſeruatione earum legum; Attamen reſpectu noſtræ aſſertionis vim habet; tum quia, habitatione diuturna poſita, non poſſet non timeri, ac ſequi ſcandalum, ſi illæ leges non obſeruarentur; quod ſcandalum vitare facilius poſſunt hoſpites per locum tranſeũtes; tum quia ad pacem cuiuſque loci tuendam, & rectè Rempublicam adminiſtrandam, conſenſu communi videtur introductum, vt illæ leges ſeruentur ab habentibus domicilium, & quaſi domicilium in loco, reſpectu quorum datur iuriſdictio; quæ ratio non eamdem vim habent reſpectu eorum, qui per locum tranſeunt. Hinc etiam infirmantur cæterę rationes, quibus præfati Authores probant, aduenas, ſeu hoſpites per loca tranſeuntes non obligari ad obſeruandas leges ſpeciales locorum; diuerſimodè enim ſe habẽt hi, qui ſtudij gratia diutiùs in his locis morantur.

Quæſtio XXIIII. An Scholaſtici, & Academici, dum veniunt ad Academiam, & redeunt ad patriam, teneantur ſeruare leges ſpeciales, & conſuetudines locorum, per quæ tranſeunt?

253 PONAMVS, accedere in via Scholaſticum ad locum, in quo eſt dies feſtus, vel ieiunij, propter ſpecialẽ conſuetudinem, aut legem eius loci; inquirimus, an teneatur audire Miſſam, ieiunare, vel abſtinere à carnibus, & ſic de reliquis. Quæ quæſtio in tractatu de legibus ſolet ventilari de quibuſcumque itinerantibus, hoſpitibus, ſeu peregrinis; Et quia valdè frequens eſt Academicis ob annua itinera, quæ faciunt, ideò eam explorare oportet.

254 Si lex ſit communis, quamuis in proprio territorio, ſeu patria itinerãtis non obſeruetur, & ille accedat ad locũ, vbi obſeruatur, non tamquam ſpecialis illius loci, ſed tamquam communis, tenetur ad illius obſeruantiam. V. g. Mediolanẽſis trãſiens per loca, vbi ieiunatur quatuor primis diebus Quadrageſimę, iuxta legem communem Eccleſiaſticã, ſi habeat viginti vnum annos, ieiunare tenetur, eſto non ieiunetur Mediolani illis diebus; nã id eſt priuilegium locale, à iure cõmuni exorbitans, & tãquã odioſum, nõ eſt ampliandũ, ſed reſtringẽdũ. Ita docet Medin. *in 1. 2. q.*

56. art. 5. §. Dubitatur præterea. P. Henriquez, Suarez, & ferè communis, vt videre est apud P. Layman *tom. 1. lib. 1. tract. 4. c. 12. num. 3.* Oppositam sententiam, secluso scandalo, iudico etiam probabilem, quam tuetur P. Thom. Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 18. quæst. 1. num. 7.* dum tamen itinerans mox sit in patriam rediturus, quia tūc per iuris fictionē pro præsenti in sua patria habetur.

255 Loquendo tamen de legibus specialibus locorum, per quæ itinerantes trāseunt, duplex est sententia. Prima negat, aduenas, & hospites obligari ad obseruationem illarum, quamuis integro die ibi mansuri sint. Ita Angles *in Floribus, de ieiunio, quæst. 4. diffic. 2.* Sayrus *in claui Regia, lib. 3. cap. 4. num. 15.* P. Conինch. *3. par. tom. 1. quæstion. 74. art. 4. dub. 2.* P. Auila *de censur. part. 2. cap. 3. disp. 2. dub. 3. concluſ. 3.* Diuus Antoninus, Paludanus, Syluester, vterque Medina, P. Azor, Thomas Sanchez, & alij, quos refert, & sequitur Pater Layman *vbi suprà, numer. 4.* Item Palacios, Syluester, Rosella, Vega, Rodriguez, Bonacina, Trullench, Gordonus, Cardinalis Toletus, P. Filliucius, Granado, Fagundez, & innumeri alij, quos citat Leander de Sacramento *tom. 2. de Sacram. tr. 1. disp. 3. q. 21.*

256 Secunda sententia affirmat, teneri. Cuius Authores aliqui aiunt, obligari aduenas, & peregrinos, dum vno die in loco commorētur; Alij verò aiunt, obligari, etiam si non die integro ibi maneant, sed tempore proportionato, quo obligatio instet, & adimpleri commodè possit. Ita Basilius Legionensis *lib. 5. de matr. cap. 7. à num. 14.* Villalobos *tom. 1. sum. tr. 3. diffic. 33. num. 7.* P. Filliucius *tract. 27. c. 7. num. 120.* P. Castro Palao *de legib. tract. 3 disp. 1. punct. 24. à n. 11.* Nauarrus, Couarrub. Abbas, Rodriguez, Philiarchus, P. Sa, Salas, & alij apud P. Layman *vbi suprà*; pluresque alij, quos refert, & sectatur Leāder *q. 23. vbi suprà.*

Sentio, primam sententiam esse practicè tutam, & probabiliorem, dum tamen absit scandalum in non obseruatione earū legum specialium; si etenim hoc timeatur, lex charitatis obligat ad non præbendam occasionem ruinę proximo. Probatur sententia; nam, vt quis legibus obligetur, debet subijci iurisdictioni illius loci, in quo leges speciales seruantur; sed non subijcitur, cum non adquirat forum ob breuē hospitij moram, ergo non obligatur. Vbi aduerto, plures huius sententiæ Authores extendere cōclusionem ita, vt etiam si duos, tres, vel quatuor dies quis adsit in vno loco, non teneatur ad leges, & cōsuetudines speciales ibi vigentes. Videātur apud Leā drum *vbi suprà, q. 21.* Quorum sentētia est tuta in praxi, & saltem ob authoritatē extrinsecam probabilis. Cauendum tamē est scandalum.

257 Aliqua argumenta contra hanc sententiam obiter sunt libata, & soluta *quæst. præceden.* Arguitur præterea aduersus ipsam; Qui sentit commodum, sentire debet, & onus; iuxta *regul. 55. in 6.* At itinerantes, dum in prædictis locis sunt, soluuntur legibus, & consuetudinibus proprijs suę patriæ, ergo ligantur legibus eorum locorum, per quę trāseunt. Respondeo, eam regulam esse veram, quando onus ex propria institutione annexum est commodo; sicut contingit in institutione hæredis, qui enim adit hæreditatem, vndè commodum ei prouenit, onera annexa hæreditati expetiri debet; item in Beneficio Ecclesiastico, in quo qui institutus est, & prouentus Beneficij comparat, tenetur ad onera Beneficij adimplenda. At in nostro casu commodo non est annexum illud onus, sed disparatè se habent; & ex eo, quòd quis è proprio territorio egrediens liberetur legibus specialibus illius, non sequitur, ligandum fore alijs legibus specialibus alterius territorij, cum posset ipse ad territorium pergere, in quo illæ leges non vigerent, & per accidēs est, vt vigeant in aliquo loco, & quòd ipse transeat per eum tunc temporis, cum proprios incolas obligant.

258 Dices, hę leges speciales sunt locales, & afficiunt locum, indeq; transeunt in personas in eo loco existētes, vt eas obligent. Respōdeo, transire in personas, quæ iurisdictioni illius loci subiectæ sunt, non verò in alias, cuiusmodi sunt hospites, ac transeuntes.

259 Limitanda tamen est assertio posita, ita vt non intelligatur de legibus specialibus, quæ latæ sunt ad vtilitatē, & commodum locorum, vel ad pacificam communicationem cum incolis; hæ enim leges etiam ab aduenis, & hospitibus seruā dæ sunt; v. g. leges, ne quis noctu arma per locum ferat, ne ibi plùs, quàm vnum, vel duos dies commoretur, & similes. Deindè limitanda est, si cōtractus in locis, per quæ transeunt, fiant ab itinerantibus; cum in cōtractibus seruandæ sint leges, & cōsuetudines cuiusq; loci, iuxta *l. 6. ff. de euictionibus.*

De-

260 Demùm, si itinerans delinquat in loco aliquo, potest ibi puniri, quia fortitur ibi forum ratione delicti, iuxta *cap. vltim. de foro competenti* Ex quo textu ratio pro assertione posita confirmatur; in eo enim asseritur, quemlibet sortiri forum in loco, vel ratione domicilij, vel ratione contractus, vel ratione delicti; ergo à contrario sensu, quando non datur domicilium, seu quasi domicilium, nec cõtractus, nec delictũ, non sortitur quis forum, nec subiacet iurisdictioni loci, & consequenter nec illius specialibus legibus obligatur. Potest tamen, & debet Studiosus ad suum forum causam sui delicti deducere, vt constat ex dictis *hoc lib. quæst. 2.*

260 Aliqua hic aduerte pro praxi. Primò, si quis in die ieiunij accedat ad locum, vbi non ieiunatur, qualibet hora diei, vel exeat à loco, vbi non ieiunatur, quamuis accedat ad alium, in quo ieiunatur, non teneri ad ieiunium; quia præceptum ieiunij respicit integrum diem, vt obiectum indiuiduum, illeque potest licitè in loco, in quo non ieiunatur, manducare pluries, cum quo non staret ieiunium. Ita tradidi cum pluribus *tom. in Bull. Cruciat. disp. 13. num. 2.* Imò posse quem data opera exire à loco, in quo vrget præceptum ieiunandi, aut seruandi Festum, ad locum, in quo non vrget, quia in eo transitu vtitur iure suo, non in fraudem legis, sed dumtaxàt fugiendo obligationem legis, quod non est prohibitum, docent valdè probabiliter, & tutè in praxi plurimi graues Authores; Ochagauia *tract. 3. q. 8. num. 5.* D. Ioannes de Escobar *tom. 1. tract. de vtroque foro, art. 4. num. 203.* P. Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 18. num 29.* P. Quintanadueñas *de Iubileo, cap. 8. n. 13.* Basilius Legionensis, Bonacina, Pasqualigius, Trullench, Iosephus de Rocaffull, Chilinus, P. Suarez, Fagundez, Gaspar Hurtado, Cast. Palao, & plures alij, quos sequitur referens Leander *vbi suprà, quæstione 8.*

262 Deinde Scholastici, & alij, quos ex se iam obligat præceptum ieiunij, itinerantes equitando, si viam vnius diei perambulent, nempè nouem, aut decem leucas Hispanas, à ieiunio videntur posse excusari, iuxta tradita à mè *tom. in Bull. Cruciat. disp. 13. num. 4.* Non tamen excusantur, si curru, quadriga, aut lectica vehantur. Nec, quoquo modo itinerent, excusãtur à recitatione Officij diuini, aut parui Beatæ Mariæ, si ad illud aliunde teneantur; nisi grauis defatigatio; ingensq; incommodum eos excuset. Simile incommodum eos excusabit ab auditione Sacri in via, die Festo; si nempè iter impediatur, aut socij non expectent, dum in eo impedimento, & separatione à socijs, sentiatur graue incommodum.

263 Demùm, si quis exeat à loco, in quo habet domicilium, aut quasi domicilium, die ibi Festo, & accessurus sit ad locum, in quo Festum non seruatur, probabile est, & tutum in praxi, non teneri audire Missam, antequam exeat, dummodò ibi sint plures Missæ, ita vt si maneret in eo loco, non teneretur eam audire ea hora, qua exit, sed posteà audire posset; nam præceptum non vrget ad audiendam Missam illa hora, nec vrget ad non exeundum; & post exitum, iam non datur præceptum in alio loco. Ita Ioannes Sancius, Bonacin. & plures apud Leandrum *suprà quæst. 9.*

Quæstio XXV. An Scholastici, & Academici teneantur audire Sacrum in Festis institutis ab Vniuersitatibus, quæ ab Ecclesia non obseruantur?

264 FREQVENS in Academijs mos est, aliquas Sanctorum celebrare Festiuitates, quæ ab Ecclesia non obseruãtur, nec à diœcesi, aut loco, in quo sunt sitæ; Et in eis à lectionibus publicis vacatur non aliter, ac in communibus Festis. His ergo diebus, tenendum est, Academicos, ac Scholasticos nequaquã obligari ad audiendam Missam. Ita docent Alcocer *in sum. cap. 27.* P. Thom. Sanchez *tom. 2. Consilior. moral. lib. 5. cap. 5. num. 8.* & alij. Ratio est, quia Academiæ nequeũt Festa instituere, in quibus detur obligatio audiendi Sacrum, & abstinendi ab operibus seruilibus; hæc quippè institutio pertinet ad Ecclesiam, & ad Summum Pontificem, atque (nisi à Pontifice id limitetur) ad Episcopum cum Clero, consentiente populo, pro sua diœcesi. Sic Palacios *lib. 2. de contract. cap. vlt.* Armilla *verbo Festum num 5.* Panormit. Innocent. Archidiac.

diac. Sylvest. D. Antonin. Federic. Rosel. & communiter omnes, vt videre est apud eumdem P. Thom. Sanchez *vbi suprà numero 6.*

265 Obiter dixi, nisi à Pontifice limitetur, posse Episcopum pro sua diœcesi Festa instituere; nam Pontifex bono Ecclesiæ publico attendens valet eam potestatem Episcopis limitare; sicq; præstitit Vrbanus VIII. designans Festa ab vniuersa Ecclesia obseruanda, limitanlq; numerum Patronorum, quos Festiuo die possent diœceses, & vrbes, Episcopo annuente, celebrare. Inde confirmatur conclusio nostra; quippè Episcopi adhuc nequeunt Festa instituere, quæ à populo obseruentur, nisi sub limitatione præfixa; ergo nec Academiæ, quibus, etiam independēter à quauis limitatione præfixa, ius non erat ad illa instituenda.

266 Idem dicendum est de aliquibus diebus feriatis pro Senatibus Regijs, & Tribunalibus; in his etenim eorum Ministri, & Officiales non tenentur Missam audire, cum scilicèt eæ Festiuitates ab Ecclesia, aut à populo sub præcepto non obseruantur. Vnde deducitur, in omnibus diebus præfatis, posse tum Academicos, & Scholasticos, tū alios opera exercere seruilia; Hæc quippè dūtaxàt sunt prohibita in diebus Festis, qui sub præcepto obseruantur, & in quibus obligatio vrget audiendi Missam; Et ex se vtraq; connexa semper est obligatio audiendi Sacrum, & vacandi ab operibus seruilibus, ita vt vna sine alia numquam subsistat; nisi detur legitima excusatio quandoq; non adimplendi vnam, vel aliam; De quo latè Authores præcepta Ecclesiæ explicantes; Videantur P. Fagundez, Leander de Sacramento, & alij.

267 Cæterùm obligationis ablatio, de qua loquimur, est tum sub culpa lethali, tum sub veniali; ita vt nec venialiter peccet is, qui diebus prædictis opera seruilia exerceat, & Sacrū nō audiat. Etenim vel sub mortali, vel sub nullo peccato debet inde obligatio exoriri; sicut in cæteris diebus fideles sub mortali tenentur ad prædicta, si Festi sint; & sub nullo, si non sint Festi; Prædicti autem dies sub numero non Festorum recensentur, & absolutè non sunt Festi. Nec ius datur in Academijs, vt Festa saltem sub obligatione veniali instituere queant; imò in Ecclesia mos instituendi huiusmodi Festa est inusitatus.

268 Sed inquires, an possit Superior Academiæ, v. g. Scholasticus Salmantinus, præcipere, vt sui subditi Missam audiant, & ab operibus seruilibus abstineant præfatis diebus? Respondeo, non posse. Etenim non potest statuere Festa, vt suprà libauimus; sed, si posset id præcipere, posset Festa statuere; ergo nequit id præcipere. Statuere enim Festa, nihil aliud est, quàm sub Ecclesiastico præcepto obligare subditos, seu obligationem eis imponere audiendi Missam, & abstinendi ab operibus seruilibus; neque quidquā aliud datur respectu Festorum, quæ ab Ecclesia sunt instituta, nisi eiusmodi præceptum illam obligationem imponens. A simili cōfirmatur, nam Episcopus non potest pro libito id præceptum imponere respectu suæ diœcesis, ob rationem allatam; ergo multò minùs Academiæ Superior.

269 Dices; Potest Prælatus Religionis præcepto suo, imò & censuris, obligare subditum, vt Sacrum audiat, & ab opere seruili abstineat; ergo & Superior Academiæ respectu subditorum id poterit. Instatur in primis argumentum in Episcopis, respectu quorum similis posset inferri consequentia, & tamen est falsa iuxta nuper dicta. Respondeo ergo, Prælatum Religionis iusta de causa, & in materia apta, posse præcepto suo, & censuris obligare subditos ad quamlibet actionem honestam, ex eo quòd illi obedientiam vouerint, atq; adeò contra virtutem obedientiæ peccarent, si transgrederentur præceptum; & in casu posito non peccaret subditus contra virtutem Religionis ordinatā ad Dei cultum, si Missam non audiret, sed contra obedientiam; quod ostendit, Prælatum non instituisse diem Festum ex eo, quòd præcipiat subdito audire in eo Missam; Cū autem Festus dies instituitur, vt in eo Dei cultui vacetur, si is dies violatur, contra virtutem Religionis delinquitur.

270 Hoc igitur pacto, negamus posse Superiorem Academiæ, aut Episcopum præcipere, vt Missa audiatur, & abstineatur à seruilibus operibus; scilicèt vt diem illum violans contra virtutem Religionis peccet. Aliundè subditi Episcoporum, & Superioris Academiæ adeò stricta obediētiæ lege nō tenētur, ac subditi Religiosi respectu suorum Prælatorum; hi enim non habent velle, & nolle; secùs illi. Non tamen inficior, posse Episcopum aliquando cogere sub præcepto subditum, vt Missam audiat, sicut potest

cogere,

cogere, vt ab vrbe diſcedat, vt in Monaſterio recludatur, & ad ſimilia; hoc tamen longè abeſt à noſtra quæſtione, & concluſione; Idemq; aſſero de Superiore Academię reſpectu ſubditi. Id tamen, vt pœnitentia, ſeu pœna quædam, aut in remedium alicuius delicti infligitur. Poſſent etiã ob aliquam vrgentem cauſam publicam, vt propter imminentiam, ſeu graſſationem peſtilentię, hoſtium, vel ob quid ſimile, præceptum, imò & cenſuras ferre, vt audiretur Miſſa, aut aſſiſteretur Eccleſiæ, vel Rogationibus. At ex ipſis terminis cõſtat, longè aliam eſſe noſtram quæſtionem, nec ad eam exinde rectam paritatem deduci. Quod autem adhuc diximus de Feſtiuitatibus inſtitutis dumtaxàt pro ipſis Academijs, intelligendum etiam eſt de Feſtiuitate Sancti, qui Academiæ, ſeu Capellæ illius eſt Patronus, vel Titularis; nec enim in ea datur obligatio audiendi Sacrum, niſi aliunde ſit dies Feſtus.

Quæſtio XXVI. An Scholaſticus, qui tenetur ad recitandum Horas Canonicas, aut Officium paruum, excuſetur à recitatione eo die, quo Concluſiones publicè defendit; item ab auditione Miſſæ, ſi ſit dies Feſtus?

271 NON huc pertinet inueſtigare, quinã teneantur perſoluere Officium Canonicum, aut recitare Officium paruum B. MARIAE; de quo latè Authores de Horis Canonicis tractãtes; & ego plura attigi *tom. de Bulla Cruciatæ diſp. 34. cap. 2.* Sed poſita obligatione recitandi ratione beneficij Eccleſiaſtici, aut penſionis, quæſtio propoſita eſt dirimenda. Ad cuius claram enodationẽ ſupponẽdum eſt duplex principium certum. Aliud eſt, obligationem recitandi prouenire ex iure, & præcepto Eccleſiaſtico; Aliud, præcepta Eccleſiæ non obligare cum graui detrimento vitæ, honoris, facultatũ, aut valetudinis. Quibus nixi principijs Theologi plures quæſtiones reſoluunt.

272 In præſenti ergo cũ diſtinctione eſt loquendum. Si Scholaſticus abſque graui detrimento, aut incommodo poſſit perſoluere Horas Canonicas, & Miſſam die Feſto audire, cum eo die Aſſertiones publicè defendit, ad id tenetur. Ratio eſt, quia inſtat præceptum, & poteſt illud adimplere, quin excuſationem legitimam habeat, ergo adimplere tenetur. At, ſi nequeat defendere eas Aſſertiones, & ſimul ea adimplere præcepta, quin vel valetudinis graue nocumentum accipiat, vel honoris, adimendo tempus, quod eſſet neceſſarium Studio, non tenetur adimplere ea præcepta. Ratio eſt prælibata in duplici principio præiacto; cum hic adſit excuſatio legitima. Ita docent Palacios *in 4. d. ſi. 15. d. ſp. 9. fol. 148.* Nauarrus, & Maior, quos ſectatur P. Thomas Sanchez *tom. 2. conſilior. lib. 7. cap. 2. dub. 52. num. 4.*

273 Aſſentior tamen Nauarro aſſerenti, id non facilè fore conſulendum. Atque, vt rem ad praxim ſpecialiùs deducamus, videre eſt, quando excuſatio prædicta legitima ſit cẽſenda. In primis Scholaſticus v.g. Salmantinus, qui Aſſertiones per duas dũtaxàt horas defendit, nequit excuſari ab audiẽda Miſſa eo die, ſi Feſtus ſit, nec à recitatione Officij Canonici, vel parui. Quippè tempus in auditione Sacri inſumendum eſt breue, neque poteſt impedire ſtudium neceſſarium; & præterea nõ adeò defatigatur, vt antecedenter, vel ſubſequẽter ante finẽ diei nequeat perſoluere Horas Canonicas, aut Officium paruum. Accedit, poſſe ante defenſionem Aſſertionum & Miſſam audire, & recitare; licèt enim eo exiguo tẽpore vacet ab ſtudio, non inde ei grauis iactura honoris ſequetur, ſi ea, quæ poſſet tam breui tempore recolere, non addiſcat.

274 Rurſùs ſi mane, ac veſpere Aſſertiones defendat, ſaltẽ poteſt Miſſam audire antecedenter, aut ſubſequenter; cũ auditio Sacri nec multum temporis auferat, nec nimiũm fatiget. Si verò perſoluere Officium Canonicum antecedenter nõ potuit, & poſt Aſſertiones graui dolore capitis, aut corporis laſſitudine laboret, aut hæc damna ſibi imminere præſciat, ſi recitet Officium Canonicum, non tenebitur ad id ob dicta ſuperiùs. Ad Officium autem paruum Beatæ Mariæ non recitandum ab eo, qui ad illud tenetur, non facilè reperietur excuſatio legitima, cum adeò ſit breue, vt moleſtiam grauem nequeat afferre, nec multum temporis inſumere. Attamẽ, ſicut ægritudo etiam ab hoc Officio recitando excuſat, poſſet in Scholaſtico

sticoporè defensionem Assertionū ea lassitudo corporis, aut capitis dari, vt ab illo re citando eū excusaret. Sed valdè delicatulum censebo, qui legitimam ad hoc excusationem prætendat.

275 Quòd si quis Assertiones defenderet vespere, aut per integrum diē, ad quas spatium duodecim, aut viginti horarum ei fuisset designatum, nec potuisset recolere, ob temporis angustias, ea, quæ sufficerent ad eas defendendas, illum excusarem ab auditione Sacri eo die, si Festus esset, vt posset plus temporis in studio insumere. Etenim, etsi respectu aliarum Assertionum, ad quas tempus non adeò limitatur, breue tempus iudicetur, quod insumitur in auditione Sacri, & aditu ad tēplum, attamen in casu præsenti non est exiguum id tempus respectu limitationis horarum, quæ ad eas Assertiones recolendas conceduntur. Ceterùm, vt hæc resolutio subsistat, supponi debet, eiusmodi Scholasticum passurum fore detrimentum graue honoris, aut famæ, si doctū se non ostēdat; aliàs non erit caput, vnde excusetur ab adimpletione præceptorum; quæ tamen, vt præsibatū est, adimpleri, erit semper consulendum. Et sanè auditio Missæ fœlicius initium, & exitum parabit. Indeque viri timorati ad hæc litteraria exercitamenta etiam per confessionem Sacramentalem, et sumptionem Eucharistiæ, faustum sibi parant euentum.

276 Adhuc, solent Scholastici octidui, aut tridui tempore limitato, se ad Assertiones prēparare, quibus diebus videtur P. Thomas Sanchez *vbi suprà* etiam deobligare eos á recitatione Officij Canonici; non enim suam statuit conclusionem de ipso solo die, in quo defensurus est quis Assertiones, sed de illo tēpore, quo vacat studio illarū, ita vt plurimū illius interfit, tempus in studio impendere, vt doctum se manifestet, idemque docet de auditione Missæ; imò supponit deobligationem audiendi Missam, et à paritate exindè desumpta probat, non dari tunc obligationem recitandi.

277 Difficile est, id trahere ad praxim, nec absolutè, & in generali potest aut defendi, aut suaderi. Quippè vt vera sit hæc doctrina, debent duo concurrere; aliud, quòd Scholasticus ille iacturam grauem famæ, seu honoris sit passurus, si se doctum non præbeat, & conscium omniū difficultatum; aliud, quòd non se doctum sit præbiturus, nisi tantum temporis in studio, & meditatione quæstionum insumat, vt non supersit spatium, quo possit recitare Officium Canonicum, aut paruum, ac die Festo Missam audire, absque graui detrimento valetudinis, vel nimia corporis, seu capitis defatigatione. Quo sensu mihi suadeo, locutum fuisse P. Thomam Sanchez. Ex terminis autem liquet, non facilè ea duo concurrere; Quòd si verè ea simul dentur, tutò defendi potest deobligatio adimplendi prædicta præcepta.

278 Dicta in hac quæstione de Scholasticis rectè aptaueris Magistris, Professoribus, & Candidatis, dum se præparant, vt præsides sint publicarum Assertionum, vel lectionem oppositionis legant; Quibus id specialius est, quòd maior illis imminet iactura famæ, aut honoris, si se doctos non manifestent; & quòd maior est eis communiter labor, quàm Scholasticis in litterarijs Actibus.

Quæstio XXVII. Qui Scholastici, & quando excusentur à ieiunio?

279 PRAETERMITTO ea quæ circa ieiunium sunt omnibus communia, & causas, quę omnes generaliter ab obligatione ieiunandi excusant, vt ætas minor viginti vnum annorum, ægritudo, labor, necessitas, & his similia, de quibus latè Authores agentes de præceptis Ecclesiæ, & alij frequenter; nosq; satis de his attigimus, *tom. super Bull. Cruciat. disp. 3.* Quæ sunt ergo specialia Scholasticis, nunc propalabimus.

208 Scholastici præcisè propter Studium non excusantur á ieiunio diebus præcepti; quippè studio ieiunium non officit; imò proficit, nec is labor est, qui secum non compatiatur ieiunium. Quòd si quis multùm studendo sentiat eam lassitudinem, cum qua coniungere nequit ieiunium, ait Angles *in floribus 1. par. mat. de ieiun fol. 412.* & sequitur P. Thomas Sanchez *tom. 2. consil. mor. lib. 5. cap. 1. dub. 13. num. 8.* non excusari á ieiunio, sed debere minuere studij horas. Sententia quidem est consulenda; sed oppositа mihi est verior; quia ille vtitur iure suo, studendo; &, posito studio superuenit lassitudo, cū qua supponitur non posse coniungi ieiunium, nisi cum valetudinis dispendio; ergo nec tenetur ab studio cessare, & iuri suo cedere,

re, nec deinceps ieiunare. Quam rationem in similibus casibus tenui, & comprobaui *loco relato suprà in Bull. Cruciatæ.* Sic cum Ioanne Sanchez, Pasqualig. & Diana docet Leander de Sacramẽto *in quinq; præc. tract. 5. disp. 8. quæst. 121.* Vbi studium continuum per tototum diem, ait, esse causam sufficientem ad non ieiunandum, & non teneri Scholasticum abstinere ab studio, quod est munus suum.

281 Hinc à fortiori, qui ex necessitate plurimas horas studio impendit, vt Assertiones octiduo, triduo, aut vnico die præparandas defendat, si nimiùm lassetur, ac fatigetur, non tenetur ieiunare. Imò ipse P. Thomas Sanchez *vbi suprà*, tuetur, si quis sit ita debilis, vt ieiunãdo perdat totum Quadragesimæ studium, nõ teneri ad ieiunium; esset enim nimium dispendium, ac incommodum, cum quo Ecclesiastica præcepta non obligant.

282 Rursùs eo die, si sit ieiunij, in quo Scholasticus Assertiones mane, ac vespere defendit, non tenetur ieiunare; quia ille labor ex se nimiùm lassat, ac fatigat vires, nisi in defendẽdis Assertionibus ob imperitiẽ, aut tarditatem vix ille quidquam laboret. Cæterùm si solo mane, aut solo vespere defendat quis Assertiones, potest dubitari, an ad ieiunium teneatur, cum ex se non sit grauis labor, nisi ille dicendi feruore multùm lassaretur; aut integras horas, Præside tacente, ille impenderet explicationi suæ doctrinæ. Videndũ ergo est, an nimis defatigetur, necne. Præterea argumentari dum taxàt non excusabit à ieiunij obligatione, quia moderatus est labor, nisi casu quo quis in examine aliorum ad aliquem Gradum plurimum temporis insumeret arguendo, indeq; grauiter defatigarentur Leander *suprà quæst. 220.* cum Pasqualig. tuetur, Scholasticum habiturum lectionem examinis, aut disputationem publicam, non teneri ieiunare nec eo die, nec antecedenti, in quo datur initium maximi laboris requirentis totos illius conatus.

283 Circa modum in ieiunio obseruandum nihil speciale competit Scholasticis. Vnum hic aduertas, (etsi cõmune sit alijs famulantibus,) Scholasticos ministrantes mensæ dominorum non frangere ieiunium comedendo ex ijs, quæ de mensa tollunt, si statim post dominos suos sint pransuri, quia vnica reputatur comestio, quam incipiunt, dum ea comedunt. Ita cum doctis recentioribus tenet P. Th. Sanch. *tom. 2. consil. lib. 1. cap. 1. dub. 24. num. 3.* Alia de ieiunio vide suprà *lib. 2. quæst. 9.* Quæ etiam aptari possunt Scholasticis, proportione seruata.

Quæstio XXVIII. An, & quomodo obligent Scholasticos iuramenta, quæ emittere solent, non ludendi, & non mutuandi?

284 NON semel iam notaui, aliquas in præsenti vẽtilari quæstiones, quæ æquè pertinẽt ad alios, ac ad Scholasticos; at, quia frequentissimè circa hos occurrunt, quasi eorum speciales, exagito, vt ex his, quæ communiter Scholasticis accidũt, nihil in hoc tractatu desideretur. Igitur sæpè solent emittere iuramentum non ludendi, & de hoc in primis inquirimus, an, & quomodo eos obliget? Quæstionem tractant Authores loquentes de quolibet huiusmodi iuramentum emittente, ibique Scholastici etiam includuntur.

285 Vt sententias diuersas in hoc puncto componamus, præmittendum est, iuramentum non ludendi posse præstari ob vnum ex duobus finibus; Aliũ, vt quis vitet iurgia, discordias, iuramenta, & pecuniæ prodigalitatem; alium, vt tẽporis iacturã vitet, diuinis rebus, aut studijs vacet, vel vt ludi delectatione careat. Finis vterq; est honestus. Alius potest esse finis prauus, nempè non ludendi cũ hac, vel illa persona, aut in tali domo, in vindictam, seu signum maleuolẽtiæ; vel quia credat superstitiosè, omnia in ea domo, vel cum ea persona, seu in tali ludo sibi infœliciter euenire, & aduersario prosperè. His præmissis.

286 Assero primò, iuramentum non ludendi ob hunc vltimum finem appositum non esse obligatorium; quia iuramentum non debet assumi, vt fomentũ iniquitatis; fomentum autem est, iurare nõ ludere & ipsa ludi carentia ob vindictam, aut maleuolentiam. Prætere à nec est obligatorium, si iuretur ob illam credulitatem superstitiosam, nam abstinere à ludo tunc est superstitio; nequit autem super-

perstitio, nec vllum aliud peccaminosum esse materia iuramenti obligantis. Ita docent Sotus *de iustit. lib. 7. quæst. 1. art. 3. versu „ijs demum.* Bonacina *tom. 2. sum. disp. 4. puncto 4. num. 2.* P. Thom. Sanchez *lib. 3. in decalog. cap. 18. num. 9.* Nauarrus, & alij, quos refert, & sequitur P. Castro Palao *tom. 3. Operis mor. disp. 2. punct. 7. §. 1. num. 7.* Quòd si iuramentum non ludendi cum aliqua persona determinata emittatur, aut non ludendi in tali domo, eo quòd inde proueniāt discordiæ, aut interueniat occasio peccandi, obligatorium est iuramentum, dū perseueret occasio, cum sit de materia vtili, & honesta.

287 Assero secundò, si quis iuramentum non ludendi præstet ob finē honestum primum, quem suprà apposuimus, nempè ob vitandum iurgia, & prodigalitatem pecuniæ, obligatorium est partim, nempè obligat ad abstinendum à ludo immoderato; & partim non obligatoriam, quia non obligat ad abstinendum à ludo moderato. Et communiter præsumendum est, ob hunc finem iuramenta ea enuntiari, nisi expressè de alio fine iurātis constet. Sic arbitror debere intelligi Emanuelē Rodriguez *tom. 1. sum. cap. 189. num. 10.* Nauarrum, & alios asserentes, iuramentum non ludendi non esse obligatorium.

288 Conclusio suadetur; nam abstinentia à ludo immoderato est materia licita, & honesta, ac vtilis, ergo est materia iuramenti obligantis. Deinde, si de fine alio iurantis expressè non cōstet, censendum est, iuramentum solūm respicere ludum immoderatum, ac periculosum; etenim in his, ac similibus, iuxta *leg. Quidquid adstringendæ. ff. de verborum obligation.* debet ea fieri interpretatio, quæ minorem inducat obligationem; minor autem est, si solùm obliget illud iuramentum ad abstinendum à ludo immoderato.

289 Sed quis iudicetur immoderatus ludus? Respondeo, ludum immoderatum in hoc casu non esse mensurandum ex quantitate temporis, quæ in ludo insumitur, sed ex qualitate personarum, cū quibus est ludendum, aut ex quantitate pecuniæ, quæ ludo exponitur. Quippè, si illæ personæ sint valdè procliues ad rixas, & iurgia, soleantq; communiter occasionē præbere, vt dentur discordiæ, etiam si exigua quantitas exponatur ludo; censendus est ludus ille immoderatus, dummodò iuramentum fuerit præstitum ob finem vitandi rixas, & discordias. Si verò personæ sint modestæ, nullumq; ex ludo cum illis periculum rixarū prudēter timeri, queat, non est ludus immoderatus respectu, seu ratione habita ad personas.

290 Deinde, si ratione pecuniæ non prodigendæ illud iuramentum est factum, ludi immoderatio à pecuniæ quantitate inferenda est; Nam, si ingens quantitas exponatur ludo, quamuis breui tempore duret, iudicandus est ludus immoderatus; si autem exigua quantitas exponatur, ludus erit moderatus, etsi multū temporis in illo insumatur. Cæterùm attendenda est personarum qualitas, vt dignoscatur, quæ sit quātitas exigua, vel magna; nam respectu Equitis diuitis, ac nobilissimi, non est iudicanda ingens quātitas, si vno, vel altero die exponat ludo amittēda tria, vel quatuor scuta aurea; vt docet P. Castro Palao *vbi suprà num. 6.* Hæc autē quātitas in minùs diuite, & nobili ingēs erit cēsenda. Et in speciali, si Scholasticus emisisset iuramentū nō ludendi, vt iuramētum non frangeret per immoderationem ludi, nō posset vltra octo, aut decem drachmas in eo exponere amittendas, dummodò non esset diues valdè, & suppeditarentur illi à parentibus pecuniæ, quas in recreatione licita expenderet; Seruare tamē debent in cæteris quoad ludum Scholastici ea, quæ stabiliuimus *hoc libir. 3. quæstione. 19.*

291 Assero tertiò, si iuramentum non ludendi præstitum sit ob finem perfectiorem carendi ea recreatione, aut impendēdi tempus diuinis rebus, vel studijs, obligat etiam ad nō ludēdum eo ludo moderato. Quippè, quamuis ludus moderatus ratione temporis, & pecuniæ assumptus ob leuamen naturæ sit actus honestus, & virtutis Eutropeliç, vt docet D. Thom. *2. 2. q. 168. art. 2. in corpore;* at perfectior actus virtutis est, carere ea recreatione, ad mortificandum appetitum, & ad pœnitentiam peragendam, atq; ad impendendum tēpus in studio. Sicut matrimonium est honestum, & sanctum, & tamen iuramentū, ac votum non nubendi, & iuramentum seruandæ Castitatis obligatoria sunt; quia est perfectior actus seruare Castitatem, aut cælibatum. Hinc materia iuramenti obligatorij potest esse exclusio, & carentia alicuius actus virtutis, dūmodò sit actus perfectioris virtutis; quare, & si iuramentum non ludendi adhuc moderatè habeat pro materia carentiam ludi honesti, at ea ma-

teria

teria perfectior eſt, quàm honeſtus ludus; ſicut contingit in iuramento non nubendi aut Caſtitatis, quod habet pro materia carentiam matrimonij liciti, & honeſti, at ea carentia perfectior eſt in genere moris, quàm ipſum matrimonium. Sic docent Bonacina *vbi ſuprà*; P. Thomas Sanchez de matrim. *lib. 1. de ſponſalibus, diſp. 4. à n. 4. & lib. 3 ſum. cap. 18. à num. 2.*

292 Obſerua tamen primò, emiſſo iuramento abſtinendi etiam à ludo moderato ob fines prædictos, non peccare mortaliter eum, qui non vltra duas horas luderet; ea enim paruitas materiæ cenſetur reſpectu iacturæ temporis, quam iurãs intendit vitare. Sic P. Caſtro Palao *vbi ſuprà num. 6.*

293 Obſerua ſecundò, nec frangere iuramentum eũ, qui alij præbet pecunias, vt pro ipſo ludat, quamuis ipſe ludum aſpiciat. Etenim, quamuis ſequatur inde eadem temporis, & pecuniæ iactura, tamen obligatio iuramenti ſtrictè eſt interpretanda; &, cum id non comprehendatur ſub iuramento, etſi ibi ponatur aliquid contrarium fini iuramenti, non eſt extendenda obligatio. Sicut, ſi ipſe eam pecuniam in voluptatibus alijs impenderet prodigè, ſanè etiam ageret contra finem iuramenti non ludendi, qui finis eſſet non prodigere pecunias, tamen ea prodigalitate non peccaret contra iuramentum non ludendi, eo quòd ea materia non eſſet comprehenſa ſub iuramẽto. Et in fractione, ac violatione iuramenti, & voti, attenditur potiùs ad materiam, quàm ad finem. Sic contra Bonacinam tuetur P. Caſtro Palao *ſuprà num. 5.* & P. Thomas Sanchez *in Decalog. cap. 18. num. 7.* Qui etiam rectè docet, iurantem non ludere, poſſe adhuc pro altero ludere, quando finis iuramenti fuit, vitare iacturam propriæ pecuniæ; Imò etiam regulariter poſſe ludere pro altero, quando finis iuramẽti fuit, vitare iuramenta, maledictiones, iurgia, & diſcordias; quia hæc mala communiter oriuntur ex iactura pecuniæ propriæ, & non alienæ. Quod limita, niſi ludens ſuæ indolis conſcius agnoſcat, quocumque modo ludat, in ea mala deuenturum; aut ſi ludus ſit futurus pro amico, aut conſanguineo, cuius pecuniæ iactura ferè tantam, ac propria moleſtiam illi inferet.

294 Aliud etiam iuramentum ſolet eſſe frequens Scholaſticis, nempè nõ mutuandi veſtes, libros, aut pecunias. Dico igitur, hoc iuramentum non eſſe obligatoriũ, nec de re licita, & honeſta vt in plurimũ. Etenim mutuare eſt opus miſericordiæ, & charitatis erga proximum, & res conſilij; ergo abſtinere ab opere conſilij, miſericordiæ, & charitatis non eſt materia honeſta, nec apta iuramento, atque adeò nec ipſum iuramentũ poteſt eſſe obligatoriũ; ſicut idem dici ſolet de iuramento non fideiubendi, regulariter ſumpto. Ita docent Couarub. *de pactis, 1. p. §. 6. n. 7.* Abbas *in c. ſi verò, de iureiurando, n. 9.* Gutierr. *de iuramento. 1. p. c. 72. à n. 5.* P. Suarez *lib. 2. de iurament. cap. 17. n. 11.* P. Thomas Sanchez *lib. 4. de voto, cap. 9. n. 18.* Nauarr. & communis. Circa iuramentum non fideiubendi aliquas apponunt exceptiones, maximè in fideiuſſione prohibita Clericis conſtitutis in Sacris pro laicis; à quibus abſtineo, quia non attinet id ſpecialiter ad Scholaſticos, quibus non eſt frequens iuramentum non fideiubendi, cum vix vnquam pro fideiuſſoribus admittantur.

295 Doctrina de iuramento non mutuandi confirmatur. Nam, ſi ob finem iuramenti apponatur honor, & cultus Dei; ſanè illud in honorem, ac cultum Dei non cedit, cum ſit contrarium operi pietatis, & conſilij, imò aliquando & præcepti, cum in neceſſitate vrgẽte detur præceptum mutuandi, vt neceſſitati proximi ſuccurratur. Si autem præſtetur illud iuramentum ob vtilitatem honeſtam conferẽtis propria bona, quamuis hic ſit finis honeſtus, tamen eſt impeditiuus alterius finis honeſtioris; cum communiter, & præcipuè neceſſitate non leui proximi inſtante, maius bonum ſit, ei per mutuum ſubuenire; quàm vitare periculum aliquod iacturæ rerum mutuò traditarum; iuramẽtũ autẽ de materia, ac fine impedientibus maius bonũ, generaliter loquendo, non eſt obligatorium.

296 Dixi, *vt in plurimum, & generaliter loquendo* hoc iuramentum non eſſe de materia honeſta, nec obligatorium, nam aliquando obligat; ſi quis nempè in gratiam tertij illud emittit, vt ſi pater iuret non mutuare pecunias in gratiam filiorũ; acceptato namque hoc iuramento ab illis, obligatorium eſt; At ante acceptationem, quia ius non eſt filijs adquiſitum, nec præiudiciũ tertij iudicatur, donec ab illo res promiſſa, aut iurata acceptetur, eique ius adquiratur, poterit ille pro libito iuramentum reuocare. Ita cum Patre Suarez, & Patre Thoma Sanchez docet Pater Caſtro Palao *vbi ſuprà §. 2. n. 3.*

297 Potest adhuc iuramentum non mutuandi esse obligatorium, cũ scilicèt iurat quis nõ mutuare inconsideratè, & absque delectu. Quippè mutuare absque consideratione reducitur ad prodigalitatem, & nemo potest prodigus esse; quare id iuramentũ est de materia obligante. Sic tuentur Emanuel Rodriguez *2. tom. sum. capit. 94. numero 13.* Sotus *de iustit. libr. 7. quæst. 1. artic. 2. dub. 2.* Aragon *2. 2. quæst. 88. artic. 2. dub. 2.* Petrus de Ledesma *2. tom. sum. tract. 10. capit. 2. dub. 5.* Pater Thomas Sanchez *lib. 4. in Decalog. cap. 8. num. 18.*

Quæstio XXVIIII. Quando incurrant Scholastici irregularitatem ex iurgijs? Vbi de duellis.

299 QAMVIS hæc quæstio alijs ab Scholasticis æquè competat, at ob temporum calamitatem frequens esse solet in Academijs propter iurgia, quæ ad inuicem inter Scholares ipsos exoriuntur, & inter ipsos, ac ciues locorum, in quibus extant Academiæ; quare non fuit prætermittenda, cum plura dubia in his euentibus occurrere notauerim.

299 Igitur, quotiescumq; vnus alium occidit, aut eius membrum mutilat, incurrit irregularitatem; non verò, si id sit in necessariã vitæ, vel corporis sui defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ; vt habetur *in Clement. vnic. de homicidio.* Quando verò plures concurrunt simul, & qualecumq; auxilium præstant in rixis præfatis, quæ semper iniustæ sunt, si vnius sequatur occisio, aut mutilatio, omnes illi fiunt irregulares, nã omnes cẽsentur vna causa moralis illius dãni, esto vnus dumtaxàt causa physica illius fuerit. Sumitur hæc doctrina ex *cap. sicut dignum, §. vltim. de homicid. ex cap. quod in dubijs, de pœnis*; & aduertunt cõmuniter Interpretes *in cap. significasti 2. de homicid.* Plures q; alij Authores id ipsum docent, quos refert, & sequitur P. Layman *tom. 1. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 8. num. 3.*

300 Si quis occideret, aut mutilaret inuasorem innocentis, quem iniustè eum inuadere, sibi constaret, nec posset alia via liberare innocentem, nõ incurreret irregularitatem, quamuis Clericus esset. Quia ad hoc cogit lex charitatis, & non est homicidium spontaneum, vbi ea lex cogit, cum nõ sit defectus lenitatis ille actus pietatis; nec de Ecclesiæ mente est, vt quis fiat irregularis, ex eo quòd non peccet cõtra charitatem erga proximum, & legem naturalẽ seruet. Aliud est de Iudice, & carnifice, qui adhuc iustè cooperãtur, ille sententia, hic manu ad occisionem, quia licèt eos obliget lex iustitiæ, tamẽ id est ex suppositione muneris, & officij voluntariè accepti; vndè nõ obligat eos lex per se, & similiter, sicut non obligat alios, qui eo munere, & officio non funguntur; sed ex hypotesi acceptionis voluntariæ muneris; vnde ex defectu lenitatis irregulari tatem cõtrahunt, attamẽ absq; culpa, quæ non semper intercedit, dum irregularitas contrahitur. Doctrinam superiorem defendunt cõtra Caieranum, & Nauarrũ, Sylvester verbo *bellum 2. quæst. 2.* P. Auila *de censur. disp. 5. sect. 3. dub. 4.* P. Molina *de iustit. tom. 1. tract. 2. disp. 107.* & plures alij. Hic obserua, in præsẽti quæstione à me vsurpari defectum lenitatis genericè, & non pro eo, qui reperitur in Ministris Iustitiæ, ratione cuius appellatur eorum irregularitas specialiter *ex defectu lenitatis.* Cæterùm vbi hic datur etiam in alijs, qui non sunt Ministri Iustitiæ, inducit irregularitatem.

301 Scholastici, qui, vt defendant res suas, quando iniustè inuaduntur ab aliquibus sceleratis Scholaribus, titulò exactionis faciendæ à tyronibus, vulgò *patente*, etiã si vi eas velint rapere, aliquem illorũ occidunt, vel mutilant; seu quomodocumque inuadantur, id homicidium, aut mutilationem faciunt, incurrũt irregularitatẽ. Ita indicatur *in cap. suscepimus, de homic.* ibi; *Quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturã, quã pro conseruandis vilibus, & transitorijs rebus tã acriter in alios exardescere.* Ex quibus verbis depromitur probatio asserti; quippè defectus lenitatis datur in prædictis, iuxta huius capitis sententiã; at vbi datur defectus lenitatis in occisione, vel mutilatione, irregularitas incurritur, ergo illi fiunt irregulares. Ideò enim in defensionem propriæ vitæ occidere, aut mutilare non est defectus lenitatis, quia est maxima, & naturæ conformissima vitę defendẽdæ necessitas; hæc autẽ multò minor est ad res proprias defendendas. Quare in Glossa eius capitis asseritur; *Irregularis factus est, quia potiùs debuit dimittere sua, quàm interficere.*

Hinc.

302 Hinc etiam pariter fieret irregularis, qui ob defendendum proprium honorem, aut famam, occideret, vel mutilaret; veluti si quis inuaderetur, & fuga declinare posset mortem, attamē id indecorum sibi iudicaret. Etenim, licèt fama, & honor sint superioris ordinis, quàm diuitiæ, rationes verò nuper factæ, & probatio deducta ex verbis *capitis, suscepimus*, eodē modo hic militant, cum defectus lenitatis detur in occidente, vel mutilante ob defendendum honorem, cum esset conformius Christianæ lenitati, mansuetudini, ac parientiæ, honoris iacturā facere, quàm in alios tam acriter exardescere. Vtramq; propositionem contra Couarrubias, Petrum Nauarra, Castro, & P. Suarium, tuētur Sylvester *verbo homicidium. 2. quæst. 16.* D. Anton. *3. p. tit. 4. c. 3. §. 2.* Nauarr. Armilla. Gutierr. P. Henriq. Molina, Auila, & alij, quos citat, & sectatur. P. Layman *vbi suprà, cap. 9.* Item Canonistæ *in capit. 2. de homicid.* & Abbas *in cap. olim 1. de restitut. spoliator.* Id ipsum obseruat Curiæ Romanæ stylus, qui ius facit, iuxta *capit. ex litteris, de constitu. cap. quàm graui, de crimine falsi.*

303 Cæterùm non peccat, qui nō potens alio modo defendere suum honorem, alium occidit, aut mutilat. Verùm non facilè quis sibi persuadere debet, suum honorem periclitari; nam quem amittat honorem Scholasticus, si inuasus ab alo fugiat? Aut cui hoc indecorum videatur? An viris cordatis, & prudentibus, penes quorum existimationem honor præcipuè est pensandus? Sanè censebunt hi, Scholarium munus esse, litteras, & libros euoluere, non enses; rectèque se habuisse eum, qui ab inuasore fugit, ne periculo vitæ suæ, aut alterius exponeretur. Quòd autem alij adolescentuli, quorum prudentia non superat annos, arbitrentur, fuisse indecoram fugam, nihil profectò refert, nec honorem fugientis minuit.

304 In irregularitate ex homicidio voluntario, etiam proueniente ex delicto, solus Pontifex dispensare valet; in ea verò, quæ ex mutilatione oritur, si ex delicto occulto proueniat, & non sit deducta ad forum contentiosum, potest Episcopus dispensare, vt statutur in Trident. *sess. 24. c. 6. de reformat.* Per Bullam Cruciatæ nequit hæc irregularitas tolli, imò nulla, quæ sit purè inhabilitas, aut pœna, & inhabilitas simul; adhuc in sententia minùs probabili, tuente, posse virtute Bullæ absolui ab aliquibus irregularitatibus, quas defendit esse censuras; eæ enim sunt, quæ habent rationem puræ pœnæ. Latè de hoc egi *tom. in Bull. Cruciat. disp. 25. à. num. 7.* vbi retuli Authores vtriusque sententiæ, & latiùs *à num. 182.*

305 De irregularitate proueniente ex homicidio casuali, & ex bello, alijsque similibus, & de his, quibus priuatur irregularis, alijsque huiusmodi dubijs, videantur Authores suprà citati, & omnes Summistæ verbo *Irregularitas*, necnon Bonacina, Gaspar Hurtado, Machado, Diana, Pater Thomas Sanchez, Sotus, Trullench, Antonius Gomez in locis, quę refero *vbi suprà in Bullam Cruciatæ, & disputatione 10. ibidem*; necnon Pater Giballinus *in tract. de irregularitate.*

306 Non est etiam infrequēs Scholasticis ad duellum, seu ad pugnam singularem ex condicto progredi. Quare breuiter proponendum est, postquam Tridētinum *sess. 25. cap. 19. de reform.* tulit sententiam excommunicationis contra dominos locorum, qui in suis ditionibus duellum permittunt, & contra ipsos concertantes, patrinos, auxiliatores, & spectatores; quæ censura contra duella publica est lata; postmodùm verò Gregorium XIII. in Motu proprio, qui incipit *Ad tollendam*, & Clementem VIII. in Bulla, quæ incipit; *Illius vices*, Concilij pœnas extendisse ad duella priuata, & absolutionem reseruasse Sedi Apostolicæ. Quare eam excommunicationem incurrunt, qui nulla alia adhibita solemnitate ad pugnam ex condicto accedunt, certo tempore, & loco. Attamen ait Pater Layman *vbi suprà cap. 5. num. 4.* videri excusandos ab hac censura Germanos, alioſque Septemtrionales ad priuata duella accedentes, vel ob ignorantiam, vel quia præfatæ Pontificū Constitutiones ibi non sunt promulgatæ, & in vsum deductæ.

307 Itaq; pugnantes, auxiliatores, patrini, et spectatores in hisduellis adhuc priuatis incurrunt prædictam excommunicationem; Ita docent P. Thom. Sanchez *lib. 2. summæ, cap. 39. num. 28.* P. Martinus del Rio *lib. 4. disquisit. magic. cap. 4. q. 4. sect. 2. num. 26.* Sed obseruādum est, ipsos, qui ex condicto pugnaturi sunt, quamuis ad locum designatum exeāt, si de facto nō pugnēt, non incurrere eam censurā; quæ, vtpotè odiosa, non est amplianda, sed restringēda, et, cum feratur in pugnātes, nō

est extendenda ad eos, qui non pugnant, esto pugnaturi ad locum accesserint. At patrini, & auxiliatores, etiam si illi non pugnent, excommunicationem incurrunt, quia iam expleuerunt munus suum; & cõtra suscipientes munus auxiliandi, & patrocinandi censura est lata.

308 De spectatoribus maius potest esse dubium. Et in primis, si quis casu illàc transiret, & pugnantes spectaret, non incurreret censuram, quæ restringenda est ad eos, qui ex cõsilio ad spectandum duellum exeunt. Quare censeo, sufficere, si ad id exeant, etiã si illi non pugnent, cum ex se iam posuerint totam culpam, propter quam excommunicatio fertur. Non tamen eã contrahunt, qui exeũt, vt pugnatores amicent, aut pugnam impediant; Nec illi, qui è domibus suis possẽt eos spectare ex fenestris, aut ianuis Etenim ea est mens Pontificum, vt hæc duella non approbentur, nec auxilium eis præstetur; spectatores autem, qui à consilio, & data opera eunt, vt videant pugnantes, quasi approbatores sunt duelli; non verò, qui spectant, vel casu, vel è domo sua.

309 Ab hac excommunicatione adhuc si publica sit, virtute Bullæ Cruciatæ potest quilibet Cõfessarius approbatus absoluere semel in vita (scilicèt in vno anno, quo durat Bulla; & semel in anno sequenti virtute alterius Bullæ) & semel in articulo mortis, in locis, vbi Bulla valet; & bis in vita, seu eodẽ anno, & bis in duplici articulo mortis virtute duplicis Bullæ, quæ quolibet anno sumi potest; vt cõstat ex tenore ipsius. Si autem occulta sit excõmunicatio, toties, quoties potest ab illa eiusdẽ Bullæ vigore absoluere, sicut potest Episcopus, vt docui *tom. in Bull. Cruciat. disp. 25. num. 40.*

310 Possunt etiã ab ea absoluere per sua priuilegia Cõfessarij Ordinũ Mendicãtium etiam post Clementis VIII. Bullam circa duella, vt ipse Clemens declarauit. Ita docẽt Reginald *in praxi lib. 21. n. 83. in volumine posteriori.* Paul. Comitolus *lib. 6. moral. q. 17.* Filiucius *tom. 1 tr. 5. de cẽs. c. 5. n. 106.* & alij cõmuniter. Excipiuntur tamen Confessarij tam Regulares, quàm sæculares degentes in Italia extra Vrbẽ, quibus ablata est facultas absoluendi à casibus reseruatis tum Sedi Apostolicæ, tum Ordinarijs locorum per Decretum Congregationis Cardinalium editum de mandato Clementis VIII. quod extat *in summa Bullarij apud Marantam, verbo, casus reseruatus, fol. 299.* & refertur à P. Layman *vbi suprà. eo cap. 5. num. vltimo.*

311 Tam ab excõmunicatione prædicta, quàm ab alijs, potest quis à Cõfessario absolui extra forum Sacramentale pœnitentiæ, intra fotũ tamen conscientiæ. Ita stabiliui *tom. in Bull. Cruc. d sp. 25. à n. 167.* Monendus est tamen pœnitens absolutus extra forum pœnitentiæ, non manere absolutũ à culpa, propter quam incidit in excõmunicationẽ, atq; adeò debere, illã confiteri, cum primũ ad Sacramẽtũ accedat. Sic enim occurretur ignorantiæ, qua sic absoluti existimant, non teneri ad propalandã in Confessione iterũ eiusmodi culpam. Ibidẽ etiam *cap. 17. & sequenti*, tractaui de absolutione ab excõmunicatione respectu absentis, aut inuiti, vel ignorantis. Ibi hęc possunt videri.

312 Ex homicidio, vel mutilatione patrata non in duello, sed in alia rixa, oritur obligatio compensandi damnũ, de quo latè Authores tractantes de iustitia, & iure, vbi disputant de iniusta læsione corporis. Summariè assero, iniquum aggressorẽ teneri præstare omnia impendia, quæ facta fuerint in curatione vulnerati, iuxta *c. 1. de iniurijs; leg. qua actione, ff. ad leg. Aquiliam; leg. vlt. ff. de his, qui deiecerunt, vel effuderunt.* Deinde vulnerato artifici debet restitui æstimatio operum, quibus caruit, aut carituras est, si inutilis reddatur; deductis tamen expẽsis, quas ille ad lucrũ feciſſet. Ita Abbas *in cap. 1. de iniur.* & communis.

312 Ante iudicis sententiam, pro deformitate cicatricis, aut membri, aut pro vita alteri ablata, secundum se nulla cõpensatio debetur. Ita contra aliquos, Iu reconsulti *in leg. vlt. nuper citata;* Glossa *in c. 1. de iniur.* P. Vazquez *in moral. de restit. c. 2. §. 3. dub.* Nauarrus Petrus Nauarra, Antinius Gom. P. Lessius, & alij, quos refert, & sequitur P. Layman *vbi suprà, cap. 6. n. 6.* Consonant *lex vltima relata & lex 1. §. sed cum homo, ff. de his, qui effuderunt, &c.* vbi asseritur. *In homine libero nulla corporis æstimatio fieri potest.* Vnde nec sumptus funebres veniunt in restitutionem, nisi fiant maiores occasione necis, vt si quis alium extra ipsius patriam occidit. Sic Pater Molina *de iust. disput. 83. numero 1.* Pater Azor *tom. 3. institutionum moralium, libro 5. capit. 3. quæstione 5.* & alij cõtra Nauarrum.

314 Damnum verò, quod ex hominis occisione prouenit per se omnibus perso-

personis, quæ habebant ius legale petendi alimenta à defuncto, debet restitui; imò si ob mortis accelerationem minuatur hæreditas necessarijs hæredibus, compensatio damni eis facienda est, nisi percussus condonauerit; vt docet ex communi Abbas *in cap. 1. de iniur.* P. Molin. *de iustit. tract. 3. disp. 2. & 83.* Antonius Gomez, Nauarrus, Lessius, & alij. Damnum autem per accidens proueniens alijs consanguineis, aut clientibus non est restituēdum, cum ex iustitia nihil eis debuerit defunctus Ita Sotus *de iustit. libr. 4. quæst. 6. art. 3. circa tertium argumentum;* P. Vazquez, Petrus Nauarra, Lopez, alijque plures. In praxi non obseruatur, creditoribus defuncti damnum esse resarciendum, & sic contra plures censent Salon, Lessius, & alij,

315 Sed obseruanda sunt omnino aliqua. Primò, ex homicidio, aut vulnere in duello contingente nullam oriri obligationem restituendi. Ita P. Molina *supra disp. 82.* cum alijs; nam, vt oriatur ea obligatio, necessum est, contra iustitiam quem deliquisse, iniuriam inferendo; at ad duellum conuenitur ex consensu, & volenti, ac consentienti nulla fit iniuria. Secundò, eum, qui prouocatus ab alio, vulnerauit illum, non teneri ad vllā restitutionem; quia prouocans, quantum ex se est, censetur fecisse potestatē inferēdi damni. Sic P. Rebellus *de obligation. iustit. part. 1. lib. 3. quæst. 13.* Bañez. P. Lessius, P. Azor, alijque non pauci. Tertiò. si percussor etiā euadat percussus ab illo, quem iniustè inuadit, non habet ius, vt ab eo quidquam petat, nec is tenetur aliquid restituere, nisi excedat moderamen inculpatæ tutelæ, qua limitatione etiam restringenda est obseruatio secunda nuper posita. Ita cum pluribus Pater Layman *vbi supra cap. 6. num. 5.* Demùm, si culpa per errorem imputetur alteri, qui non fuit homicida, nec percussor, dummodò homicida id per se non intenderit, aut causam falsæ suspicionis dederit, verbi gratia, vtens gladio alterius, non tenetur ad restituenda damna illi, cui imputatur; esto præuiderit antecedenter, alteri fuisse imputandum homicidium; nam hic euentus & per accidens est, & valdè fortuitus, quare culpæ homicidæ non est imputandus; vt docet Pater Molina *de iust. tract. 3. disp. 86. numero 3.* Imò idem sentit Pater Lessius *de iustit. libr. 2. capit. 9.* quamuis homicida intenderit, vt culpa alteri imputaretur, si actio ipsa ad id causam non præbeat; cum tunc non detur actio iniuriosa respectu tertij, in qua delinquatur contra iustitiam, & intentio sola non constituat actionem iniustam, si ipsa in se iniuriosa non sit.

Quæstio XXX. Quomodo incurratur irregularitas in dubio homicidij? Vbi fit interpretatio ad aliquos Textus Iuris Canonici.

316 QVIA de irregularitate, quæ ex homicidio contrahitur, locuti sumus *quæstione præcedente*, oportet, hanc superaddere, vt pleniùs dubia occurrentia decidantur. Igitur nihil communius, & vulgatius est, quàm contrahi irregularitatē ex homicidio dubio; quod communiter probatur *ex cap. ad audientiam, cap. significasti 2. de homicidio.* Ex quibus deducunt aliqui Authores, in dubijs tutiorem partem esse eligendam, vt P. Vazq. *1. 2. disp. 65. cap. 3.* & alij, quos refert P. Thom. Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 10.* Et loquentes de hac irregularitate quidam Authores absolutè affirmāt, eam contrahi tam in foro interno, quàm externo, sed id esse speciale in homicidio, & non esse extendendum ad alios casus; alij verò tuentur, decisiones prædictorum Iurium solùm esse pro foro externo.

316 Vt autem veram interpretationem his Iuribus tradamus, distinguendum est inter dubia, quę circa homicidium exoriri valent. Quippè vel dubium est, an quis verè dederit causam homicidio, percutiendo, aut ad percussionem moraliter iuuando? vel est, an posita percussione, vel iuuamine vt certis, secutum exinde fuerit homicidium? seu, vt alijs terminis rem explicem, dubitatio potest esse circa causam, vel circa effectū; & nō eodē modo loquēdū est in vtroq; casu.

317 Quare assertio sit, in dubio causæ homicidij, seu in dubio, an quis dederit causam ei per vulnerationem, iuuamen, aut negligentiam culpabilem, non incurri irregularitatem; & in hoc casu non loqui Iura prædicta; in dubio autem effectus homicidij, posita causa vt certa, seu

in dubio, an ex percussione, iuuamine, aut negligentia certis, homicidium sit secutum, irregularitatem cõtrahi, & de hoc dubio intelligendas esse decisiones præfatorum textuum. Ita docent Angelus Bossius *de Conscient. part. 2. tit. 1 num. 1353.* P. Gibalinus *de irregularitate, cap. 4. num. 24.* Barbosa, Ioannes Sanchez, Bonacina, Portel, Villalobos, P. Suarez, Enriquez, Thomas Sanchez, Fragosus, Layman, Fagundez, Filiucius, Baldellus, Castro Palao, Rodericus de Arriaga, & alij plures, quos referunt, & sequuntur Diana *part. 3. tract. 5, resol. 72.* Bossius, & Gibalinus *vbi suprà.*

318 Probatur, supponendo, irregularitatem vtpotè iure positiuo introductam nunquam incurri, nisi in Iure exprimatur. Igitur irregularitas propter homicidium dubium continetur in prædictis textibus, iuxta quorum mentem sunt exponenda quæcumque alia Iura de hac irregularitate loquentia; At in his Textibus sermo est de illis, qui culpam, aut negligentiam culpabilem habuisse videntur circa homicidium, ex qua culpa, aut negligentia dubitabatur, an sequuta fuerit mors, quæ realiter post illam culpam, aut negligentiam contingit; & nullus est sermo in prædictis capitibus de casu, in quo dubitabatur de culpa, seu de causa homicidij; ergo irregularitas propter homicidiũ dubium non incurritur in dubio de causa illius, aut cum dubitatur, an quis percusserit, iuuerit, aut culpabiliter negligens fuerit; sed in dubio de effectu, seu in dubio, an, posita certè, & realiter percussione, iuuamine, aut negligentia, secuta fuerit ex illis mors. Etenim, & si mors sequatur post vulnus, aut aliam similem causam, potest non oriri ab illis, & inde dubitari, vtrùm vulnerans fuerit causa eius homicidij? Exempli gratia; Vulnerasti Petrum, & in vulneris curatione fuit negligens chirurgus; aut ipse Petrus non vocauit chirurgum, qui ei mederetur, vel non vocauit tempore opportuno; aut post vulnus peregit aliquid valdè pernicioſum valetudini; Mortuus tandem est; dubitatur, an ex vulnere, an ex aliqua ex prædictis causis, aut ex alijs, quæ contingere queunt, vt si aliquis illi post vulnus inflixisset aliud vulnus, aut potum pernicioſum ministrasset; Eo casu incurritur irregularitas, quia certa est tua percussio, dubium autẽ homicidium; & dubium versatur circa effectum, non circa causam. Idem est, si tibi constat de vulnere inflicto alicui, quem posteà non inueneris vllibi, & dubitas, num mortuus ex vulnere fuerit, quin valeas dubium deponere.

319 Certa autem culpa non debet esse certitudine omnimoda, nam ad forum externum sufficit probabiliter præsumpta; tunc enim reo incumbit opponere exceptionem, & probare, se non percussisse, nec iuuasse, nec vllam causam dedisse homicidio. Ex ipsis Iuribus relatis tota doctrina constat, nam *in cap. significasti, 2. de homicidio*, ait Pontifex; *Quòd si discerni non possit, ex cuius ictu percussus interijt, in hoc dubio, tamquam homicida, debet haberi Sacerdos.* Et infrà; *Etiam si causa defensionis percussisset, sine tamen moderamine inculpatæ tutelæ, non videri Sacerdotem à pœna homicidij penitùs excusari.* Ecce Pontifex non dubitat de percussione, sed supponens hãc causam, dubitat, an ex ictu certo, aut probabiliter præsumpto huius vel illius homo interierit, & hoc quoad præsens homicidium dubium appellat, & percussores dicit homicidas dubios esse, seu tamquam homicidas, eisque pœnam irregularitatis infligit.

320 Hæc doctrina confirmatur, quia saluatur in ea, non infligi pœnam nisi culpæ certæ, aut satis præsumptæ, dum exceptio non opponitur. Durum quippè esset, pœnam adeò grauem decerni pro delicto dubio; posita autem culpa vt certa, quamuis dubitetur de effectu culpæ, pœna iustè decernitur. Nec obstat, indè fieri, eamdem pœnam infligi debere propter præfatam culpam, quamuis non sequeretur mors, cum culpa esset eadem, & culpa nõ sit in effectu, sed in causa. Etenim in his, quæ à iure positiuo dependent, nõ sit rectè paritas, si respectu vnius sit ius stabilitum, non respectu alterius; nec ab vno ad aliud debet fieri extensio in odiosis. Præterea, si quis animo occidendi Petrum, eum absque mutilatione vulnerasset, non fieret irregularis; & tamen culpa interna omnino est eadem, ac si de facto occidisset. Et rectè sic cautum est à Iure, nã effectus externi sunt, qui nobis indicant manifestiùs defectum lenitatis, propter quem irregularitas statuitur; magis autem manifestatur lenitatis defectus externè per occisionẽ secutã, quàm per solã percussionem. Rursus, cum actiones externæ etiam sint malæ, malitia participata ab actione interna, suppositа hac, & superaddita morte, quæ quasi moraliter con-

coniungitur cum percuſſione, & cum interno affectu peccaminoſo, reſultat maior malitia, prout includit actũ internũ, & externum malũ; ſeu prout includit maiorem malitiam vel internam, vel participatam; indeque iuſtè decernitur pro ea maiori malitia pœna, quæ non infligitur, cum malitia ſimul ſumpta non eſt adeò grauis. Demùm, cum Eccleſia non iudicet de internis, ſeu de occultis, non mirum, quòd pœnam irregularitatis non infligat animo interno occidendi, ſi occiſio non ſequatur; ſi cut è conuerſo, ſi occiſio ſequatur, quamuis quis non habuiſſet animum occidẽdi, ſed infligendi dumtaxàt vulnus non lethale, pœnam infligit propriam homicidij.

321 Doctrina ſuperior adhuc ampliùs confirmatur, quia cum ea cõponitur ea regula communis, quę tradi ſo let, nempè in dubijs meliorem eſſe conditionem poſſidẽtis; Quippè, ſi quis dubitet, aut ſi exteriùs dubitetur, vtrùm patrauerit homicidium, ſeu cauſam illi appoſuerit, poſſeſſio ſtat pro libertate illius, ne obligetur ad pœnam externam ſubeundam, dum præſumptio contrarię parti non ampliùs faueat. Si autem conſtat de percuſſione, aut cauſa data, vel probabiliter præſumitur, quin reus per exceptionem oppoſitam ſe defẽdat, & dubitatur, an exindè mors fuerit ſecuta, poſſeſſio non ſtat pro libertate, ne obligetur ad pœnam, ſeu vt liber maneat à pœna; ſed potiùs ſtat poſſeſſio pro lege obligante ad ſubeundam pœnam, quæ pro arbitrio recto legislatoris impoſita eſt ei culpæ. Cum autem percuſſioni, aut cauſæ ſimili, ſi ſequatur mors, quamuis dubitetur, an ex ea percuſſione, aut cauſa ſecuta fuerit, ſit appoſita à Pontifice pœna irregularitatis, fit, obligari percuſſorem ad illã ſuſtinendam. Ecce ergo doctrina tradita circa dubium homicidium explicatum de dubio effectus, non de dubio cauſę, componitur rectè cum hac regula communi; & cum illo principio, quòd niſi pro culpa certa non eſt apponenda pœna grauiſſima; & aliundè id ſatis indicant verba Pontificis allata; quare in hoc ſenſu ea Iura ſunt interpretanda.

322 Vt verò firmior doctrina maneat, inſiſtendum eſt explicationi regulæ prædictæ; *In dubijs melior eſt cõditio poſſidentis*; Quam in materia iuſtiriæ communis ſententia admittit vt certam, niſi alia fortè ſit in cõtrarium cauſa poſſeſſione potentior; Extendendamque eſſe hanc regulam ad materiam aliarum virtutum, defendunt P. Thom. Sanchez *vbi ſuprà*; P. Suarez *de Relig. lib. 4. de vot. cap. 5.* Bonacina, & alij. Igitur poſſeſſio in materia iuſtitiæ eſt habere quem aliquid vt ſuum, tamquam potentem diſponere de ipſo ſine peccato iniuſtitiæ. Poſſidere verò in materia aliarũ virtutũ eſt, habere libertatem à lege, qua ſe gerat vt exemptum à lege, & potentem abſque peccato contra illam operari. Et è contra poſſeſſio legis ſtat in hoc, quòd homo ſe gerat vt ſubditum illius, & impotentem operari licitè contra illam.

323 Hinc non ſolùm in materia iuſtitiæ, verùm & cuiuſuis alterius virtutis (ad virtutem autem aliquam omnes leges reducuntur) poſſidentis eſt melior cõditio, quando præſumptio non fauet ampliùs parti contrariæ. Etenim ſuam libertatem poſſidens habet facultatem ex natura ſua operatiuam, vbi lex non prohibet; ſicut rem vt ſuam poſſidens habet facultatẽ diſponendi de ea, vbi cauſa potentior non reſiſtit: ergò, ſicut in materia iuſtitię in dubijs melior eſt conditio poſſidentis rem; ita & in materia aliarum virtutum melior eſt conditio poſſidentis libertatem, & exemptionem à lege; & præſumptio ſtat pro eo, dum oppoſitum non probetur, aut ſaltem vrgentior præſumptio non ſit pro parte contraria; Nec facilè vllum diſcrimen præſtabitur inter materiam iuſtitiæ, & materiã aliarum virtutum, dummodò quis ita ſuam libertatem ad operandum poſſideat, vt vehemẽtior præſumptio non ſtet pro lege prohibente operationem.

324 Tunc autem dignoſcetur, pro quo ſtet vrgentior præſumptio, ſi onus probandi vni parti non incumbat, ſed alteri; Ea enim pars, cui illud onus non incumbit, præſumitur vehementiùs poſſeſſionem habere. Vndè, quando dubitatur de lege, non incumbit homini onus probãdi ſuam libertatem, ſed legi incumbit id onus probandi ſuam promulgationem, & vim obligãdi; ſicut in materia iuſtitiæ poſſidenti non incumbit probare, rem eſſe ipſius. Quod in caſu communi cernere eſt; nam, ſi die Vigiliæ quis dubitet, an duodecima hora noctis ſonuerit, & dies alius inceperit, poſſeſſio ſtat pro lege obligante ad non edendum carnes, nec poterit ille edere, niſi probet, finitum eſſe tempus obligationis, & iam ſonuiſſe duodecimam horam; quare onus probandi ei incumbit, vtpotè vt poſſeſſi à lege, & non poſſidẽtis libertatem operandi. E contra ſi die ante vi

giliam

giliam dubitet de hora noctis, (& supponimus, dubium debere esse rationabile, & æquale ex vtraque parte, quin sit ratio ex vi præcisa dubij adhærendi potiùs vni parti, quàm alteri) poterit vesci carnibus, quia, cum ipse libertatem operandi possideat, non ei incumbit onus illam probandi, sed legi prohibenti carnes incumbit probare, nõ dari eam libertatem, sed iam eum subditum esse legi. Vndè vrgentior præsumptio in primo casu stat pro lege obligante; in secundo pro possidente suam libertatẽ. Quòd si dubium ex vtraque parte non sit æquale, vrgentior præsumptio stabit pro ea parte, pro qua minus, ac debilius est dubium, & tunc si pars opposita sit possidens, adhuc non habebit meliorem conditionẽ, sed incumbet ei probare, recto iure possidere suam libertatem, & exemptionem à lege; quòd si non probet, fauet legi contra illum præsumptio.

325 Opponitur huic doctrinæ P. Vazquez vbi suprà vtens alia regula, nempè *In dubijs tutior pars est eligenda*, plura exempla in probationem afferens. Sed nec hæc regula opponitur primæ, nec nostræ explicationi. Nam respondeo, in dubijs tunc esse tutiorem partem eligendam, quãdo debet præcaueri aliquod maius malum, quod tunc timetur, & eo casu possessionem non esse pro libertate; vnde componitur, in dubijs esse meliorem conditionem possidentis, & simul tutiorem partem esse eligendam, non quidem vniuersaliter, sed in euentu prędicto.

326 Explico rem. In dubio existentiæ legis, nõ cẽsenda est tutior pars, implere legem dubiam, ex obligatione seruandi illam; nam tutior est pręsumptio pro libertate, & tutius est, credere, nullam dari obligationem, ac proinde operari, quod quisque liberè maluerit. Dices, debere præcaueri malum violationis legis, cuius periculo se quis tunc exponit. Respondeo, violationem illam fore materialem, quæ non est maius malum; seu carẽtia eius violationis non est magis bona, quàm vsus expeditus libertatis. At, si dubium tale esset, vt tunc timeretur, sequendum fore homicidium, aut quid simile, non posset quis liberè operari partem, quam mallet, nam deberet præcauere illud malum, quod est maius, quam malum carendi libertate ad operandum pro placito; quippè homicidiũ adhuc dubium minùs conueniens est naturæ humanæ, & eius inclinationi naturali, quàm libertas licitè agendi, quod maluerit in eo euentu. Est enim contrarium humanitati, & propensioni hominis ad benefaciendum, & non nocendum alteri, nõ cauere homicidium, & periculum, ac nocumentum, quod est grauissimum malum. Hinc in hoc euentu non stat possessio pro libertate, & tutior pars eligenda est, & saluantur omnia principia posita, quæ inter se rectè consonant.

327 Opponit pæterea P. Vazquez textus suprà positos de irregularitate incurrenda propter homicidium dubium, quod indè prouenire ait, quia in dubijs tutior pars est eligenda. Sed iam eos textus interpretati sumus de homicidio dubio non ratione causæ dubiæ, cũ tunc stet possessio pro libertate, & accedant cęteræ rationes factæ; sed de dubio ratione affectus, cum tunc stet possessio pro lege.

328 Opponit rursùs, peccata dubia esse cõfitẽda, quia est tutior pars, licet possessio stet pro innocentia. Respondeo, reuerentiam sacræ Eucharistię exigere summam munditiem animę, ideòque exigi confessionem etiam peccati dubij, & quidem homini incumbit onus probandi munditiem ab illis peccatis, atque adeò non esse pro illo possessionem respectu Sacramenti. Et vlteriùs Confessio instituta est etiam in medicinam, quæ adhibẽda est, nõ solùm cum vulnus lethale est certum, sed cum est dubium. Toti doctrinæ in hac quæstione stabilitę suffragatur Pater Antonius Perez *tractat. de restit. disp. 2. c. 4.* Et ex principijs positis plures resolutiones ad casus speciales inferri queunt.

Quæstio XXXI. An, & qui Scholastici, & Academici delinquentes gaudeant asylo, seu iure immunitatis Ecclesijs concesso?

329 REIS confugientibus ad Ecclesiam immunitas, seu asylum, ne possint à Iudicibus extrahi, concessum, & confirmatum est per Canonica statuta, & per leges Imperatorias; *cap. inter alia, de immunitat. Eccles. cap. id constituimus, cap. sicut antiquitùs, cap. Reum, cap. si quis contumax, cap. definiuit, 17. quæst. 4. cap. eos, qui, dist. 87. & titulo, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt; & Authentica, de mandatis Principũ, §. sed nec homicidis.*

Hac

330 Hac immunitate gaudent templa, & ſacella cum Epiſcopi authoritate deputata diuinis Officijs, non verò Oratoria, quæ priuatæ perſonæ in ſuis ædibus habent cum facultate, vt in eis Miſſa celebretur, vt cum communi docet P. Thom. Sanchez *lib. 9 de matrim. diſp. 15 num. 39.* Eaque immunitas his locis conceditur, quamuis ſint interdicta, polluta, aut violata, & nondum reconciliata, ac quamuis in eis diuina Officia non cæperint celebrari. Ita Sylueſter *verbo, immunitas 1 q. 1. cum alijs.* Præterea immunitas extenditur ad cæmeteria, & ad Sacriſtiam, porticum, atrium, Eccleſiæ adhærentia; nam iuxta *l. 44. ff. de rei vind. actione: Quæ religioſis adhærent, religioſa ſunt.* Imo iuxta capita nuper relata immunitas extenditur ad quæcumque loca exiſtentia in circuitu quadraginta paſſuum in Eccleſijs Maioribus, & triginta in minoribus. Quod ex conſuetudine limitatum eſt ad locum deputatum pro cæmeterio ab Epiſcopo, vt notat Iulius Clarus *in pract. c. crimin. quæſt. 30. numer. 1.* Adhuc ratione immunitatis Eccleſiæ defendendus eſt reus, qui portas clauſas reperiens, eas, aut vectem, vel anſam manu apprehẽdit, & ille, qui intus ſit, aut in ſuperiori parte fabricæ exiſtit, vel etiam ſupra tecta, nam, etſi ea loca, quoad violationem, quæ odioſa eſt, & reſtringenda, non dicantur Eccleſia, ſic verò quoad immunitatem, quæ fauorabilis eſt, & rectè à conſuetudine extenditur ad illa. Videatur cum pluribus P. Layman *tom. 2. lib. 4. tract. 9. capit. 3. numer. 3.*

331 Rursùs immunitate potiuntur hoſpitalia authoritate Epiſcopi cõſtituta; *cap. ad hæc, de Religioſis domibus.* Et Religioſorum domus, Monaſteria, ſeu Collegia cum toto ambitu clauſtri, vt infertur *ex cap. ligna, de Conſecratione, diſtinct. 1.* Deindè Epiſcopi palatium; *cap. id conſtituimus 17. quæſt. 4.* dummodò ſitum ſit intra quadraginta paſſus Eccleſiæ Matricis; quãuis olim etiã extra id ſpatiũ ſitũ immunitate gauderet; Ita Couarrub. *variar. reſolut. cap. 20. num. 5.* Demùm reus confugiens ad Sacerdotem ferentem ſacram Euchariſtiam in manibus extra Eccleſiam ratione immunitatis eſt tuendus, vt contra Gloſſam *in cap. quæſitum, 13. quæſt. 2.* docent Martha *de iuriſdict. part. 2. capit. 50. in fin.* Sylueſter *verbo, Immunitas 3. quæſt. 1.* P. Suarez *tom. 1. de Religion. tractat. 2. lib. 3. cap. 9. in fin.* P. Sa *verbo, Eccleſiæ immunitas, numer. 1.* Iulius Clarus *vbi ſuprà, quæſt. 98. num. 2.* Abbas, Nauarrus, & alij; piè, ſanè, ac rectè, quia Euchariſtia eſt ratio fundamentalis immunitatis eo ceſſæ Eccleſijs.

332 Obiter nota, aliquos apud Iulium Clarum *vbi nuper, numer 5.* aſſeruiſſe, Cardinalem S. R. E. obuiàm factum Reo, qui ad ſupplicium ducitur, ſi ei ſuum pileum imponi faciat, à morte eũ fore liberaturum, quia dignitas Cadinalitia æquiparatur Regiæ; Rex autẽ, ſi obuiã fiat Reo ad ſupplicium ducto, eum à morte reddit liberum. Conſuetudini tamen nõ dum eſt. Ecce loca, ad quæ Scholaſtici cõfugientes, dum poſſunt immunitate potiri, illa gaudebunt. Nunc videamus, quinam delinquentes, aut Rei poſſint illa gaudere.

333 Reum ciuilem, ſeu ob debita grauatum ad Eccleſiam confugientem, immunitate gaudere, indeque extrahi non poſſe, contra Iaſonem, & aliquos, defendit communior, & vera ſententia; Gutierrez *lib. 1. pract. quæſt. 1. num. 13.* & plures apud Abbatem *in cap. inter alia, de immunitat. Eccleſ. num. 22.* Poteſt tamẽ Iudex bona debitoris confugientis ad Eccleſiam apprehendere, & creditoribus ſatisfacere, ſi ille poſt citationem renuat in iudicio per ſe, vel per procuratorem cõparere, vt colligitur *ex leg. 1. & vltim. Cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt.* In aliquibus Regnis debitores ex cauſis ciuilibus Eccleſiæ aſylo non gaudent, vt aduertit Couarrubias *variar. reſol. cap. 20. n. 14.* At in Hiſpania noſtra gaudent.

334 Rei propriè dicti ratione delicti potiuntur Eccleſiæ immunitate, niſi in caſibus exceptis in iure, vel per æquiualentem conſuetudinem, indeque extrahi à Iudice non poſſunt. Ita omnes.

33 Caſus autem excepti ſunt, ſi quis graue crimen in ipſa Eccleſia commitat, cum *fruſtrà legis auxilium inuocet, qui deliquit in legem*, verba ſunt *cap. vltim. de immunit. Eccleſ.* Quod non ſolùm intelligendum eſt, ſi quis, v. g. occidat, aut occidi iubeat aliquem intra Eccleſiam, verùm ſi intra Eccleſiam exiſtens iubeat, vt occidatur extra Eccleſiam, cum etiam ſic inferat Eccleſiæ iniuriam. Ita Abbas *ad cap. vltim. nuper relatum*, Martha *vbi ſuprà, cap. 51. num. 26.* Nauarrus, P. Suarez, & alij.

336 Excipitur etiam *in cap. inter alia, de immunit. Eccleſ. Niſi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum.* His enim immunitas Eccleſiæ non ſuffragatur; Item nec homicidis qualificatis, & prodi

proditorijs, iuxta *cap. 1. de homicid.* deſumptum *ex cap. 21. Exodi*, ibi; *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo auelles.* Nec his, qui veneno alium occidunt, ſiquidem iuxta *leg. 1. Cod. de Maleſ. Plus eſt, hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio;* & hoc ſanè homicidium proditorium, & qualificatum eſt. Videantur Hieronymus Gigante *de crimine læſæ Maieſt. quæſt. 10. num. 23.* Antonius Gomez *reſolut. lib. 3. cap. 3. num. 7.* P. Molina *de iuſtit. diſp. 24.* Itaque homicida, qui per induſtriam inſidioſam aliũ occidit, nõ fruitur immunitate Eccleſiæ; huiuſmodi eſt aſſaſſinus, & qui eum pretio conducit, vt aliquem occidat, nam iuxta *regul. 72. in 6. Qui facit per alium, perinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum.* Et hic aduerte, ius ciuile *in Authent. de mandatis Principum*, in qua negatur immunitas Eccleſiæ homicidis, adulteris, & virginum raptoribus, correctum eſſe per Ius Canonicum, cui ſtandum eſt, *in cap. inter alia, de immunit. Eccleſ.* Vbi ſolùm excipit publicum latronem, & nocturnum depopulatorem agrorum; & præterea in cæteris Canonicis ſtatutis homicidæ non inſidioſi, adulteri, & raptores Virginum nõ excipiuntur. Attamen conſuetudo ſeruanda eſt in vnoquoque regno, quæ ob Reipublicæ damna grauia vitanda induxit, vt aliquibus non exceptis in Iure Eccleſiæ immunitas non ſuffragetur; Imò poteſt fieri, vt induxerit, quòd aliquibus adhuc exceptis ſuffragetur.

337 Excipiuntur etiam hæretici, vtpotè in Eccleſiam ipſam delinquentes, vt docent Couarrubias *ſuprà num. 15.* & Martha *vbi ſuprà, cap. 52. num. 29.* Item Rei læſæ Maieſtatis, vt tuentur Iulius Clarus *vbi ſuprà, quæſt. 30. num. 10. & quæſt. 36. num. 27.* P. Sa, *verbo, Eccleſiæ immunitas, numer. 3.* Hinc collige, quibus Scholaſticis delinquentibus Eccleſiæ immunitas non ſuffragetur, etiam ſi ſubditi ſint Iudicibus ſæcularibus.

338 Etenim, ſi Scholaſtici, & Academici ſubiaceant Iudici omnino Eccleſiaſtico, & non habenti erga illos iuriſdictionem Regiam, ſeu ſæcularẽ, in nullo caſu, nec crimine, nec in cauſa aliqua ciuili gaudẽt immunitate Eccleſię, iuxta cõmuniorem ſententiam, ſed ab ea poſſunt à ſuo Iudice extrahi; nam immunitas Eccleſiarum introducta eſt comparatione Iudicum ſęcularium, non verò Eccleſiaſticorum, vt fert receptior opinio. Sic docent P. Azor *inſtitut. moral. tom. 2. lib. 9. cap. 9. q. 9. §. Quid de pagano.* P. Layman *tom. 2. libr. 4. tract. 9. cap. 3. à num. 10.* cum P. Suarez, & alijs. Remigius de Gonny *de immunitat. Eccleſ. fallentia 21.* Iulius Clarus *ſuprà quæſt. 30. num. 16.* cum Nauarro, & pluribus alijs. Et quidem Iudex Eccleſiaſticus maiorem erga Eccleſiam habet poteſtatẽ, quàm ſæcularis; & aliundè in Eccleſiaſtico iudicio circa pœnas corporis leniùs agitur, quàm in ſæculari; ideòque Iudicibus ſæcularibus, nõ item Eccleſiaſticis, prohibetur extrahere Reos ab Eccleſia.

339 Quòd ſi Scholaſticus ſubiacens Iudici Eccleſiaſtico patraret delictum, ob quod eſſet tradendus brachio ſæculari, vt pœna ſanguinis ei poſſet infligi, diſtinguendum eſt. Vel delictum eſt ex illis, quibus non fauet immunitas Eccleſiaſtica etiam reſpectu Iudicum ſæculariũ, vel ex illis, cui fauet reſpectu eorũdem? Si primũ, indubitabile eſt, poſſe ab Eccleſiaſtico Iudice extrahi illum ab Eccleſia, & tradi brachio ſæculari; ſicut poſſet tradi, ſi captus fuiſſet extra Eccleſiam; cum Eccleſia nihil circa eum operetur. Si ſecundum, nequit Iudex Eccleſiaſticus extrahere illum ab Eccleſia, vt tradat Iudici ſæculari. Ita Couarrub. *variar. reſol. cap. 20. num. 16.* P. Suarez *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 3. cap. 10. num. 7.* Quippè in eo caſu non poſſet Iudex ſæcularis extrahere Reũ ab Eccleſia, vt in eum vindictã exerceret, & pœna corporali mulctaret, cui ſeueritati benignitas Eccleſiæ reſiſtit; at, ſi Iudex Eccleſiaſticus extraheret in caſu poſito Reum ab Eccleſia, vt Iudici ſæculari traderet ad pœnam, & vindictam corporis de eo ſumendam, perindè eſſet, ac ſi Iudex ſęcularis extraheret; ergo non poteſt extrahere, vt Iudici ſæculari eum tradat; quare, ſi extrahat, nequibit tradere. Cæterùm dicta *hoc num. & præcedenti* intelligenda ſunt de Scholaſticis Clericis; Nam Academicis laicis concedẽdam eſſe immunitatem Eccleſiæ, tradidimus *lib. 1. num. 149.* Qui locus omnino eſt videndus.

340 Si autem Scholaſtici, & Academici Iudici ſæculari ſubiaceant, quæ communia ſunt cęteris, adaptantur & ipſis. Gaudebunt igitur immunitate Eccleſię (nomine Eccleſię intelligimus loca omnia ſuperiùs aſſignata) confugientes ad ipſam in omnibus caſibus, ac delictis Iure, vel conſuetudine non exceptis, de quibus iam egimus. Et quidem ea gaudebũt, quãuis excommunicati, aut interdicti perſonaliter ſint; quia excommunicatio, & interdi-

terdictum non habent alios effectus, niſi in Iure expreſſos, nec extendenda ſunt, vtpotè odioſa; non autem expreſſum eſt in Iure, vt cenſuræ priuent immunitatis Eccleſiæ fruendę priuilegio. Sic cum pluribus P. Layman *vbi ſuprà n. 10.*

341 Quòd ſi Iudex Academiæ ſæcularis ſit, & Scholaſticus ſit Clericus, videndum eſt, quos Ordines habeat, quem habitum gerat, aut an Beneficio gaudeat. Etenim ſi Eccleſiaſticus ſit priuilegio fori gaudens, eo quòd Ordine Sacro ſit initiatus, autē Beficium poſſideat, aut ſaltem habeat requiſita à Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 6. de reformat.* non ſubditur Iudici ſæcularí, ſed Eccleſiaſtico; Quare in Academijs, in quibus Iudex eſt ſæcularis, ſolet conſtitui alius Iudex Eccleſiaſticus ad cauſas Academicorum, qui Eccleſiaſtici ſunt, pertractandas. Quòd ſi hic Iudex non detur, ſubijcientur eiuſmodi Academici immediatè Ordinario. Reſpectu autem Iudicis Eccleſiaſtici non fauere Reis Eccleſiaſticis, ſeu Clericis immunitatem Eccleſiæ, iam ſtabiliuimus. Vt tamē gaudeat priuilegio fori Scholaſticus Clericus prima tonſura ſaltem initiatus, qui aliundè Beneficium non habet, loquens Trldentinū de eo, ita decernit; *Is etiam fori priuilegio non gaudeat, niſi Beneficium Eccleſiaſticū habeat, aut Clericalem habitum, & Tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiat; vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Vniuerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiores Ordines ſcipiendos verſetur.* Nomine autem Beneficij intelligi etiam Pentionem, docet Barboſa *in Remiſſion. ad prædictum caput Concilij.*

342 Itaque Clericus eiuſmodi, de Epiſcopi licentia in Academia ſtudens, priuilegio fori gaudebit, dum Tonſuram, & habitum Clericalem deferat. Habitus autem Clericalis eſt ille, quem pro regionis conſuetudine Beneficiati, & Sacerdotes deferre ſolēt. Cæterùm ſi Clericus in minoribus Ordinibus conſtitutus nō exequatur, quæ à Tridentino exiguntur, inſtar ſæcularis omnino eſt, atque adeò reſpectu Iudicum ſæculariū, ſi eorum ſit ſubditus, Eccleſiæ immunitas ei ſuffragabitur, niſi in caſibus exceptis.

343 Dices; ergo deterioris conditionis ſunt Eccleſiaſtici, quàm ſęculares in ordine ad fauorē immunitatis Eccleſiæ, ſiquidem ab ea à ſuo Iudice extrahi queūt, cū ſęculares à ſuo Iudice nequeāt. Reſpondeo, etſi Rei Eccleſiaſticǫ Iudici ſubiecti non gaudeant ea immunitate, qua ſubditi Iudici ſæculari, tamen abſolutè ſtatum Eccleſiaſticum non eſſe deterioris conditionis; tum quia Iudices ipſi Eccleſiaſtici maiori cum poteſtate manent, quàm ſæculares, cum ipſis liceat extrahere Reos ab Eccleſia, non illis; tum quia fauor eſt eius ſtatus, quòd Rei confugientes ad Eccleſiam defendātur, dum ex alio gremio ſint, nempè ſæculari, quo fauore ſi gauderent ſubiecti Iudici Eccleſiaſtico, horū poteſtati derogaretur. Vel dicito, ſubiectos Iudicibus Eccleſiaſticis ad vitam puriorem teneri, proindeque eorum delicta debere puniri, quin vllo priuilegio pœnā debitam fugiant. Aut demùm aſſero, in his quæ ſunt Iuris poſitiui expreſſi, non eſſe inueſtigandas diſparitates, ſed ſtandum Iuri, vel conſuetudini, quæ conſtituit ius. Hic obſerua, Clericos minoribus Ordinibus initiatos, ſi habitum Clericalē relinquāt, & laicalem aſſumant, ipſo facto amittere priuilegium fori, vt pluribus probat doctiſſimus Don Alfonſus Dauila, & Carrillo *in Recitatione ad cap. tranſmiſſam 15. de electione, & electi poteſtate, num. 33.* Quæ tamē intelligenda ſunt cum limitatione infrà afferenda, *n. 358.*

344 Reus in Eccleſia exiſtens, eiuſque immunitate gaudens nequit extrahi, nec ad mortem, aut aliam pœnam corporalem, nec exilij, aut triremium damnari; nec poteſt prohiberi, quòd victus, & veſtitus ad eum deferantur, eſto queat appeni à Iudice Cuſtodia, ne ab Eccleſia aufugiat, quin extra illam capiatur. Nec poteſt expoliari bonis, quæ ſecum ad Eccleſiam detulit, niſi circa ea commiſerit delictum, v.g. illa furando, aut arma prohibita ſecum afferendo. Vt autem hac Eccleſiæ immunitate nō gaudeat, & capi queat, non ſufficit, quòd exiſtēs intùs, pedem, manum, aut veſtem extra ianuam poſuerit, dum intùs caput, & præcipua corporis mē bra remaneant.

345 Iudex ſæcularis extrahens Reum ab Eccleſia committit ſacrilegium, & per cenſuras compellendus eſt, vt illum reuocet ad Eccleſiam, iuxta *cap. Miror. 17. quæſt. 4.* Et Iudex contra Reum extractum procedens obligatur ex iuſtitia ad compenſationem damnorum, quæ Reus patitur; & proceſſus iudicij ipſo facto irritus exiſtit. De quibus effectibus immunitatis Eccleſię videantur textus Iuris Canonici ſuprà allegati, *& cap. ſacrilegium 17. quæſtion. 4. lex, Præſenti, Cod. de his, qui ad Eccleſiam*

siam confugiunt. Diuus Thomas *2.2. quæst. 99.art.2.ad 2.* Abbas, Couarrubias, Nauarrus, P. Suarez, Azor, & Layman, *vbi suprà*; P. Valentia *tom.3.disp.6.quæst.15.punct.1. ad primum argumentum*. Quæ omnia Scholasticis, & Academicis omnino aptanda sunt.

Quæstio XXXII. An Scholastici, & Academici priuilegio fori Ecclesiastici gaudentes possint in criminalibus, & in ciuilibus causis à Iudice sæculari trahi ad iudicium, si Academiæ Iudex sit solùm sæcularis?

346 QVANDO Iudex priuatiuus Academiæ est omnino Ecclesiasticus, certum est, non posse Scholasticos, & Academicos à Iudice sęculari trahi ad iudicium in vlla causa; quare, si in delicto capiantur à sæculari, debent statim tradi Ecclesiastico, non secùs ac cum Clericos offendit Iudex sæcularis in aliquo delicto, tenetur illos Prælato ipsorum tradere. In ciuilibus autē causis Academici sunt conueniendi coram suo Iudice, iuxta regulam generalem, quod reus conueniendus est in foro ipsius Rei, & non in foro actoris; Si verò Scholasticus sit Actor, & Reus sit subiectus Iudici sæculari, coram illo eū debet vocare ad iudicium, nisi aliud consuetudine sit introductum; quippè aliquando ea facit, vt actor in suo ipsius foro Reū conueniat. Sic consuetudo obtinuit in diœcesi Salmantina, vt Ecclesiastici Actores conueniant Reum sæcularem, non in foro Prætoris, aut alterius Iudicis sæcularis, sed coram Ordinario, qui est ipsorum Iudex. Vel nisi Iudex Academię, vt in Salmantina contingit, sit simul Conseruator, ad quē Academici Actores trahunt Reos non Studiosos, dum illi sint intra diętas. De quo latè egi *suprà hoc libro, à n.7.*

347 Quæstio igitur præsens versatur erga eas Academias, quarum Iudex est sæcularis, & Scholastici subiecti sunt eius iurisdictioni, an hi, qui fori Ecclesiastici priuilegio gaudent (de quibus egimus *quæst. præcedenti,*) ei Iudici subditi sint in causis ciuilibus, & criminalibus, cum ipsi sunt Rei, ita vt corā illo cōueniri queāt, & ab eodem puniri; aut in ciuilibus sententiam experiri? Et quidem de his philosophandum est, sicut de cæteris Ecclesiasticis, qui Episcopo, aut simili Prælato subiecti sunt, & quæ de horū exemptione à Iudice sęculari statuuntur, illis omnino est aptandum, cum nō solùm similis, sed ipsa sit ratio. Vndè, quę circa hanc exemptionem apud Authores melioris notæ sunt certa, vel probabiliora, nō tam disputabo, quàm in compendium redigam.

348 In causis criminalibus Clerici Scholastici, sicut & cæteri Clerici, omnino sunt exempti à Iudice sæculari, cū enim illi in altiori statu, & dignitate sint; *cap. duo sunt, dist. 96.* indecēs esset, vt ab inferiori statu iudicarentur, cederetque in cō tumeliam Ordinis Clericalis. Hæc exemptio stabilita est in Iure Canonico, in Decreto tota *causa 11.quæst.1.* In Decretalibus, *cap. at si Clerici, cap. qualiter, cap. cum nō ab homine, de iudicijs; cap. si diligenti, cap. significasti, de foro competenti;* in Concilio Matisconensi *2.cap.10.* In Iure ciuili, in Codice Theodosiano *leg.7.de Episcop. & Cleric. & leg.45. cum sequentibus.* Et quamuis hanc exemptionem in ciuilibus criminibus, vt in furto, homicidio, minuerit Iustinianus Imperator *in Nouella 83.collat.6.tit.12.* & idem propter eorum temporum iniuriam permissum fuerit in Concilio Matisconensi, *l.* tamen nullius iam valoris sunt hæ leges, & correctæ sunt à Friderico II. *in Authentica, Statuimus, & in cap. at si Clerici, cap. cum non ab homine, de iudicijs.*

349 Neque vlla consuetudine potest præscribi hæc iurisdictio in Ecclesiasticos, nam qui est incapax habendi, seu possidēdi illam, qualis est sæcularis, est incapax prę scribēdi. Videatur P. Azor *tom. 2.lib.5.cap.12.quæst.1.* Hinc cum asseritur *in cap. filijs, 16. quæst.7.* intimandum esse Regi, si Prælatus malè administret, intelligēdum est, non quidem vt Rex iurisdictionē in illum exerceat, sed vt cum sui officij moneat, tanquam Supremus sui Regni patronus, & aduocatus. Ita Abbas *in cap. qualiter de iudicijs, num.7.* Hinc etiam, quamuis Iudex Ecclesiasticus negligens esset, non posset se intromittere sæcularis Iudex, quia minor non debet supplere defectum maioris; maximè cum sit incapax supplēdi. Ita Martha *de iurisdiction. casu 146. num.8.* Casum rarissimum excipe; Si Clerici suis criminibus inferrent molestiam, aut nocumētum gra-

graue Reipublicæ, & non posset impetrari remedium, neque à Iudicibus Ecclesiasticis immediatis, nec à Summo Pontifice, (quod numquam eueniet) tunc habebit ius necessariæ defensionis, & quod ad hanc fuerit necessarium secundum regulas rectæ rationis, fieri poterit. Ita Pater Suarez *in defensione fidei, lib. 4. cap. 34. num. 6. & 9.* P. Azor *institut. moral. tom. 1. lib. 5. capit. 14. q. 2.* P. Layman *tom. 2. lib. 4. tract. 9. capit. 4. num. 4.*

350 In fragranti crimine deprehensus Clericus potest à Iudice sæculari capi, dummodò crimen graue sit, & pernicio sum Reipublicæ, & capiatur absq; violētia, statimq; tradendus est Iudici Ecclesiastico; etsi ille fideiiussorem præstet, quòd se sistet suo Ordinario, non potest capi. Quòd si arma ab eo auferantur, debēt restitui, nisi cōsensus adsit Prælati expressus, vel tacitus, quòd ea absq; spe restitutionis auferantur. Quod si lex sit lata prohibens certū armorū genus valdè pernicioſum Reipublicæ, vtputà tormenta ignea parua, Hispanè *Pistolas*, ita vt nec domi retineri possint, ait P. Vazquez *in 1. 2. disp. 167. cap. 4. n. 31.* posse Magistratum sæcularē defendere hāc legē etiam contra Clericos ob bonum publicū. Quod tamen censeo cum limitatione tuēdum; scilicèt nullam exercēdo iurisdictionem in ipsos Clericos, nec domos eorum, aut eos ipsos scrutando ad ea arma quærenda, nisi in fragranti crimine reperiātur, aut sit valdè probabilis præsumptio, & non sola leuis suspicio, quòd ea arma apud se habeant, aut secum gerant, & demum adsit saltem tacitus Prælati consensus.

351 Potest tamen Clericus debitor fugam meditans, ne soluat, detineri à Iudice sæculari, vt ad Ecclesiasticum sistatur; sicut si in furto deprehenderetur. Ita Abbas *in c. cum non ab homine, de iudicijs.* Similiter, si Clericus iniuriam intulit Magistratui sęculari, potest ab eo detineri, vt eius fuga impediatur, donec testes aduocentur, & proprio Iudici tradatur. Sic P. Molina *de iust. tr. 3. disp. 56. n. 2.*

352 Nequit compelli Clericus à Iudice sæculari ad testificandum in causa cum iuramento, etiam si nō agatur de pœna sanguinis infligenda. Ita S. Thom. *2. 2. q. 70. art. 1.* Etenim requirere authoritatiuè testimonium alicuius, est actus iurisdictionis. Quarè debet præcedere licentia Prælati, aut ante ipsum exigi testificatio. Præterea, quamuis Iudex sæcularis possit procedere, aduersus concubinas Clericorum, non tamē potest in domos illorū irruere, & inde extrahere, quia hæc esset violentia contra ipsos Clericos. Sic Menoch *de arb. cas. 371. n. 12.* contra Gutierrez, & Couarrubias.

353 Sed inquiris, si quis post crimen commissum fiat Clericus, aut Scholasticus Iurisdictioni Ecclesiasticæ omnino subiacens, an possit puniri à Iudice sæculari; Respondeo, non posse, quia iam gaudet statu Clericali, in cuius fauorem introductum est fori priuilegium, quod extendendū est. Ita Nauarr. *in Comment. 2. de Regularib. n. 60.* Farinacius *in practica crim. de inquisit. q. 8. num. 107.* P. Suarez *in Defensione fidei, lib. 4. cap. 15. num. 16.* P. Sa, *verbo, Clericus, num. 9.* sumiturque argumentum *ex leg. accusare, ff. de accus.* Quod intellige, nisi Reus in fraudem factus sit Clericus, vel Scholasticus, nam tunc pœna solū pecuniaria poterit puniri; Tunc autem in fraudē id præstare intelligitur, cum in carcerem coniectus illegitimè inde erupit: imò tunc etiā in personam (si non sit deinde sacris initiatus) posse procedere Iudicem sæcularem, tenet Abbas *in cap. vnic. de obligatis ad ratiocinia, num. 5.* Rursùs in fraudem est, cum post litem contestatam mutatur forum, idemque est, post citationem. Sumitur *ex 6. proposuisti, de foro competenti*; iuncta Glossa *verbo, citatus.*

354 Non verò in fraudem id fieri est censendum, cum ante citationē, aut litis contestationem, assumit quis statum Clericalem, etiam si præcesserit infamatio aliqua, vt contra Couarrub. & aliquos, censet P. Suarez *vbi suprà, numer. 19.* Vbi tamē monet, si ille solùm Ordines Minores, aut Beneficium assumpsit, posse præsumi, non id præstitisse animo dicandi se Deo, sed effugiendi sententiam Iudicis sæcularis, atque adeò ab illo posse pœna pecuniaria mulctari. Hinc iuxta dicta, cum in fraudem non assumitur status Clericalis, nec in bonis potest eum punire Iudex sæcularis; nisi bona per se obligata sint ex criminis commissione, vtpotè si maneant fisco applicata, tunc enim agit Iudex in bona, non in personam; at, si non sint per se obligata, & Iudex in bonis puniret, ea punitio primariò caderet in personam, & indè mediatè, & indirectè in bona, quæ solùm per accidens sunt obligata propter crimina personæ. Vnde dici nequit, illum assumentem statum Clericalem manere subiectum Iudici sæculari ratione bonorum, nam id esset, manere ratione personæ.

355 Dices. Si quis gaudens priuilegio fori crimen committat, iudicandus est à Iudice Ecclesiastico, quamuis statim post crimen vxorem ducat, & priuilegium fori amittat, vt docet Couarrub. *in practic. quæst. c. 31. n. 8.* ergo similiter, si laicus crimen committat, & postmodùm fiat Clericus, à laico Iudice debet puniri, cum tēpus delicti inspiciatur, iuxta *l. 1. ff. de pœnis.* Respondeo, ob huius legis decisionem illū vxoratum à Iudice Ecclesiastico iudicandum, cum aliundè nulla ratio obstet; cum nihil impediat, quòd laicus ab Ecclesiastico iudicetur; at in casu consequentiæ, etiā si attendendo ad tempus delicti, esset titulus ad cognoscendum de causa illius delinquētis, obstat verò immunitas Ecclesiastica in fauorem Clericorum introducta; ille autē titulus tūc tenet, cū nulla ratio obstat. Quare in alijs casibus, qui possunt euenire, eo solo titulo nequit à Iudice in causis procedi. Hęc de exēptione in criminalibus causis.

356 In causis ciuilibus, si Clericus sit Actor, & sæcularis Reus, coram Iudice sæculari cum conuenire debet, nisi cō suetudo sit cōtraria, vt suprà annotaui, vel nisi causæ sint mixti fori; *c. si Clericus, c. cum sit, de foro compet.* Si verò sit Reus Clericus, corā Iudice Ecclesiastico est co nueniēdus; nam res, & bona, quæ nō habent per se, seu realem obligationē, sequuntur statū, & cōditionem personæ; *Cap. nullus Clericus, c. nullus Episcopus, c. placuit, 11. q. 2. c. 2. c. at si Clerici, de iudicijs; c. diligenti, de foro competent. c. sæculares, eodem titul. in 6. Authentica, statuimus, Cod. de Episcop. & Cleric.* Et hanc esse communem sententiam contra paucos testantur Mynsingerius *cent. 1. obseru. 22. n. 2.* Martha *de iurisdict. p. 4. casu 125*, Gaillius *lib. 1. obseru. 37.* Et quidem, *Actio Rei forū, si uè in rem, siuè in personam sit actio, sequitur*; extat *in leg. vltim. Codic. vbi in rem actio, &c.*

357 Hæc conclusio limitatur, quando ab Imperatore, aut Principe aliqua bona in feudū Ecclesię cōceduntur immediatè, vel alicui Optimati immediatè, à quo posteà idem ius, quod ipse habet, ad Ecclesiam transfertur; Etenim tunc dominiū directum manet penès conferentem, ad quē pertinet iudicare de causis super eo feudo exortis; *cap. ex transmissa, c. verùm, de foro cō petenti.* Præterea, si laicus bona immobilia Ecclesiæ donauerit, reseruans iurisdictionē laico, qui eam habeat, tanquam Aduocatus, seu Conseruator eiusmodi bonorum, id erit obseruandum, quia non est iniusta conditio. De quo, & de alijs hæc concernē tibus videantur Andreas Gaill. *lib. 1. obseruat. 30. & 37.* Baldus *in leg. de his, Cod. de Episcop. & Cleric.* Abbas *in cap. dilectus 3. de præbend. num. 4. & in cap. verum, de foro competenti, num. 13.* Mynsingerius *centur. 5. obseru. 8.* Martha *de iurisdict. cas. 198.* P. Molina *de iustit. tractat. 5. disput. 6.* Pater Suarez *in Defensione fidei, lib. 4. capit. 14. à numer. 12.*

358 Aliqua in præsenti animaduertenda sunt. Primò, si captus à Iudice sæculari excipiat, se Clericum esse, ab Ecclesiastico Iudice, non à sæculari, id cognoscē dum esse; *cap. si Iudex, de sentent. excommunic. in 6.* Secundò, si habens Beneficium, non afferat tonsuram, & habitum Clericalem, non ideò amittere priuilegium fori, nisi ab Episcopo, aut Prælato ter admonitus se ostendat incorrigibilem; *cap. in audiē tia, cap. contingit, 45. de sentent. excommunication.* Tertiò, Clericum in minoribus Ordinibus constitutum, si vxorem ducat, amittere priuilegium fori, nisi duxerit vxorem virginem, & afferat tonsuram, & habitum Clericalem, insuperq; alicui Ecclesiæ ministerio ab Episcopo sit deputatus; In hoc enim casu priuilegio canonis, & fori gaudet in causis criminalibns, siuè criminaliter, siuè ciuiliter agatur; In causis autem ciuilibus, & in solutione triburorum Sæcularī Magistratui subijcitur, nisi aliud lege, speciali consuetudine, aut priuilegio caueatur. Ita *in cap. vnic. de Cleric. coniug. in 6.* Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformatione.* Quatò eos, qui ratione sui, seu per se gaudēt priuilegio fori, gaudere etiam priuilegio canonis; & inijcientem manus violentas in ipsos subiacere pœnæ excommunicationis ipsō facto, vitandumque esse, si sit publicus percussor. Dixi *ratione sui, seu per se*, nam alii qui non constituti in statu Clericali eo modo, quo à Tridētino statuitur, per accidens gaudent priuilegio fori Ecclesiastici. Eiusmodi sunt Scholastici, & Academici, qui Clerici non sunt, tamen student in Academia, cuius Iudex iurisdictione Ecclesiastica gaudet. Hi etenim conueniendi sunt coram eo in causis tum ciuilibus, tum criminalibus, & tamen non gaudent priuilegio canonis, nec incurrit censuram eos percutiens.

359 Plures circa immunitatē Ecclesiasticam quæstiones agitantur, an scilicet appellari possit à Iudice Ecclesiastī co à sententia interlocutoria ad Senatus

Re-

Regios per viam violentiæ, vt in illis examinetur, ac decernatur, an vis inferatur litiganti? An, & quæ bona Ecclesiasticorum sint exempta à tributis? & aliæ huiusmodi; Sed hæ longiùs iam à nostro instituto sunt, cui sufficit, prædicta attigisse, cum etiam alia concernentia ad hãc materiam decutsu operis tractauerimus. Videat, qui velit Authores in hac quæstione citatos, & alios, quos ipsi referunt.

Quæstio XXXIII. Quæ obseruari debeant, si Scholastici extra patriam suam, in loco, vbi student, matrimonium contrahant?

360 CIRCA sponsalia Scholasticorum, & Academicorum nihil speciale est, quod sponsalibus cęterorum non conueniat. Quare, si spondeant alicui fœminæ nuptias, debent id adimplere, nisi adsit causa dissoluens sponsalia; qua cessante, grauiter peccant, si promissum non adimpleant; & impedimento impediente, quamuis non dirimente, ligantur, ne possint cum alia fœmina matrimonium contrahere. Quòd si sub hac promissione quis virginem violauerit, & cum ea postea matrimonium nõ inierit, debet damnum illatum pecunia compensare; quod attẽtis circunstantijs qualitatis personarum, arbitrio viri docti, ac timorati, est mẽsurandum, vt quantitas præstãda designetur. Cui obligationi graui maximè attendendum est; nec dolo, & fraude ea promissio est facienda ad fœminam obtinendam, indè enim, prẽter grauiorem culpam, eadem consurgit obligatio; maximè si in promissione matrimonij fœmina nequeat agnoscere fictionem, & dolum, esto possit de ea vereri ob hominum aliquorum conditionem. Etenim, cũ ipsa fictionem agnoscit, vel ob maximam inæqualitatem, vel ob aliam causam, non sunt vera sponsalia, sed ficta.

361 Cæterùm, si quis virginem violet, spe fictæ promissionis, nolẽs interiùs se obligare, esto non contrahat sponsalia, vt tenet P. Thom. Sanch. *lib. 1. disp. 9 n. 5.* Villalobos, Machado, Ochagauia, P. Layman, Bonacina, & alij (quãuis contrarium doceat Basilius Legionensis *de matr. lib. 12. cap. 2.* P. Vazquez, Gaspar Hurtado, & alij pauci) attamen tenetur eam dure, vel ratione promissionis, & fidelitatis, vel ratione damni illati; promissio enim etiã absque animo se obligandi, conditione impleta, inducit obligationem iure naturali. Sic ipse P. Thom. Sanchez *vbi nuper, de matrim. disp. 10* Basilius, Villalobos, P. Vazquez, & communis. Casu autem, quo magna est disparitas, & virgo eam disparitatem agnoscit, nõ tenetur eam ducere promittens, vt sentit idem P. Thomas Sanchez, *disp. 10. num. 5.* Syluester, Angelus, Tabiena, Nauarrus, Corduba, Villalobos, Bonacina, P. Henriquez, Molina, & Lessius, quamuis contrarium sentiant Basilius, & Pater Gaspar Hurtado, quos sequitur Leander de Sacramento *tom. 2. de Sacrament. tractat. 9. disputat. 1. quæstion. 16.*

362 Vt autem sint valida sponsalia ratione ætatis, requiritur, septennium completum. Ita *in c. litteras, cap. accessit, cap. ad dissoluendum, de desponsat. impuber. in leg. sponsalibus, ff. de desponsat.* Ad quod sufficit, vt vltimus dies septennij sit inceptus, cum dies inceptus pro cõpleto habeatur, vt docet Basilius *suprà c. 5. n. 3.* Imò, si malitia suppleat ætatem, ante septennium fiunt valida sponsalia, sicut in matrimonio contingit; *cap. de illis, de desponsat. impuber.* Quòd si sponsalia ex metu graui etiam iuramento accedente, fiant, non sunt valida; *cap. ex litteris, de desponsat. impuber.* id enim oportet ad bonum coniugij, vt liberè contrahatur.

363 Circa matrimonia Scholasticorum non tracto ea, quæ sunt omnibus communia, sed aliqua dubia pro praxi, quę possunt exoriri. Dubitatur primò, an, vt validè contrahant, debeat expectari cõsensus Parentum? Respondeo negatiuè. Sic habetur *in cap. sufficiat. 27. quæst. 1.* Et definitum est in Tridentino *sess. 24. de reformat. matr. cap. 1.* At mortaliter peccat filius, qui parentes non monet, & consulit, cum in re graui debitum honorem illis non præstet; nisi casu, quo moraliter constet, parentes id ratum habituros ob circunstantias occurrentes? & etiam casu, quo parentes iniustè impedituri sint nuptias. Quòd si illi consulti, & exorati licentiam denegent, probabilius est, non peccare filium cõtrahendo matrimonium, eis inuitis, cum liber sit ad assumendum statum; attamen contra charitatem peccabit, si indè agnoscuntur grauissima scandala, & odia prouẽtura. Sic contra Sotum, Medinam, & alios docentes absolutè, eum peccare grauiter,

si inuitis parentibus ducat vxorem, tuētur P. Thom. Sanchez *de matrim. lib. 4. disput. 23. à num. 10.* secutus S. Thomam *2. 2. q. 104. art. 5.* quem innumeri Authores sectā tur.

364 Id tamen Scholasticis extra patriā existentibus maximè debet præ oculis haberi, vt non, nisi consultis, ac volentibus patribus, sponsalia, aut matrimonia cō trahant; cum aliter leuitati, & inconsiderationi sit tribuenda ea noui status assumptio, & indè parentes grauissimè forè offendendos, ac irritandos, prudenter timeatur; postmodùmq; non absque incommodis ingentibus, dū patres offensi viuunt, vita coniugalis sit transigenda. Quod etiam perpēdere eos omnes, qui matrimonio interueniunt, par est, ne cooperentur ingentibus damnis ex eo imminentibus, quæ & ex syncera rei consideratione, & ex non absimilibus constat experientijs.

365 Dubitatur secundò, quisnam Parochus assistere debeat matrimonio Scholastici extra patriam suam studentis? Respōdeo, debere assistere, & sufficere, si assistat Parochus proprius fœminæ, quæ ducitur; aut Parochus ipsius Scholastici, qui ratione quasi domicilij proprium Parochum habet; nàm ad valorem matrimonij non requiritur præsentia duplicis Parochi, quando ad diuersam Parochiam pertinent contrahentes, sed sufficit præsentia Parochi illius contrahentis, in cuius Parochia matrimonium celebratur. De quo extat expressa Declaratio Sacræ Congregationis Cardinalium, quam refert Leander de Sacrament *tom. 2. de Sacram. tract. 9 disp. 7. quæst. 14.* Imò, sufficere assistentiam proprij Parochi adhuc extra propriam Parochiam, cum assistendo non exerceatur iurisdictio contentiosa, nec hoc aduersetur Tridentino, docent Rodriguez, Pater Hēriquez, & Thomas Sanchez, quos affert, & sectatur P. Layman *tom. 2. Theologiæ moral. lib. 5. tract. 10. part. 2. capit. 4. numer. 3.* Item Salcedo, Segura, Possevinus, Gutierrez, Ochagauia, Filiucius, Gaspar Hurtado, & alij apud Leandrū *vbi nuper, quæstion. 16.*

366 Et quidem, cum quis habet duplicem Parochiam, habitatque in vna tempore hyemis, & in alia tēpore veris, vt communiter solet euenire Scholasticis, validè contrahitur matrimonium corā hoc vel illo Parocho, siue in hyeme contrahat coram Parocho, quem habet eo tēpore, siue coram Parocho, quem habet tēpore veris, & è contra; quia contrahens in vtroque tempore habet duplicem Parochiam, & vterq; est verus Parochus illius. Sic contra Bonosium, Zephalum, Tabienam, & aliquos, tuentur P. Thom. Sanch. *de matrim. lib. 3. disp. 24. à num. 4.* Basilius *de matrim. lib. 5. cap. 13.* Bonacina *quæst. 2. de matrim. punct. 8. num. 5.* & alij plures. Atque adeò, si Parochus, quem in sua patria habet Scholasticus dimidia parte anni, fortè tūc assisteret loco, in quo extra patriam contrahitur matrimonium, validè coram illo celebraretur; nec Parochus peccaret assistens, dummodò non daretur scandalū cum ea assistentia nullo iure prohibeatur; Peccare tamen, si assistat solemniter, & publicè, docet *vbi suprà* P. Layman; quod sanè reuocandum est ad scandalum eo casu suboriturum.

367 Dubitatur tertiò, vbi faciendæ sint denuntiationes ad matrimoniū Scholastici extra patriam in loco studij habitantis? Certum est, denuntiationum defectum non irritare matrimonium, esto absque peccato mortali omitti nequeant, nisi iusta de causa Episcopus eas, vel earum aliquam remittat, aut in eius absentia Parochus, non quidem in eis dispensans, cum ad hoc potestate careat, sed declarans, in talibus circunstantijs legem de præmittēdis denuntiationibus per epikeiam cessare; casu autem, quo nulla denuntiatio fiat, ante matrimonium, fieri debent ante eius consummationem; De quibus, & item de diebus designatis ad illas, & an extrà Ecclesiam in loco frequenti fieri possint, ac quando vna pro tribus queat constitui, aliaque huiusmodi, videantur apud P. Thom. Sanch. *de matrim. lib. 3. disp. 6.* Basilium *de matr. lib. 5. cap. 30.* Moure *in sum. 3. p. cap. 17. §. 2.* Id etiam tractant Lodouicus de S. Iuan *de matrim. q. 2. art. 1. dub. 3.* Bonacina *quæst. 2. punct. 6.* Machado *de perfecto Confessar. lib. 4 part. 2. tract. 2. docum. 17.* Gutierrez, Barbosa, Nauarrus, Diana, P. Rebellus, Reginaldus, Gaspar Hurtado, Coninch, Filiucius, plurēsque allati à Leandro de Sacrament. *tom. 2. de Sacram. tract. 9. disp. 7. q. 45. & sequentibus.*

368 Quibus suppositis, respondeo ad propositum dubium, si Scholasticus in loco studij, in quo habet quasi domicilium, habitet in diuersa Parochia, ac habitat fœmina, cum qua est contrahendū matrimonium, debere denuntiationes fieri in vtriusque Parochijs. Etenim hæ fiunt, vt declarentur impedimenta, si adsint, qui

qui finis obtinetur, in vtraq; Parochia denuntiationes faciendo; cum impedimenta viri melius in sua, quàm in aliena Parochia agnoscantur, & è contra impedimenta fœminæ, in Parochia ipsius. Quod in oppidis magnis adhuc magis liquet esse necessarium; in omnibus autem ita est exequendum. Sic docet praxis communis Ecclesiæ; & stabiliuit Declaratio Cardinalium, quam affert Segura *in directorio Iudic. cap. 16. num. 19.* & defendunt P. Thomas Sanchez *suprà disp. 5. num. 8. & disp. 6. num. 4.* Basilius Legionensis *vbi suprà, num. 4.* Petrus Ledesma *in summ. capit. 6. de matrimon. concluf. 7.* Gutierrez, Bonacina, Rodriguez, Machado, Pater Filiucius, Rebellus, Coninch, & alij, quos refert, & sectatur Leander *vbi supra, quæst. 38.* Vbi pro contraria opinione tuente, sufficere, denuntiationes fieri in Parochia, in qua matrimonium celebratur, affert Anton. Cucum, Cardinalem, & Greg. Lopez.

369 Horum autem opinio solùm vera erit, si id consuetudine sit introductum, cum aliundè non repugnet Tridentino, in quo non exprimitur, an in vtriusque Parochia, an in vna sola fiant denuntiationes. Et quidem maximè standum est consuetudini cuiusque territorij, seu diœcesis circa aliqua, quæ adhuc, independenter à consuetudine, vt veriora, & cõmuniora tradidimus; præcipuè circa Parochũ, an debeat esse viri, vel fœminæ, & circa alia huiusmodi; esto nõ indè inualidè matrimonium contrahatur, dum adsint requisita à Tridentino, quamuis aliquod istorum desit; cuius defectus illicitam reddet actionem ex parte Parochi, aut ex parte contrahentium, eo quòd operentur contra consuetudinem, legem specialem, aut præceptum.

370 Ex resolutione tradita ad hoc dubium tertium, non licet inferre, necessum esse, fieri denuntiationes in ipsa patria Scholastici, qui extra illam in loco Academiæ vult contrahere matrimonium; quippè, cum habeat quasi domicilium in eo loco, iam ibidem est ei propria Parochia, in qua denuntiationes fiant; & non requiritur aliud, nisi quòd denũtiationes in propria Parochia proclamentur; quod videre est in praxi frequentissima matrimoniorum, quæ contrahuntur extra patriam sponsorum, quin denuntiationes in illa fiant, dummodò id præstetur in propria Parochia loci, in quo illi habent domicilium, aut quasi domicilium.

371 Hoc etiam cernitur in matrimonijs vagorum, qui nullum certum domicilium retinent, quibus assistere potest quilibet Parochus, esto contrahant cum incola loci; nam cum ad valorem matrimonij solùm requiratur assistentia Parochi cuiuslibet ex contrahentibus, & quilibet Parochus sit Parochus vagorum, sufficit cuiuslibet assistentia ad eorum matrimonium, vt docent Basilius *vbi suprà, lib. 5 cap. 16. num. 14.* P. Thom. Sanchez *suprà, disp. 25. num. 14.* Esto Parochus licitè nequeat assistere matrimonijs vagorum, absque licentia Ordinarij, vt decreuit Tridẽtinum *sess. 14. cap. 6.* Vbi præcipitur Parochis, quòd priùs diligentem inquisitionem faciant, & postmodùm rem ad Ordinariũ deferant. Cæterùm denuntiationes ad matrimonia vagorum non fiunt in ipsorum patria; Nulla autẽ ratio potest adduci, ob quam denuntiationes Scholastici, qui extra patriam vult cõtrahere matrimonium in loco Academiæ, fiant in eius patria, quæ non infringatur in denuntiationibus matrimonij vagorum.

372 Attamen, si Scholasticus, vel exiguo tempore in loco Academiæ adhuc extiterit, vel eius status notitia non habeatur, requiritur, vt fiat inquisitio, an vxoratus iam sit, necne, & quod per testium assseuerationem, aut aliam viam constet, eum cœlibem esse; quod idem seruatur, cum vagi nuptias contrahere volunt. In quo etiam standum est cõsuetudini diœcesis, territorij, aut oppidi, in quo est contrahendum matrimonium.

373 Dubitatur quartò, quæ obseruanda sint in matrimonijs contractis in locis, vbi non est receptum Tridentinum, si in eis Scholastici ducant vxorem? Aliquibus conclusionibus rem totam in compendium redigam. Assero primò, matrimonium Clandestinum, hoc est, sine Parocho, & testibus (sic enim etiam solet vocari latè, quod fit absque denuntiationibus) prohibitum fuisse, *in capit. aliter 30. quæstion. 5. in capit. nullum, ibidem; in capit. 3. de Clandestin. desponsat.* in Concilio Toletano IV. & in Tridentino, *session. 24. de reformation. capit. 1.* Non tamen ante Tridentinum erat irritum; Ita Pater Thomas Sanchez *lib. 3. de matrimon. disputat. 3. numer. 2.* Luysius de Torres *in summ. parte 2. capit. 36. dub. 1.* Ledesma, Bonacina, Machado, Becanus, Gaspar Hurrado, & alij, contra Basilium Legionensem, Cassaneum, Corratiũ, & Gentianũ, qui arbitran

tur, primis Ecclesiæ temporibus fuisse irritum, postea verò validum ante Tridentinum, quos nunc impugnare, nullius foret vtilitatis.

374 Assero secundò, post Concilium Tridentinum in locis, vbi receptum est, inualidum esse matrimonium Clandestinum; non quia in Sacramento fuerit aliqua mutatio, sed quia in matrimonio datur contractus, cuius valorē supponit Sacramentum; & Ecclesia potuit solemnitates apponere contractui, sine quibus esset inualidus, & per consequens Sacramentum, quod supponit contractū validum. At, vbi receptum non est Tridentinum, adhuc validum est Clandestinum matrimonium, sed illicitum, vtpotè prohibitum ab Ecclesia, vt constat *ex num. præcedenti.*

375 Assero tertiò, si Scholasticus v.g. natus in loco, in quo Tridentinum non viget, veniat ad Academiam loci, in quo viget, inualidè contrahet matrimonium, si sit Clādestinum. Ita Cornejo, Petrus Ledesma, Bonacina, Ochagauia, Basilius, P. Th. Sāchez, Gaspar Hurtado, Reginaldus, Coninch, & alij, quibus subscribit Leander de Sacram. *vbi suprà, d sp. 7. quæst. 11.* Etenim matrimonium est contractus, & ad valorem contractuum, opus est, vt celebrentur cum solemnitatibus requisitis in loco, vbi peraguntur; *cap. fin. de foro competenti; leg. si fundus, ff. de euict.* Vnde, etsi peregrini non teneantur legibus locorum, per quę transeunt, semper tamen excipiuntur ab Authoribus leges contractuum, ad quas obseruandas tenentur, si ibi ab ipsis contractus celebrentur.

376 Assero quartò; si Scholasticus, in cuius patria obseruatur Tridēti num, adsit in loco, in quo non obseruatur, validè contrahere matrimonium Clandestinum, seu sine Parocho, & testibus; quod verum est, etiam si ibi non habeat quasi domicilium, sed solùm adsit per modum hospitij, & transitus; nam vt contractus sit validus, solùm est necessarium, vt adhibeantur solemnitates requisitæ ad eius valorē in loco, in quo celebratur; in eiusmodi autem loco, etsi requirantur Parochus, & testes, vt matrimonium sit licitum, non verò vt sit validum; & prętereà cuilibet fas est, aptare se moribus, ac consuetudini loci, in quo adest. Sic contra Zippæum, Syluium, Rodriguez, Dianam, & Vazquez, tuentur Gutierrez *cap. 61. de matrim. num. 12.* Basilius Legionensis *lib. 5. de matrim. capit. 9. n. 2.* P. Fagundez *de primo præcepto Eccles. libr. 1. cap. 8. à num. 7.* P. Th. Sanchez *de matrim. lib. 3. disp. 18. num. 28.* Petrus Ledesma, Ochagauia, Cornejo, Bonacina, P. Rebellus, Coninch, Gaspar Hurtado, Reginaldus, & alij apud Leandrum *vbi suprà, quæst. 11.*

377 Imò addo cum P. Th. Sanchez, Basilio, Bonacina, Ochagauia, Coninch, & Hurtado apud ipsum Leādrū *quæst. 12.* posse incolas loci, in quo obseruatur Tridentinum, commeare ad locum, vbi non obseruatur, vt ibi validè clandestinè nubant; quia in profectione ad eum locum suo iure vtuntur, & non operantur in fraudem legis appositæ in Tridentino, sed fugiunt obligationem legis, ad quod nullo iure prohibentur. Confirmatur hoc exemplis vtilibus ad praxim. Primò, potest incola loci, in quo Bulla Cruciatæ non valet, accedere ad locum, in quo valet, solùm eā accipiendi causa, & ipsa in suo loco vti; (exceptis priuilegijs esus euorum, & carnis, quæ limitantur pro existentibus intra Hispaniam) etenim in accessu ad locum, in quo Bulla valet, iure suo vtitur, & eo vti, non est facere dolo malo; *lrg. nullus videtur, 55. ff. de regul. iur. leg. cum creditor, ff. de furtis; leg. 3. §. is tamen ff. de liber. hom. exhibend.* cum pluribus alijs ibidem in Glossa citatis.

378 Prætereà potest quis, vt obligationem effugiat præcepti, transire ad alium locum, vt ibi non ieiunet, si ieiunatur in suo. In hoc enim nō datur fraus legis, quæ tunc reperitur, quādo hic & nūc instat obligatio legis, & ibi quis conatur per fraudem euadere obligationem; in loco autem illo propinquo non instat obligatio legis ieiunij; Sic P. Fagundez *vbi suprà cap. 7. num. 7.* Imò Diana *part. 1. tract. 9. resolut. 40.* affirmat cum Medina, & Ledesma, deobligatum esse à ieiunio eum, qui, etiam recreationis causa, labore graui est fatigatus, nec teneri ad relinquendum laborem, v.g. ludum pilæ, ne defatigetur, cum iure suo vtatur in ludendo. Demùm, vt alia pręteream, Salmanticæ, & Compluti, vbi nemo intra ipsa oppida natus potest nobilissimam ferè omnium Collegiorum togam nanciscī, licitum est matribus pręgnātibus, ex eis locis ad alia proficiscī, vt ibi filios in lucem edant, & sic illi deinceps valeant Collegia obtinere; illa enim profectio non est dolus malus, & fraus legis, seu statuti; vtuntur enim iure suo, cum nul ibi eis prohibeatur, ex eis locis exire. Quæ om

nia

nia tradidi *tom. in Bull. Cruciat. disp. 3. numero 14.* & in superioribus eadem iam libaui.

Quæstio XXXIV. An Scholastici, quibus sub pœna excommunicationis prohibentur aliqua arma, vestium genera, & huiusmodi alia, eam incurrant, si ea arma, aut vestes afferant, aut habeant?

379 QVESTIO hæc vtilis est valdè praxi communi; ad cuius decisionem supponenda sunt principia nota de excommunicatione, quibus nunc nō est incumbendum, sed videri possunt, quę in compendium redegi *tom. in Bull. Cruciatæ, disp. 25. à num. 8.* Igitur solent Iudices Ecclesiastici Academiarum excommunicationis ferre sententiam contra eos qui arma prohibita, vt putà exigua tormenta ignea, aut scopleta secum afferunt, aut apud se retinent; aut vestibus sericis, siue profanis ornātur, aut aliud quid gerunt rectæ gubernationi Academię cuiusque cōtrarium. Et hoc in casu quæstio habet locum.

308 Præmitto primò, causam, ob quam excommunicatio fertur, debere esse grauem, ita vt præceptum non cadat supra materiam leuem, et sit tale, vt eius violatio peccatum lethale sit; aliàs enim excommunicatio nulla erit; Sumitur id *ex cap. nemo Episcoporum, cap. nullus Sacerdotum 11. quæst. 3.* ex Tridentino *sess. 25. cap. 3. de reformat.* Nam cum pœna debeat commensurari culpæ *cap. Fœlicis, de pœnis, in 6.* & excommunicatio sit pœna grauis, non nisi ob grauem culpam imponi potest. Grauitas autem materiæ ex circunstantijs metienda est, attentis incommodis, quæ ex ea sequuntur. Vnde indubium est, sortiri grauitatem materiæ, afferre arma prohibita, aut apud se habere, cum ex se indè multa queant grauia incōmoda sequi, vtendo illis, ad vulnerādū, vel occidēdū; & eorū fiducia in rixas, & pugnas deueniēdo; seu alijs ea mutuando; vt malè eis vtātur. Rursùs etiam est materia grauis, vestes profanas, aut ingētis valoris afferre; quippè Scholasticorū habitus debet esse modestus; nec sumptus debent fieri, quibus parētes grauētur; nec alijs in eo ornatu præire, vt ipsi etiā similem sibi aptent: & qui non sunt adeò diuites, ac alij, sumptus faciant immoderatos, ne vincantur in cultu, & ne minùs, ac alij, ob exteriorem ornatum æstimentur; quæ damna inter adolescentes inuicem æmulos, frequenter possunt exoriri. Hinc in simili Tiraquellus *de lege connubial. glos. 1. part. 3. num. 14.* asseruit; *valet statutum Episcopi, quo fulminatur excommunicatio contra mulieres portantes vestes superuacuas*, &c. refertque pro eodem asserto Baldum, & Ioannem Andream.

381 Præmitto secundò, loqui nos de pœna *latæ sententiæ*; nam excommunicatio ferenda, & comminatoria non incurritur, donec de facto feratur; esto iuxta communionem sententiam sit peccatum graue contumaciæ trāsgredi præceptum, cui iniungitur; cum, illicò ac violatur, ferri possit excommunicatio, & hæc supponit graue peccatum, vt nuper dixi. Ex verbis autem, quibus fertur, manifestè dignoscitur, an sit lata, vel ferenda; Ab Authoribus autem passim feruntur verba, quibus innuitur, quando sit lata, quādo solùm comminatoria, Communiter autem, cum est lata, sic imponitur; *sub pœna excommunicationis latæ sententiæ*, & tunc ipso facto incurritur. Moneo autem Salmanticenses, excommunicationem, quæ quotannis à Cancellario, seu Magistro Scholarum solet publicari contra eos, qui arma prohibita habent, esse latæ sententiæ, & ipso facto incurrendam; sic etenim expressis verbis fertur; & sępè ille publicè manifestauit, se velle, eam excommunicationem ipso facto incurri, si præceptū violetur, & curauit, id omnibus Confessarijs fieri manifestum.

382 Præmitto tertiò, ignorantiam excusare ab incurrenda censura; cum hæc nequeat incurri, nisi propter cōtumaciam inobedientiæ, & non ob aliud peccatum, si absit contumacia, scilicèt quia reus sprenit authoritatem Ecclesiæ monentis, ac præcipientis; vt communiter docent Authores, & colligitur ex *Matth. cap. 18. & ex cap. ex parte 1. de verbor. sig. nifi.* Vnde, cum ignorans præceptum nequeat esse contumax, non incurrit excommunicationem in foro interno; esto in externo foro, si transgrediatur præceptum, possit declarari excommunicatus, quia ea ignorantia non præsumitur, nisi probetur.

tur. Attamen, si ignorantia sit crassa, seu affectata, non excusabit à pœna censuræ; v.g. si scholasticus sciens in communi, publicari aliqua præcepta, vel censuras, seu publicè in aliquo loco peruio fixum esse instrumentum, vel summarium, in quo cõtinentur, vel ab aliquo fidedigno, qui eas audiuit, seu legit, referri, ipse consultò nolit interesse, nec audire, nec legere, nec quænam sint, inquirere; Etenim implicitè vult non obedire, seu liberè operari, quin attendat ad prohibitiones, quas ignorare affectat, & periculo manifesto se exponit violandi præcepta, quorum violatio est lethalis in causa, adeòq; simul reperitur contumacia, ob quam excommunicationem incurret, adhuc in foro interno, illicò ac præceptum fuerit transgressus.

383 His præmissis, affero, Scholasticos transgredientes eiusmodi præcepta imposita sub pœna excommunicationis latæ sententiæ incurrere eam excommunicationem ipso facto. Probatur apertè ex doctrina communi circa cẽsuras, & ex prę iactis præmissis. Quippè supponimus, in Iudice Ecclesiastico Academiæ esse potestatem infligendi censuras; cum omnis Prælatus Ecclesiasticus, habens in foro externo iurisdictionẽ, possit ferre censuras in subditos sibi contumaces; quod sumitur *ex cap. cum ab Ecclesiarum, de Officio Ordinarij*, & docent omnes cum *D. Thom. in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 2.* Quæ omnia requisita in Iudicibus Ecclesiasticis Academiarum reperiuntur. Deinde adest causa sufficiens, ob quam excõmunicatio feratur, vt iam prænotauimus; ergo violans præceptum impositum sub excommunicatione modo prædicto, absq; ignorantia saltem crassa, & affectata, incurrit excommunicationem; nullum enim extat caput, vnde excusari queat, nec vlla ratio, ob quam non incurrat censuram.

384 Hinc audiendi non sunt, qui asserunt, se ea arma non habere, vt damnum inferant, sed voluptatis gratia: nec ea secum afferre, sed domi clausa seruare, nec ea esse parata, vt possint alicui nocere. Etenim præceptum rẽdit ad vitanda pericula, ac incõmoda, quæ possunt inde dimanare; &, quamuis hic & nunc ea pericula non instent, & habens ea arma firmiter proposuerit eis non vti, nec ea alteri mutuare; attamen adhuc periculi occasio datur, eaq; voluntas mutari potest; & data occasione tumultuum, & rixarum, experientia docet, frequentissimè mutari, &, licèt ea experiẽtia præstò nõ esset, certissimũ est, adesse occasionẽ periculi, & damni, quã occasionẽ eradicare intẽdit præceptũ. Vnde Cõfessarij nõ debent, nec possũt in hoc conniuere pœnitẽtibus, nec eos valent absoluere, nisi ea arma à se expellant; quod ante absolutionẽ fieri oportet, nisi veracitati pœnitẽtis prudenter fidatur, eum promittẽtem à se ejicere prædicta arma, id fore executurum, cautione ab ipso sufficienti prę stita. Et in hac materia rigidos se potiùs, quàm benignos exhibeant Confessarij, cum quieti, paci, ac vnioni Scholasticorum, & profectibus in litteris, necnon rectæ gubernationi, & statui fœlici Academiarum ingenter expediat, Scholasticos armis esse expoliatos, maximè prohibitis; ne eorum fiducia in pericula se immittant, noctu diuagentur, rixas foueant, tumultus excitent, & discordias inuicem inter se ipsos, prout in diuersis Prouincijs, seu Nationibus ortos, moueant. Quæ omnia cessassent, si à singulis, vt par est, arma tollerentur; sicque suo muneri satisfacerent, facultatesq; parentum non disperderent, sed potiùs fructum, & incrementa perciperent, modestiæq; exẽplum præberent.

385 Nec item potest esse causa excusans ab incursione in excommunicationem, quòd ea arma quis habeat, vt defendat domum, pecuniam, aut supellectilem, si fortè noctu aliqui ad deprædandũ ingrediantur, aut armati intẽdant per vim ea rapere, titulo extorquendi à tyronibus donatiuum. Etenim hæc excusatio admitti non valet. Primò, quia eam omnes adhibere possent, indèq; frustraretur, & eluderetur præceptum prohibens arma prædicta, & incideretur in damna, & incommoda libata, quæ grauissima sunt, & contraria maximè bono publico, & communi, cui vt consulatur, deberent adhuc sustineri damna vni, vel alteri prouenientia; id expostulante norma rectæ gubernationis politicæ; si quidem bonum publicum priuato bono est præferendum; & priuatũ damnũ est postponendum damno publico. Secundò, quia alia suppetunt media ad domum propriam seruandam, quin his armis indigeatur; & sicut absq; illis plurimi ab eiusmodi inuasionibus liberantur, ianuas tempore opportuno claudendo, easq; per noctem non reserando; monitis præterea Iustitiæ Ministris, si fortè metus probabilis inuasionis adsit, vt inuigilent, & calles, compita, ac oppidum inuisant, & custodiant,

stodiant, alijsque adhibitis medijs, ita etiã cæteri valent eisdem vti medijs, vt incolumes à damnis euadant. Tertiò, quia nec sæcularibus licet habere arma prohibita per leges Regni, nec vllo colore, aut titulo excusantur, quo minus pœnam inflictam subeant, si apud ipsos ea inueniantur; ergo nec licet Scholasticis vllo titulo, aut colore defensionis propriæ eiusmodi arma retinere, sed incurrent pœnam, si retineant, eo discrimine, quòd laicis iniungitur pœna exterior, quam sua sponte subire non tenentur, ideòq; necessaria est coactio iudicialis; pœna autem excommunicationis lata incurritur ipso facto, quin opus sit coactione, seu alia sententia iudiciali.

386 Animaduertenda tamen sunt in præsenti nonnulla. Primũ, nõ incurri præfatam excommunicationẽ, ex eo, quòd quis per vnã, aut duos dies, postquàm illa lata est, aut ad eius notitiã peruenit, arma prædicta apud se retineat, dum de eis disponit; etenim & materiæ debet reputari paruitas illa retentio, & prætereà præceptum ipsum, & præcipiens locum præbent, vt de armis eo breui tẽpore disponatur.

387 Secundò notandum est, si Iudex Ecclesiasticus facultatem cõcedat, vt apud aliquos viros probos, & Religiosos, arma possint deponi, ac seruari, (vt solet Salmanticæ fieri) semel deposita, ac seruata non valere repeti à suis dominis, donec à loco Academiæ abscedant, nisi poscantur ad disponendum de illis, vendẽdo, aut ea permutando; Etenim, si obortà occasione rixæ, aut tumultus, ea poscerẽt, vt vterentur ipsis, incurrerent in excommunicationem latam, portantes arma prædicta, quamuis id per dimidium diem, vel per paucas horas præstarent; cum eo adhuc breui tempore instaret præceptum, & pœna; nec esset censenda parua materia temporis, si quidem in eo darentur pericula, quæ præcauere vult Iudex. Et quidem id perindè se haberet, ac si Scholastici in suis domibus arma seruata retinerent, & data occasione, per paucas horas illis vterentur; quod nemo negabit, opponi graui ter præcepto, & non posse excusari ratione paruitatis materiæ temporis.

388 Tertiò est animaduertẽdum, non incurrere prædictam excommunicationem eum, qui habet apud se prædita arma, si sint fracta, ita vt illorum non possit esse vsus. Quippè ea, vt talia, absolutè non continentur sub armis prohibitis, si quidem arma non sunt offensiua, nec defensiua, quando vsus eorum nequit dari; nec animus prohibentis ad illa se extendit, cum ex eis nequeant timeri damna, aut pericula. Cæterùm poterit eorum dominus ministrare ea, vt consolidentur, seu componantur, non quidẽ animo eas posteà apud se retinẽdi, sed disponendi de illis, aut deponendi apud eos, qui illa seruare possunt.

389 Quartò obseruandum est, ab excommunicatione lata cõtra eos, qui attulerint tale genus vestium, seu ornamentorum, (si fortè ea excommunicatio feratur) posse rationabiliter dari excusationem, vt non incurratur. Veluti, si quis non habeat alias vestes, nisi sericas, nec commodè alias possit emere, (quod arbitrio viri prudentis, ac timorati deferẽdum est) aut eas aliũde nequeat habere; etenim præcepta positiua non obligant cum graui incommodo; & vbi quis excusatur ab adimpletione præcepti, etiam excusatur à censura, quæ non incurritur, nisi illud culpabiliter violetur.

Quæstio XXXV. Quis possit Scholares absoluere à censuris, quarum absolutionem sibi reseruat Iudex Academiæ?

309 SOLENT Iudices Academiarum reseruare sibi absolutionem ab aliquibus censuris, quas ferũt, & in hoc casu inquirimus, an qui incurrit in censuram ab eis latam, possit ab alio, quàm ab ipsis, absolui? Quæstio supponit, quando excommunicatio non est reseruata, posse quem absolui à quolibet Confessario approbato, iuxta omnium doctrinam.

390 Dico ergo, eos, qui incurrunt excommunicationem reseruatam Iudici Academiæ, aut Magistro Scholarũ, non posse absque aliquo priuilegio absolui ab alio, quam ab ipso reseruante. Quæ conclusio est certissima ex principijs communibus; habet enim Iudex potestatem reseruandi sibi absolutionem à censuris, quas ipse fert; vnde nullus, si non sit Superior eiusdem excõmunicantis, aut is ad id priuilegium concesserit, potest absoluere, cum is iurisdictione careat, quæ ab illo,

vel

vel à Superiore illius dimanare debebat.

392 Cæterùm, vbi Bulla Cruciatæ viget, si excommunicatus eam habeat, potest eligere approbatum Confessarium, qui eum toties quoties absoluat à prædictis censuris reseruatis, etiam si reseruans sit Episcopus; vt latè docui *tom. in Bull. Cruciat. disp. 25. num. 25. & per totam disput. 22. à num. 3.* Rursùs potest absolui à quouis Confessario approbato ex Ordinibus Mendicantibus, aut etiam ex non Mendicantibus, qui priuilegia Mendicantium participent; quamuis excõmunicatus Bullam Cruciatæ non acceperit, vt videri potest in omnino simili casu, & adhuc maiori reseruatione adstricto, *in hoc libr. 3. q. 29.* Id tamen obseruandum, quòd, si Academiæ Prælatus sit Episcopus, & in Italia ea Academia existat, ablatã esse facultatẽ Regularibus ad absoluendum à reseruatis Episcopo, vt constat *ex loco nuper relato.* Vbi etiam liquet, quomodo, & quibus absolutio à censuris impertiri queat.

393 In dubio autem, an cẽsura sit reseruata, necne, iudicari debet, nõ esse reseruatam, nam reseruatio est odiosa, & odia sunt restringenda; sicut in dubio, an censura sit latæ sententiæ, vel ferendæ, censeri debet ferendæ, ob eamdẽ rationẽ, vt cũ cõmuni tenet Diana *4. par. tract. 3. resol. 16.* In dubio autem, an quis sit censura innodatus, tutius est, petere absolutionem; sed, quia melior est conditio possidẽtis, siuè dubium sit iuris, siuè facti, secluso scandalo, non debere quem reputare se cẽsura irretitum, docet P. Tannerus *tom. 4. in 3. p. disp. 6. quæst. 10. dub. 4. num. 60.* cum alijs, aduersus P. Molin. *tom. 4. de iust. tract. 3. disp. 67. num. 7.* id negantem in dubio facti. Vide Dian. *part. 4. tract. 3. resolut. 35. & 66. ac part. 5. tract. 9. resolut. 44.*

394 Obiter (quia quæstio est communis etiam non Academicis respectu suorum Iudicum Ecclesiasticorum) aduerte, quid dicendum sit de absolutione à censura in particulari, nempè ab homine; si, videlicèt Iudex Ecclesiasticus Academiæ excommunicauit aliquem in speciali, an ab alio, quàm ab ipso, vel de eius licentia absolui queat? Et ratio dubitandi sumitur ex doctrina communi, quam tradit Cardinalis Toletus *in sum. lib. 1. cap. 16. num. 7.* quòd ab excommunicatione speciali ab homine solus ille, qui inflixit, saltem pro foro externo, absoluere potest; Imò licèt Superior excõmunicantis possit absoluere, debet eum admonere, nisi necessitas vrgeat, vt Iudicibus inferioribus sua iura seruentur; teneturq; citare partẽ, si ad instantiam illius lata fuit excommunicatio; quòd si secùs operetur, illicitè absoluet, sed validè, vt obseruant Abbas, & alij *in cap. qua fronte, de appellat.*

395 Igitur certum est in primis, si pars non sit satisfacta, nec præstetur sufficiens cautio ab excommunicato, non posse nec pro foro interno absolui, quia ad huc in sua contumacia perseuerat, & non datur priuilegium ad absoluendum sic indispositum. Deinde affero, si censura specialis ab homine non sit reseruata Pontifici, aut Episcopo, & sit iam satisfactum, aut detur cautio satisfaciendi, vel impotẽtia, quamuis lis sit deducta ad forum iudiciale, posse excommunicatum absolui pro foro interno à quolibet Confessario approbato; Si verò sit reseruata ipsi Iudici Academiæ, aut Episcopo, vel Pontifici, posse virtute Bullæ Cruciatæ gaudentem illa absolui pro foro interno, & absque Bulla Cruciatæ, à Confessarijs approbatis Ordinum Mendicantium, & à gaudentibus priuilegijs illorum, posita limitatione suprà facta. Hoc assertum latè defendi *tom. in Bull. Cruciat. disp. 25. à num. 121.* vbi patrocinantes ei retuli Nauarrum, Couarrubias, Ludouicum à Cruce, Acostã, Sayrum, Dianam, P. Henriquez, Thom. Sanchez, & Doctorem Saluador Nauarro, quẽ sub nomine Nauarri iunioris frequenter Pater Henriquez in glossa citat; qui Collegij Maioris Ouetensis Salmantini togacærulea fuit insignitus, & Vespertinæ Iuris Canonici Cathedrę in Academia moderator, cuius de hoc puncto quæstionem lectam anno 1655. mihi contigit reperisse in Bibliotheca insigni D. Ioannis de Solorzano Pereira, in Regio Castellæ, & Indiarum Consilijs Senatoris, Viri supra inuidiam omnem sapientissimi.

396 Loco nuper allato assertum hoc stabiliui, & rationes contrarias dissolui, &, ne videar mei ipsius transcriptor, non esse eadem repetenda iudicaui. Ibi legantur, & constabit, quas vtilitates afferat hæc absolutio à censuris pro foro interno. Cæterùm pro foro externo tenenda est doctrina communis, non posse absolutionem impertiri, nisi ab excommunicãte, vel de eius licentia, aut à Superiore Iudice, seruatis conditionibus, quarum suprà meminimus, siuè excõmunicatio sit reseruata, siuè non; aliàs perturbaretur forum externum, & iudiciale, & hic aptatur cõmune

mune proloquium, quòd *eius est absoluere, cuius est ligare.*

379 Ad calcem obserua, solere ignorantia quadam laborare tum Scholares, tum alios, existimantes, cum in excõmunicationem maiorem inciderunt, (qualis est omnis excõmunicatio præter eam quæ incurritur propter communicationẽ non necessariam, nec vtilem cum excommunicato vitando) non debere, abstinere se ab omnibus illis, quæ prohibentur excõmunicatis publicè denuntiatis, aut publicis Clerici percussoribus, qui sunt vitandi, & non tolerati, continenturq; prohibitiones in eo vulgari versu;

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Etenim quilibet excommunicatus excõmunicatione maiori peccat mortaliter, si se his ingerat, & ab eis non abstineat. Quare, quòd is, qui communicat cum excommunicato tolerato (qui nec publicè denũtiatus est, nec est publicus Clerici percussor) non incurrat excommunicationem minorẽ, id ab Ecclesia est indultũ non in gratiam ipsius excommunicati, sed cæterorũ fidelium; quapropter nihil ille in sui fauorem habet; indeq; si per eum stet, absolui, peccabit immiscendo se cõmunicationi tã politicæ, quàm Ecclesiasticæ, nisi in casibus, in quibus cõmunicatio permittitur etiam excommunicato nõ tolerato, qui clauduntur in eo versu trito;

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Et tam huius versus, quàm positi suprà explicationem inuenies apud Authores passim *in tract. de censuris, seu de excommunicatione*; & apud Summistas *verbo, excommunicatio.* Hinc absolutio ab excommunicatione absq; temporis mora est curanda, ne in noua peccata quis incidat, cum sit ad id adeò proxima occasio, & non facilè à communicatione cum alijs abstineatur.

Quæstio XXXVI. Secluſa prohibitione Iudicis Academiæ, an & quod peccatum ſit, ornari Scholaſticos veſtibus pretioſis, aut profanis?

398 DIXIMVS superiùs, quid tenẽdum sit, cum Iudices Academiarum prohibent Scholaribus aliqua vestium, & ornamentorum genera; nunc inquirimus, vtrùm, secluſa ea prohibitione, detur peccatum, & quale, in ornatibus nimijs? Dupliciter res cõsiderari valet; vel secundùm se, vel iuxta circunstantias extrinsecas. Dico igitur primò, excessum in corporis ornatu, seu vestibus, attẽta qualitate personæ, loci, & temporis, per se loquendo, solum esse peccatum veniale; etenim, quando aliquid non est per se, seu intrinsecè malum, excessus in desiderio, aut vsu illius non est nisi peccatum veniale, secluſis circunstantijs extrinsecis, vt videre est in excessu conuiuiorum, aut ædificiorum. Cum ergo vestes, & ornamenta pretiosa, seu magni valoris, aut sollicitè elaborata, non sint per se, & intrinsecè mala, excessus in appetitu, & vsu illorum non est nisi peccatum veniale. Hanc doctrinã tradunt S. Thom. *2.2. quæst. 169. art. 2. in corpore.* D. Antoninus *part. 2. tit. 4. cap. 5. & seq.* Caietanus *2.2 quæst. 169. art. 1.* Nauarrus *in manual. cap. 23. num. 18.* P. Lessius *de iust. lib. 4. cap. 4. num. 110.* P. Laymã *tom. 1. oper. moral. lib. 2. tract. 3. capit. 13. num. 11.*

399 Dico secundò, prædictũ excessũ in ornatu corporis, & vestibus posse esse peccatum mortale, nẽpè ex circunstantia extrinseca finis praui mortalis appositi; in quo nihil speciale est in hoc excessu, quod nõ sit in quauis actione extrinseca indifferenti ex se, quæ lethale peccatum erit, si ei apponatur finis prauus lethaliter. Sic deambulatio aſt actio indifferẽs ex se; si autem quis per aliquem locum deambulet animo sollicitandi fœminam ad actum turpem, peccatum lethale erit. Igitur si quis vestibus concinnis, pretiosis, & accutata arte elaboratis vtatur propter finem prauum lethaliter, v.g. vt fœminæ, quam ad actus turpes sollicitat, oculos, & voluntatem allic iat, aut propter alium similem, peccatum mortale erit. Dixi *finem prauum lethaliter*; nam finis potest esse solùm venialiter malus; vt, si quis se ornet, vt vanam gloriam captet, vel ob quid simile.

400 Et quidem, quamuis quis ita molliter, ac pretiosè indueretur, vt posset inde aliqua fœmina ad concupiscentiam illius prouocari, tamen hoc scandalum non debet ad peccatum mortale imputari, quia est potiùs acceptũ, quàm datum, quandoquidem corporis ornatus per se, ac directè non prouocat ad luxuriã, sicut nec elegantia, & pulchritudo corporis.

ris. Quod adhuc de fœminis, cuius ornatus plùs incitat homines ad lasciuiã, quàm è conuerso, docent D. Antoninus *vbi suprà* §. 8. Caietanus *vbi suprà, art. 2. & verbo, ornatus.* Armilla *verbo, ornatus, num. 3.* Nauarr. *in manual. cap. 14. num. 27.* P. Sa *verbo ornatus, num. 1.* P. Thomas Sanchez *in sum. lib. 1. cap. 6. num. 17.* P. Lessius *vbi suprà cap. 4. nam. 113.* P. Azor *institut. mor. tom. 2. lib. 12. cap. vlt. quæst. 12.* licèt nonnulli ex his excipiant aliquem casum tarum, & specialem, in quo sit probabile periculum ruinæ alicuius personæ particularis ex nimio ornatu fœminæ, tunc enim ex lege charitatis teneri ad abstinendum ab eo ornatu, si sine difficultate possit, affirmant; atque etiã peccati mortalis damnant fœminam, quæ prima consuetudinẽ introducit aliquarũ vestium, quæ nuda relinquunt pectora, aut quid simile, vnde multos scandalum esse passuros, est probabile.

401 Vt autem propiùs ad Scholasticos deueniamus, ornatus nimij, & pretiosi eis sunt dissuadendi, quippè vt parùm congruentes modestiæ, quam debent profiteri; Et sanè adolescentes his ornatibus emolliuntur, & effœminantur: à bonis artibus, ac virtutibus retrahuntur, ita vt non ratò exindè periculum peccati lethalis immineat, vt rectè monet P. Layman *vbi suprà num. 11. versu, Negari non potest.*

402 Peccabit autem mortaliter Scholasticus, qui, vt vestes pretiosas, ac superfluas emat, eisque ornetur, insumit maiorẽ partem alimentorum, ac est ea, quam dispendere potest. Quippè, vt stabiliui *hoc lib. 3. quæst. 19.* nequit Scholasticus cõmuniter (aliquas enim exceptiones apposui) absque peccato graui expone re ludo nisi quinque ex singulis centũ, ita vt ex mille amittere queat quinquaginta, eo quòd rationabiliter inuiti sint parẽtes, si maiorem quantitatẽ dissipet. Quare eam quantitatẽ absq; peccato lethali poterit dispendere vel in conuiuijs, aut etiam in vestibus superfluis. Dixi *absque peccato lethali*, accipiendo rem præcisè ratione dissipationis pecuniæ; nam aliunde iuxta materiam, in qua dissipatur, poterit esse lethale. Igitur quomodocũque dissipet maiorẽ quantitatem, grauiter delinquet; cum malè vtatur bonis, quorum administrator est iuxta parentis voluntatẽ; Parum autẽ ad intentum refert, quòd dissipatio sit in ludo, vel in vestibus superfluis.

403 Quòd si aliundè ipse habeat peculiũ, vel quasi peculium, non erit mortale peccatum, eos ornatus superfluos emere ex illo, sicut non erit, exponere tũc maiorẽ quantitatẽ ludo. Prætereà ratione damni extrinseci potest id esse peccatum mortale; nam, si Scholasticus debitor sit, & creditoribus, non habeat, vnde satisfaciat, nisi ex pecunijs, quas in vestes superfluas impendit, delinquit contra iustitiã. Vel si propter superfluos sumptus in eiusmodi ornamẽtis redigeretur in angustias, vt non posset se, & suos honestè alere, cõtra charitatem peccaret, vt obseruat Nauarrus *in manual. cap. 23. num. 18.*

404 Igitur Scholastici hæc profana, & nimis elaborata, ac pretiosa ornamenta abijciant, vt vestibus, incessũ, verbis, ac moribus modestiæ exhibeant documenta. Sic quondã incedebant Scholastici Salmanticenses, quos, & Academiam Salmantinam, vt Ideam omnium Academiarum proponit P. Antonius Possevinus *lib. 1. Bibliothecæ selectæ, cap. 8.* Et post alia plura si profatur, *Cæterùm, cum quatuor millia Salmanticæ operam dent, ac verò septem aliquando fuisse millia scriptum sit, ij omnes vitæ honestate, moribus, sermone, Cœnobium Religiosorum (& horum quidem valdè obseruantium) repræsentant. Vestes omnes induunt ad talos vsque, quibus angustior domi res non sit. Neque verò arma, non sericum, non alicuius generis colores gestant. Vt mirandum non sit, vbi ea ratio, & forma Academiæ sit, quam & sequuntur aliæ Hispanicæ, & Lusitanicæ Academiæ, ibi diuinum cultum efflorescere in ijs Regnis, atque inde per vniuersum orbem semina omnis Religionis seri, ac matureſcere.* Fœlicia illa sæcula non denigrentur; vestigia præeuntium Scholastici sequãtur. Id caueant, ne vnquam vestibus fœmineis, aut tempore Bacchanalium aut vllo alio, induantur; Audiant verba *Deuteronomij capit. 22. v. 5.*

Non induetur mulier veste virili, nec vir veste fœminea, abominabilis enim apud Deũ est, qui facit hæc.

(?)

* * *

Quæstio XXXVII. An Scholastici teneãtur impedire amicis, aut famulis, ne iniuriam aliquã irrogent, sub obligatione iustitiæ, & restitutionis?

405 SAEPE notaui, quæstiones, quæ omnibus sunt comunes, circa Academicos à me ventiliari, quando eis frequentes sunt, ne quidquam in hoc opere desideretur in praxi. Igitur, si Scholasticus possit impedire, ne amicus, aut famulus tumultũ excitet, in duellum progrediatur, rixas commoueat, noctu vagetur expositus inferendo damna, furetur, aut quid simile faciat, inquirimus, an casu, quo nõ impediat, teneatur restituere damna, & contra iustitiam peccet? Idq; etiã aprandum est ei, qui impedire potest, ne alius suffragium iniquum ferat pro aliquo ad Cathedram obtinendam; aut iniquè Iudices de benemeritis informet.

406 Et, vt cum distinctione rem explanemus, prima conclusio sit, non de famulis, sed de amicis, aut alijs, erga quos posset quis authoritate pollere, ad impediendas iniurias ab illis inferendas; Et de his assero, non peccare contra iustitiam, nec teneri ad restitutionem, si non impediant, præcisè ratione non impediendi. Est sententia communis, quam tenet Pater Lessius *de iust. & iur. lib. 2. capit. 13. dubitat. 10.* & nouissimè in opere morali posthumo P. Antonias Perez *tract. de restitut. disp. 2. cap. 8.* contra Caietan. *verbo, Restitutio*, & alios. Probatur ex principio generali, quòd, cum meam operam in alterius commodum non impendo, si ex officio, aut contractu id non debeo, nihil aufero proprium illius, aut illi debitum; aliàs tenerẽtur omnes suas operas gratis donare alijs, eo quòd esset in eorum commodum; & artifices, ac operarij non possent pretium tamquam debitum ex iustitia recipere, si, non conferendo suas operas vtiles, aliquid auferrent proprium aliorum.

407 Et certè quilibet est perfectè dominus suæ libertatis, ac plurimarum actionũ habet perfectum dominium, quod amitteret, si statim ac alijs sunt vtiles; aut necessarias, deberet eas in illorum commodum exequi. Sufficit ergo ad finẽ humanæ societatis teneri ad eas præstandas ex obligatione charitatis, ac misericordiæ, quæ nec inducit debitum restitutionis, nec tollit dominium perfectum illarum; quia ideò teneor ex charitate, quòd alios considerò, vt mihi coniunctos, & velut alterum me; Et sicut non est seruitus minuens mihi actionum mearum dominium, me mihi ipsi obligatum esse ad procurandum proprium bonum, ita nec minuit, quòd sim obligatus ad procurandum bonum aliorũ, qui sunt mihi coniuncti, & ex charitate considerantur tanquam alter ergo. Id ergo discrimẽ est inter iustitiam, & charitatem, seu misericordiam, quòd obligatio iustitiæ respicit bonum alienum, vt opponitur meo bono, & inducit quamdam seruitutem, qua minuitur, aut tollitur dominium perfectum, quo gaudeo in meas actiones, & ordinatur ad augendum alienum, diuiditque bonum commune iuxta æqualitatem arismethicam; at obligatio charitatis refertur ad augendum bonum proprium per coniunctionem cum alijs; & ex bonis diuisis facit omnium bonum commune. Et profectò, si ex iustitia tenerentur omnes impedire damna aliorum, sequerentur innumera incõmoda, cõtrouersiæ, & lites; nã ex negligẽtia impediẽdi resultaret obligatio restituẽdi, & qui damna sustinuisset, conarentur, sibi ea resarciri, etiã per occultam compensationem; quæ incommoda sunt maiora, quã ea, quæ sequuntur ex eo, quòd homines non teneantur impedire damna aliena ex iustitia; si autem lex naturalis existeret impediendi sic ea damna, non sequerentur ea maiora incommoda ex illa; quippè hoc est propriũ legis naturalis, quòd ex eius existentia non sequuntur tot incommoda, quot sequerentur ex eius non existentia.

408 Hinc interpretor textum. *in cap. Quantæ, de sentent. excommunic.* in quo non solùm percutiens clericum, sed non impediens percussionem eadem sententia excommunicationis afficitur; vnde videtur, eodem modo se habere influentem, ac concurrentem positiuè ad aliquam actionem iniuriosam, & non impedientem. Etenim assero in primis, loqui Pontificem de non impediente, cum ex officio deberet impedire. Deinde respondeo, potuisse Pontificẽ eadẽ pœna afficere percussorem, & non impediẽtẽ, licèt solùm ex charitate impedire teneretur; vt sic scelus illud præcaueretur, &

omnes parati essent defendere clericos; Nec enim in textu quidquam est, quod ostendat, contra iustitiam delinquere non impedientes, & ex officio ad id non adstrictos.

409 Oppones tamen contra assertionem, si quis tribueret pecunias alteri venienti, illum furari, ne manifestaret ipsum, sanè hic accipiens teneretur ad restitutionē damni, quod ille fur intulit, ergo, quia non impediuit, clamando, aut manifestando ipsum. Respondeo, si traditio illius pecuniæ fuit medium ad furtum patrandum, vt, si famulus eam accepisset, vt taceret, teneri ad restitutionem, quia cooperatus est ad furtum non secùs, ac si clauem, aut scalam tradidisset; Si autem id non esset medium, sed traderetur pecunia ei, qui solùm ex charitate tenebatur impedire, vt non impediret, adhuc distinguendum est; nam traditio pecuniæ per modum pacti, & securitatis, est medium ad furtum, quare ibi adest cooperatio; si verò possit aliter tradi, absque pacto, & absque securitatis motiuo, non tenebitur accipiens ad restitutionem damni per furtum illati.

410 Itaq; qui est causa positiua aliquo modo iniuriæ, tenetur ad restitutionem, & etiam, qui est causa negatiua, si ex officio tenetur ad oppositum; Sicque sunt intelligendi communes versiculi cōtinentes eos, qui ad restitutionē obligātur. *Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, nō abstans, nō manifestās.*

Quas omnes causas expositas reperies apud Authores tractantes de Restitutione, de Iustitia, & Iure; & apud Summistas *verbo Restitutio*; & magno cum acumine, ac nouitate apud P. Antonium Perez *vbi supra, à cap. 3.*

411 Sit secunda assertio. Scholasticus non impediens famulum, vt iniuriam faciat, non tenetur ad restitutionem damni illati. Etenim, dum non iubet, suadet, cōfirmat in proposito per adulationē, recursum præbens addit animum ad inferendam iniuriam, vel suum consensum significans est causa iniuriæ, aut particeps est rei ablatæ, vel apponit aliquam causam, qua posita, sequatur iniuria, non est causa positiua damni; aliūde, etsi sit causa negatiua, non tenetur ex officio, & iustitia, sed ex charitate damnum illud impedire; ergo, licèt peccet contra charitatē, non tamen contra iustitiam, atque adeò restituere non tenebitur. Etenim cura dominorum erga famulos non ex virtute iustitiæ, sed charitatis oritur, quod maximè locum habet in Scholasticis, quorum famuli leuibus ministerijs addicti, minori obedientia, ac dependentia eis adstringuntur, & ipsi domini exiguas expensas cū eis faciunt, exigua obsequia exiguè remunerantes. Ex charitate autem tenentur impedire eiusmodi iniurias, & seriò iubere famulis, vt ab illis abstineant, aliàs eos à sua domo, & obsequio expulsuri. Quod obseruare debent, si animaduertant, famulantes mouere, aut fouere seditiones, rixas, tumultus, duella, rapinas, aliaque huiusmodi nocumenta bono publico maximè aduersantia: eos enim oportet penitùs amandare.

Quæstio XXXVIII. An Scholastici teneantur restituere, quæ à tyronibus accipiunt, titulo donatiui, vulgo Patentes, y barbas?

412 NON agimus de his, quæ manu armata noctu extorquentur, hæc enim non donantur, sed rapiuntur, & nullo titulo, aut ratione potest ea violētia excusari à delicto rapinę, euidēsque est obligatio restituendi; sed agimus de alijs donatiuis, quæ exposcuntur titulo tyrocinij in Academia; vt, cum Scholasticus tyro conuiuium exhibet aliquibus, aut aliqua esculenta eis emit; vel cum simul cum alijs ad domum, in qua merces, aut esculēta venduntur, ducitur, ac vnusquisq; sibi partem accipit, & deinde venditor designat vnum, qui pro omnibus pretium soluat; & innuitur priùs ei, vt tyronem designet; vel cōmuniter tyrones Scholastici dignoscuntur, & designātur. Quærimus ergo in his casibus, an detur obligatio restitutionis?

413 Dico primò, si hæc absq; vlla vi, vel metu donentur, vt alij grati habeātur, & animi cōcilientur, nullum interuenire peccatum, nec restitutionis obligationē, cū non sit caput, ex quo hæc oriatur; dummodo sumptus non excedant quantitatē, de qua possunt filij familias pro libito disponere; quod punctū nō semel hoc ipso libro pertracto

Dico

414 Dico ſecundò, ſi prædicta donentur, aut ſoluatur per metum grauem, aut leuem incuſſum iniuſtè, (& ſemper incutitur iniuſtè ab alijs, qui ea conantur extorquere) in accipientibus dari obligationem reſtitutionis. Sic, loquendo in communi, cenſent ferè omnes, eſtque ſententia communis, vt videri poteſt apud P. Leſſium *de iuſt. lib. 2. cap. 17.* P. Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 6.* Etenim in hoc caſu deficit ratio perfecti voluntarij in donãte, aut ſoluente; & donat, ac ſoluit, vt redimat ſuam vexationem, & vt à metu ſe exoneret; nec donaret, ſi metus ille non fuiſſet incuſſus; ergo ex ſua voluntate non donauit, nec tranſtulit dominium in accipientes, atque adeò hi reſtituere tenentur id, cuius dominium non habent, nec ſuum eſt, ſed alienum.

415 P. Antonius Perez *in opere morali, tract. de reſtitut. diſp. 2. cap. 9. num. 211.* diſtinguit inter metum, cum eſt finis impulſiuus ſolùm reſpectu donationis, & cum eſt finis principalis, & motiuus; & ait, primo modo non dari obligationem reſtituendi, ſic verò ſecundo modo; finem autẽ impulſiuum vocat finem, qui non eſt intrinſecus reſpectu actus, quo quis vult donare, ſed eſt dumtaxàt intrinſecus reſpectu actus imperantis donationem, ſeu voluntatem donandi; finem autem motiuum nuncupat eum, qui eſt intrinſecus ipſi actui donandi, ſeu volitioni donandi.

416 Hæc in primis metaphyſica ſunt, & reſolutioni practicæ ſub obſcura; deinde in ordine ad quæſtionis deciſionem videntur parùm opportuna. Nam quæſtio eſt, an accipiens ea dona, incuſſo à ſe metu graui, vel leui, teneatur reſtituere? Inquiro ergo, quomodo hic poſſit ſcire, aut cognoſcere, quid intra voluntatem donantis acciderit; & quos actus interiores ille habuerit; & an metus fuerit finis intrinſecus volitionis donãdi, aut imperij huius volitionis? Nonne accipiens id interrogaturus eſt ab ipſo donante? Et ne hoc vel ipſe donãs poſſit forſan agnoſcere, nec vterque intelligere? Ergo, vt obligatio reſtitutionis iniungatur accipienti (de quo eſt controuerſia) inutilis eſt illa diſtinctio; atque adeò, cum metus præceſſit, ſine quo donans non præſtaret rem, incumbit obligatio reſtitutionis accipienti.

417 Idem eſt de vi, ac de metu; vis etenim etiam tollit perfectum voluntarium; Quare hi, qui vim, aut metum adhuc leuem incutiunt (& præterea iubentes, ſuadentes, participantes) vt ea donatiua, aut munera extorqueant, ſeu accipiant; aut faciunt, vt tyrones cum ipſis conueniãt ad domum, ſeu officinam, in qua merces, vel eſculenta vẽduntur, ad hoc vt illi deſignentur ad ſoluendum pro omnibus, reſtituere tenentur.

418 Dices, metum leuem non ſufficere ad inualidandos alios contractus, ergo nec ad inualidandam eiuſmodi donationem. Reſpondeo negando conſequentiam, quidquid ſit de antecedenti; nã, dum aliud non conſtet, metus, aut vis leuis inducit præſumptionem, quòd donans, aut ſoluens non habuit animum transferendi dominium, ſed voluiſſe redimere vexationem; moleſtiorem putando eam vexationem, quàm aliud extremum, nempè donationem pecuniæ, etiam cum certitudine, aut periculo recuperandi illam; & prudenter iudicatur illa vis, aut metus, ſeu vexatio moleſtior. Secùs contingeret in matrimonio v. g. aut in ſimilibus quę propter metum leuem non inualidantur; quia vexatio tunc eſt minùs moleſta, ſeu eſt minus malum, quàm contrahere matrimonium, vt redimatur vexatio; quando ergo prudenter iudicatur eſſe maius malum vexationem, quàm id, ad quod fit vexatio, electio huius non preſumitur voluntaria, quia tunc quis donat, vt impetret liberationem à vexatione, & ea liberatio debebatur ei ex iuſtitia ab inferente malũ, quod perindè eſt, ac rem ſuam emere ſua pecunia, cũ aliter non poſſit ille eã liberationem obtinere. Et quidem ille neceſſitatem patitur ad donandum, ex ſuppoſitione quòd vult redimere vexationem, nam ei non ſe ſe offert aliud medium ad eam redimendam; vnde ex ea ſuppoſitione non donat liberè; ſuppoſitio autem eſt illi debita, ac licita, ideòque donatio eſt inualida, vtpotè inuoluntariè facta, ex prædicta ſuppoſitione.

419 Fateor, ſæpè poſſe excuſari eos, qui metum, aut vim leuem inijciunt, ab obligatione reſtitutionis. Nam, ſi detur adhuc præſumptio moraliter certa, quòd vis vel metus leuis fuit cauſa principalis mouens donatorem, attamen ille externè ſignificet, ſe velle donationẽ validã facere, ſeu trãsferre dominiũ, nõ dabitur obligatio reſtituẽdi; idẽq; eſt, ſi cõſtet, donatorẽ in ea eſſe habituali diſpoſitione, qua velit donationẽ validã,

efficere, & non obligare donatarium ad restitutionem. Ita P. Molina *de iustit. libr. 1. tract. 2. disp. 135.* Etenim, licèt tunc donatio non esset facienda, nisi metus præcessisset, at ex illa manifestatione voluntatis constat, metum fuisse solùm occasionem, animum verò intercessisse transferendi dominium. Et in hoc casu defendi potest distinctio suprà posita à P. Antonio Perez. Et quidem, quamuis quis furatus esset à domino pecuniã, si dominus manifestaret, se remittere debitum, non tenetur fur restituere; ergo, si manifestatur, aut sufficiẽter cõstat, donatorẽ velle transferre dominiũ in accipientẽ, hic non tenebitur restituere. Et quia hoc inter Scholasticos in casibus prædictis sæpè constat, obligatio restituendi non incumbit accipientibus maximè, si quantitas accepta sit exigui valoris, aut saltem non magni; aut si iam amicabili consuetudine, & vsu inter ipsos sit receptum, vt ea munuscula donẽtur, aut soluantur. Attamen nequit esse consuetudo, sed abusus, vt sint illa pretij, aut valoris immoderati; qualia essent ornamenta ex materia serica, vt caligæ, vel cinctoria, quæ per metum soluere ex designatione vendẽtis cogeretur aliquis, vel alia huiusmodi.

420 Deinde liberatur accipiens à restitutione, si ex habituali dispositione, quam habet donans, præsumat, eũ remittere restitutionem, ex eaque agnoscat, si peteretur ab eo remissio, fore illam concessurum. Quippè hæc voluntas præsumpta in domino rei acceptæ liberat à restitutione; cũ neque criminis furti reus sit, qui ex voluntate præsumpta domini rem illius accipit. Et sanè potuit dominus esse inuitus circa modum, & non esse inuitus circa substantiam; displicẽdo nempe ex eo, quòd per vim, aut metũ res exigeretur, & non displicendo in translatione dominij rei, vt docent valdè communiter Authores. Præsumptio autem prædicta prudenti iudicio est concipienda. Ex doctrina posita facile erit, dignoscere in casibus specialibus, qui se se offerre possunt, quando adsit restituendi obligatio, & simul ex illa nõ difficilè quælibet argumenta dissolues.

Vitandum tamẽ est omnino Scholasticis, ea donatiua poscere, aut extorquere.

(?)

Quæstio XXXIX. An Scholastici possint pro libito alienare, quæ sibi ipsis ex alimentis subtrahunt; & quas valeant eleemosynas erogare?

Vbi de restitutione ob defectum Recitationis.

421 AD quæstionem præsentem ponamus, patrem desinire filio in Academia versanti certam pecuniæ summam pro singulis mensibus, aut annis; filium verò propria parsimonia in victu, & vestitu magnã partẽ illius summæ non insumere, sed reseruare; inuestigamus, an, quidquid sic reseruat, possit validè donare, aut quocumque modo alienare? & supponimus, non intercessisse fraudem ex parte filij, vt à parente extorqueret maiorem summam, quàm necessariam; quin potiùs eam summam fore cõgruenter in alimentis insumendam, nisi ille parsimonia tanta vteretur.

422 Ad quæstionem respondeo affirmatiuè. Ita P. Lessius *libr. 2. de iust. cap. 12. dub. 3. num. 77.* Layman *tom. 1. Theolog. mor. lib. 3. tract. 4. cap. 12. num. 7.* & alij. Quippè pater eius summæ liberam administrationem filio præstitit, quasi pactum cum ipso iniens, vt nec ipse filius amplius peteret, nec pater ex illa summa quidquam tolleret; Vnde pater nõ est inuitus in eo, quòd filius, dũmodo eam summam non excedat, de illa pro suo libito disponat. Etenim, si constaret, illum esse inuitum, non posset filius pro suo libito ea bona reseruata alienare, vt prædicti Authores obseruant.

424 Ex hac resolutione fit, eos, qui ab Scholastico prædictam summam vel donatione acceperunt, vel in ludo compararunt, aut alio modo absque fraude, & iniustitia adquisierunt, non teneri ad restituendum, si ipsis constet, eam quantitatem à filio, non inuito patre, fuisse ob propriam parsimoniam reseruatam. Nec pater debet inuitus præsumi, nisi de eius renitentia constet.

Exinde

421 Exindè etiam philosophari possumus circa sumptus, quos aliqui Scholastici cum fœminis impudicis faciunt. Etenim in primis, independenter ab hac parsimonia, vt sæpè in hoc libro repetiuimus, validè potest Scholasticus alienare, ludere, & disperdere quinque ex singulis centũ, quę illi pro alimentis suppeditantur; quare eam quantitatem absque nouo peccato, distincto ab ipso peccato luxuriæ, potest fœminis eiusmodi donare. Potest item, quæ ipsi liberè disponẽda à cõsanguineis, vel amicis conceduntur; & rursùs ea, quæ ipse ex proprijs redditibus castrensibus possidet; esto possit intercedere peccatum prodigalitatis, si prodigè insumat; vel, si sint redditus Ecclesiastici, & pauperibus portionem congruentem non dispenset, sed profanè omnes insumat, dabitur culpa lethalis distincta à peccato, quod intendit patrare medijs illis sumptibus profanis, sicut eadem culpa daretur, quamuis sumptus illos non faceret, sed redditus Ecclesiasticos retineret, scilicèt qui supererent post sustentationem congruam, & honestam iuxta sui status qualitatem. Demùm absq; nouo peccato, dicta cum limitatione potest Scholasticus in fœminas illas impendere, quidquid propria parsimonia sibi subtrahit.

425 Dices, constare, id esse contra patris voluntatem; quis namque pater consentiat, filium esse fœminarum amatorem, & animam, ac salutem, pecunias, & tẽpus cum illis disperdere? Hoc argumentũ multum probat, & ideò nihil. Nam certum est, patrẽ nolle, vt filius insumat in libidinem vel vnicã drachmam? & tamen quis dicet, inualidam esse donationem vnius drachmæ factam fœminæ ex his, quæ filius alienare aliundè potest? Itaq; respondeo, si non constet, patrem esse inuitum, vt filius disponat de illa quantitate, quam sibi ipsi subtraxit, absolutè nõ esse inuitum circa substantiam donationis factæ fœminæ, hoc est, circa alienationem eius pecuniæ donatæ; solùmq, esse inuitum circa finem, circumstantias, & modũ eius donationis, quod illam inualidam nõ reddit, vt constat in instantia facta de vnica drachma, ad quam omnes hoc modo respondere tenentur.

426 De mulierculis ipsis poterat esse quæstio, an tenerentur restituere Scholasticis, quæ ab ipsis pro turpitudine exercẽda accipiunt? Sed quæstionẽ hanc, & plures illis annexas tractaui *tom. in Bull. Cruc. disp. 34. num. 199.* Id solùm annotauerim, teneri eas restituere, quidquid Scholastici nõ possunt alienare, & sibi imputent, quòd omnia perdiderint, si cum non potentibus alienare nisi certam, & limitatam quantitatem, conueniant. Prætereà tenentur restituere, si pretium excessiuum accipiant, et se carius vendant, quàm par est, si fœminæ sint publicè inhonestæ; & quidem valdè modicum pretium merentur; nam, vt Spiritus Sactus docet *Prouerbior. c. 6. Pretium vnius scorti vix vnius panis*; censerique nullatenùs debet, pretij excessum ex liberalitate donantis fuisse præstitum, si ipsæ exigant, sed præstitum ob ipsarum culpam illum excessum immeritò exigentium. Hæc, & alia plura videantur *loco relato*, ne transcribantur.

427 Circa secundam quæstionis partẽ de eleemosynis, quas erogare Sæculares possunt, facilis est decisio. Possunt etenim moderatas eleemosynas erogare iuxta qualitatem sui status, & quantitatẽ alimentorũ. Quòd si sint sub tutoribus, aut curatoribus, idẽ possunt præstare, etiam illis inuitis, sicut possunt alias donationes, ac sumptus moderatos iuxta statũ, ac facultates suas facere, vt tenet communis sententia, quam tradit P. Molina *de iustit. tom. 2. disp. 277.* Quando autẽ modum excedunt contra eorum voluntatem, peccare quidem eos, sed rarò mortaliter, docet P. Layman *vbi suprà num. 8.* & possunt ab eis reperi, quæ donata, aut inutiliter expensa sunt. Imò ex bonis minorum, pro facultate, & statu ipsorum posse curatores, & tutores erogare eleemosynas, & donationes remuneratorias facere, docent Medina *quæst. 4. de eleemosyna*; Pater Molina *vbi nuper*, P. Sa *verbo, eleemosyna, num. 15.* & colligitur *ex leg. cum plures, §. cum tutor, ff. de administrat. tutor.*

428 Si autem Scholastici redditibus gaudeant ex beneficijs Ecclesiasticis, & parentes, aut Curatores eorum administrationem habeant, hi tenebuntur eleemosynas erogare iuxta reddituum quantitatem, & qualitatem, & statum Scholarium Beneficia possidentium. Quòd si ipsimet Beneficia administrent, fructusque percipiãt, ipsi ad erogationem eleemosynarum tenentur. Quantum autem erogare teneantur, quæstio est communis omnibus Ecclesiasticis. Breuiter dico, ex præcepto diuino, & naturali teneri erogare eleemosynã ex his, quæ supersunt ex sustentatione congrua, atten-

ta dignitatis qualitate, vt cum P. Thom. Sanchez & alijs, Diana docet infrà referẽdus, etsi P. Lessius cum nonnullis doceat, id deberi ex præcepto Ecclesiastico. Probabile autem est, non teneri ad præstandum totum residuum, seu totum, quod supereſt, sed solùm medietatem illius, vel, vt alij censent, quartam partem totius summæ redditũ, si sint Episcopi; & cæteri quintam, aut sextam partem. Eamdem obligationem habent ij, qui pensionibus fruuntur, & non titulo laico; quamuis eos non ad id obligari, docet P. Vazquez, nec audet Diana eos de mortali damnare, si id non præstent. Quia tamen iuxta veriorem, & ferè communem opinionem Ecclesiastici sunt veri domini reddituum Ecclesiasticorum, non tenentur restituere, si non erogent eleemosynas, ad quas obligãtur, esto grauiter peccent. Omnes, & singulas traditæ doctrinæ partes reperies apud Dianã *p. 4. tract. 4. resol. 14. & p. 5. resol. 28. ac sequẽtibus; & part. 7. tract. 10. resol. 13. & part. 8. tract. 7. resol. 12.* Vbi plures refert Authores.

429 Idemque Diana *part. 7. tract. 11. resol. 36. & 39.* cum Cardinali Lugo, & alijs, docet, peccare mortaliter eum, qui reddituꝰ, qui supersunt ex sustentatione, insumit in vsus profanos in magna quantitate, scilicèt, quæ sufficiat, vt tota ea summa redundans, seu dimidium eius non dicatur moraliter in vsus pios expendi; cæterùm accipientes ea bona redundantia à donante, non teneri ad restitutionem, nec peccare mortaliter, quia peccatum consummatur in oblatione ante acceptionem.

430 In præsenti aduerte primò, Equites Ordinum Militarium Commendis gaudentes non teneri ad insumendum in vsus pios redditus, qui supersint, quia non præstantur Commendæ titulo Ecclesiastico, sed laico, seu ob militiam; vt tradit. P. Thom. Sanchez, & alij, quos refert, & sequitur Diana *part. 5. tract. 8. resol. 30.*

431 Aduerte secundò, si possidens reditus Ecclesiasticos detrahat ex necessarijs ad sui status decentiam, parciùs victitãdo, non teneri ad id præstandum paupertibus; sicut nec ea, quæ lucratur ratione alicuius ministerij, vt pro celebratione Missæ, pro comitandis funeribus, pro concionibus, pro labore administrandi Sacramenta, etiam si sit Parochus, & iuxta probabilem opinionem nec ea, quæ ex distributionibus quotidianis ei supersunt; vt cum Syluestro, P. Thoma Sanchez, Molina & alijs, omnia hæc tradit, per distinctas quæstiones Diana *part. 4. tract. 4. resol. 171. & part. 5. tract. 8. resolut. 27.*

432 Ex doctrina superiùs statutainferri potest decisio ad dubium, an Scholasticus redditus Ecclesiasticos ratione Beneficij, aut pensionis possidens, teneatur restituere ob defectum recitationis ex alimentis, quæ ad ipsum mittuntur? Etenim, si ipse independenter à parentibus, seu curatoribus administrationem reddituum habeat, tenetur per se ipsum restitutionem exhibere; si autem parentum sub potestate sit, aut sub curatore, qui eam administrationem retineant, & ipsi Scholastico solũ necessaria alimenta præbeãt, non tenetur ex his restitutionẽ præstare; debet tamen monere parentes, aut curatorem, vt quàm primùm possint, restituant. Vel si per Bullas compositionis restitutio fiat, indeque exiguam quantitatem sit ipse insumpturus, consultius erit, Confessarium hortari eum, vt id ita præstet, ne fortè vereatur ille monere parentes suæ desidiæ, ac culpæ in non recitando, periculoque exponatur vel nunquam, vel serò restituendi, cum teneatur ad restitutionem, quam primùm commodè possit, vel per seipsum, vel id monendo parentes, seu curatorem. Quantum autem restitui debeat propter defectum recitationis, & praxim compositionis faciendæ per Bullas latè, & dilucidè tradidi *tom. in Bull. Cruciat. disp. 34. cap. 2.*

Quæstio XXXX. An Scholastici decedentes in loco Academiæ testamentum condere possint, & donare causa mortis? & quæ bona? Vbi de ingredientibus Religionem.

433 A FACVLTATE libera disponẽdi de omnibus bonis ante mortẽ, quæ dispositio rationi maximè est consentanea, vt supremæ voluntatis liber sit stylus, postquam iam homines aliud velle non possunt, excipiuntur aliqui iure natu-

naturali, aut positiuo. Inter quos iure positiuo prohibentur filij familias, etiam pubes, nisi habeant bona castrensia, vel quasi castrensia, de quibus testari possunt, *leg. vlt. Cod. Qui testamentum facere possunt*. Quare, si Scholasticus sub potestate patris existens bona aliqua eiusmodi habeat, de illis testari poterit. In peculio castrensi numerantur ea omnia, quæ occasione militiæ à filio familias adquiruntur; *leg. Castrense, ff. de castrē si peculio, leg. 1. Cod. eodem titulo, lib. 12.* Iuxta quam legem, & iuxta *leg. vnic. §. Item nauarchos, ff. de bonor. possess. ex testamento militis*, constat, inter milites recenseri eos etiam, qui exercitum comitantur, quodcumque munus obeant; & iuxta *leg. vnic. Cod. de Castrens. palatinorum peculio, lib. 12.* liquet ad castrense peculium spectare, quæcumque milites palatini, Principem in palatio sequentes, proprio labore, parsimonia, aut ipsorum Principum donatione, adquisiuerint.

434 Ad peculium quasi castrense spectant emolumenta comparata ex officijs, aut muneribus publicis, vt Iudicis, Aduocati, Tabellionis, Doctoris, Medici, & similium; *leg. cum antiquis, Cod. de inoffic. testam.* Deinde quæ à Principe, vel Augusta alicui donata sunt; *leg. cum multa, Cod. de bonis, quæ liberis, &c.* Rursus bona adquisita ex titulo Clericali, aut ex Beneficio; *leg. sacrosanctæ, Cod. de Episcop. & Cler.* Et etiam bona, quę respectu aliorum filiorum familias sunt aduentitia, respectu Clerici fiunt quasi castrensia, *Authentica, Presbyteros, Cod. de Episcop. & Cleric.* dummodò post Clericatum ea sint adquisita; nam eorum, quę ante Clericatum adquiruntur, pater vsumfructum retinet; & quidem licèt per Clericatum aliquo modo latè soluatur patria potestas, ea solutio, seu liberatio solùm efficit, vt bona post illam aduenientia patris administrationi non subiaceant; non tamen vt vsusfructus bonorum adquisitorum habitus à patre cesser, nisi in aliquibus casibus in iure expressis. Videantur Fachinæus *lib. 6. controuers. iur. cap. 12.* Abbas *in cap. quia nos, de testam.* Nauarr. *in cap. non dicatis, seu tom. 2. Regul. numer. 38. & 55.* Couarrub. *in cap. 2 de testam. n. 9.* P. Azor *instit. moral. tom. 1 lib. 12. cap. 8. quæst. 2. & tomo 2. lib. 2. cap. 23. quæst. 9.* P. Molina *de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 9. & 138. & 229.* P. Th. Sanchez *lib. 7. moral. cap. 13. 1 num. 26.* P. Layman *in Theolog. moral. tom. 1, lib. 3. tractat. 4. cap. 8. num. 8.* Vnde constat, Scholasticum filium familias posse testari de his omnibus bonis, quę ad peculium castrense, vel quasi castrense pertinent.

435 De bonis aduētitijs Scholasticus filius familias testari nequit, quāuis pater consentiat; etenim testamentum ex libero, & non ex alieno consensu debet condi; *leg. qui in potestate, ff. de testamētis; Instit. Quibus non est permissum, &c. in principio; cap. licet, de Regul. in 6.* At ex cōsensu patris ad causas pias de illis testari poterit; *cap. licet, de sepultur. in 6.* Videatur Abbas *in rubric. de testamen. num. 10.*

436 At Scholasticus, qui filius familias non est, liberè potest de suis bonis testari, cum id nullo iure prohibeatur, sed iuri sit omnino conforme. Excipe, si sit impubes, cui ob iudicij immaturitatē testamentum condere prohibetur *in leg. si frater. Cod. qui testam. facere possunt; in §. præterea, Instit. eodem titulo.* Vnde, etsi doli capax sit, adhuc in pias causas testari nequit, vt contra Bonacinam tenet Diana *2. part. tract. 6. resolut. 57. & 6.* cum Villalobos, & alijs.

437 Hic nota primò, eum, qui potest condere testamētum, posse etiā facere codicillos, seu vnum, seu plures, vel ante, vel post testamentum, vel simul cum ipso testamēto, imò & si quis intestatus decedat, potest codicillum facere, qui obligat hæredem ab intestato venientem; *leg. conficiuntur, ff. de codicill. leg. ab intestato, ff. eodem titulo.* Nota secundò, si Scholasticus, adhuc filius familias, habeat Commendam alicuius militiæ Equestris, posse de bonis ab illa adquisitis testari; quia, cum hę Cōmendæ tribuantur titulo militari, inter bona castrensia annumerantur. Aduerte demùm, neminem per se esse obligatum ad condendum testamentum, nec peccare, si non condat; esto per accidens possit esse obligatio, vt scilicèt lites, & contentiones vitentur.

438 Is, qui potest testamentum facere, potest etiam facere donationes causa mortis, vt apud omnes est certū. Qui autem testari nequit, nec donare potest; In eo tamen discrimē datur, quòd iuxta dicta filius familias nequit testari de bonis aduentitijs, quamuis pater consentiat; potest verò, illo consentiente, ex bonis aduentitijs donare causa mortis; *leg. filius familias, ff. de donationib.* Vnde obseruat Iul. Clarus *lib 4. selectar. §. donatio, quæst. 6. num. 7.* non posse à filio eas donationes fieri erga patrem, cum ille in propria causa authoritatem cum licentia, aut consensu

præ

præstare nequiuerit, ac proinde opus esse Iudicis authoritate. Obseruat præterea, si filius de licentia patris testamentum de bonis aduentitijs condat, valere non per modum testamenti, sed per modum donationis causa mortis, dū is, cui bona relinquuntur, sit præsens, vt expressè, vel tacitè donata bona acceptet; Sic namq; verba dispositionis latè interpretanda sunt, vt actus valeat, si fieri potest, præsertim in vltima voluntate, cuius magnus debet esse fauor; *leg. si pars, ff. de inofficios. testam.* Videantur Baldus, & Doctores passim *in l. seniu n, Cod. Qui testamenta facere possunt.*

439 Iuxta ius antiquum, Scholasticus, qui Religionem ingreditur, si non sit filius familias, potest de bonis suis disponere pro libito; adeò vt in renuntiatione illorum intuitu ingressus in Religionem, aut Professionis, nulla iuris ciuilis solemnitas requiratur; *§. illud quoque, Authentic. de Monachis; cap. de his, in fine, de sepultur.* Si verò sit filius familias tempore ingressus non potest liberè disponere de bonis suis absolutè; esto ea pro tempore, quo ad eum deuenerint, possit renuntiare in eum, quem elegerit. Professionem autem facturus, si mortui sunt parentes, etiam absque authoritate curatoris potest omnia sua bona donare sine beneficio restitutionis in integrum, cē setur enim mori, vt docet Abbas *in cap. in præsentia, de probationib.* Armilla *verbo Minor*, Syluester, & P. Sa, *eodem verbo.* Videatur P. Thom. Sanchez *lib. 7. moral. cap. 6. n. 19.* P. Layman *vbi suprà, c. 9. num. 6. & tract. 5. cap. 7.* Cæterùm in Tridentino *sess. 25. de reform. cap. 16.* statuitur, nullam renūtiationem, aut obligationē esse validā, nisi fiat intra duos menses proximos ante Professionem, cum licentia Episcopi, seu Vicarij, & posteà professio sequatur. Quod omnino est obseruandum.

440 Quæ diximus de testamentis Scholasticorum, qui sunt filij familias, procedunt de iure communi; Etenim iuxta leges speciales cuiusque regni potest res aliter se habere; v. g. in Regno Valentiæ in Hispania parentes designant certam quantitatem filio minori, sub eorum potestate existenti, de qua testamentum conde re queat; Et in alijs Reg nis dispositiones sunt speciales, qui- bus stan- dum est

(::)

Quæstio XXXXI. An, & quod peccatum sit, impedire Scholasticos, ne Religionem ingrediantur; aut obstacula apponere, quibus ingressus retardetur; & quæ indè obligatio impedientibus, & dissuadentibus oriatur? Idem quæritur de impedientibus, ne alia opera pietatis frequentent, aut exequantur.

441 ASSERO primò, eum, qui alium impedit, ne Religionem ingrediatur, eum violentè detinens, aut iniustis suasionibus à suo proposito dimouēs, vel extrahens à loco, in quo habitum Religiosum erat susceptur us, aut alijs medijs illicitis vtens, peccare mortaliter peccato contra charitatem proximi. Huic asserto, vt infrà exponendo, omnes Authores consentiunt. Videatur Bañez *2. 2. quæst. 33. art. 2. dub. 2.* Petrus Ledesma *2. tom. sum. tract. 4. cap. 5. pag. 141.* Etenim quilibet potest liberè amplecti statum Religiosum, quin teneatur quoad hoc subiectionem, & obedientiam suis Maioribus, nec parentibus ipsis præstare, vt ex Diuo Thoma, & cunctis Theologis probat P. Hieronymus Plati *lib. de bono status Religiosi, lib. 3. cap. 34. paulò post initium;* Deindè status Religiosus est perfectior, quàm sæcularis, atque aptior, vt quis, mundi vitatis periculis, virtutis semitas sequatur, & animæ salutem obtineat; indeque Christus D. hortatur homines, vt ipsum, relictis omnibus, sequantur, ac contempto amore parentum, fratrum, ac amicorum, eius crucem tollant, quod in Religione tutiùs, & opportuniùs exercetur. Impedire ergo quemquam, vt sua vtens libertate Christi D. sectetur consilia, animæ suę bonū, & salutem conetur, mundanaque pericula vitans, & momentanea, ac leuia cōtemnēs, æterna bona, fœlicitatemque perē uaturam sollicitè vestiget, sanè est detrimentum graue animæ proximi inferre, & absq; vlla potestate, seu iurisdictione vsum libertatis in re grauissima impedire, directèq; resistere, & opponi diuinę volu tati vocanti hominem ad vitę perfectioris

nor-

normam, & sacræ Scripturæ frequentissimis authoritatibus, quibus monemur inuare alios ad opera virtutum sectanda, & ad mundi illecebras fugiendas; necnon omnibus Ecclesiæ Patribus, ac Doctoribus, qui hortantur fideles, vt, spretis sæculi honoribus, ac voluptatibus, calcatis etiam, si oporteat, & impediant, patre, & matre, ad Religionis asylum confugiant, vbi quis viuit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, moritur confidentius, & de cella ad cœlum transitus est facilis, vt cum D. Bernardo loquar. De hac materia luculenter scribit P. Plati *relato tract. de bono status Religiosi*; & P. Carolus Musart *in lib. Adolescens Academicus, p. 4. cap. 6.*

442 Sed ecce iam insurgunt viri quidã huius sæculi sectatores, qui obtẽdunt causas, quibus specie quadam, vel fuco rationis licitè se operari arbitrantur, dũ impedimenta parant ingressuris in Religionem. Aiunt etenim, se nolle vocationẽ Dei de medio tollere, sed experiri, vtrùm illi verè à Deo vocentur, vel animi leuitate moueantur; velle, eos attentè, & non festinanter expendere viam, quam aggrediuntur, an eis suppetant vires ad labores illius tolerãdos; sæpè plures deficere ab eo statu iam suscepto, quod, inquiunt, est signum leuitatis, & inconsiderationis, qua illum susceperunt; addunt insuper, iuuenes allici à Religiosis, vt ipsorum habitum accipiant, imò aliquando consensum per fraudẽ, aut illecebras extorqueri; Opponunt præterea cogitantibus Religionem, quanta indè incommoda suis parentibus, & familijs sint obuentura; quàm ingens eis spes esse possit præmiorum in sæculo; addunt, posse salutẽ animæ extra Religionem conari; monent, vt priùs parentes suos certiores faciant, ne pietati, ac obedientiæ detrahãt quidquam, nec eos repentina status mutatio dolore afficiat vehementi. Hæc, & similia excogitat mundana prudentia, vt deterreat, detineat, impediat eos, quos Dominus ad militiam spiritualẽ sub crucis vexillo decertaturos, misericordię suæ vsus benignitate, aduocat.

443 Hæc oppositio non indiget solutione, sed, qui ea vtuntur, maximè sunt dolendi, cum non tot difficultatũ aggeres opponant illis ipsis, cum eos vidẽt in peccata ruere, in vitia precipitari, nec adeò seduli, ac solliciti sunt de eis frænandis, cum per viam perditionis, & ruinæ animæ incedunt; ac cum eos animaduertunt saniori consilio ad salutis æternæ portum velle conuolare. Ipsos, ipsos huius veritatis aduoco testes; qui arbitrantur, se obsequiũ præstare parentibus, aut consanguineis iuuenum Religionem meditantium, cũ eos ab huiusmodi conatu deterrent; & de eo obsequio non curãt, si ipsos iuuenes, sciãt, ludo, Veneri, tumultibus, & rixis, otio, ac alijs vitijs incumbere. Quid ad hæc respõdeant? Sanè omnes eorũ sophisticæ, & mũdanæ rationes validissimis Patrum, & Doctorum Ecclesiæ testimonijs, ac reprehensionibus euincuntur, ac exterminãtur, quibus possem innumeras paginas implere. Videant Patres; legant Theologos; euoluant Authores; & passim inuenient testimonia sacra, rationes manifestas, supplicia à Deo ob similem culpam inflicta, quibus se omnino errare, cognoscant, nisi in ipsa luce cæcutire obstinauerint.

444 Attamen impugnatoribus respondeo, nõ ab alio, nisi à Deo posse prouenire desiderium ingrediendi Religionem; nec enim de non cuiquam consilium ingerit sectandi virtutem; id autẽ desiderium est vocatio, quæ nec indiget reuelatione, nec aliquo signo visibili, nec plurimo tempore, vt in animo concipiatur. Præterquàm quòd examen vocationis nõ spectat ad filios huius sęculi, sed ad viros spirituales, & perfectionis amatores, cuiusmodi sunt in vnaquaque Religione, in qua ante admissionem id examen fit, & sedulò inquiruntur motiua, ob quæ quis optat in eam admitti; Si illi approbent, cæteri de examine non curent. Neque ad electionẽ status Religiosi prolixitas temporis desideratur; exiguo enim spatio mens cœlitùs illustrata agnoscit sæculi vanitatem, & tutiorem Religionis viam, vt accedatur ad finem vltimum, qui est Deus. Nonne innumeri sunt in omnibus Religionibus perfecti viri, qui non multum temporis in deliberatione ingressus in illas insumpserunt? & alij sanè, quibus (quia non sunt ex illustribus) non apponuntur impedimenta ad ingressum, non plus temporis in deliberando insumunt, quàm illi, & tamen non impugnatur eorum vocatio. Fœminas etiam quæ in Moniales destinantur, non video, examine adeò rigido vocationis vrgeri; & tamen statum Religiosum, & valdè laboriosum assumunt.

445 Nec effugium est, aliquos esse genij mutabilis. Etenim Deus sua gratia mutabilitatem à plurimis abstulit, firmitatemque concessit, idque sperari de

de ipso debet. Nec aliquos defeciſſe, obſtat; nam etiam à ſectatoribus virtutis aliqui deficiunt, & non propterea non eſt virtus ſectanda. Et à te inquito, quando tua peccata in confeſſione propalas, an habeas verum, & firmum propoſitum non peccandi? Reſpondes, firmum in tuo animo eſſe. Deindè in peccata reincidiſti; An id probat, propoſitum non fuiſſe firmum? Minimè; ſed tua ibi fragilitas oſtenditur, quæ te in peccata traxit. Idem ergo dico. Vocatio ad Religionem poteſt eſſe firma, & vera; & tamen poſteà quis deficit, non ob vocationis apparentem firmitatem, ſed ob fragilitatem humanam; Et ſicut pericula, quæ occurrunt, ſolent animum firmum non peccandi deturbare; ita verè vocatum ad Religionem pericula, quæ occurrũt, vel à parẽtibus, & conſanguineis, vel à dęmonis ſuggeſtionibus, ſolent ab incepto retrahere; nec mireris, ſi ille à propoſito firmo cadat, cum firmiſſima propoſita non peccandi ſæpè tu ipſe fregeris.

446 Nec rursùs pietas expoſcit, vt ante ingreſſum parentes moneãtur. Sanè innumeri, qui nunc, & olim in Religionibus militantes, ſibi, proximis, Eccleſiæ, & bono publico vtilitatem ingentem, & ſplendorem comparárunt, nomen Religioni non dediſſent, ſi à parentibus beneplacitum expectaſſent. Igitur ea dilatio in detrimentum vergit animę; interim namque pericula circunſtant à prauis amicis, à conſiliarijs parùm timoratis, à dæmonis ſuggeſtionibus, & à delicijs voluptatum, quę firmiſſimam adhuc vocationem infirmãt, vt nuper dicebamus; nec par eſt, exponere ſe periculis decidendi à propoſito non peccandi. Rursùs admoniti parentes vel impediunt ingreſſum in Religionem, vel eum valdè differri conantur, & ſequitur inconueniens nunc poſitum; Et quidquid ex his cõtingat, damnum graue animæ ſaluti infligitur. Reſiſtant parentes; quid indè? cum vulgatis verbis te admoneat D. Hieronymus, ſi illi ante te in via ad pedes prouoluãtur; *percalcatum perge patrem, percalcatã perge matrem; Solùm in hac re pietatis genus eſt, eſſe crudelem.*

447 Nec quidquam ſuadet ratio deſumpta ab incommodis paternæ familiæ prouenturis. Id etenim ſatis in Religionibus præcauetur, nec quiſquam admittitur, qui non ſedulò examinetur tum de his, tum de alijs pluribus; nec cum incommodo graui parentum, fratrum, aut ſororum, pijs cuiuſquam annuitur deſiderijs. Multò minorem vim habet amiſſio dignitatum, & præmiorum, quorum ſpes animo proponitur; ſæpiſſimè nãque inanis eſt ſpes illa, & fingitur ingens. Sed maxima ſit; nihil indè conuincitur, cum is, qui ſæculo renuntiat, velit propter Deum omnia bona mundana relinquere, maiuſque ſit meritũ, quò plus habetur, quod relinquatur. At quid ſunt omnia bona terrena comparata cœleſtibus? inanis vmbra, fumus, nihil; plena doloribus, & anxietatibus; leuia, momẽtanea, & quæ breui vitæ periodo finiuntur, vel priùs è manibus euanent.

440 Iam verò illa vulgariũ homuncionum obmurmuratio, quòd iuuenes decipiuntur, & per fraudem, ac induſtriоſam ſollertiam, veluti piſces reti, capiuntur, & ad Religionem trahuntur, contemnenda omnino eſt. Tuis vtor terminis; è procelloſo mundi pelago ad littus Religionis, & portum tutiorem extrahi homines, velut piſces illic natantes, fraudem vocas? ad perfectiorem vitam, & ad ſectanda Chriſti conſilia allicere, dolum appellas? Et non appellabis dolum, nec fraudem, comitari, & allicere iuuenem ad domum meretricis, ad ludum, ad rixas, contentiones, & tumultus? Proh rectum penſatorem rerũ! Sed nec id tibi dabo; nullus decipitur, nullus per fraudem attrahitur: Cœleſtes illuſtrationes, Concionatorum verba, librorum piorum lectio, aliaque pietatis opera ſicut plures mouent ad recedendum à vitijs (quod fraudem, & dolum non nuncupabis) ita alios excitant ad ſequendam perfectionem in Religioſo ſtatu. An, quia inde ad eum eligendum nonnulli mouentur, ſicut plures ad vitia relinquenda excitantur, damnare liceat eas cœleſtes artes incumbendi ſaluti proximorum? Nullus adeò impius erit, qui in hæc audeat.

448 Egimus cum impedientibus ingreſſum in Religionem; nunc cum admittẽtibus iuuenes in eam agamus. Tenentur equidem ſollicitè, & nõ perfunctoriè examinare eos, qui admitti ambiunt, vt noſcant, an aliqua animi paſſione ferãtur; an propter diſcordiam cum parentibus: ob honoris detrimẽtum acceptum; ob diſtractionem pecuniarum, & rei familiaris; aut ob aliud ſimile motiuum humanum id intendant. Si etenim hoc eos moueat, vel ſi adeò leuis animi ſint, vt abſque ſufficienti conſideratione, aut ſolùm vt alicuius amici ingredientis Religionem veſtigia ſequantur, admitti poſcunt, minimè ſunt admittẽdi; niſi adſit vocatio cœleſtis, ob motiua

tiua perfectiora. Deinde prænoſci debet, an graue detrimentū parentes, fratres, aut ſorores poſſint experiri, ſi illi in Religionē ingrediantur; rursùs an ære alieno ſint obæratitan ſponſalia cōtraxerint; an infamia laborent, & his ſimilia. Adhuc ætas admittendorum eſt inſpicienda, cum communiter nō expediat admitti, niſi eos, qui ad annos pubertatis completæ peruenerunt, vt poſt nouitiatum illicò poſt admiſſionem peractum poſſint profeſſionem, aut vota Religionis emittere. Notum eſt autem decretum Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 16. de Regularibus*, irritantis Profeſſionem factam ante decimumſextum annum completum. Demùm id attendendum eſt, an is, qui admitti in Religionem optat, his ſit viribus, indole, & genio præditus, vt perſeueraturus eſſe in illa prudenter cenſeatur, cū aptitudine ad onera Religionis toleranda, & munia ſubeunda.

449 Vnum monuerim, non quidem vt omnino requiſitum, ſed vt valdè conſentaneum, nempè quòd iuuenes, maximè ex primoribus Viris geniti, ſi in Academijs verſentur, eorumque gubernatio alicui Religioni, aut eius alumno, ab ipſorum parentibus ſit commiſſa, non aliter in ea Religione admittātur, niſi parentibus admonitis, & annuentibus. Etenim id expoſcunt vrbanitas, æquitas, & quædam fidelitatis ſpecies. Sic etiam occurritur detractionibus, querelis, obmurmurationibus, ac offenſioni plurium; & non retardātur alij, quominùs ſuos filios educationi, & regimini eiuſdem Religionis commendent, vt ſic illi in ſuo officio contineantur, ac virtuti, & ſtudio incumbant; quod quidem plurimùm ad bonum publicum, & peculiare intereſt. Hinc etſi contingeret aliquando, eum, qui exoptabat ingredi in Religionem, vel à propoſito cadere decurſu temporis labente, vel à parentibus impediri, hoc ſanè detrimentum eſt priuatum, & cedere debet bono publico ipſius Religionis, quę detrimentum ſuſtineret ex publicis obmurmurationibus, & alijs incommodis indè ſecutis, ſi illum ſtatim admiſiſſet in ſuum gremium; imò etiam detrimētum publico bono obtingeret, ſi propterea retraherentur alij à commercio, & conſortio eius Religionis; Hæc autem detrimenta publica præferenda ſunt detrimento priuato eius, qui forſan à ſuo propoſito decidit. Sanè hoc monitum, & rectę rationi æquitatis innititur, & ex pluribus experientijs eſt deceptum. Hinc in Studijs Grammaticæ in noſtra Societate Ieſu communiter non permittitur, vllum Studioſum in Societatem admitti, niſi admonitis, & conſentientibus parentibus: Quod cenſetur rationi conſentaneum, cùm ſtudētium educatio ſit Noſtris ibi commiſſa; quæ ratio, proportione ſeruata, militat etiam in propoſito caſu. Addo, quamuis regimen alicuius Studioſi non ſit Religioni commiſſum, ſi ex admiſſione illius timeantur graues offenſiones, cū ipſius Religionis præiudicio, & boni publici detrimento, expedire, vt ille in ipſam non admittatur ob rationes libatas. Et quidem fateor, ſatius fore, ſi omnes gauderent, quòd filij, & conſanguinei habitum Religioſum aſſumerent, & Deo ſe dicarent, cùm nulla maior poſſit eſſe fœlicitas, quàm animæ æternam ſalutē tutiori via ſollicitare; Sed ea eſt temporū corruptela, vt plures ægrè ferant, filios in Religionem admitti, eoſque deplorent velut mortuos, cum habitum Religioſum ſuſcipiunt, indèque nullum non medium apponant, vt eos à Religione extrahant. Indè, etſi non debeamus huic ſæculo conformari, æquum eſt, aliquid ei indulgere, vt maiora mala vitentur.

450 Aſſero ſecundò, eos, qui impediunt aliquem, ne habitū religioſum aſſumat, non teneri ad vllam reſtitutionē. Non defuit, qui cogitaret, teneri ad reſtituendū Religioni dāna ſecuta ex eo, quod ille, qui impeditur, non ſuſcipiat habitū Religioſum; imò teneri, ſi aliter nō poſſet fieri reſtitutio, impedientem ipſum ingredi in Religionē. Pro hac cogitatione refert aliquos ſuppreſſo nomine Ledeſma *vbi ſuprà*, quam ipſe refellit. Et aſſertum noſtrū eſt inter Authores cōmune. Etenim in ea impedimenti appoſitione non delinquitur contra iuſtitiam, ſed contra charitatē proximi, & exindè nullum reſtitutionis onus conſurgit. Religio etenim nihil amittit, quod ſuum eſſet, vel quod ei titulo aliquo iuſtitiæ deberetur; perſona autem, quæ impeditur, non eſt compenſabilis per reſtitutionem. Nec ſanè opportuna eſſet reſtitutio, ſi impediens teneretur ſuſcipere habitum Religioſum, cum contingeret frequētiùs, illum non fore Religioni aptum, eiq; non leuamen eſſe allaturum, ſed onus; vel ſaltem quòd à Deo non vocaretur ad eam vitæ normam, quam inuitus, & non vocatum ſuſcipere, eſſet ingens abſurdum; imò perſeuerare non teneretur, cum inuitus, & coactus non ſolùm ante profeſſionem poſſit è Nouitiatu egredi, ſed etiam poſt Profeſſio-

feſſionem valet reclamare, dum adſint circunſtantiæ communiter requiſitæ in hac materia. De qua vide Couarrub. Rodrig. Azor, P. Thom. Sanchez, P. Suarez, & innumeros alios, quos adducit Banacina *1. tom. tract. de clauſur. & pœnis, &c. q. 2. punct. 10. à §. 1.*

450 Nec obſtat, quòd Religio ex admiſſione illius foret obtentura aliqua, aut plura bona ab ipſo ei relicta. Quippè nullum adhuc ius ad bona Religio habet; nec certum eſt, ei fore applicanda, cum ingrediens poſſit liberè de ſuis bonis diſponere; nec rursùs eſt certum, illum fore in Religione perſeueraturum; vndè nihil ab illa aufertur, ad quod titulo aliquo iuſtitiæ potiatur. Adde in his. quæ ſponaneè quis intendit donare alicui, ſi ante cõtractum initũ ab alio ſuadeatur, ne donet, non propterea manere ſuadentem obnoxium reſtitutioni, cũ nullum ius adhuc haberet ille, qui accepturus erat. Impediens ergo alicuius ingreſſum in Religionem, ad ſummum poteſt conſiderari perindè ac ei ſuadens, ne quidquam Religioni donet, & tamen indè nulla dimanat reſtitutionis obligatio. Dixi *ad ſummum*, quia id non ſuadetur, dum ingreſſus retardatur, niſi id implicitè, accidentaliter, & quaſi ex cõſequẽti ſuaderi, contendas.

451 Sed, quamuis ad reſtitutionem non teneatur impediens, attamen tenetur, ſi fieri poteſt, eum, quem impediuit, ſanioribus conſilijs inſtruere, & ad propoſitum ſuſcipiendi habitus Religioſi reuocare; ex charitate enim debet, dãnũ, quod intulit, eo modo, quo poſſit, reſarcire, ſeu compenſare, ne culpa ſua ille forſan æternæ ruinę periculum ſubeat mundi voluptatibus illaqueatus.

452 Aſſero tertiò, impediẽtem alium illicitis medijs, ne opera pietatis exequatur (ſecùs erit, ſi honeſtus ſit titulus impediendi) peccare, grauiter, aut leuiter iuxta qualitatem detrimenti, quod eius animæ infert. Et in primis, ſi titulus adſit honeſtus, non eſt culpa, imò honeſtè operatur, qui alium impedit. Nam pone, debilẽ, aut ægrotum velle ieiunare frequenter, aut pane, & aqua aliquibus diebus victitare, vel flagellatione rigida caſtigare corpus, vel in tabula pro lecto noctu decumbere, ſeu peregrinationem peditem ſuſcipere, aut alia ſimilia cogitare, ab his retrahi debet, ne eius ſalus periclitetur, & ineptus reddatur ad propria munia proſequenda, imo & ad exequendum deinceps opera ad virtutem ſpectantia. Quòd ſi titulus non adſit, ex terminis ipſis conſtat, eſſe contra charitatem proximi, qua ei debemus optare bona temporalia, & æterna, impedire ipſum iniuſtis medijs, quominùs exerceat opera meritoria, quibus ſalutem animæ cõſequatur, vel merita apud Deum adaugeat, & gratiæ, ac glorię incremẽta promereatur. Et quidem impedire, ne bona fiant, & prouocare, vt fiant mala, non multum diſcriminantur, & ſaltem ſunt valdè affinia; Prouocatio autẽ ad malum culpa eſt iuxta qualitatem mali; atque adeò proportionatè retractio à bono culpa eſt iuxta qualitatem detrimenti ex omiſſione boni prouenientis.

453 Vnde, ſi quis illicitis medijs impediret alium culpis irretitum, ne peccata ſua confiteretur, & ſe ad cõfeſſionẽ per media opportuna pararet, ſanè grauiter delinqueret. Quòd ſi impediret, vt die non feſto Miſſam non audiret, non cõmitteret culpam grauem, ſed leuem; dum tamen id non non præſtaret in contemptũ eiuſmodi operis pietatis; Etenim, quoties in contemptum alicuius operis pij quis alium impedit, ne illud exerceat, grauiter peccat, quodcumque ſit illud opus. Quod aduertant, oportet, aliqui, qui nonnulla pietatis opera, quaſi puerilia, deſpiciunt, ne in eorum contemptum operentur. Ex duobus exemplis adductis quæuis alia colligere licet, vt diſcernatur, quando ſit peccatũ graue aut leue, impedire, ne bona opera fiant. Et quamuis inæſtimabile ſit, quod amittitur omiſſione cuiuſque boni operis, etiam exigui, tamen ad id ſolũ non attendi tur, vt culpa pẽſetur, quæ in impediẽdo datur, ſed ad detrimẽtũ, quod infligitur, quaſi poſitiuè, ac iniuſtè; & ad neceſſitatẽ boni, cuius priuatio ob impedimẽtũ oppoſitũ reſultat, aut perſeuerat. Sic, dũ quis impedit alium, ne peccata ſua confiteatur, vt dicebam, ex ſe cauſa eſt, vt ille in ſtatu peccati perſeueret, & priuatus gratia, & amicitia Dei, quæ in primis eſt omnibus neceſſaria. Vide Ledeſ. *vbi ſuprà*, Caietan. Silueſt. & alios Summiſtas, *verbo, ſcandalum.*

454 Firmatur hęc doctrina ex obligatione correctionis fraternæ, de qua, & de eius circunſtantijs latè agunt P. Suarez *tom. de fide, ſpe, & charitat. tractat. 3. diſp. 8. ſect. 3. & ſequentib.* & Interpretes cum D. Thom. *2. 2. quæſt. 33. art. 6.* Quippè ſi quis ſub peccato mortali tenetur alium corrigere, vt à culpis retrahatur, cum datur ſpes fructus, & emendationis, à fortiori tenebitur non impedire illum, vt exerceat

opera

opera pietatis ; quibus à culpis emergar.

Quæstio XXXXII. An Scholastici contrahant domicilium ; aut quasi domicilium in loco Academiæ, & quod tempus in eo sint versaturi ad illud contrahendum?

445 DOMICILIVM alicuius est, vbi eius extat familia ; aut habitatio cum animo ibi permanendi ; & in duplici loco potest dari domicilium, cum æquè quis in vtroq; versatur; Sic Clericus habens duo Beneficia, & in singulis æquè residens, vtrobique habet domicilium, vt tradit Syluester, *verbo , domicilium;* & alius quicumque habitans in duplici loco, in quo facultatibus, & quæstibus gaudet, si æqualiter , aut ferè æqualiter adsit vtrobique , domicilium in vtroq; retinet, vt docet Antonius Goffar *in additionibus ad Bonacinam, in addition. ad verb. Diuortium.* Nec sufficit ad contrahendum domicilium animus manendi in aliquo loco, nisi quis eo animo iam cæperit ibi habitare; sicut ad amittendum domicilium non sufficit animus discedendi à loco, in quo habitat; vt tenet cum communi Bonacina *tom. 1. tractat. de Sacrament. Ordinis, disputation. 8. quæstion. vnica, punct. 4. numer. 11.* Vbi etiam ostendit, non sufficere ad contrahendum domicilium animum permanendi in aliquo loco per tempus determinatum , vtputà sex mensium , aut etiam plurium , nam hic animus limitans tempus pariter innuit mentem discedendi ab eo loco , & in eo non permanendi.

456 Ex his cernitur, Scholares (qui non habent suos parentes, & familiam in loco Academiæ, sed aliundè studiorum causa ad illum aduentant) non habere domicilium in loco Academiæ. Ita tenent Bonacina , & Antonius Goffar, *locis nuper relatis.* Etenim hi habent animum discedendi à loco Academiæ , absolutis studijs , atque adeò in illo proprios lares non potiuntur , sed semper se quasi peregrinos reputant. Quod idem dicerem, quamuis cum filio Studioso parentes ipsius aduenirent ad locum Academiæ, vt ibi versarentur, dum filius Studijs incumberet, animo tamen indè recedendi post Studia peracta. Quippè, vt domicilium detur, requiritur animus non discedendi à loco; qui animus & si præsumatur , cum habitatio per decem annos datur , attamen nec tempus decennij sufficiet ad probandum domicilium, si constet de animo non permanendi ibidem, vt tuetur Don Alfonsus de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdiction. capit. 29. numer. 85.*

457 Hinc fit, Togatos, qui in Collegijs etiam vltra decennium solent commorari in loco Academiæ, adhuc non contrahere in illo domicilium; Etenim constat de eorum animo non habitandi ibi semper, sed discedendi , vbi præmium, aut munus , quod optant , consequantur; quare in eo loco non dicuntur proprios lares habere , sed velut in via sunt , vt aliò proficiscantur. Nec id extendas ad Senatores , seu Iudices Regios , qui in Senatibus , Cancellarijs , aut Audientijs versantur; Esto enim exindè ad altiora munera in alio loco, aut in Curia, discedere conentur, tamen ibi ratione muneris , quod gerunt non ad tempus, sed perpetuum , contraxere domicilium , quod , iuxta dicta, non amittitur per spem, & animum discedendi. Sicut plures habitationem propriam in sua patria habentes ambiunt , indè ad aliquod munus obeundum exire , etiam animo non redeundi, si obtineant, & tamen, dum non exeunt , ibi domicilium retinent. Similiter in Academijs sunt aliqui Doctores , Magistri , aut Professores, qui vel in eodē loco Academiæ nati sunt, semperque ibi habitarunt , vel in eo proprios iam lares habent, vel ratione matrimonij ibi contracti, vel ratione Beneficij, Præbendæ, aut Dignitatis in Ecclesia eiusdem loci, qui, & si ambiant ad munus aliquod extra eum locum promoueri, & in animo sint discedendi , si ad illud promoueantur , attamen domicilium ibidem iam contractum non amittunt , donec discedant , ob rationem suprà appositam.

458 Rebuffus *de priuileg. Scholastic. priuileg. 125.* cum aliquibus Authoribus ab ipso relatis, contendit, Studiosos in loco Studij habere domicilium; id tamen *priuileg. 126.* ostendit, locum habere in fauorabilibus , non in pœnalibus, quam explicationem etiam adhibet Escobar,

bar, *vbi ſuprà, numer. 82.* Sed nec hac explicatione adhibita, abſolutè eſt vera ea aſſertio. Quippè certum eſt, eum, qui habet domicilium in loco, poſſe Ordinibus initiari ab Epiſcopo eius loci, cum ſit proprius eius Epiſcopus; Vnde Martinus Fornarius *de Ordine, capit. 5. numer. 6.* Sayrus *lib. 7, capit. 10. numer. 30.* Pater Leſſius *de iuſtit. lib. 2. capit. 44. dub. 19. numer. 92.* Pater Henriquez, Quaranta, Riccius, & alij allati à Bonacina, *vbi ſuprà, numer. 8.* eam tradunt regulam generalem, illum dici Epiſcopum proprium, qui eſt Epiſcopus originis, aut domicilij, aut loci, in quo eſt Beneficium, quod quis habet. Deinde conſpicuum ex terminis ipſis eſt, fauorabile eſſe, poſſe Studioſum Ordinibus initiari ab Epiſcopo; Et tamen Studioſus diœceſis Hiſpalenſis, aut Burgenſis exiſtens Salmanticæ in Academia nequit ad Ordines promoueri ab Epiſcopo Salmantino, niſi dimiſſorias litteras afferat ab Archiepiſcopo Hiſpalenſi, aut Burgenſi, vt *ibidem numer. 10.* docet Bonacina, & praxis oſtendit; Ergo abſolutè non eſt verum aſſerere, Studioſos in fauorablibus habere domicilium in loco Academiæ, aliàs poſſent ad Ordines promoueri ab Epiſcopo eiuſmodi loci, cum id eſſet eorum fauor. Quare, licèt eis competant aliqua fauorabilia, quibus gaudent habentes propriũ, & verum domicilium in eo loco, eis poſſunt frui habentes dumtaxàt quaſi domicilium, quia extenduntur ad omnes, etiam non Studioſos, qui quaſi domicilium habent.

459 Igitur quaſi domicilium id eſt, quod, etſi domicilium propriũ non ſit, ferè ad illud accedit, & ad plures effectus eadem vi pollet, ac domicilium. Illud autem datur, cum quis per maiorem, aut ferè maiorem anni partem in aliquo loco verſatur, alicuius negotij cauſa, vel etiam nullo interueniente negotio. Hinc cum quis ad Curiam Regiam proficiſcitur, vt inibi maiore anni parte, vel negotijs incũbat, vel otietur, quaſi domicilium in ea contrahit; Et Studioſus, qui tempore Curſus litterarij in loco Academiæ commoratur, in eo etiam contrahit quaſi domicilium, cum tempus eiuſmodi Curſus ſit maior pars anni, ſcilicèt ſex menſes, & vnus dies, quamuis peracto Curſu ad ſuam patriam redeat, & ſemper animum retineat non manendi in eo loco, quia non eſt repugnans rationi quaſi domicilij ille animus, imò potiùs, quia datur, non contrahitur domicilium, ſed quaſi domicilium. Ab hac concluſione eſt Rebuffus, Eſcobar, & alij ab ipſis relati *vbi ſuprà*, & omnes Authores de domicilio, & quaſi domicilio agentes *in tractat. de legibus, & alibi paſſim.*

460 Ex quo colligitur à fortiori, Togatos, qui per plures annos in Collegijs verſantur in loco Academiæ, contrahere in eo quaſi domicilium, cum illud tempus ſatis, ſuperque ſit ad illud contrahendum, & aliunde non obſtet animus, quem retinent, diſcedendi ab eo loco, quam primùm decenter poſſint. Prætereà Candidati alij, & Profeſſores, ac Recolentes Studia, qui in loco Academię verſantur, & domicilium non contraxerunt aliquo modo ex dictis *numer. 457.* contrahunt in eo quaſi domicilium, cum ſaltem per maiorem anni partem ibi commorentur, & aliqui pluribus annis ibidem habitent.

461 Et quamuis Scholares ſoleant à loco Academiæ ad ſuas patrias proficiſci ante Paſcha Reſurrectionis, nõdum Curſu litterario peracto, tamen id tempus eſt reputandum exiguum, & id nõ tollit, quòd quaſi domicilium contrahant, maximè cum etiam ſoleant ante Curſus initium ad locum Academiæ aduentare, vt neceſſaria habitationi parent.

463 Cæterùm id quaſi domicilium, ſtatim ac ad prædictum locum aduentant, habere incipiunt; aliàs, ſi antequam illud haberent, indigerent habitatione iam peracta per maiorem partem anni, nunquam gauderent quaſi domicilio hi, qui tranſacta ea maiori parte anni, illicò ad ſuas patrias reuertuntur. Sic etiam, qui incipiunt habitare in aliquo loco cum animo ibidem permanendi ſemper, ſtatim gaudent domicilio; aliàs, ſi expectanda eſſet habitatio decennalis, abſque domicilio eſſent decem annis, in quibus nec Epiſcopum proprium haberent, nec vllo fauore domicilij potirentur, cum tamen tunc nec vagi, nec peregini eſſent reputandi, quod ex ſe cernitur abſurdum.

463 Vt autem Studioſi incipiant habere quaſi domicilium, requiritur in eis animus verſandi in loco Academiæ tempore Curſus litterarij, ſeu per maiorem anni partem. Quippè, ſi animum habeant illicò diſcedendi, aut poſt aliquot dies, peregrini erunt reputandi, & non quaſi domiciliarij. Quòd ſi decernant toto tempore Curſus ibi commorari

rari, non amittent quasi domicilium ex eo, quòd per octo, aut quindecim dies, tempore, quo à lectionibus vacatur, aut alio, indè discedant ad aliquem locum, recreationis, aut negotij causa; hi enim accidentarij euentus pro nihilo cẽsentur in ordine ad domicilium, vel quasi domiciliũ; Sicut habens alicubi domicilium non amittit illud, etiam si frequentissimè discedat à loco ad nundinas, ad mercès emendas, vel vendendas, seu ad negotia alia peragenda, vt sæpè solent non pauci discedere; hi namque discessus iudicãtur accidentarij, dum animum habeant ad locum redeundi.

464 Ex doctrina tradita plures casus inferri possunt, quorum aliquos libabo, iuxta quos cæteri decidendi facilè erunt. Infertur primò, quod suprà attingebamus, Studiosum alterius diœcesis non posse Ordinibus initiari ab Episcopo loci Academiæ, absq; dimissorijs Episcopi suæ diœcesis, (nisi fortè Beneficium habeat in diœcesi, in qua est Academia) quippè, cum gaudeat ibi domicilio, Episcopus ille non est proprius. Minister autem Sacramẽti Ordinis est proprius Episcopus, vt in confesso est apud omnes.

465 Infertur secundò, Studiosos in loco Academiæ posse confiteri (absq; vllo priuilegio) Parocho, sub cuius habitant Parochia, seu ad quem pertinẽt; item si in loco matrimonium contrahant, posse eum Parochum assistere; (nisi constitutione, aut consuetudine ibi stabilitum sit, vt Parochus fœminæ assistat matrimonio) deinde si ibi in mortis periculum incidant, Sacramenta fore eis administranda ab eodem Parocho; atque eis decedentibus è viuis, quartam funeralem esse ipsi persoluendam, & defunctos sepeliendos in Parochia, nisi ipsi elegerint sepulturam alio in loco. Ita Pater Thomas Sanchez *lib. 3. de matrimon. disputation. 23. numer. 13.* Pater Coninch *disputation. 8. dub. 3. num. 21. & dub. 6. num. 38.* Pater Filiucius *tractat. 7. cap. 7. num. 193.* Pater Reginaldus *in praxi fori pœnitent. lib. 1. numer. 74. & 79* Pater Suarez *de pœnitent. disputation 23. section. 3. & disputation. 25. section. 2.* Pater Vazquez *in 3. part. quæstion. 93. artic. 1. dub. 4. numer. 4.* Bonacina *tom. 1. tractat. de Pœnitent. Sacrament. disputation. 5. quæstion. 7. punct. 2. numer. 2.* & plures alij. Etenim ad ea omnia sufficit habere quasi domicilium, vt Studiosi habẽt in loco Academiæ; quare idemmet traditur de militibus, litigantibus, & mercatoribus habentibus quasi domicilium in aliquo loco.

466 Inuestigant Authores prædicti, vndè Parocho eiusmodi adueniat iurisdictio, cum habentes quasi domicilium propriè non sint eius subditi, & ad hoc requiratur, dari domicilium? Aiunt, rationem huius iurisdictionis desumendam esse ex consuetudine, quæ potuit introduci, & iure optimo fuit introducta, ne hi, qui maiori parte anni in vno loco commorantur, Sacramento valdè necessario diutiùs careant; consuetudo autem potest conferre iurisdictionem non ratione sui, sed ratione taciti consensus, & approbationis Superioris, qui eam valet concedere; nam hoc ipso quòd ille sciat, aliquos actus fieri, quos commodè impedire potest, & non contradicit, censetur, eos approbare, & facultatem necessariam ad illos impertiri. Adderem ego, habentem quasi domicilium in aliquo loco fieri propriè subditum in ordine ad aliquos actus respectu Superioris, aut Parochi, & hunc dicendum esse proprium Parochum illius, non secùs ac eius, qui habet domicilium, atque adeò nõ esse opus ad consuetudinem confugere, vt eius iurisdictio firmetur; Actus autem, in ordine ad quos fit subditus, illi sunt, quos non oportet diutiùs omitti, vt Confessionem; aut quos, necessarium est, exerceri, vt in periculo mortis Sacramentorum receptionem, & sepulturam post mortem; aut qui absque graui incommodo nequeũt fieri, nisi coram eo Parocho, vt matrimonium in loco Academiæ; non enim expectandum est, vt Parochus domicilij proprij Studiosi ex ipsius patria adueniat ad assistendum matrimonio. In ordine verò ad alios actus, respectu quorum non militat similis ratio, res aliter se habet; Nam Studiosus, vt initietur Ordinibus, potest à suo Ordinario dimissorias poscere, nec vrget animæ commodũ, vel necessitas, vt in receptione Sacramentorum pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Sicut autem asseritur à præfatis Authoribus, consuetudinem modo explicato conferre iurisdictionem, ita ex ipsa consuetudine, & ex ratione æquitatis, ac necessitatis potest colligi, in ordine ad prædictos actus eum esse proprium Parochũ, & habentes quasi domicilium esse propriè subditos

4 Infertur tertiò, quid sit asserendum in quæstionibus sequentibus; An Scholasticus iter faciens tẽpore Paschatis debeat satisfacere præcepto Cõmunionis

in loco Academiæ, à quo exiuit, aut etiã il lã anticipare; vel poſſit differre, vſq; dũ perueniat ad ſuam Patriam, vel teneatur in itinere id præceptum adimplere? De quo egimus *ſuprà hoc lib. 3. à numer. 223.* An Studioſi verſantes in loco Academiæ teneantur obſeruare leges ſuæ patriæ, aut alias vbique gentium obligantes, niſi in ipſo loco Academiæ? De quo tractauimus *hoc lib. 3. à num. 239.* An debeant exequi leges ſpeciales, quæ in Academiæ loco vigent? De quo *hoc eodem lib. 3. à n. 245.* An poſſint abſque vllo priuilegio abſolui à caſibus reſeruatis in ſua patria, ſi in loco Academię reſeruati non ſint? De quo *hoc lib. 3. n. 245.* A quo poſſit diſpenſari in regularitate, quam cõtraxerint ex homicidio, aut ex ſumpto latè defectu lenitatis? De quo *hoc lib. 3. n. 304.* Quid ſit obſeruandum circa Studioſos contrahentes matrimonium in loco Academiæ? De quo *ſuprà, à num. 363.* Quid ſit tenendum circa ſepulturam, & iura Parochalia, ſi Studioſi in loco Academiæ è viuis decedant? De quo *inferiùs quæſtion. 50.*

468 Solummodò hic obſerua, Epiſcopum loci Academiæ, etſi poſſit diſpẽſare in aliquibus irregularitatibus iuxta Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 6. de reformat.* tamen non poſſe, niſi ſuis ſubditis eam diſpenſationem indulgere, ſicut neque Ordines conferre, niſi ſubditis. Ratio autem, cur poſſit abſoluere à cenſuris eos, qui minori ſubiectione ei ſubduntur, quàm ſubduntur proprij ſubditi, & non poſſit diſpenſationem in irregularitate eis ipſis præſtare, traditur à Patre Suarez *de cenſur. diſputation. 41. à numer. 10. & 12.* nempè quia ad diſpenſandum in irregularitate, requiritur, vt Epiſcopus iuriſdictione ordinaria gaudeat in eum, cui concedit eam diſpenſationem; ad abſolutionem autem impertiendam à cenſuris, ſeu caſibus reſeruatis, ea ſolũ requiritur ſubiectio, quæ ſufficiat, vt Epiſcopus Sacramentalem abſolutionem impẽdat, quę impẽdi nequit, niſi abſoluatur à cenſuris, & caſibus reſeruatis; quarè minor ſubiectio exigitur, vt hæc abſolutio præſtetur, quàm vt illa diſpenſatio concedatur.

469 Infertur quartò, nunquam præſumendum fore, Studioſum in loco Academiæ domicilium conſtituere, niſi per aliquem externum actum id ſignificauerit, veluti ſi ibi domũ emerit, & eò tranſtulerit maiorem ſuorum bonorum partem; aut per decennium ibidem habitauerit, quin conſtet de animo diſcedendi; Hæc enim pro foro externo ſufficiunt, vt domicilium probetur; *leg. 2. Codic. de incolis, libr. 10.* Adſtipulantur Maſcardus *de probation. concluſion. 534.* Quaranta *verbo, Ordo, pagin. 373. verſ. Circa tertium;* Menochius *de arbitrarijs, lib. 2. centur. 1. caſu 86.* Riccius *deciſion. 297. 298. & 305.* Pater Henriquez *libr. 10. capit. 22. numer. 2.* Pater Reginaldus *lib. 30. tractat. 1. capit. 5. numer. 23.* Pater Coninch *diſputat. 20. dub. 9. ad finem,* Pater Filliucius *tractat. 9. capit. 5. quæſtion. 6.* Molfeſius *tractat. 2. caplt. 2. numer. 6.* Bonacina *tom. 1. tractat. de Sacrament. Ordinis, diſputation. 8. quæſtion. vnica, puncto 4. numer. 12.*

470 Infertur quintò, Studioſum celebrantem contractus in loco Academiæ, debere ſeruare conſuetudinem, quæ in eo loco viget, circa eos ineuntes. Ratio eſt, quia non ſolùm, vbi habetur quaſi domicilium, ſed in quocumque loco contractus celebretur, hic cenſetur initus iuxta leges loci. Quam doctrinam generalem cum Patre Salas, Patre Thoma Sanchez, & Felino, tradit Baſilius Legionenſis *de matrimonio, lib. 5. capit. 7. §. 2. numer. 21.* Ibique tenetur celebrans contractus gabellas, quæ ratione contractus initi ſoluuntur, pendere iuxta eius loci conſuetudinem; Præterea debet in emptionibus ſeruare pretium ibidem lege taxatum. Quæ doctrina eam vim habet, quòd, ſi poſteà in alio loco lis moueatur ſuper valore, aut executione contractus, iudicium pertinet ad forum loci, in quo contractus eſt celebratus; quod probat Baſilius *ex lege 2. §. legatis; lege, ſi hæres abſens, §. ſi quis tutelas; lege, omnem obligationem, ff. de iudicijs; ex capite, dilecti, & capite final. de foro competent. capit. Romana, §. contrahentes, eodem titulo in 6. ex lege 8. titul. 9. partit. 1. & leg. 32. titul. 2. partit. 3.* Et ibi docet Gregorius Lopez, *verbo, en aquella tierra.* Niſi fortè ſolutio, & executio contractus alibi ſit promiſſa, quod conſtare debet vel ex natura contractus, vel ex contrahentium mente; tunc enim forum eſt adeundum in loco executioni deſignato, *iuxta leg. contraxiſſe, ff. de actionibus, & oblig.*

471 Sed quid dicendum erit circa cõtractum dotis, ſi Studioſus matrimonium celebret in loco Academiæ? In hac quęſtione vniuerſaliter agitata de quo libet extra locum ſui domicilij cõtrahẽte

ma

matrimonium, diſident inter ſe P. Thom. Sanchez,& Baſilius Legionenſis. Ille tuetur, contractum dotis excipiendum fore à regula generali aliorum contractuum,& celebrandum eſſe iuxta cõſuetudinem domicilij viri. Hic verò docet, non eſſe ſpecialem in Iure diſpoſitionẽ circa hunc cõtractum, adeòque eum ſub regula generali tradita comprehendi. Longa diſputatio requirebatur, vt momenta vtriuſque ſententiæ expenderentur, quod non eſt præſentis inſtituti; Sufficiat aſſerere, contractum dotis fore celebrandũ in caſu dicto iuxtà praxim, quæ in loco Academiæ viguerit, celebrandi eiuſmodi contractus in præfatis circunſtãtijs; ex ea enim praxi dignoſcetur, quænam ibi ex relatis ſententijs ſequenda præferatur, niſi fortè idem ſit modus celebrandi cõtractus dotis in loco Academiæ, & in loco domicilij Studioſi, tunc enim nulla reperitur difficultas.

472 Extendenda eſt adhuc doctrina circa contractus tradita ad teſtamenti factionem; quippè Studioſus teſtamentum condens in loco Academiæ, ſicut quilibet, qui in loco diuerſo à domicilio illud facit, ſeruare debet leges, & conſuetudinem loci circa teſtamentorum ſolemnitatem: & erit irritum teſtamentum factum contra formam legis in eo loco ſtabilitæ. Ita Mandoſius *in cap. 1. de conſtit. num. 61.* P. Salas,& Thomas Sanchez, quos refert, & ſequitur Baſilius Legionenſis *vbi ſuprà, n. 24.*

473 Infertur ſextò, ſi Studioſus per Iudicis ſententiam relegetur à ſua patria, non intelligi relegatum à loco Studij. Idem eſt, ſi relegetur ab alio loco, quamuis tunc relegatus etiam à patria intelligatur iuxta plures Authores, qui aiũt, relegationem à loco aliquo non poſſe cenſeri pœnam, ſi ille liberè in ſuam patriam redire poſſet, vt cum Fabro tuetur Don Alfonſus de Eſcobar *loco ſuperiùs relato, num. 79.* tamen nec tunc à loco Studij relegatus iudicatur; nam locus ſtudij, vt diximus, non eſt patria, nec domicilium proprium Studioſi; & ſaltem non habere eum in loco Academiæ domicilium in pœnalibus, omnes fatentur, vt ſuperiùs attigimus. Limita tamen aſſertum, niſi Studioſus originem, & proprios lares haberet in loco Studij, nam tunc relegatus à patria, non poſſet in loco Studij permanere.

474 Sed quid ſentiendum, ſi hic ab alio loco relegaretur? Iuxta Don Alfonſum de Eſcobar *vbi ſuper*, non poſſet in loco Studij, vtpotè ſua patria, permanere. Et conſequenter aſſerit, ſi Iudex Studij Scholarem verbi gratia, Burgenſem, relegaret à loco Studij, non poſſe illum ad vrbem Burgenſem pergere; quę enim pœna eſſet, Studioſum in patriam ſuam relegare? Non poſſum huic doctrinę acquieſcere; Etenim pœnæ, & odia non ſunt ampliauda, atque adeò pœna relegationis ab vno loco non debet extendi ad relegationem à patria, niſi hæc in ſententia exprimatur. Deindè non eſt exigua pœna, ſi quis Studioſus à loco Studij relegetur, etiam ſi in patriam pergat, cum non poſſit Curſus litterarios peragere, & alia commoda amittat; Vel ſi quis relegetur à Curia, aut ab alio loco, in quo cõmodis fruebatur, aut voluptatibus vacabat. Rursùs hæc exilia ſæpè infliguntur, vt ceſſet aliquod ſcandalum, aut locus non perturbetur, aut occaſio delinquendi è medio tollatur; Quæ omnia obtinentur, etiam ſi relegatus ad ſuam reuertatur patriam. Demum, quia praxi id receptum eſt, vt, dum quis relegatur ab aliquo loco, quin aliud ſi peraddatur, dummodò indè diſcedat, ſatisfeciſſe pœnæ cenſeatur; atque adeò non curatur, vtrùm ad patriam ſuam redierit; nec, quamuis conſtet, eum ad patriam ſuam redijſſe, punitur, tanquam ſententiæ, & præcepti relegationis tranſgreſſor. Imò, cum Iudex Academiæ Studioſum relegat à loco Studij, ſupponitur, eum ad ſuam patriam fore rediturum, nec intẽditur aliud, quàm eum ab eo loco amouere; Quod profectò non potuit ignorare Don Alfonſus de Eſcobar, cum praxim contrariam ſuæ doctrinæ ſæpiſſimè in Academia Salmantina non potuerit non animaduertere.

475 Hinc Vlpianus *in leg. 7. §. conſtitutum, ff. de interdict. & relegat.* ſtatuit, relegatum à Curia, non intelligi à patria relegatum. Fateor, *in eadem leg. §. ſi cui planè*, innui, relegatum ab aliqua Ciuitate, ſeu interdicta aliqua Ciuitate delinquenti, etiam eius patriam cenſeri interdictam. Sed hæc diſpoſitio per deſuetudinem, aut conſuetudinem contrariam, quam *numer. præcedent.* libauimus, videtur abrogata. Cur autem Curia interdicta non cenſeatur, interdicta patria, interdicta verò alia Ciuitate, ſtatuatur in Iure, patriam eſſe interdictam, agit Don Alfonſus de Eſcobar *eo capit. 29. à numer. 38.* Et *in eodem capit.* oſtendit differentiam inter exilium, relegationem, interdictio-

nem, & deportationem. Videat ibi, qui velit, nam huc non attinent. Plura tamen dicemus *quæst. sequenti, à n. 484.*

576 Infertur vltimò, Magistratus Academię habere domicilium in loco illius, nisi sint solummodò ad tēpus, nam hi solùm habebūt quasi domicilium, casu quo originem, & proprios lares in eodem loco non habeant. Sic Salmantinæ Academiæ Rector, cum sit Studiosus, & singulis annis electus, quasi domicilium dum taxàt Salmāticæ habet; At Magister Scholæ habet domicilium, cum eius munus ex se sit perpetuum, & Dignitas sit Almæ Ecclesiæ Cathedralis. Ad horum similitudinem philosophandum erit de alijs Academiarum Magistratibus.

477 De Iudice Studij Salmanticensis aliquod poterat esse dubium, an domicilium, vel solùm quasi domicilium Salmanticæ habeat. Iudico, præcisè ratione muneris non habere domicilium, quia munus id non est perpetuum, sed amoueri potest Iudex ab officio, & communiter nō multum temporis in eo gerendo perseuerat. Quod exindè etiam cernitur, nam non rarò Togati fuere Iudices Studij, quos, eō stat, solùm habere quasi domicilium Salmanticæ, cum semper in animo sint inde discedendi, vbi primum decedenter, ac cōmodè possint.

478 Officiales Academiæ, & Tribunalis illius habent domicilium in loco Academię ipsius, quia ibi suos lares, & familiam retinent, muniaque exercent, quæ non adstringuntur aliqua temporis limitatione, sed ex se sunt perpetua; vtputà Secretarius, Notarius, Tabellio, Bedelli, & alij similes. Quòd si in aliqua Academia annalia sint eiusmodi officia, aut aliqua soleant præstari ab Studiosis, dum incumbūt annuis Cursibus, standum erit doctrinę adhuc traditæ.

Quæstio XXXXIII. Quibus pœnis possint Studiosi puniri ob sua delicta à Magistratibus Academiæ?

479 IMPVNITA non manere delicta, & Deus præcipit, & leges statuūt, & ratio, ac bonum publicum exigunt; nec aliter sanè gubernari Respublicę possunt, & hominēs inter se habere commercium. Aliquibus delictis destinatæ iam sunt pœnæ in Iure, aut in vnoquoque Regno, seu Prouincia speciales leges circa punitionem obseruātur. Alia autem sunt delicta, propter quę arbitrio Iudicis supplicia, seu pœnę infliguntur; in quibus attendendum est, vt pœnæ sint proportionatæ delictis, & delinquentibus, attentis circūstantijs; Nec enim eadem pœna semper, & propter quodcumque delictum debent puniri Ecclesiasticus, & Laicus: nobilis, & plebeius: vir perfectæ ętatis, ac iuuenis vix pubertatem transgressus.

480 Rursùs non omnes Iudices possunt eadem supplicia infligere; nā Ecclesiastici nequeunt decernere pœnam sanguinis. Quare inspiciendum est, an Magistratus Academiæ sit Ecclesiasticus; Et quamuis is, qui Ecclesiasticus est, solam habeat iurisdictionem Regiam, vel simul cum illa Pontificiam, (vt habet Magister Scholæ Salmantinus) adhuc nequit sentētiam sanguinis ferre; nam, etsi ea iurisdictio sæcularis ex se sit sufficiens ad illam pœnam inferendam, tamen ratione personæ limitatur, cū Ecclesiasticus nequeat ea vti in ordine ad eiusmodi pœnam. Potest tamen Curiæ sæculari tradere delinquentem, dum tamen, si Reus sit in Sacris constitutus, primùm degradetur.

481 His positis, Magistratus Academiæ gaudent iurisdictione, qua possunt quibuscumque pœnis Studiosos delinquentes punire, iuxta qualitatem delictorum, & personarum, & iuxta qualitatem ipsorum Magistratuum, atque attendendo ad circunstantias, quæ occurrunt. Quippè Magistratus Academiæ, vt latè stabiliuimus *lib. 1. per plures quæstiones*, sunt Iudices Ordinarij, iurisdictione ordinaria gaudentes, habentque merum, & mixtum imperium, vnde nulla est pœna respectiuè, quæ nequeat ab ipsis decerni, sicut potest ab alijs Iudicibus sęcularibus, & Ecclesiasticis.

482 Et in speciali potest Magistratus punire delinquentes pœna pecuniaria, exilij, flagellationis, traductionis publicæ ad pudorem, triremium; damnare eos, vt in bello militent; vt in aliqua Arce, seu Castello mereātur; delere eos ex alio Academiæ, & eorum Cursus litterarios annullare; in tetro carcere vinctos detinere, valet item, si opus sit ad veritatis indagationem, equuleo, aut aliter torquere, (nisi Regni leges alicubi resistant;) et si sæcu-

laris

laris sit Iudex, potest vsque ad pœnam sanguinis infligendam deuenire; sin verò sit Ecclesiasticus, potest excommunicationis, suspensionis, & interdicti censuras ferre; atque demum, si delictum exposcat extremum supplicium, valet modo dicto *numero 480.* delinquentem Curiæ sæculari tradere.

483 Cæterum, vt repetitò monuimus *lib. 1.* Iudices Academiarum valdè leniter se habere debent erga Scholares ob plures rationes ibi allatas; nec cõmuniter sunt inflicturi pœnas, quæ dedecus, aut infamiã eis afferant; nec eos mulctaturi sunt pœna pecuniaria. Sed eos monitis primùm, vt patres, corrigere debent; deinde, si tumultuentur, aut ludo, vel Veneri vacantes, ab Studij Officio deficiant, à loco Academiæ remoueant, eos ad ipsorum parentes mittendo; sin minùs, carceris diuturnioris pœna eos castigent, vel demum exilio damnent, aut ab aluo Academiæ deleant, si qualitas delicti deposcat, & non nisi rarò, ad supplicia maiora deueniant. Refrænari expedit iuuentutem, & eius delicta puniri; sed multum est indulgendum ætati, & deliberationis maturæ, ac prudẽtiæ defectui; Nec ab Studiorum via deterrendi sunt iuuenes illustres, optimo genio prædíti, qui parantur ad Reipublicæ commodum, & regimen. Non tamen propterea inficior, posse delictum ita excrescere, vt debeat delinquentis supplicio ingenti, & dedecus, ac infamiam allaturo, puniri; sed summa in his consideratione est vtendum. Sæpè id admonui Iudices Academiarum, huius tractatus decursu, vtpotè valdè expediens ad Academiarum conseruationem, concursum, famam, & ornamentum; quæ omnia decrescent, aliter se gerentibus Iudicibus. Rectè asseruit Dominicus Baudus *in orat. ad Studiosos Leidẽses*, post alia; *Nocere nimiũ rigorem, & seueritatibus remedijs id effectum iri, vt florentissimo Athenæo vastitas, & solitudo inducatur. Lasciuisse potius, quàm sæuisse improuidos adolescentes, & quamuis à disciplina vehemẽter deerrãtum sit, nihil tamen admissum, quod facilè cadat in eam ætatem, cum animi ægrotent, & in fermento sint*, & deinceps, *Verùm si incitures bestiæ cultu mãsuescunt, cur non etiam liberali modo tractentur liberalium iuuenum corda, quos cæca intemperies, non tamen impia, nec scelerata nocendi cupiditas abripuit extra gyrum officij, & inculpatæ rationis?*

484 Circa pœnam exilij, & relegationis (quam nunc eodem modo sumimus, esto in rigore Iuris aliquod discrimen sit inter relegationem, & exilium) aliqua disputat Don Alfonsus de Escobar *de Pontificia, & Regia iurisdict. cap. 29.* quæ aptat Magistratibus Academiarum, cum conueniant cuicumque Iudici sentẽtiam exilij proferẽti. Nos *quæst. præcedent.* iam discussimus, an, cum quis relegatur à loco Studij, aut à Curia, vel ab alia ciuitate, intelligatur relegatus à sua patria, in quà domicilium habet? & negantem partem in praxi fore sequendam contra ipsum Escobar stabiliuimus. Nunc ad alia veniamus.

485 Dubitatur ergo, ad quæ loca relegare possit Magistratus Academiæ subditos suos delinquentes? Supponẽdum est, *ex leg. 7. de interdictis, & relegat.* nullum Iudicem posse relegare delinquẽtem in Prouinciam, quam ipse non regit, seu extra territorium, quod sub eius iurisdictione non comprehẽditur, tamen posse interdicere delinquentem tota sua Prouincia, seu territorio; nàm tunc nihil disponit in alieno territorio, non enim dispõnere in eo valet, sed à suo abijcit territorio, quod præstare potest. Quòd si Reus duo domicilia habeat, aliud in Prouincia, quam Iudex regit, aliud in ea, quam non regit, tunc etiam ab hac Prouincia relegare eum poterit ex rescripto Imperatorum Seueri, & Antonini. Aliam limitationem affert Escobar, de qua infrà.

486 Deinde supponendum est ex traditis *lib. 1. pluribus locis*, Magistratus Academiarum esse Iudices Ordinarios, & Regiam iurisdictionem amplissimam habere, necnon etiam Pontificiam eos potiri, qui Magistro Scholæ Salmantino assimilantur; & proinde eorum territorium, quà iurisdictione Regia gaudent, esse totum Regis dominium, ac territorium; & quà iurisdictione Pontificia, territorium esse totum terrarũ orbem. Præterea quia Magister Scholæ Salmantinus est simul Iudex Conseruator, ac delegatus, & inde potest trahere non subditos intra determinatas diætas ad suum tribunal, eius territorium, quà Conseruator est, intra illas diætas continebitur.

487 His suppositis, asserendum est, Magistratus Academiarum, vt Iudices Regij ordinarij sunt, posse relegare delinquentes ad quælibet loca, seu Prouinciam, sub Regis iurisdictione contentam; & valere eos omni territorio Principis interdi-

terdicere; Vt autē iudices Pontificij sunt, & quatenùs tales sententiam ferunt, posse in quamlibet Prouinciam, in quam potest Pontifex, eos relegare; & demum, si vt Iudices Conseruatores sunt, condemnent aliquem exilio, valent eum relegare in quēcumque locum sub diætis contentum, & toto territorio in eiusmodi diætis cōprehē so eum interdicere. Quæ omnia ex suppositionibus præiactis sunt manifesta, & roborantur *ex leg. 7. præfata, §. 1. & §. sicut, cum sequentib. ff. de interdict. & relegat. ac ex leg. 5. tit. 31. part. 7. vers. Si non al Rey.*

488 Quod si lege aliqua Regni sit cautum, vt delictum puniatur relegatione extra Prouinciam, aut Regnū, quilibet Iudex poterit sua sententia eam pœnam declarare, quin attendatur ad territorium sub ipsius iurisdictione contentum, idemq; erit obseruandum in Magistratibus Academiæ, qui tunc poterunt delinquentem etiam extra suum territoriū relegare.

489 Contendit D. Alfonsus de Escobar *vbi suprà num. 78.* relegatum Studiosum à loco Studij, etiam à Curia Regia esse relegatum; quod assertum infert ex alio principio generali, nempè Iudicem relegantem à quauis ciuitate, vel Prouincia *iuxta leg. 7. præfatam, §. constitutum*; etiam relegare ab vrbe Roma; quæ limitatio apponitur ei constitutioni, de qua *suprà num. 485.* scilicèt neminem posse relegare in Prouinciam, vel extra Prouinciam, quam non regit. Sed quidquid sit de Iure Ciuili antiquo, in nostra Hispania id non semper in praxi obseruari, animaduerto. Etenim sæpè Iudices relegantes aliquem delinquentem à loco, aut Prouincia, solent insuper addere relegationē à Curia Regia, quam non exprimerent, si in relegatione à quolibet loco semper imbibita esset; indeq; colligitur, dum relegatio à Curia non exprimitur in Iudicis sententia, posse sustineri iuxta tolerantiam frequētē, eam non dari. Deinde, si quis ab aliquo loco relegetur, & præcipuè Scholaris à loco Studij, nunquam curatur, vtrùm ad Curiam aduentet, nec, quamuis constet, inibi versari, punitur tanquam exilij transgressor; ergo, quia iuxta praxim, & consuetudinem toleratam relegatio à Curia non continetur in quauis alia relegatione, cōmuniter loquendo; esto in rigore, fatear, Curiam in quauis relegatione comprehendi, imò & ea lōca, in quibus datur Regiū sigillum, qualia sunt ea, in quibus sunt Regiæ Cancellariæ; sed tolerantia hunc rigorem valdè frequenter minuit. Et in Scholasticis, vt superiùs notaui, cernitur manifestè; nam si Scholasticus Matritensis relegetur per Iudicem Academiæ ab vrbe Salmantina, quia tumultibus, aut Veneri tempus impendit, non curatur, an redeat Matritum, imò supponitur, ad lares paternos illum fore progressurum. Nam quò aliò pergat filius familias?

491 Don Alfonsus de Escobar *vbi suprà num. 89.* docet, laicos studiosos à Regia solùm Curia censeri relegatos, quia in eos iurisdictio Regia exercetur; nisi eorum causa sit spiritualis, quia tunc etiam à Curia Romana relegati sunt iudicandi, cum erga illos exerceatur iurisdictio Ecclesiastica, seu Pontificia. Quòd si Studiosi sint Clerici, in quauis causa ab vtraque Curia relegati censebuntur; à Romana quidē, quia iurisdictio Ecclesiastica in eos exercetur; à Regia autem, quippè, quantumuis clerici sint exempti à iurisdictione sæculari, tamen sub dominio Principis sunt. Hinc est, Regem posse interdicere suo Regno Clericum, quod vulgò dicitur, infligere ei, *las temporalidades.* Hinc etiam Curia Regia dicitur patria communis non solùm respectu laicorum, sed & Clericorum, atq; adeò, cum Iudex Academiæ, etiam quatenùs Ecclesiasticus, possit aliquem relegare à sua patria, valet simul à Curia Regia; quod in sententia huius Authoris maiorem vim habet, cum censeat, semper relegari à propria patria eum, qui ab alio loco relegatur.

472 Nimis rigida est hæc doctrina, & praxi contraria, dum vtrāq; Curiam cōprehendit. Quippè, dum Episcopi in Hispania, alijq; Iudices Ecclesiastici aliquē à Curia relegant, solum à Regia exilium decernunt, nec, vt credo, eis Romana in mentem venit; imò aditus ad eam semper liber omnibus permittitur; quare solùm à Curia Regia exilium declaratur. Nec in hoc, vt vult Escobar, duriorem interpretationem patitur sententia Magistri Scholæ, quàm aliorum Iudicum Ecclesiasticorum; cum hi, quamuis Regia iurisdictione non polleant, possint delinquentem relegare à Curia Regia, & aliūde ipse supponit, hos posse relegare illum à Curia Romana; quod iuxta ipsius Authoris principia est manifestum, cum asserat, relegatū à quolibet loco, intelligi relegatum à Curia; ergo, dum Iudices Ecclesiastici relegant

gant subditum, vt possunt, ab aliquo loco, etiam à Curia relegant. Deinde, quia ipse ait, Curiam Regiam esse patriam communem, & præterea relegatum à quouis loco, etiam à sua patria relegatum censeri; igitur, dum Iudices Ecclesiastici relegant delinquentem à loco aliquo, etiam à Regia Curia relegant; & consequenter nō est durior interpretatio sententiæ exilij prolatæ à Magistro Scholæ, quàm à quouis Iudice Ecclesiastico non habente iurisdictionem Regiam, sed dumtaxàt Pontificiam, quoad extensionem ad vtramque Curiam.

493 Obiter aliqua attigerim tam Studiosis, pœnis per sententiam Iudicis affectis, quàm alijs communia; scilicèt damnatū ad carcerem, exilium, aut alias similes pœnas, teneri illas exequi; esto probabile sit, non teneri in conscientia, & posse fugere, si carcer sit durus, aut exilium terræ insalubris, vel tēpus ad triremes destinatum sit ad vitam, vel per longum tempus; nec teneri, nec posse obligari ad abstinendum à cibo oblato, vel ad sumendum venenum. Quas propositiones sparsim sumptas à D. Thoma P. Vazquez, Lessio, Castro Palao, & alijs, defendit Diana *part. 3. tract. 3. resol. 79. & part. 2. tract. 17. resol. 39.* Rursus si Iudex infligat pœnam priuationis Officiorū, & Dignitatum, si delinquētes sint Regulares, aut similes, debet intelligi priuatio Officiorū, quæ habeant annexam honori Superioritatem; quare illi poterunt esse Censores, aut Consultores Sacræ Fidei Tribunalis, Lectores Theologiæ, Concionatores, aliaque Officia exercere valebunt, quæ Superioritate erga subditos non gaudēt. Ita tenet cum P. Thoma Sanchez, & alijs, idē Diana *part. 4. tract. 4. resol. 224. & part. 5. tract. 13. resol. 91.*

494 Quòd si Magistratus Academiæ, vel quilibet Iudex promulget aliquod præceptum pœnale, nēpè ne fiat aliquid sub tali pœna, nō obligatur transgressor ad pœnam subeundam ante Iudicis sententiam; nec is, qui est in causa, vt ille non soluat eam pœnam adhuc pecuniariam, restituere tenetur. Ita Malderus, & P. Layman, quos refert, & sequitur Diana *part. 1. tract. 10. resol. 23.* Excipe, si quid præcipiatur, aut prohibeatur sub excommunicatione latę sententiæ, quam ipso facto incurrit transgressor conscius illius. Plura habet P. Suarez *tom. de legibus lib. 5. à cap. 5. & 6.* vbi varias apponit formulas iniungendi pœnas, & ex verbis, quibus iniunguntur, colligit quando obligent pœnæ ante Iudicis sententiam, & quando non obligent.

495 Id pro praxi frequenti est obseruandum, quòd omnis ignorantia, quæ excusat factum, ne peccatum sit, excusat etiam debitum pœnæ in foro interno, Ita communis Doctorū *in c 2. de Constitution.* In quo capite asseritur; *Quod culpa caret, in damnum vocari non debet.* Constat id etiam *ex cap. Apostolicæ, de Clerico excommunicato ministrante; ex cap. Vt animarum, de Constitut. in 6. ex c. proposuisti, distinct. 82.* Quare asseritur in *leg. vlt. ff. de Decretis ab ordine faciendis*, pœnam non imponi propter ignorantes, sed propter scientes. Et quidem ablata culpa, pœna, vt pœna illius, locum non habet, vnde nec datur pœnæ debitum. Et sermo est de eo, quod vt purè pœna iniungitur. Hinc docet P. Suarez *loco relato, cap. 12. num. 4.* leges purè pœnales, vel non iniungere pœnam rigorosè talem, vel saltem requirere culpam ciuilē, & legalem; atq; adeò etiam ignorantiam earum legum ab eiusmodi culpa,, & à pœna excusare.

496 Extendit hanc doctrinam P. Suarez ad ignorantiam iuris, quæ etiam à pęna excusat; esto ignorantia iuris, & legum ad vnumquemque pertinentium rarò sit inuincibilis, cum singuli teneantur scire leges ad se pertinentes iuxta doctrinam D. Thomę *1. 2. quæst. 76. art. 4.* quæ etiam extat *in cap. 1. de Constitution. in leg. leges Sacratissimæ, Cod. de legib. leg. Constitutiones, Cod. de iuris, & facti ignorant.* Quando autem ignorantia non est inculpabilis, & inuincibilis, non excusat à pęna nec in foro externo, nec in foro conscię-tiæ, si pœna ante Iudicis declarationem incurratur: & difficile est, probari in foro externo ignorā-tiā iuris.

(?)

Quæſtio XXXXIV. An, & quod peccatum ſit, Scholaſticos publicè per locum, in quo eſt Academia, acclamare ſuam Nationem, aut aliquem ex illa, vel ex alia; Hiſpanè Salir à Victor ; *aut in ipſa Academia armatos ei plauſus facere, vulgò,* Corro?

497 AASSERO primò, eſſe peccatũ mortale, præſtare quodlibet ex his, quod in titulo quæſtionis continetur. Etenim quiuis Scholaſticus id præſtans cooperatur graui detrimento publico; præbet occaſionem tumultuum, rixarum, & vulnerum, ac mortium; turbat cõ cordiam, ac tranquillitatem Academiæ, & ipſius loci; cauſa eſt, vt Studium à pluribus omittatur; vt Magiſtratus Academiæ in carcerem detrudat, quos reos exploret, ibique hi ſumptus faciant, & à loco Academiæ relegentur, & quandoque à matricula deleantur, ſuoſque litterarios Curſus amittant; Aufert ingentem ab Academia ſplendorem, dum de eius Scholaribus rumuſculi per cuncta loca diuagantur, quibus vt tumultuoſi, Studij expertes, & armorum cupidi notantur; indeq; plures retrahuntur, ne ſuos filios ad Academiam illam mittant, in qua huiuſmodi dãtur, tumultus; Imò ſæpè ſe exponit periculo pugnãdi cũ alijs æmulis, ſi è cõtrario occurrant; & reſiſtendi Miniſtris Iuſtitiæ, ſi impedire tentent. Quis ergo neget, eum qui miniſtrat occaſionem ad ingentia adeò damna, & ijs ſe periculis exponit, peccare mortaliter?

498 Deinde, vt ad has acclamationes Scholares parentur, tormenta ignea quærunt, & ſecum retinere ſolent; cum in Academia Salmantina ſaltem, excommunicatio latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, & non ſolùm ad terrorem (vt aliqui falſò arbitrantur) quotannis promulgetur contra retinentes eiuſmodi arma, & abſolutionem ab ea ſibi Magiſter Scholæ reſeruare ſoleat. Vnde illi peccant mortaliter, & incidunt in excommunicationem, dum ea arma retinent. Alia etiam arma prohibita in ordine ad eumdem effectum habent, aut quærunt, quibus incedunt publicè armati, legibus prohibentibus iuſtiſſimè ea arma obſtinatò reſiſtentes. Et rurſùs pluribus Decretis Regij Supremi Senatus, necnon iuſſionibus Magiſtratuum Academiæ, eiuſq; Sanctionibus inobediẽtes ſunt in re grauiſſima, & ſub ingentibus pœnis vetita.

499 Cæterùm tumultu, vociferatione, tormentorum igneorum exploſione repetita locum implent, & turbant; quod ſummè dedecet; inde cuncti vel curioſi, vel ſolliciti, ac anxij commouentur. Alij æmulatione prouocantur, & etiam ſe in ſimilem acclamationem, & plauſus armatos parant, ac hortantur, cum diſpendio temporis, ſtudij, & fortunarum. Sæpè etiam ipſo tempore Quadrageſimæ hos excitant tumultus, quibus non ſolùm ſeipſos, ſed alios impediunt, quominùs animarum fructum ex pijs operibus reportent, & virtutis actionibus vacent.

500 Ipſam experientiam teſtem adhibeo. Quanta ex huiuſmodi acclamationibus, & armatis plauſibus damna emanarunt? Quot inde vulnera, quot mortes, quæ odia, & diſcordiæ ſunt ſecutæ? Quàm deſtitutæ Studioſis Academiæ, ipſo adhuc vigente tempore litterarij Curſus, remanſerunt? Quot Iudices fuerunt à Regio Senatu miſſi, vt delicta exindè profluentia ſeuera caſtigatione mulctarent? Quantæ diuitiarum impenſæ in alendis Scholaribus in Academia inutiliter fuerunt diſperditæ, cum illi ab ſtudio ceſſauerint? Quot iuuenes pacati animi, nobiliſq; genij, aliorum exemplo permoti librorum amorem in armorum tractationem mutarunt?

501 Nec friuolem quis excuſationem obtendat, aſſerens, ſe, dum hiſce acclamationibus armatis immiſcetur, non habere in animo, vlli nocere, aut rixari, ſed indulgere ætati, & ſuę Nationis, aut alicuius amici ſplendori, ne forſan ignauus iudicetur, ſi non aſſiſtat, & inter ſuæ patriæ coætaneos, beneuolentiæ, & honoris ſentiat detrimentum. Etenim nõ ideò vitat incõmoda, & pericula, quæ ex actione ipſa dimanant, ſuprà libata; exequi autem actionem, ex qua tot detrimenta proueniunt, lethalis eſt culpa. Deinde eſto id in animo habeat, inquiro ab ipſo, an, ſi æmuli, vt aſſolet contingere, opponantur toti illi armatæ cateruæ, ipſe ſit fugiturus, vel pugnaturus? Si ſecundùm, ecce eum animum fruſtratum. Si primùm, cui maius, in iuuenum huiuſmodi, exiſtimatione, honoris diſpendium. Rurſus, ſi Iuſtitiæ

tiæ Ministri opponãtur, dabitne vltrò ma. nus, vt victus in tetrum carcerem detru catur? ergo vel fugiet, vel resistet eis Ministris; illud arbitrabitur dedecus, quia res non æqua æstimatione pensantur; hoc verò est graue delictum, & supplicijs magnis obnoxium. Nec effugiet vim huius responsionis, si asserat, se certum esse, nec vllos æmulos, aut inuidos fore obuiàm ituros, nec Iustitiæ Ministros fore opponendos. Nam (præterquam quòd nequit de hoc certitudo haberi, cum iuuenilis ardor singulis horis noua meditetur, indeq; possit facilè, & breuiter in oppositionem concitari; & præterea Ministris Iustitiæ ex officio incũbat, hos tumultus, & acclamationes impedire, adeòq; possint plures homines in sui auxilium congregare, vt frænent Scholasticos); hoc nihilominùs non tollit, eam actionem fouendi, aut immiscendi se prædictæ armatę multitudini esse peccatum mortale, ob rationes suprà attactas, adhuc independenter ab hoc periculo pugnæ, aut resistentiæ.

502 Et quidem longè à prædicta mente debent esse Studiosi, cum nec subsistant, nec aliquid ponderis contineant motiua, quibus impelluntur. Etenim non ignauus, nec suæ patriæ iners æstimator, nec in amicos parùm beneuolus censetur, qui abstinet ab illis inanibus acclamationibus, & plausibus; imò iudicatur apud prudentes, & timoratos (quorum est standum iudicio, & non aliorum, qui omnino sunt contemnendi) prudens, honestæ vitæ, Studiorũ amator, sanguinis illustris suo debito satisfaciẽs, & laudatur, ac magni habetur; Sicut è contra, qui his tumultibus associantur, sanè parui habentur, despiciuntur, & nec professionis, nec nobilitatis muneri satisfacere existimantur. Vnde vituperium, & dedecus eis infligitur, cum ipsi laudem, & cõmendationem fore capturos, falsò arbitrentur. Nec inde Natio, aut patria comparat splendorem; quid enim ornamenti ex clamoribus imprudentum adolescentium ei accrescat? imò potiùs posset ei esse dedecori, eiusmodi alumnos procreasse, qui fas, nefasque confundant, & tranquillitati publicæ offendicula parent. Nec amicis præstatur obsequium, cum illis frequenter exindè nocumenta proueniant, & is, qui acclamatur, causam censetur dedisse tumultui, vnde non exigua solet pœna mulctari. Quòd si aliquis hos plausus appeteret, non esset indulgendum votis iniustis.

503 Non tamen peccati mortalis damno eos, qui absq; tumultu, & clamore, nec ad id pluribus concitatis, solent, noctu nomen amici in pariete inscribere, aut tabellas, in quibus nomen inscriptum est, parieti affigere in locis publicis, vt celebrius reddatur aliquod præmium ab eo obtentum, aut Actus Litterarius ab ipso exercitus. Quippè, etiam si conuenientius esset, nec id præstare cum temporis dispendio, & alicuius discriminis formidine, tamen, dum quatuor, aut sex Scholares dumtaxàt cum silentio id peragunt, cessant incommoda relata; nisi fortè extet specialis prohibitio idipsum vetans, maximè sub excõmunicationis pœna.

504 Affero secundò, varias species peccatorum posse cõcurrere in prædictis actionibus. Primò inobedientiæ, & contumaciæ, si detur præceptum prohibens, & excõmunicatio sit lata. Deinde scandali, cum ministretur pluribus occasio ruinę, quod peccatum est contra charitatem proximi, contra quam ex capitibus alijs, quæ suprà attigimus, ea actio militat. Rursùs iniustitiæ, si damnum proximo inferatur, vel inferri sit animus. Præterea hæ acclamationes tumultuosæ sunt species quædam seditionis, quæ intrinsecè est mala ex parte aggressoris contra ipsam virtutem charitatis ad proximum, vt docet P. Suarez *tom. de fide, spe, & charit. tract. 3. sect. 8. num. 1.* & quidem omnis species, aut etiam vmbra seditionis maximè vitari debet ab Studiosis. Hinc cautum est *leg. 1. & 2. titulo 7. lib. 1. Recopil.* vt Doctores, & Scholastici Salmantini, & insimul Magistratus nullatenùs præbeant auxilium, aut fauorem Ciuibus inter se discordibus, ne inde seditiones, ac tumultus foueantur. Sunt etiam illæ actiones species quædam discordiæ contra ipsam virtutem Charitatis, & contra præceptum pacis, ac concordiæ, quod est diuinum, vt constat *ex c. 12. ad Romanos, & ex 2. ad Corinth. cap. 13.* Huic enim paci opponitur dissensio voluntatum, & quidquid ab ea dissensione procedit, vt tradit idem P. Suarez, *vbi nuper, disp. 11. sect. vnica, num. 1.* Aliæ possunt considerari species peccatorũ in relatis actionibus iuxta circunstantias occurrentes, & iuxta animi affectum, quo peraguntur.

505 Affero tertiò, esse peccatũ mortale, ministrare arma his, qui ad præfatas acclamationes confluunt. Quippè in materia de scandalo hæ regulæ traduntur communiter ab Authoribus, Caietano

verb.

verb. Scandalum, D. Antonin. *2. part. tit. 1. cap. 9.* Adrian. *quodlib. 3. dub. 2.* Sylueſt. *verbo, infidelitas, quæſt. 4. & verbo, ars, quæſt. 3.* P. Suarez *vbi ſuprà, diſp. 10. ſect. 4.* Cardinal. Lugo, P. Filiucio, P. Hurtado de Mendoza, quos refert Diana *part. 5. tract. 7. reſol. 1. & ſequent. & part. 6. tract. 6. reſolut. 33.* cum alijs ibidem allatis; Nempè eſſe peccatũ graue, tradere alteri res, quando ſunt tales, vt ex inſtitutione ſua, vel ex vſu, aut lege ſunt prohibitæ, vel deſtinatæ ad prauum finem in hoc tempore, & loco, ita vt moraliter timeatur probabiliter vſus prauus in re graui; niſi huius periculum conſtet, ceſſare. Deinde eſſe peccatũ mortale, tradere alteri res adhuc indifferentes, quando præſcitur, illum in materia graui malè illis vſurum, ſi quis ſine magno incommodo poſſit eas non tradere. Id autem eſt peccatum ſcandali, cum miniſtretur occaſio ruinæ proximo.

506 Ex his regulis facilè probatur poſita aſſertio. Nam iam ſtabilitum manet, eas armatas acclamationes eſſe materiam peccati grauis; quare ſuppeditare arma, ſiuè prohibita ſint, vt tormenta ignea exigua, & ſimilia, ſiuè non ſint prohibita, vt enſes, cum præſciatur, malè vſurum illis accipientem, ſiquidem prauus vſus, & in re graui, eſt, ipſum eis acclamationibus armatum intereſſe, peccatũ erit mortale ſcandali, maximè cum in illis negandis non ſit magnum incommodum, & plures ſeſe offerant excuſandi rationes. Nec enim magnum incommodum eſt cẽſendum, ſi ea arma depoſcens beneuolentiam, aut amicitiam minuat, aut aliud ſimile, quæ adhuc nõ difficulter vitantur. Nec à culpa excuſatur, qui dicat, ſe non ſuppeditare arma, vt alicui iuſtigatur damnum; nam hæc euaſio, proportione ſeruata, eodem modo præoccupatur, ac illa, de qua *ſuprà num. 501.*

507 Extendenda eſt aſſertio præfata ad hortantes, iuuantes, cõſilia præbentes, aut quodlibet auxilium ferentes ad eas acclamationes faciendas, & ad colligentes arma, aut alia inſtrumenta, vt fiant, etiam ſi illis non interſint; quippè hi omnes ſunt cauſa moralis mali grauis, atque adeo grauiter peccant, iuxta principia ab omnibus tradita de his, qui cauſa moralis ſunt, vt alius peccatum graue committat, & de illis, qui dicuntur, ac ſunt cauſa moralis; ex quibus principijs manifeſtè deducitur, & prædictos eſſe cauſam moralem, & grauiter peccare.

508 Inde deduces, quam ſedulò teneantur Magiſtratus Academiarum ad impediendum has acclamationes, ac tumultus, ac ad apponendum media omnia, quæ ad id conducere valeant, cum penes eos ſit ſollicitudo pacis, & tranquillitatis publicæ, Scholarium concordiæ, et communis vtilitatis. Et quidem, ſi ob eorum incuriam, et negligẽtiam damna exindè in præiudicium tertij ſequantur, ipſi manent reſtitutioni obnoxij, cum enim ex officio teneãtur ad occurrẽdum hiſce malis, contra iuſtitiam peccant, ſi non occurrant, atque adeò reſtitutionis obligationẽ contrahunt, qua etiam onerantur hi, qui arma tradunt, conſiliumvè, aut aliquod auxilij genus præſtant, iuxta doctrinam communem de obligatione reſtitutionis, quæ datur in his, qui ſunt cauſa moralis alicuius damni, quæ cum ſuis limitationibus aptanda eſt huic euentui. Conſule inter alios Bonacinam, *tom. 2. de reſtitut. in genere, diſp. 1. quæſt. 2. punct. 7.*

509 P. Hurtado de Mendoza, *tom. 2. de ſpe, & charitat. diſput. 171.* acriter, et iuſtè quidem, inuehitur contra Studioſos, qui paci communi turbandæ occaſionem ſuppeditant eoſque, vt ſeditioſos, grauiſſimis fore ſupplicijs puniendos, affirmat; *Ob quod*, ait, *monendi ſunt homines linguoſi, qui facilè effutiunt, quidquid in buccam venerit, quo facilè concitant plebem. Maximè autem hoc eſt cauendum in Communitatibus, quò confluunt multi ex diuerſis Regionibus, inter quos facilè exalbeſcunt iræ; exempli gratia, in hac Salmanticenſi Academia, vbi quotidiano furore correpti iuuenes ſe interimunt barbarè, concitati à paucis perditis adoleſcentibus, qui ferro, & igne erant è Republica exterminandi.* Aſſentior omnino.

510 Sed adhuc audi pulchra verba P. Caroli Muſart *in lib. Adoleſcens Academicus, part. 3. ante cap. 5. in ſymboli explicatione, pag. 319.* qui ad viuum exprimit Scholarem tumultibus, et acclamationibus deditum, eumq; ab hiſce armatis exercitamentis abſterrere conatur, Sic ergo eleganter ſcribit; *Adoleſcens hic Academicus, ſi Superis placet, pro Schola plateas terit: pro ſtylo pugionem ſtringit, ſæpè vibrat; pro atramento erit cruor; iam Luna ſanguineũ rubuit, tonitruat, fulminat, grandinat; quò vergit tam dira tempeſtas? In ſuum, vereor, caput fabam cudit: id bubones, & nocturnæ ſtryges accinunt. Incidit ille in aliam furiam: etiam geminus furor ſæuit, laniſtæ duo decertant, digladiantur, imò alter alterum ex inſi-*

dijs

dys adori tur. Auerte imprudentem casum, si qui potes, sapiens, verùm timeo, ne frustrà; ibitur ad tragediæ catastrophen: vnus cædit, cadet alter; nescio, uter amborum infœlicior, nisi quòd de occisi salute conclamatum propè est, homicidæ tamen nullo iam loco tutum esse licebit; eum vbique suæ insequentur furiæ, & occisi Manes diri, flagello, & faceminaces, in oculis passim inuolabunt, & laniabunt ream mentem. O cruentum Academiæ solum! neque iam Academiam, sed gladiatorum arenam! Prohibete posthac prætores, & seueræ leges tam inhumanum nefas. Quid cõcinnius?

511 Plura congerit idem Pater Musart *relato capit. 5.* ex Scriptura, ex Diuo Hieronymo, Gregorio, Basilio, Chrysostomo, et ex alijs Authoribus, quæ valdè reprehendunt seditiones, discordias, tumultus, et quamlibet occasionem ad manus, et ad arma veniendi, et præcipuè nocturnas per vrbem excursiones adolescentium, quos eo temporis libros euoluere decet, et expedit; Neque enim in militia, nec in otij loco versantur, sed in litteraria palæstra, in studijs, in Academia, et non sunt hic Palladis arma. Id præ oculis habe, quòd, *Semper iurgia quærit malus. Prouerb. 17.* Et quòd, *Honor est homini, qui separat, se à contentionibus. Prouerb. 20.*

Quæstio XXXXV. An, & quod peccatum sit, Scholasticos impedire lectiones aliquibus diebus ante Festum Natiuitatis Domini, & ante Bacchanalia?

512 PAVLATIM hic abusus irrepsit, vt Scholares, octo, aut etiam pluribus diebus ante Natiuitatis Dominicæ Festum, et totidem ante Bacchanalia, lectiones impediant strepitu, clamoribus, et hinc inde puluerem, aut cinerem panno inuolutum iacientes, similiavè ludicra excogitantes, ita vt nec Præceptores legere queant, nec discipuli audire, indeque medio in Cursu litterario protenduntur Vacationes à lectionibus, quin id sit Præceptoribus imputabile.

513 Crediderim facilè, Scholares aliquos, dũ hæc peragunt, nihil de culpa cogitare, et quasi iam introductam consuetudinem prosequi, quotannis eam vltrà extendendo. Inde, qui (si aliqui sint) bona fide, et quasi ignorantia inuincibili ita operantur, à culpa excusabuntur. Sed quia abusus contra bonum publicum nunquam potest, vt consuetudo, præscribi, vt Authores omnes *in tractatu de legibus*, docent, ideò necessum est, et malitiã huius actionis exponere, et eam præ oculis haberi, vt deinceps vitetur.

514 Tenendum est igitur, peccare mortaliter singulos ex his, qui prędicto modo concurrunt, et sunt causa, vt lectiones tot diebus omittantur. Ratio est; nam infertur damnũ graue profectui Scholarium in studijs, bono publico Academiæ derogatur, Statutis in re graui resistitur, occasio præbetur Scholaribus, dum illis diebus lectionibus non assistunt, vt studium intermittant, otio tradantur, ludo vacẽt, & demùm non satisfit proprio muneri frequentandi Academiam diebus lectiuis. Et quis non iudicet, graue detrimentum esse, octo, aut decem diebus lectiuis, ab omnibus lectionibus cessari, nec legere eos, qui Cathedras moderantur, nec illos, qui ad edocendos studiosos sponte sua, scripto, vel voce legunt? Nonne Cathedræ institutæ sunt, vt legant, ac doceant Præceptores, quorum doctrina scholares in studijs proficiant? Hic ergo profectus impeditur respectu omnium Scholarium, & in cunctis Facultatibus, & non vno, vel alio die, sed pluribus, quod graue est detrimentum; maximè cum tempore Cursus litterarij plures dies sint feriati; plures item Scholares, vel post Festum Diui Lucæ ad Academiam aduentent, vel ante Paschã Resurrectionis, nondum Cursu peracto, ad suas patrias reuertantur. Deme ergo ex sex mensibus Cursus dies Festos ab Ecclesia institutos, dies præterea feriatos, Academiæ proprios, Vacationes Festi Natiuitatis Domini, Bacchanalium, et Paschatis Resurrectionis, sanè reperies paucos dies lectionibus remanere destinatos; Si ergo ex his adhuc, temporibus supradictis, alios quindecim, vel viginti tollas, quod, inquiro, tempus in lectionibus est insumendũ? Quis fructus ex eis reportandus? Qui tractatus, aut materiæ sunt perficiendæ? Et ne? ad Academiam aduentatur, vt nec audiãtur lectiones, nec

fructus reportetur, nec materiæ perfectè addiſcantur? Attentè vnuſquiſq; id perpendat, et obſeruet damnum, quod non vni, aut alteri, ſed toti Scholarium Communitati infertur, & nec illos dies paruam materiam iudicabit, nec excuſare poterit impedientes lectionum eiuſmodi congeriem à peccato lethali. Et ego quidem id cum Doctoribus, & Magiſtris Salmanticenſibus optimæ notæ conſului, & ab hac ſententia incunctanter ſteterunt.

515 Hoc autem peccatum contra charitatem proximi eſt, cui bonum ingens impeditur; aut etiam inobedientiæ in re graui, cum id Magiſtratus prohibeant, & conẽtur huic damno obuiàm ire, Scholareſque impedientes incarcerare, ac punire; vnde debito ſuo obediendi Magiſtratibus illi non ſatisfaciunt; Et fortè aliquis contendat, eſſe peccatum contra charitatem ex eo, quod ſit ſcandalum, cum detur occaſio ruinæ, ſeu culparum; Experientia enim eſt compertum, Scholares, incipientibus Vacationibus, incipere ludum, in quo maiorem quantitatem, quàm poſſunt licitè, amittunt, vel comparant; & præterea noctu vel per locum, vel per domos amicorum curſitare, ſe periculis obijciendo; ſtudium demùm omittere; quæ ſaltem plures præſtare ſolent; &, cum id præſciatur, vel moraliter euenturum fore, probabiliter timeatur, ſcandalum videtur eſſe, occaſionem culpis, quæ poſſunt frequenter in his actionibus reperiri, antecedenter præſtare.

516 Sed audiamus, quid reſpondeant ipſi Scholares, vt actionem à nobis damnatam, vt peccaminoſam, excuſent. Reſpondent primò, eam iam fuiſſe conſuetudine honeſtatam, & ipſos nihil nouum inducere, ſed vſui indulgere. Hęc reſponſio eſt eneruis. Etenim, vt ſuprà libaui ex ſententia omnium, conſuetudo nequit dari contra bonos mores, & publicum bonum; quare perperàm vocem conſuetudinis tribuũt abuſui, & corruptelæ. Deinde conſuetudo non poteſt dari, niſi bona fide, & pacificè præſcripta. In præſenti autem bona fides non facilè præſumenda eſt, ſaltem in pluribus, qui ad res attẽdũt; Quippè ea actio impediẽdi lectiones, quaſi praua, à Præceptoribus reprehenditur, & ab alijs increpatur; nec pacificè is vſus permittitur ſiquidẽ ægrè fertur à Magiſtris, & à Magiſtratibus, qui animaduertũt in Scholares id præſtãtes, & pœnas, ac ſupplicia in eos minantur. Et ſanè nec vſus poteſt obijci, cum quotannis vltra vſum conẽtur aliqui Scholares, lectiones per plures dies omitti.

517 Reſpondent ſecundò ſinguli ſe excuſantes, ipſos parùm, aut nihil cooperari impedimento, quod lectionibus apponitur, & hoc fore appenẽdum, quamuis ipſi nihil penitùs præſtarent, cum ſint alij, qui in id vehementiùs intendunt. Fateor, eos eſſe culpæ maioris reos, qui incipiunt impedire lectiones, et alios excitant, vt cooperentur, ſed tamen is, qui, antequam Præceptores deſiſtere à lectionibus decreuerint, cum cæteris perſtrepit, vociferatur, au ludicra ſuprà dicta exercet, concurrit vt cauſa moralis ad impediendum; &, ſi ſinguli non concurrerent, impedimentum à multitudine non apponeretur, cum multitudo ex pluribus ſingulis cõfletur. Nec peccati mortalis damno eos, qui vna, vel alia vice perſtrepunt, aut ſibi obiectum cineris, vel pulueris inuolucrũ in alios retorquent, ſed eos, qui conſultò ea inuolucra hinc indè repetito iaciunt, perſtrepunt, aut vociferantur, quibus is inſidet animus, vt hiſce actionibus lectiones impediant, et vt anticipato tẽpore Vacationes incipiant. Nec item peccati lethalis damnarem, ſi dumtaxàt per duos, aut tres dies (quamuis nec id eſſet licitum, nec permittendum) impedirent lectiones, cum exindè non adeò ingens damnum ſequeretur, à cuius grauitate culpa penſatur.

581 Reſpondent tertiò, non eſſe damnum graue, ceſſari à lectionibus, eo quòd in eis audiendis exiguum profectum experiantur, atque adeò ſolummodò eis aſſiſtere, vt valeant Curſum litterariũ probare, cum totus in litteris progreſſus ab Studio priuato domeſtico percipiatur. Hæc reſponſio euertit totam inſtitutionem Academiarum; & pariter poſſent dicere, ſecluſa Curſuum probatione, tantum profectum in litteris facturos in ſua patria, ac in Academia, cum ibi etiam poſſent priuato domeſtico ſtudio vacare. Altè profectò de ſe ſentiunt, qui ſine Magiſtro ſe doctos fore euaſuros arbitrantur, & ſanè id ita ſibi perſuaſum habent non pauci Iuris vtriuſque ſtudioſi. Sed omnino falluntur. Etenim niſi Præceptores eos doctrinæ fundamentis inſtruant, materias exponant, difficultates enodent, nequeunt ad hauriendam, et addiſcendam ſcientiam peruenire.

Equi-

519 Equidem, vt philosophatur P. Carolus Musart *in lib. Adolescens Academicus, part. 1. cap. 5. §. 1.* Si quam Deus primis humani generis Parentibus contulerat intelligentiæ vim, virtutisque flammam, adhuc retineremus, nihil magnoperè egeremus ducibus, ac Magistris, à quibus bonarum artium, actionumq; præcepta acciperentur; Ipsa mens rerum sinu lachris, vel ab authore Deo inditis, vel per sensus acceptis, omnium scientiarum luce splendesceret, ferueremusque sponte nostra in virtutis studium. Nunc, quoniã beata ea sorte excidimus, quemadmodum terra, non nisi aratro proscissa, & multo sudore subacta, segetem producit, ita nos rudes, imperiti, incultique sine vllis rerum noscendarum imaginibus, cum exiguis virtutum, ijsque ferè sopitis igniculis in auras proijcimur, fitque breui malignitate quadam naturæ, & prauo vsu, vt in rasam mentis tabulam vitiorum coloribus facilè impressis, auctisque in dies errorũ tenebris, non nisi longo doctiorum, meliorumque virorum negotio, atque industria eruditi, expolirique possimus. Possumus tamen vtrumque, si sapientum Magistrorum ars, gnauitasque accesserit, qui ignorantiæ tenebras, & vitiorum ferruginem abstergant, & varia eruditione excolant, atque exornent; dicente Salomone, *Ecclesiast. 10. Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur.* Ad id ergo Academiæ, & Studia Generalia sunt instituta, vt Magistri, & Cathedrarum Moderatores insignes adsint, quorum documentis ignorantiæ tenebrę expellantur, & in Scientiarum lucem Studiosi manuducti deueniant.

520 Ergo Studiosè adolescens, qui absque Præceptoribus tuo studio priuato adeò fidis, caue ab huiusmodi mente; quippè ad capessendas disciplinas adhuc es crudus, durus, rudis; neque nuda tabella, sed æs, ferrumvè inductis errorum formis rigidum, politiorique culturæ obsistens; eges igitur plurimùm manu magistra, quæ multa, diligentique arte, & industria tundat, expoliat, melioribusque formis induat. Quare vtramque animæ partem incudi, & malleo subijce; Magister optimus, falsarum opinionum, errorumque rubiginem detergat, scientiarum nitorem menti inducat. Id coneris, vt sapientiores Magistros eligas, in ea, quam profiteris, Facultate apprimè versatos, nam perire vis, si te imperito instituẽdum tradis.

521 Respondent demùm, Studiorum laborem esse improbum, incommodaque extra proprios lares ingentia sustineri, adeòque leuamine, ac recreatione indigeri, & aliquam relaxationem Studijs esse adhibendam, eo tempore præcipuè, quo cunctis permittitur solatium, & sui laboris intermissio; Idque sanè plùs in Iuuenibus locum habere, quorum ætati aliquid est indulgendum. Responsio hæc non rigori innititur, sed quamdam æquitatis speciẽ præseferre videtur; ideò etiam æquitatis vestigijs insistendo eam reijciemus, vt nullum supersit effugium. Liceat igitur id aliquantulum exornare.

522 Fateor, verissimum esse id, quòd Seneca Lucilio suo scribebat; *Alternis facilis labor; neque enim te iubeo, semper imminere libro, & pugillaribus; dandum aliquod interuallum animo, ita tamen, vt non resoluatur, sed remittatur.* Hinc vulgare prodijt exemplum à Dione Sophista desumptum, qui asserebat, animi, corporisque remissiones ad nouos labores viam faciliorem parare, & vt arcus, ac lyras, ita homines quiete vigere: easq; remitti, vt intendere possis; *Danda est ergo*, asserebat Plutarchus *lib. de educat. liberor. continentibus laboribus respiratio, idque in animo habendum, totam vitam nostram, in remissionem esse, seriũque studium diuisam*; Quod ex naturæ vicissitudine, & ipsorum animantium irrationabilium exemplis demonstrat; adstipulaturque Ciceto *lib. 2. de Orat.* eisdem vtens argumentis; Plinius ex agris pulchram comparationem adduxit; *Vti nouales, licèt alternis interquiescant annis, tamen eam cessationem vbertate compensant, ita relaxatio ingeniorum mediocris facit, vt ad studia reuersi plus efficiamus vigore animi, licèt breuiore tẽporis spatio.* Plura possem congerere ad hoc firmandum ex Phædro, Herodoto, Valerio Maximo, & Ouidio rem eleganter persequentibus, & antiquorum Sapientiũ gesta, Socratis, Catonis Censorini, & Anaxagoræ, ac aliorum in medium proferre, sed longiùs diuagari non licèt. Videantur Don Didacus Saauedra *in Idæis Polit. symb. 72. pag. 549.* Don Ioannes de Solorzano *in Emblemat. Regio Politic. emblem. 31. num. 9. pag. 235.* Qui plura pro more eruditè affert in hunc scopũ aptissima.

523 Sed iam illud temperamentum

ramentum commune ſubnecti oportet; *Ne quid minis.* Certiſſimum quippè eſt, ingenia nimio ſtudio frangi, & aliqua recreatione vegetari; hæc autem eſt cum moderatione ſuſcipienda, & ipſæmet Academię de illa curant, & moderamen apponunt, dum hebdomadarias, menſtruas, & annuas eſſe Vacationes, ſtatuunt. Hæ quidem ad remittendos animos ſufficiunt; ſuntque tempeſtiua quies, quæ vires inſtillet, & alat, vt ſit maior poſt otia virtus; ſi vltrà protendi intendatur, nimietas eſt, & non recreatio, ſed otioſitas eſt nuncupanda intermiſſio. Quate *in leg. 21. tit. 5. part. 5.* cum agatur de muſica, & alijs licitis oblectamentis, additur; *E maguer, que cada vna deſtas fueſſe fallada para bien, con todo eſſo non debe home dellas vſar, ſino en el tiempo, que conuiene, è de manera, que aya pro, è non daño.* Satis autem ſuprà oſtendimus, non conuenire, recreationem per eos dies (de quibus eſt quæſtio) laxari; &, cum tempus ſit deſtinatum tum ſtudio, tum recreationi, tempus illud in lectionibus debet inſumi, vt omnia ſuum tempus habeant *iuxta cap. 3. Eccleſ.* Tempus ergo audiendi lectiones, non eſt tempus vacandi ab Studijs, ſicut tempus ab his vacandi non eſt tempus illas audiendi. Quo infringitur data reſponſio.

524 Quin tam longè abeſt, vt diuturna recreatio animum ad Studia promoueat, quòd potiùs eum ita auertat, vt poſtmodùm tædio affectus ad librorum lectionem nauſeabundus oſcitet. Ideò adhuc inter ipſam remiſſionem Studiorum oportet, aliquod breue interuallum, in amæniori litteratura occupare, ne deſidiam mens addiſcat, quam dediſcere poſteà ſit arduum; *Sic agreſtes Curij*, ait Pacatus *in Panegyr. pag. 4. ſic veteres Coruncani, ſic nomina reuerenda Fabricij, cum inducię bella ſuſpendebant, inter aratra viuebant, &, ne virtus quiete langueſceret, depoſitis in gremio Capitolini Iouis laureis, triumphales viri ruſticabantur.* A militia illa ad litterariam militiam hæc aptentur, nec interminiſſionibus nimijs in vecors otium deuoluantur.

Otia, blanditię, procul eſte; ignauia cedat, vt loquar cum Don Ioanne de Solorzano *vbi ſuprà emblem. 77. ante Commentarium*

(?)

§. *Vnicus. Quæ recreationes, & ludi deceant Scholares?*

525 SED, quoniam huc peruenimus, ne intactum quidquam omittamus, de Scholarium recreationibus, & ludis, qui ipſos decent, aliqua libare non eritinopportunum. Nec damno ludos alios in Republica permiſſos, quibus incumbere, adhibitis neceſſarijs requiſitis, non eſt peccatum. Sed non omnia omnes decent; & ludicra, quæ infantili ætati conueniunt, iuuenilis non ſuſtinet; ſimiliterq; aliqua, quibus diuerſorum Statuum viri recreantur, Scholaribus non rectè adaptãtur. Rem hanc eleganter diſcuſſit Pater Carolus Muſart *in libr. Adoleſcens Academicus part. 2. cap. 4. §. 2. & 3. & part. 3. cap. 2. & 3.* & quia liber hic non facilè eſt obuius, libet ex illo aliqua in præſenti proferre.

526 Igitur Scholaſticos decent (id ſemper obſeruando, quòd exceſſus temporis, & pecuniarum in recreationibus, & ludis eſt vitandus) Muſicorum inſtrumentorum, vocumque doctæ ſimul, & iucundæ concertationes; vtpotè quæ animum ſuauiter detineant, curis eximãt, & mirificè delectent; magnaque omnino eſt Muſicæ cũ Muſis, vt nominis, ſic & rei conſenſio. Pythagoras Philoſophiam muſicam appellabat; & aiebat, Deos ſuos omnes aut Muſicos, aut Muſicorum eſſe amatores. Plato aſſerebat, corpora, animoſque hominum, & vniuerſam rerum compagem harmonia conſtare, & muſicam non ſolùm ad aurium oblectationem, ſed ad morum, animorumque moderationem quamdam fuiſſe adinuentam. Socrates iã ſenex à Lampone Archimuſico voluit edoceri, & cum ab aliquibus irrideretur, reſpondit, malle ſe muſicæ ſtudere, quàm mori huius artis ignarum. Atheniẽſes præcipiebant, muſicis diſciplinis infantiam informari. Aſclepiades, & Erophylus, phreneſim, & febricitantium intemperiem muſicorum inſtrumentorum pulſatione curabant. Imò *1. Regum 26.* Saulem à malignis furijs exagitatum ſuauis cytharæ incantantione ad ſe reuocauit. Inde ferunt, Orpheum, & Amphionem muſicis modulis Tygres, Leones, ac vrſos ad humanitatem traxiſſe; & Delphinos, ſaxa, ac lapides ad offi-

cium

cium ſeruile pellexiſſe.

527 Præterea exercitationes corporis decent Scholares, vt vſus roboret membra, quæ otium frangit. Exercebantur olim iuuenes Romani in campo Martio, diſco, curſu, ſaltu, pugillatu, cæſtu, ſed hæ paleſtricæ contentiones, præter curſum, & ſaltum, ad militares viros amandentur: quia rixas excitant, nimiùmque defatigant. Inambulationes ſanè licent per amœna camporum, abdita nemorum, & ardua montium, quibus aura hauritur liberior, & animus motu reficitur. Venatio auium ingenua eſt; ac ſubindè feras laqueis, & canibus prædari, nobile eſt exercitamentum; nam ignea tormenta ab Scholarium manibus longiſſimè ſunt reijcienda.

528 Pilæ vſus antiquiſſimus eſt, ac laudatus, quem Romæ olim Senatuſconſultum approbauit, Ius Ciuile, ac Canonicum permiſit. Alexander Macedo hoc ludo delectabatur, & quia cum eo Ariſtonicus Cariſius optimè luſit, in commendationem artis eum ſtatua, & Ciuitate Athenienſes donarunt. In hoc ludo ſe exercuiſſe, legimus, Cæſares Iulium, & Auguſtum, Marcum Aurelium Antoninũ, Alexandrum Seuerum, ac Domitianum, necnon alios Viros celebres, Quintum Mutium Scæuolam, & Philoſophos Lyronem Troadenſem, & Theſilium Chalcidinenſem. De pilæ ludo Galenus librũ ſcripſit, in quo docet, cum corpori, & animo eſſe maximè idoneum, & in eo vocem ipſam arterijs, & ſpiritu dilatatis fieri clariorem. Immodici tamen clamores vitẽtur, quæ ingenuum dedecent adoleſcentem, item nimiæ pectoris denudationes, quæ cuiuſpiam oculos lædant. Quin nec Scholares frequentare debent ſphæriſteria, ſeu loca ad ludum pilæ omnibus deſtinata, ne cæteris, qui Scholas non frequentant, nimiùm immixti, & publicè notati, vel ludo plurimùm aſſueſcant, vel otio dediti cenſeantur. *Ludendi*, ait Cicero *libro 1. officior. eſt quidam modus retinendus, ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem dilabamur.* Ludus præterà annuli ferrei, globulis ligneis ſuper terram rotatis; vel alterius annuli ferrei, ſphærulis eburneis ſuper menſam iactatis, & alij ſimiles, etiam decent Scholares, ſi nuper appoſitæ limitationes adhibeantur.

529 Dedecet quidem eos aleæ ludus; quem leges vetuerunt, & aleatores infamia notarunt; & extant Vlpiani, & Iuſtiniani ſtatuta decernentia ſupplicium in illos, & in ſpectatores, atque in præbentes eis habitationem. Inde, vt denotaretur infamis homo, illud adagium prodijt, *Optimus aleator.* Hinc Suetonius *in Octauio, & in Caligula*, eos Imperatores vituperat vt aleatores. Spartiatæ, vt narrat Femel. *lib. 4. cap. 32. de tumult.* noluerũt fœdus cum Corinthis inire, eo quòd Chilon, cum ad id ineundum pergeret Corinthum, illos alea ludentes repererit, quaſi dedecus exiſtimantes cum aleatoribus ſocietatem inſtituere. Contra aleatores librum ſcripſit S. Cyprianus; Inuehitur in illos D. Ambroſius *lib. de Tobia, cap. 11.* Et in Sexta Synodo pœnæ in ipſos ſtatuũtur. Plura in aleæ ludum ſcribunt Ariſtoteles *in Ethicis*, Plato *in Phædro*, Diogenes Laertius, & alij tũ ex antiquis, tum ex recentibus, quos non vacat referre.

530 Sed dubitas, qui ludi nomine alearum comprehendantur? Aliqui quidem, eos omnes comprehendi, arbitrantur, qui à caſu, fortunaque pendent, cuiuſmodi ſunt, Teſſerarum iactus, Talorum, Aſtragalorum, Scachorum, ſeu latrunculorum, & Chartarum Luſoriarum. At non hi omnes iuxta communem praxim reputantur illiciti; cum præter fortunam etiam plurimum artis, ingenij, & induſtriæ contineant, vnde honeſtantur; eoſque ſolos damnandos fore iudicauerim, qui à caſu dumtaxàt, fortunaque pendent.

531 Chartarum pictarum ludus, valdè omnibus frequens, ſi fieri poſſet, ab Scholaribus eſſet fugiendus, quippè in eo magna temporis, & fortunarum ſolet profuſio dari; & in huius ludi ſtudioſis non infrequenter reperiuntur mendacia, periuria, blaſphemiæ, injuriæ, ſcurrilitates, rixæ, pugnæ, furor, ac immenſa quædam perdendi, ac peccandi materies; & qui iſtorum ſunt amantes foliorum, ſolent Iuriſprudentiæ, & Philoſophiæ chartarum eſſe oſores, atque adeò prodigi, & perditi, vt, cum Studijs honeſtis omnia negent, noctes tamen ludendo inſomnes agant, neque inde abſtrahi ſe ſinant, niſi nudi, ac inueſtes. Hinc ab externis Authoribus maximè laudatur lex Academiæ Salmantinæ, quæ Magiſtro Scholæ iniungit, vt moribus Studioſorum diligentiſſimè inuigilet, & quẽ pronum in vitia, & turpes iocos, taxillos,

aut chartas esse compererit, primùm obiurget, sin pergit, in custodiam conijciat. Hinc etiam in Societatis Iesu Studijs seuerissimè hic ludus Scholaribus prohibetur, ac ludentes mulctantur. Cæterùm minùs rigidè cum Academicis est agendum, quibus hic ludus permitti potest, dum tamen non eo vtantur, nisi aliquo die Vacationum, nec vltra duas, aut tres horas ei impendant, nec quantitatem magnam in eo amittendam exponant, sed eam, quam licitè ludo exponere queunt; de quo egimus in superioribus; ac demùm ea genera ludendi vitent, quæ fortunæ, & casus, non verò artis, plurimum habent, ac in quibus breui interuallo summa ingens solet amitti.

532 Cæterùm recreationis nomine nequit ebrietas venire, cum vitium sit tum omnibus, tum præcipuè Studiosis penitùs vitandum. Quòd vt omnino prosequaris odio, audi pauca collecta ex D. Augustino *serm. 232. de tempor. & ad Sacras Virgines*; Ex D. Petro Chrysologo *serm. de ieiun.* Ex D. Hieronymo *epist. 83.* ex D. Basilio *hom. 14.* ex Chrisostomo *hom. 1. ad popul.* ex Ambrosio *lib. de Elia, & ieiun.* Ebrietas est rabies voluntaria, inuitatus hostis illecebræ honestatis, pudoris iniuria, mater litium, furoris genitrix, petulantiæ parens, quam qui habet, homo non est; præterea ebrietas est blandus dæmon, dulce venenum, suaue pecatum, quàm qui habet, se ipsum non habet: quam qui facit, non tam peccatum facit, quà ipse est totus peccatum. Est illa flagitiorum causa, culparum materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragiũ castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Ebrius autem est monstrum horrendum, ingens, informe, cui lumen ademptum, rationale sine ratione, viuens sine sensu, sentiens sine vita, vinum redolens, eructans, vomens, vultu, oculis, naribus, ore, quod hausit, exhalans. Quid vltra Ebrius? chymæra, populator cellariorum, doliorum hirudo, Proteus varius, mutabilis Chamalæon, Polypus multiplex; omnia, præterquam sobrius. Quid rursus Ebrius? Homo viuens mortuus, sepultus. Idolum, & simulachrũ gentium, oculos habens, & non videns; aures habens, & non audiens, manus habens, & non palpans; mortuus animatus, dæmon voluntarius, morbus veniam non merens, ruina excusatione carens, commune nostri generis opprobrium. Quid adhuc Ebrius? homo mente titubans, oculis lippus, lingua balbutiens, voce cespitans, pallidus ore, fætens halitu, stertens, dormiens, gressu vacillans, stare non valens. Hinnit, vt equus: rudit, vt asinus: gannit, vt vulpes: furit, vt leo: lasciuit, vt hircus; vt simia, ineptit. Quid demùm ebrius? Hydra; animal vigilando somniãs, cuius venter dolium, stomachus, guttur, totus gula. Amittit vocem, colorem variat, igneſcit oculis, labijs tremit, frendet dentibus, inermis militat, pocula in tela vertit, nutat, labitur, errat; duplicata omnia cernit, vmbras horret, reluctatur, calcitrat, boat, nec sanus copore, nec animo liber, viuum cadauer. Nonne hæc satis, vt horreas?

Quæstio XXXXVI. Quantum temporis teneantur Studio vacare quotidie Scholastici, vt suo muneri satisfaciant; & vtrùm peccatum lethale sit, priuatum Studium omittere?

533 EGIMVS in Superioribus de obligatione, qua Scholares obstringũtur assistendi lectionibus, quas audire debeant, & quãtum temporis singulis interesse. Nunc de studio priuato est quęstio, in quo vel audita à Præceptoribus documenta recoluntur, vel libri, aut Codices opportuni ad scientiam addiscendam attenta meditatione lectitantur. Nec dubium versatur circa illos (si qui fortè sint) qui ad Academiam aduentant, non tam vt Studijs insistant, quàm vt tempus decenter, ac honestè transigant, & inter alios nobiles adolescentes educati consortio, vrbanitati, & commercij culturæ assuescant. De cæteris ergo quæstio proponitur, qui studiorum causa à parẽtibus, aut Curatoribus ad Academiam mittuntur, eisq; alimenta suppeditantur, vt possint ibi cõmodè victitare, & in litteris facere progressus.

Affero

534 Aſſero in primis, Scholarem, qui toto Curſus litterarij tempore, aut magna illius parte Studium priuatum omitteret, peccare mortaliter. Sic ſenſerunt Viri docti in Theologia, & in Iuriſprudentia à me Salmanticæ conſulti. Etenim is non ſatisfaceret muneri ſuo in materia graui, cum temporis, & fortunarum ingenti diſpendio; parētibus, ſeu curatoribus moleſtiam magnam afferret, inobedienſq; eorum præceptis eſſet; & ſimul indè occaſio oriretur ludo incumbendi, aut alijs vitijs, alioſque ſocios, ſeu amicos perturbandi, & ab Studio retrahendi, quæ omnia maculā peccati mortalis inurunt.

535 Quod autem vno, vel alio die, aut per duas, vel tres hebdomadas ex his, quæ Studio ſunt deputatæ in toto Curſu litterario, quis ab ſtudendo ceſſaret, non eſſet peccatum graue; cū abſolutè hic non deficeret notabiliter ſuo muneri. Et generalis hęc regula tradi poteſt; eos, qui communiter incūbunt ſtudio priuato, non peccare mortaliter, eſto aliquādo ceſſent; eos verò, qui communiter ei non incumbunt, mortaliter peccare, eſto aliquādo ſtudeant.

536 Non autem facile eſt, deſignare tempus, quo tenentur quotidie priuatim ſtudere, & id arbitrio viri prudentis eſt taxandum. Iudicarem ego, non ſatisfacere muneri ſuo Scholarem, qui ſingulis diebus horam & dimidiam ſtudio priuato non impenderet, computato vnius diei cū alterius diei ſtudio. Si enim indè aliquid detrahas, nihil ferè remanebit; &, quamuis plus temporis in eo debeat ex æquitate inſumi, illud tamen per ſingulos dies continuum videtur ſufficiens ad conſcientiā exonerandam, & doctrinam capeſcendam, licet non ſit ſatis, vt quis valdè doctus euadat.

537 Hanc obligationem ſtudēdi priuatè minorē eſſe in aliquibus Scholaribus arbitror, nempè in his, qui parentū expenſis non victitant, ſed aliorum, quibus famulitium præſtant; quippè ex his plures ad Academiam aduentant, vt ibi vitā tranſigant famulando, & ferè ſe habent, vt famuli non ſtudioſi. Attamen par eſt, vt ſtudio etiam priuato incumbant, quo deindè eruditi valeant decenter ſibi ſufficere. Saltem tenentur non turbare alios, nec vllam ſcandali notam præbere.

538 At non poſſum hinc abire, niſi priuatum hoc ſtudium, & exercitamenta litteraria non perfunctoriè commē dem. Et quidem nullus indè manet diſciplinis inſtructus, quòd apud ſe Codices, tractatus, materias illuſtrium Doctorum, imò etiam ampliſſimam bibliothecā retineat; non enim libris, aut Codicibus, ſed animis ſapientia clauditur; Tua ſcrinia, & arcæ ſcriptis rumpantur, ſi mens eſt inanis, & ab eruditione inops, eris indoctus. Audire dū taxàt Præceptores, & ſolùm, ſapientiam è limine ſalutare, nec id ſufficit. Ariſtoteles tria requirebat ad diſciplinam comparandam: naturam, ſeu ingenium, doctrinā Magiſtri, & exercitationem, aſſerens, duo prima parum abſq; vltima valere; hęc enim celeritatem, & facilitatem gignit, non ſecus ac in cytharizatione, ac alijs actionibus ſimilibus exercitatio celerem, & facilem reddit addiſcentē, vt aiebat Diogenes Laertius *libr. 6.* Sic, qui ad militiam parantur, priùs gladiatorijs tentationibus exercētur; ad quorum exemplar mens ſapientiæ ſtudioſa priuatis exercitationibus eſt excolenda, priuſquàm foris ingenij ſpecimen oſtēdatur. Nimirùm mentis obtuſa eſt, hebetataque acies, vt acutè veritatem intueri nō poſſit, niſi multo labore rubigo abſtergatur. Sapientia eſt theſaurus abſconditus; niſi ingenti niſu terra hinc indè effodiatur, neutiquam apparebit. Democritus puteū effingebat, & clamabat *In fundo veritas*; Ibi latet; & niſi plurimo ſudore puteum exhaurias, veritatem, ſeu ſapientiam non indè extrahes. Quo putei ſymbolo, circumdati Studioſis, qui manus, & mentem funi applicant, vt aquam ſapientiæ ſalutaris labore ſuo hauriant, vtitur ad præſens inſtitutum Pater Carolus Muſart *in lib. Academicus adoleſcens, part. 2. ante initium capitis 3.*

539 Cæterùm, vt D. Auguſtinus *de vera innocentia, cap. 110.* ait; *Auditor ſimilis eſſe debet animalibus, quæ abeſ, quòd ruminent, munda eſſe dicuntur; vt non pigeat cogitare, quæ in cordis alueo concepit; &, cum audit, ſimilis ſit edenti; &, cum audita in mentem reuocat, ſimilis ſit ruminanti.* Non ſufficit edere, neceſſum eſt ruminare. Imitandus eſt canis venaticus ab Studioſo; (quo exemplo vtitur D. Clemens Alexādrinus) illius enim curioſæ ſagacitati non ſufficit, campum percurriſſe, ſed itque, reditq; vias, & odore emunctę naris, ac repetitis locorū ambāgibus inueſtigans feram indagat, & ſecunda, ac tertia inquiſitione aſſequitur, quod prima venatione nondum deprehenderat. Veritatem doctrinę repetita meditatione inueſtiget, qui eam apprehendere ambit.

bit. Æmuletur pictores,& operioſiores artifices,qui opera in publicum cum gloriæ ambitione euulganda priùs excolunt, expoliunt, elimant, perficiunt, non vna leui manu,aut attis tentatione contenti. Nec ſe quis laudet, quod abſque ſtudij labore ſubitò veritatem nouerit, aut argumentũ excogitauerit;timeat, ſibi euenturũ, quod pictori accidit,qui ſuam Appelli oſtendens tabulam aſſeruit; *Hanc modò appinxi*; Apelles acutè reſpondit; *Etſi taceres, res ipſa loquitur,hanc tibi imaginem ſubitò excidiſſe;demiror autem,quo pacto non plures eiuſmodi depinxeris.*

540 Multum legas, non multa. Seneca *lib.1.de tranquil.* ait; *Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare; quæ ſunt varia, potiùs nocent,quàm alunt. Satius eſt, profuturis ſe credere,quàm errare per multa. Qui vbique,nuſquam.Onerat diſcentem turba, non inſtruit;ſatius eſt,paucis te Authoribus tradere.* Horum autem delectus Profeſſorum iudicio ad rem,& captum ſingulorum eſt probandus.Non ſapientiam attingit ille, qui tumultuaria,inordinataque lectione ſemet ingurgitat,non traijciens in animum, quæ legit; quippè, ſicut non hi, qui plurimum edunt,meliùs valent,ſed qui ſumunt,quãtum opus eſt,ita non,qui plurima, ſed qui optima legerint,Studioſi,& eruditi ſunt habendi.

541 Nec difficultates in quas offenditur,terreant; paulatim emolliũtur, & per partes capitur, quod totũ ſimul nequit apprehendi; Aliquando exigui corporis ſerpens magnum aliquod deuorat animal, nam oſſa, & neruos paulatim conterit,& contrita exſugit; ſic etiam parua ſapientia magnas ſæpè deuorauit difficultates,atque digeſſit paulatim. Quòd ſi in ſtudij progreſſu quis ceſpitet, nec adhuc verũ attingat,tundat,& extũdat etiam,nam inde veritas emanauit. Alphonſus Caſtellæ Rex,cognomento Sapiens, cum latentem veritatem è libro exprimere conaretur, eius externas tabulas, quibus erat compaginatus, digitis crepans idemtidem pulſabat;Aderat Dynaſta quidam ex familiaribus,ab eoq;interrogauit,cur quateret crebris pulſibus inſontem membranulam,cui reſpondit Alfonſus,aperiens codicem, *Nequaquam ad ſurdum clamo, nam mihi diu pulſanti iam tãdem liber reſpondere incipit.* Ergo mens pulſet diu aſſidua meditatione, eiuſque dubitationibus libri tandem reſpõdebunt.

542 Sed libri, & Codices, quamuis doctiſſimi, vt ſuprà libaui, ſi ſtudium priuatum non acceſſerit, neminem doctum efformant. Cenſuit olim Neanthus,vt Lucianus refert,ſe muſicum euaſurum inſignem,ſi dũtaxàt Lyram Orphæi, quæ in templo quodam religiosè ſeruabatur,præ manibus haberet; corrupit pecunia templi ædituũ, & ſub noctem ſuſtulit Lyram, ſtatimque in ſuburbio pulſare fides incepit;ſed adeò inconditum, ac feralẽ ſonum,ſeu ſtrepitum edidit,vt excitati è vicinia canes cytharędũ miſerrimè contrucidauerint. Caueat quiſque, qui aliorum Lyris,ſeu Codicibus fidit,ne ei canes obla trent.

543 Ex his omnibus ſatis patet,quantum expediat Scholaribus, priuato ſtudio recolere, quæ à ſuis Magiſtris percipiunt. *Et quis ferat,* ait Plutarchus *de officio Audit. te in Tonſtrina ſurgentem mox aſſidere ſpeculo, & contactu capitis cæſariem contueri,num probè ſis tonſus;& à Scholis,vbi ſermonem audiuiſti,non protinùs contemplari, & animo tuo diſcere?* Nollem, in hæc tempora quadrare illa verba Senecæ.*præfat.in lib.1.controu.Ecce torpent ingenia deſidioſæ in uẽtutis,nec in vllius honeſtæ rei labore vigilatur.Somnus,languorque,ac ſomno,& languore turpior malarum rerum induſtria inuaſit animos.Cantandi,ſaltandi nunc obſcæna ſtudia effæminatos tenent;& capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare,& mollitie corporis certare cum fæminis,& iucundiſſimis excolere munditijs,noſtrorum adoleſcentũ ſpecimen eſt.*

544 Ergo, vt loquar cum Carolo Muſart, *vbi ſuprà*, Studioſe adoleſcens,labora gnauiter,fortiter, operosè,altè enim in Democriti puteo merſa veritas latet;niſi plurimùm deſudes,parùm,aut nihil hauries. Ligonem manibus apta, nam ſolum tibi eſt aperiendum;atque,vt auri,& argenti nobiles venas ſub terra recõdidit, ne diuites abſque labore euaderemus, ita meliores animi opes,ſciẽtias,Deus,abſtruſas eſſe voluit,neque ſine ſudore parabiles. Pegaſus poeticus non niſi è ſolo repercuſſo Caſtalios latices elicuit: omnia ferè, quæ in pretio eſſe poſſunt,primùm latent; nam ea, quæ paſſim occurrũt, iam pridem viluere.Studium igitur extra ſcholam in tuo Muſæo adhibe conſtans; dictata à Præceptoribus lege,relege, volue, reuolue, euolue,dum mentem,ac ſenſum aſſequaris; Commentare, ſpeculare; multũ ex te perconctere, tibique reſpondeas, alios etiam adi,audi. Hæ Academiarũ palæſtritæ ſunt exer-

exercitationes, sine quibus lemniscatã coronam, aureamvè lauream nemo vnquam promeruit.

Quæstio XXXXVII. An Studiosi, si in loco Academiæ detur interdictum, aut cessatio à diuinis, & in aliqua Ecclesia non detur, teneantur audire Sacrum in illa, diebus Festis?

Vbi de priuilegijs concessis Academiæ Salmantinæ tempore interdicti.

545 QVAMVIS hæc dubitatio etiam non Studiosis sit communis, tamen eam in præsenti discutio, tũ quia in locis Academiarum, propter iurisdictionum diuersitatem, frequentiora solent interdicta promulgari; tum quia Salmanticæ sunt aliquæ Ecclesiæ, in quibus, si interdictum ab Episcopo pronuntietur, nõ seruatur, quia eius iurisdictioni non subiacent, ideòque ibi frequenter hoc dubiũ agitatum obseruaui. Ad quæstionis decisionẽ clariorem, & totius rei claram notitiam, præstringam, quæ tradidi *tom. in Bull. Cruciat. disp. 15.* circa interdictum; ibi videat, qui velit Authores de singulis propositionibus nunc supponendis tractantes.

546 Interdictum est censura Ecclesiastica, qua prohibẽtur diuina Officia, aliqua Sacramenta, & sepultura Ecclesiastica. In quo differat ab excommunicatione, & suspensione, agit P. Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 18. punct. 2.* Interdictũ potest ferre, communiter loquendo, is, qui potest excommunicare, & suspendere. Ita Syluester *verbo, interdictum 3. num. 3.* Priuat diuinis Officijs, quæ alicui Ordini Sacro sunt annexa, nõ verò alijs orationibus. Triplex est; purè locale: purè personale: & mixtum. In primo prohibentur diuina Officia, & quædam Sacramenta in tali loco: in secundo prohibentur personæ ab illis in quolibet loco; in tertio prohibentur aliquæ personæ in quolibet loco; & simul interdicitur aliquis locus respectu omnium personarum. Hæc interdicta vel sunt generalia, totum locum, seu omnes personas comprehẽdẽtia; vel particularia, quibus aliqua Ecclesia, seu aliquæ personæ dumtaxàt interdicuntur. Latè de his Couarrubias *in cap. alma mater, de sentent. excomm. in 6. p. 2. §. 1. à n. 6.*

547 Interdicto populo, non interdicitur Clerus; quare Clerici, & Regulares possunt tempore interdicti Missas, & diuina Officia celebrare, dũ id præstẽt, ianuis clausis, submissa voce, cymbalis nõ pulsatis, & exclusis his, qui ibi nequeũt assistere, dummodo ipsi non sint specialiter interdicti, & ea non exequantur in Ecclesia specialiter interdicta; in qualibet autẽ possunt, si interdictum sit generale. Consulatur Trullench *in Bull. Cruciat. lib. 1. §. 3. dub. 2.* Sacramenta Baptismi, Cõfirmationis, & Pœnitentiæ, ac respectu illorũ, qui in probabili mortis periculo existunt, Eucharistia, in nulla Ecclesia per interdictum prohibentur; Quare solùm prohibita sunt Matrimonium cum benedictionibus (non verò absque illis) Extremavnctio, Ordo, & Eucharistia, quam nec Sacerdos potest sumere non celebrans, cum solùm ei permittatur celebrare. Vide P. Granado *tom. 4. controu. 8. tract. vnic. disp. 6. n. 12.*

548 In Ecclesia specialiter interdicta potest ad renouandam Eucharistiam vnica Missa celebrari cum vno, aut duobus Ministris. Clerici possunt sepultura Ecclesiastica donari tẽpore interdicti, absque Missa, & solemnitate. Probabilior, & communior sententia docet, esse peccatum mortale, violare interdictum, etiam si fiat sine contemptu, v. g. audiendo Missam sine priuilegio, vel quid simile prohibitum exercendo. Videatur P. Suarez *de cens. disp. 34. de interdicto. sect. 5.*

549 Is, qui Bullam Cruciatæ habet, potest tempore interdicti audire diuina Officia, & Missam in qualibet Ecclesia, Oratorio, seu loco ad eam celebrandam destinato; sufficitque habere quẽ Bullam, vt simul cum eo possint assistere diuinis Officijs, & Missæ, commensales, famuli, serui, & quilibet in eius obsequio occupati, ipsius expensis victitantes, & consanguinei (non autem affines) vsque ad quartum gradum. Lege Emanuelem Rodrig. *in Bull. §. 5. num. 5.* Idq; intelligitur etiam in Ecclesia specialiter interdicta, quando Missa in ea celebratur. Excludũtur autem ab hoc priuilegio hi, qui causam interdi-

cto

cto dederunt, vel per quos stat, ne tollatur interdictum.

550 Celebris est quæstio, an habens Bullam teneatur diebus Festis audire Missam? Et quamuis sententiam negans sit probabilis, & eam tueantur Llamas, Alterius, Diana, P. Coninch, Auila, & alij, tamen affirmantem defendi *loco relato à num. 20.* cum Nauarro, Soto, Medina, Ioanne Andrea, Couarrubias, Sylueſtro, Barbosa, Ioanne Sancio, Acosta, Fernandez, Nuño, Ludouico à Cruce, Trullench, Rodriguez, Bonacina, Viualdo, P. Henriquez, Suarez, Tannero, Fagundez, Castro Palao, Azor, & alijs, ibique satis stabiliui, & ab aduersantium argumentis vindicaui.

551 Potest itidem, qui Bulla Cruciatæ gaudet, tempore interdicti susc ipere omnia Sacramenta, dum ipse causam non dederit interdicto, nec per eum stet, quominùs amoueatur. Demùm valet, si decedat è viuis, donari sepultura Ecclesiastica cum moderata pōpa funerali, nisi innodatus excommunicatione existat, & ab ea non absoluatur. Hæc, & plures quæstiunculas occurrentes tractaui *tota ea disput. 15.*

552 Ex quibus constat, quid tempore interdicti liceat. In illo ergo, qui Bulla gaudent, possunt, & tenentur diebus Festis in qualibet Ecclesia audire Missam; Et quamuis Bullam non habeant, si detur aliqua Ecclesia, in qua non sit interdictū, & sine graui incommodo valeant in ea Sacrum audire, ad illud audiendum ibi tenētur. Valet enim hæc consequētia, cum vrget præceptum; Potest quis adimplere illud, ergo tenetur; at diebus Festis vrget præceptum audiēdi Missam, & potest quis absq; graui incommodo, vt supponimus, eam audire in Ecclesia non interdicta, igitur tenetur. Quare etiam in sententia negantium, gaudentem Bulla teneri audire Sacrum diebus Festis tempore interdicti, teneretur ille audire ex hoc capite, quia, secluso priuilegio, ea obligatio vrget in Ecclesia non interdicta; Vnde non cogeretur vti priuilegio suo, sed cogeretur à præcepto tunc vrgente, et à potentia adimplendi illud in Ecclesia non interdicta.

553 In ea autem Ecclesia nullus tenetur audire Missam cum graui incommodo, hoc enim interueniente, nō obligant præcepta Ecclesiastica. Graue autem incommodum quādo detur, respectu personarum, locorum, & circunstantiarū, arbitrio viri prudentis est discernendum. Ea autem regula potest obseruari; Si tempore non interdicti in ea sola Ecclesia, de qua est sermo, Missa celebraretur die Festo, & teneretur tunc quis illam adire, sanè etiam tempore interdicti tenebitur, & è contra. V.g. si extra mœnia loci esset ea Ecclesia ita distans, vt absque graui fatigatione, aut incommodo alio nō posset quis illam adire. Quòd si vnica Missa in ea Ecclesia celebraretur, & prę frequentia adstātium non posset quis ingredi, nec ante fores moraliter assistere, nullius culpæ reus esset.

554 Cessatio à diuinis non est censura iuxta communiorem, & verā opinionem, quæ infertur *ex cap. quærenti, de verbor. significat.* et ostendit cum alijs P. Layman *tom. 1. tract. 5. part. 1. cap. 2.* Est prohibitio Ecclesiastica, ob quam Clerici cessare debent à diuinis Officijs, et Sacramentorum administratione, quam necessitas non exposcit. Nulla est in Iure statuta, sed potest indici ab eo ipso, qui potest indicere interdictum, *iuxta cap. irreparabili, de officio Ordinarij, c. si Canonici, c. quamuis eodem tit. in 6.* Clerici, et laici possunt tempore cessationis à diuinis donari sepultura Ecclesiastica, quia hæc non est Officium diuinum *iuxta cap. nō est, de sponsalibus*; dūmodò sine pompa Ecclesiastica præstetur, vt tradidi *tom. in Bull. Cruciat. disputat. 25. num. 37.* Vbi plura de cessatione à diuinis attigi.

555 Bulla Cruciatæ non concedit priuilegium ad audiendam Missam tempore cessationis à diuinis. Quòd si Ecclesia in loco sit, in qua ea cessatio non detur, omnes in ea tenebuntur diebus Festis audire Missam cum limitatione superiùs appositā, quia militat eadem ratio in præsenti. Sed dices, tum tempore interdicti, tum cessationis, dari duplex præceptum oppositum, aliud Ecclesiæ iniungens auditionem Missæ diebus Festis, aliud Iudicis Ecclesiastici præcipientis, non audire Missam; ergo potest quis cuilibet ex illis se cō formare, et consequenter non audire Missam, etiam si commodè valeat audire; maximè cum hoc secundum præceptum deobliget ab impletione primi, seu illud pro tunc non obligare, declaret. Respondeo, præceptum Iudicis solùm esse, ne in Ecclesijs, quas ipse interdicit, aut in quibus cessationem à diuinis statuit, audiantur diuina Officia, et Missa, aut celebrentur; De alijs verò Ecclesijs nihil decernit, nec tol-

lit

lit obligationem audiendi Missam in illis; esto declaret, non vrgere obligationem audiendi illam in his, quę ab ipso prohibentur; imò nec id declarat respectu habentiũ Bullæ Cruciatæ priuilegium, tempore interdicti.

556 Tempore cessationis à diuinis solent, vi suorum priuilegiorum, Regulares ianuis clausis celebrare Missã in suis Ecclesijs, dum absit Prælatorum offensio. Et in Societate nostra tum ex indultis ei à Sede Apostolica concessis, tum ex communicatione priuilegiorum cum alijs Sacris Ordinibus, plura licent tempore interdicti, & cessationis à diuinis, quæ extant *in Compendio priuilegiorum Societatis Iesu, verbo, Interdictum.* Attamen nisi hi, quibus in eiusmodi priuilegijs indulgetur assistere Missæ eo tempore cessationis, nullus alius ibi assistere potest. Et quidem tũc domestici Regulares tenebũtur diebus Festis celebrare, aut audire ibi Missam ob rationes, quibus suprà similem obligationẽ probauimus de his, qui possũt implere præceptum, cum vrget. Alij verò externi, & si cõcedatur, vnum, vel duos posse assistere, vt celebranti ministrent, non tenentur illuc adire, vt admittantur ad ministrandũ. Nam, sicut non habens Bullam, non tenetur eam accipere, tempore interdicti, vt gaudens eius priuilegio audiat Missam; sic non tenetur quis quærere priuilegium audiendi Missam tempore cessationis à diuinis adeundo domum Regularium, vt ei concedatur id priuilegium ministrandi celebranti; & aliundè valdè pauci possunt vti eo priuilegio, cum pauci admittantur, vt sint ministri celebrantis; inquiro ergo, an omnes teneantur adire, vt inter eos eligantur hi, quibus id priuilegium esset concedendum? Teneri omnes, ex terminis patet, esse absurdum. Si ergo omnes non tenentur, cur hic, cur ille teneantur? Nulla est ratio. Nullus ergo tenetur.

557 Dicta omnia aptentur Studiosis, & cæteris Academicis, respectu quorum nihil speciale restat obseruãdum; indeque dubijs in titulo quæstionis præfixis fit omnino satis, quin repetere eadem de Studiosis sit opus. In præsenti obserua, Clementem VII. in Bulla expedita die 10. Octobris, anno 1532. concessisse Academiæ Salmantinæ, vt, tempore interdicti, in Sacello, aut in templo, in quo Officia diuina celebrare consueuerit, posset ea celebrare, non secùs ac si non esset interdictum, in Festis quatuor Ecclesiæ Doctorũ, necnon S. Nicolai, S. Catharinæ, & S. Thomæ Aquinatis, & in alijs duodecim diebus Festis, quos ipsa Academia designaret; dum tamen ea causam interdicto non dedisset. Quod priuilegium fuit indultum in gratiam Academicorum Salmanticensium.

Quæstio XXXXVIII. An sola Studij causa sit sufficiens, vt Studiosi diebus Quadragesimalibus absque priuilegio Bullæ Cruciatæ vescantur ouis, & lacticinijs? & vtrùm possint eis vesci, atque alijs priuilegijs Bullæ vti cum probabilitate, quòd in ipsorum patria Bulla pro ipsis fuerit accepta?

557 PROHIBITVS est lege Ecclesiastica esus ouorum, & lacticiniorũ diebus Quadragesimalibus; vt constat ex Synodo Constantinopolitana, *Canon. 56.* Et ex D. Gregorio relato *in c. denique, dist. 4.* Quæ lex non extenditur ad cętera anni ieiunia, nisi consuetudo, aut specialis lex in aliqua Prouincia, diœcesi, aut loco eam extenderit; Ita ex D. Thom. Durando, & alijs docet P. Azor *tom. 1. instit. mor. lib. 7. cap. 10.* Diebus autem Quadragesimalibus, quamuis quis ex defectu ætatis non teneatur ieiunare, tamẽ nequit ouis, ac lacticinijs vesci. Censendi autem non sunt dies Quadragesimales, Dominicæ Quadragesimæ, in quibus licet cunctis vsus ouorum, & lacticiniorum, vt cũ Llamas, Angles, Antonio Gomez, & alijs defendi, & probaui *tom. in Bull. Cruciat. disp. 18. à n. 26.* esto opposita sententia plures pro se Authores habeat.

559 Habentes Bullam Cruciatæ possunt ex priuilegio ibi cõcesso vesci ouis, & lacticinijs in ieiunijs Quadragesimalibus, seruata in reliquis forma ieiunij, exceptis Prælatis, & Clericis Presbyteris, ac Regularibus vtriusque sexus, nisi sint sexagenarij, hi enim etiam possunt vti eo priuilegio Bullę Communis viuorum. Vltra quam alia etiam est concessa, quam

si habeant Prælati, & Clerici Presbyteri, valent edere oua, & lacticinia in ieiunijs Quadrageſimalibus, excepta Hebdomada Maiori; qua tamen Bulla non gaudent Regulares. Cęterùm ex priuilegio Bullę communis viuorum poſſe Regulares Ordinum Militarium veſci ouis, & lacticinijs in præfatis ieiunijs, ſtabiliui *dicta diſp. 18. àn. 16.* vbi plura de his attigi: & *tota ea diſput.* varias quæſtiones diſcuſſi.

560 Abſque Bullæ priuilegio, aut vllo alio, poſſunt diebus Quadrageſimalibus veſci ouis, ac lacticinijs infantes, & amentes, vtpotè legibus Eccleſiaſticis non obſtricti, itē hi omnes, qui illis diebus valent edere carnes; deindè hi, qui aliqua neceſſitate laborant certa, aut practicè probabili, ratione cuius piſcium eſus eis nocumentum afferat; rursùs Cantores Eccleſiarum cauſa vocis conſeruandæ, eiam ſi Presbyteri ſint, vt docet Ioann. Sanctius *in Selectis, diſ. 44. num. 18.* Quod ad hos, qui in Camera Principis ad ipſius recreationem canunt, extendit Diana *1. part. tract. 9. reſolut. 11.* In aliquibus etiam Prouincijs conſuetudine introductum eſt ob aliorum ciborum defectum, vt lacticinia edantur, (non verò oua) in ieiunijs Quadrageſimalibus, abque vllo priuilegio. In nonnullis etiam viget conſuetudo, vt ſit licitus vſus lardi, ſeu ſagiminis ad oua paranda in diebus omnibus, in quibus vſus carniū eſt prohibitus.

561 Studium ex ſe non eſt cauſa ſufficiens, vt abſque priuilegio edantur oua, & lacticinia diebus præfatis prohibitis; nec enim Studentibus, præcisè quia ſtudēt, vſus piſcium graue incommodum, aut nocumentum affert. Et quidem, ſi dūtaxàt ob ſtudium eſus ouorum liceret, Religioſi ferè omnes, qui in ſtudijs occupantur, & eis incumbunt, poſſent ea edere, quod eſt abſurdum, cum illis rigidiùs, quā cęteris ſit prohibitus eiuſmodi eſus, indeque Bullæ priuilegium, nec communis viuorum, nec ſpecialis conceſſæ Prælatis, & ſæcularibus Sacerdotibus eis ſuffragetur.

562 Dixi *ex ſe*, quia ſæpè contingit, ex cōtinuo ſtudio ſtomachum debilitari, aut alias corporis ægritudines, ſeu dolores emanare, ratione quorum licitus redditur eſus ouorum, eo quòd ſint nocua alimenta piſcium, tuncque ſi adſit neceſſitas certa, aut practicè probabilis, de qua cuilibet ex experientia, vel ex Medici aſſerto conſtet, valet abſque vllo priuilegio oua, & lacticinia edere. Quòd ſi dubium, ſeu neceſſitas ſit anceps, poteſt diſpenſare, vt edantur, reſpectu ſubditorum Epiſcopus, & in eius abſentia Vicarius; & reſpectu Regularium proprij Prælati; quā diſpenſationem concedere queunt etiam in dubio ancipiti neceſſitatis edendi carnes diebus prohibitis; de quo egi *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 17. à num. 4. & diſp. 18. num. 4.*

563 Vt autem quis gaudeat priuilegio veſcendi ouis, & lacticinijs, alijſque priuilegijs in Bulla Cruciatæ contentis, non ſufficit in primis intentio eam accipiendi, vt error vulgi imperiti fert; quippè ea priuilegia non communicātur, donec quis Bullam acceperit; ſicut alia priuilegia, quę Pontifex elargitur, vt ſunt diſpenſationes in irregularitatibus, in gradibus ad nuptias prohibitis, ac ſimilia, donec reipſa à Pontifice concedantur, prodeſſe non poſſunt, nec ſufficit ad vtendum illis intentio obtinendi eum certa fiducia impetrandi; ſic ergo Pontifex nulli adhuc concedit Bullæ priuilegia, donec ea ab illo accipiatur. Nec ſufficit ſpes accipiendi Bullam per ſe, vel per alium, etiam ſi adſit certitudo moralis, quòd ſit accipienda, niſi de facto accipiatur.

564 Attamen, ſi quis certò ſciat, quotannis tali die, vel tempore, in ſua domo, aut patria, à qua abeſt, à parētibus, vel ab alijs accipi pro ipſo Bullā Cruciatæ, ita vt moraliter de acceptione ſit certus, nec de ea prudenter dubitare valeat, poterit extunc Bullæ priuilegijs potiri, cum in moralibus perindè ſe habeat ea acceptio, ac ſi ipſe accepiſſet. Ita contra aliquos tuētur Villalobos, Diana, & P. Hē riquez, quos retuli, & ſectatus ſum *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 2. n. 3.* Nec obſtat, quod aſſerit Trullench *in expoſit. Bull. lib. 1. §. 1. dub. 3. num. 3.* niſi accedat teſtimonium fidedignum acceptionis Bullæ, non ſufficere prędictam certitudinem in re tanti momenti, quæ concernit materiam Sacramē torum, cum circa hæc plura priuilegia cōcedantur in Bulla; eamque pręſumptionē acceptionis incertam remanere, cum potuerit accidiſſe aliquod impedimētū mortis, morbi, aut ſimile accipientibus Bullā alijs annis. Id cōfirmat, nam, ſi Epiſcopus ſoleat quotannis præbere mihi facultatē ad abſoluendum à caſibus ipſi reſeruatis, & ſim moraliter certus, eam denuò fore conceſſurum, tamen, quia poteſt mutare conſilium, non poſſum ab illis caſibus abſoluere, donec de conceſſione conſtet; ergo

go nec Confeſſarius electus per Bullam poterit abſoluere à caſibus, quorũ abſolutio in ea indulgetur, donec de acceptione conſtet.

565 Non, inquam, id obſtat; nam ea, quam præfiximus, eſt certitudo moralis iam acceptæ Bullæ, non ſola præſumptio accipiendæ, ſicut eſt præſumptio concedendę ab Epiſcopo facultatis abſoluendi à reſeruatis; ſi enim eſſet certitudo moralis facultatis iam conceſſæ, idẽ de ea aſſererem, parem ob rationem. Et, quãuis res ſit grauiſſima, ea certitudo ſufficiens eſt ad præfatos effectus; quippè homines prudenter operantur, dum ipſis de aliqua re ita liquet, vt in moralibus nequeat eſſe maior certitudo, nec moraliter ſit periculum, vt fallantur. Curandum tamen eſt, vt talis ſit certitudo, quæ periculo falſitatis, niſi ob rarum contingens, & moraliter nõ eueniẽs, minimè exponatur. Nec ſatis eſt probabilitas moralis ad præſens; licèt enim poſſit quis ſe conformare opinioni probabili; at non datur in præſenti probabilis opinio, quòd poſſit gaudere priuilegijs Bullæ cum ſola probabilitate morali expoſita moraliter periculo falſitatis; ſiquidem opinio benignior, quam ſequimur, exigit certitudinem moralem, quæ non reſultat ex rationibus moraliter probabilibus, ſed moraliter certis.

566 Nec contra noſtrum aſſertũ obſtat, quòd non ſufficiat moralis certitudo de obtentis diſpenſationibus à Pontifice, vt quis poſſit eis vti. Etenim in primis, quamuis Pontifex diſpenſationes expediuerit, committit communiter Ordinarijs locorum, aut alijs, vt cauſas explorẽt, compertaque veritate, iuxta formulã eis deſignatam, diſpenſent, aut declarent, à Pontifice diſpenſari; & quouſque id peragatur, diſpenſatum non eſt, atque adeò antecedenter non licet vti diſpẽſatione, quæ adhuc non ſubſiſtit. Deindè non rectè ſupponitur, poſſe circa diſpenſationes obtentas dari certitudinem moralem. Quippè potuerunt ob varia accidentia non eſſe petitæ, aut non conceſſæ, vel appoſita aliqua conditione priùs adimplenda, præſtitæ. Quare, ſi per teſtimonium fidedignum nõ conſtet, diſpenſationem fuiſſe obtentam abſolutè, & abſque vllo grauamine, ita vt expeditus illicò ſit vſus illius, non erit hic vſus licitus, nec certitudo moralis poterit haberi. Secùs contingit in noſtro caſu; nã conſtat, ſingulis annis reſpectu Regnorum Hiſpaniæ fuiſſe Bullam Cruciatæ à Pontifice conceſſam, & in quolibet loco accipi poſſe, nec indigeri, vt accipiatur, aliquo prætio examine, nec requiſito, niſi erogatione eleemoſynæ, cum accipitur; præſtitę, aut in certum tempus dilatæ, quare & poteſt haberi moralis certitudo de acceptione illius, & hæc ad vſum priuilegiorũ eſt ſufficiens.

567 Nec demùm obſtat, ſi è contrario contendatur, ſufficere probabilitatem moralẽ acceptionis Bullæ ex eo, quòd quis licitè operetur, dùm iuxta opinionem probabilẽ operatur. Nam, vt dixi, non eſt idem, dari probabilitatem acceptionis Bullę, & dari probabilem opinionẽ, quòd illa ſufficiat ad gaudendum eius priuilegijs; hæc enim opinio non datur, indèque non operabitur quis iuxta probabilẽ opinionem, ſi velit eis priuilegijs vti cum ſola probabilitate acceptionis Bullæ. Deinde, quoties in moralibus datur dubium, & aliquis poſſidet, huius eſt melior conditio; cum autem poſſideat ius commune, à quo liberat Bulla, vel præter quod priuilegia in Bulla conceduntur, dum non deponit quis dubium facti, ſeu acceptionis Bullę, cui dubio opponitur certitudo moralis, non verò probabilitas moralis, in qua dubium imbibitum, & non penitùs ablatũ manet, ſequitur, iuri communi ſtandum eſſe, vtpotè poſſidenti, ac non licere, vti Bullæ priuilegijs; quod rationibus, & exẽplis confirmaui *loco relato in Bull. Cruciat. diſp. 2. num. 3. propè finem.* Tota iam doctrina tradita aptanda eſt Studioſis extra patriam in loco Academiæ degentibus; qui, vt omnino ab ſcrupulis eximantur, debẽt præmonere ſuos parẽtes, aut ſimiles, quòd faciant ipſos certiores acceptionis Bullæ, ſtatim, ac fuerit accepta, ſeu cum acceptio paratur.

Quæſtio XXXXVIIII. An Studioſi, ſi aliquem filium extra matrimonium habeant, teneantur ei alimenta præſtare, & à quo tempore?

Vbi de Caſtitate ab Studioſis ſeruanda.

568 NON agimus de alimẽtis, quæ patres filijs præſtare tenentur, quod non eſt noſtri inſtituti; Conſulat,

qui velit, Couarrubias *in epitom. capit. 8. part. 2. §. 6.* Surdum *de alimentis*, P. Azor *tom. 2. institut. moral. lib. 2. cap. 3. quæstion. 1.* & alios passim. Sed, quia aliquando Studiosi in locis Academiarū filios extra matrimonium habēt, quid circa illos præstare debeant, est quæstio, & quidem communis etiam non Studiosis, si ciusmodi filios habeant.

569 Tenendum est, vt certissimum, debere patres, si possint, eis filijs suppeditare alimenta. Ita statuitur *in capit. cum haberet, de eo, qui duxit in vxorem, quam polluerat, & in capit. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Et quamuis oppositum videatur decerni *in Authentica, ex complexu, Codic. de incestis nupt.* tamen Iuris Canonici dispositio, vt æquitati, ac pietati conformior, præualet ei dispositioni Iuris Ciuilis; Imò aliqui probabiliter asserunt, eam Authenticæ dispositionem fore intelligendam, quando filij aliunde habent, quo sustentētur. Sed quidquid de hoc sit, assertio nostra est tenenda; quippè obligatio alendi filios oritur ex ipsa naturæ propositione, quæ est homini cōmunis cum ipsis belluis; quare ex virtute pietatis tenentur parentes filiorum gerere curam; vndè peccarent mortaliter, si eis alimenta denegarent, nam contra ius naturæ agerent, & necare viderentur, iuxta *leg. necare, ff. de liberis agnoscendis.*

570 Intelliguntur autem nomine alimentorum omnia, quæ spectant ad cibum, & potum, ad vestitum, lectum, habitationem, medicinam, & honestas artes, seu disciplinas addiscendas. Ita Sylvester *verbo, alimenta*, & communis Doctorum. Quando autem filij sunt adulti, si ipsi sint diuites, aut aliundè sibi consulere commodè queant, non tenentur patres ad alimenta ministranda; nam ius naturæ exigit solùm, filio alimenta præstari, vt necessitati prouideatur; non autem dicitur laborare necessitate is, qui dives est, aut sibi consulere commodè valet, arte, vel officio decenti. Quòd si filij adulti sint ad se sustentandum inepti, vel quia capti mente sunt, vel morbo impediti, reputantur vt infantes; in ordine ad obligationem sustentandi illos, quæ parentibus inest. Totam hanc doctrinam tradunt Couarrubias, Bonacina, Pater Thomas Sāchez, Pater Molina, Pater Azor, & alij, quos refert, & sequitur Trullench *tom. 1. in Decalogum, lib. 4. cap. 1. dub. 3.*

571 Tenetur autem pater alere filium, statim, ac triennium expleuit, iuxta *cap. 2. de conuersione infidelium, iuncta Glossa ibi.* Nam mater solùm tenetur educare filium per triennium, quo tempore censetur ab eius vberibus pendens, ab eademque lactari; Indeque, si lacte careat, aut iustam causam habeat non lactandi filium, nec ad id tenetur, & patri incūbit obligatio soluendi expensas, quæ in illo nutriendo fiant, poteritque mater illas ab eo repetere, si ipsa soluerit, non liberaliter, sed animo compensationis accipiendæ, iuxta *leg. ne filium, Codic. de patria potest.* Docent Pater Azor *vbi suprà, quæst. 8.* Sayrus *in Claui, lib. 7. c. 7. n. 6.* & plures alij.

572 Quòd si pater impotens sit alere filium, ad matrem obligatio recidit, iuxta *leg. si quis à liberis, ff. de liberis agnoscendis*; & in matris defectum tenentur aui, & alij ascendentes, & primùm hi, qui per virilem sexum sanguinem ducunt, deindè hi, qui per fœmineum, quibus omnibus deficientibus, infans ad hospitale, seu domum, si sit ad id destinata, asportandus est, vt enutriatur, aut ex eleemosynis collectis est educandus; peccaret autem mater, quæ potens absque graui incommodo lactare, & educare filium vsque ad triennium, non ita præstaret, imò etiam deinceps, si pater non posset; quòd si ipsa non lactet, alij lactandum tradere debet. Vnde absque iusta causa exponere filios in Ecclesia, aut alibi, vel tradere Hospitali, peccatum mortale est, quia pietati grauiter derogatur, dum sic filij deseruntur. Quòd si ob iustam causam mater mitteret filium ad Hospitale, nutriendum ibi, quin parentes agnoscantur, & ipsa sit dives, tenetur adhuc restituere Hospitali impensas, quæ in eo enutriendo fuerint factæ, vt tenent Villalobos *1. part. tractat. 15. difficultat. 7. numer. 11.* Bonacina *tom. 2. disputat. 6. punct. 6. §. 1. n. 11.* Nauarrus, P. Azor, & alij.

573 Pius V. in Constitutione, quæ incipit, *Quæ ordini*, prohibet Clericis, ne filijs spurijs possint donare causa mortis, aut in testamento relinquere bona ex suorum Beneficiorum fructibus adquisita. Insuper in Constitutione, quæ incipit. *Ad Romanum spectat*, eam prohibitionem extendit ad cætera bona patrimonialia Clericorum. Aliqui apud Patrem Filiucium *tom. 2. tractat. 28.*

part.

part. 2. capit. 2. quæſtion. 4. numer. 33. cenſuerunt, has Conſtitutiones non eſſe vſu receptas. Sed melius alij eas admittunt, & aſſerunt, Pontificem in eis nihil potuiſſe ſtatuere contra ius naturæ alendi filios, ſeá poſitis terminis aptis, ſub quibus poterat ipſe, quod expediret bono publico, decernere, ſolummodò intendiſſe, ne filijs ſpurijs Clerici quidquam relinquerent, ſi illi haberent, vndè commodè ſuſtentarentur; nam eo caſu iuſtè eam prohibitionem potuit Pontifex iniungere, maximè circa bona ex Beneficijs Eccleſiaſticis adquiſita, quæ deſtinata ſunt ad alendos Eccleſiæ Miniſtros.

574 At, ſi filij non habeant, vndè victitent, ius naturæ vrget, vt Clerici eis relinquant alimenta. Vltra alimenta autem prohibentur in præfatis Cõſtitutionibus donationes, hæreditas, legata, & alia huiuſmodi. Quarè, ſi non habent alia bona, niſi ea, quæ ex Beneficijs Eccleſiaſticis adquiſierunt, poterunt adhuc ex illis alimenta filijs illegitimis relinquere, & non ſolùm ea, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria, ſed & quæ ex naturali quadam æquitate debentur. Vndè poterit ex his bonis Clericus filiam ſpuriam dotare, quia dos nomine alimentorum comprehenditur. Hanc explicationem Conſtitutionum Pij V. & doctrinam traditam tuentur Nauarrus *de ſpol. Clericorum, §. vltim. numer. 9. & Conſilio 5. de teſtament.* Villalobos *2. part. tract. 41. difficult. 7. numer. 3.* Trullench *vbi ſuprà, num. 9.* Pater Azor, & Filiucius *vbi ſuprà.*

575 Ex dictis facilè cernitur, ad quid teneatur Studioſus habens filium extra matrimonium. Cum autem Scholares ad patriam ſuam redeant, ſi in loco Academiæ filios habuerint, tenentur non deſerere illos, ſed mittere alimenta, quibus à triennio ſuſtententur, aut etiam ante triennium, ſi mater eos enutrire nequeat; vel illicò eos ad ſuam patriam ſecum adducere, vt ibi educentur. Quod ſaltem poſteà præſtare tenentur, ſi matres vltrò non ſe offerant ad eos ſuſtentandos, & bonis moribus inſtruendos; nam obligatio curam filiorum habendi, etiam quoad ſpiritualia, incumbit parentibus, ita vt grauiter peccent, ſi, quantum eſt ex ſe, non curent patres, vt filij bonis moribus imbuantur. De quo conſulantur Authores *tota hac quæſtione* citati, apud quos, & apud alios ab ipſis relatos, reperientur innumeræ quæſtiones circa alimenta, dotem, educationem, ac ſimilia. Quòd ſi Studioſus poſſet alimenta præſtare filio, ſtandum eſt dictis ſuperiùs.

576 Ea autem omnia ſupponunt, priùs conſtare debere, filium eſſe Studioſi eum, de cuius alimentis agitur. Etenim, ſi mulier publicè inhoneſta filium pareret, quamuis quis cum ea conueniſſet, non teneretur reputare ſuum eum filium ab ea ortum. At, ſi cui moraliter conſtaret, fœminam cum nullo alio fuiſſe copulatam, quàm cum ipſo, filium ab ea ortum etiam ſuum cenſere deberet. Quòd ſi etiam moraliter eſſet conſtans, ſolos duos, vel tres fœminam cognouiſſe carnaliter, & filius ab ea oriretur, qui, obſeruatis temporis circunſtantijs, cuiuslibet ex illis poterat eſſe filius, quin valeat dignoſci, cuius determinatè ſit, illi inter ſe debent alimenta partiri, & ei miniſtrare, nec vllus tenetur ad integra alimenta ſuppeditanda. Rursùs, ſi fœmina ſit coniugata, & tempore conceptus non fuerit abſens maritus, ſed cum ea cohabitauerit, quamuis quis tunc eam cognouerit, filius ab ipſa ortus, marito eſt tribuendus, nec ille alter tenetur ſuum arbitrari, nec miniſtrare alimenta. Præterea, ſi ob circunſtatias occurrentes quis dubitet, an ſit eius filius, necne, pro qualitate dubij aliquid ſuppeditare debebit ad filij eiuſmodi alimenta, ſicut in dubio, an reſtitutio debeatur, aſſerunt communiter Authores *in tractatu de reſtitutione.* Quòd ſi fœmina affirmet, filium eius eſſe, & aliàs illa digna ſit fide, non parum eius teſtimonio eſt deferendum.

577 Non autem tenetur Studioſus, ad alendum filium, ſubtrahere aliquid ex alimentis, quæ ipſi mittuntur, vt victitet in loco Academiæ, ſi illis indigeat ad ſuam decentem ſuſtentationem; tenebitur verò, ſi aliquid ſuperſit. Demùm ſi Studioſus ſub parentibus ſit, à quibus omnia neceſſaria accipit, debet per ſe, vel per alium eos certiores facere de obligatione, qua ipſe tenetur ad alendum eiuſmodi filium, niſi fortè eius indolis, & genij ſint, vt ſpes non ſubſiſtat, quòd velint ea alimenta nepoti elargiri, quin timeatur potiùs, inde grauem indignationem contra filium Studioſum fore concepturos, ex qua ipſi grauia incommoda immineant; tunc enim non da-

datur obligatio commonefaciendi parentes.

578 Sed vtinam nunquam hîc eueniret casus, nec Scholares cautam præberent euentui; quos, quia huc deuenimus, non possum non ad castimoniam hortari, cum virtus hæc maximè conducat ad finem, quem intendunt, nempè ad scientias addiscendas; nam, vt ait Diuus Augustinus *serm. 249. de Tempore; Assuescat Iuuenis ad castitatem, vt sit dignus sapientia.* Resque ipsa id nos admonet; Castitatis enim proprium est, vim imaginatricem, internosque sensus, qui sunt impudicitiæ stabula, purgare; mentem, quæ animæ est oculus, illustrare: appetitionum tumultuarios motus reprimere; vitales spiritus limpidos reddere, cerebrum attemperare, ac denique ex homine efformare Angelum, seu ad intelligendum, ac philosophandum acutum, & acrem. Sic in Scriptura Sacra eos excellere sapientia obseruaueris, quos virginitate, & castitate præeminere conspexeris; Sic etiam inter Euangelistas Ioannes Aquila; inter Apostolos Paulus Lyncæos oculos habuit: inter Doctores Thomas de Aquino Angelus extitit, qui Virgines permansere. Sic etiam Antonius in syluis, in cellula Bernardus, in Oratorio Brigitta, alijque plurimi ad summum scientiæ apicem pertigerunt, castitate præside, ac magistra; & demùm Diuus Hieronymus *libr. 1. contra Iouinianum* asserit, Sybillis in Virginitatis præmium præstitam fuisse diuinationem cœlitùs.

579 Pulchrè id ostenditur ex Diuo Gregorio Nazianzeno, cui, cum adolescens addiscendi summè cupidus de recta ad sapientiam via diù multùm secum cogitaret, duæ virgines humana specie maiores se spectandas per quietem dedere; Et, *Ecce*, inquiunt, *huc è cœlo venimus à Deo missæ, vt tecum hospitemur; altera è nobis Sapientia, altera Castitas nominamur; ita perge, non minùs morum puritati, quàm litterarum studio operam locare.* Quæ cum dicere cessarent geminæ sorores, totam Nazianzeni subiere mentem, & eius euanuerunt ex oculis. Ergo castitatem amet, qui sapiēs esse voluerit; sorores sunt Castitas, & sapientia; ambiunt eiusdem hospitij societatem.

580 Hanc adolescentibus Studiosis castimoniæ virtutem, nullus pudoris Orator D. Bernardo aut mellitior, aut facundior commendare valet; Sic igitur *serm. 86. in Cantica*, ait *Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra hæc, & quàm splendida gemma in vita, & vultu adolescentis! quàm vera, & quàm minimè dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index! Virga disciplinæ est illi, qui pudendis affectibus immi nens lubricæ ætatis motus, actusque leues coerceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloqui, & omnis deinceps turpitudinis fugitans? Nullum æquè manifestum indicium columbinæ simplicitatis, & ideò etiam testis innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis iugiter lucens, vt nihil in ea turpe, vel indecorum residere attentet, quod non illa illicò prodat. Ita expunctrix malorum, & propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, & famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem fortè inuexerit pudor, quantum gratiæ, & decoris suffuso afferre vultui solet? Vsque adeò genuinum animæ bonum verecundia est, vt, & qui malè agere non verentur, videri tamen verecundentur.*

581 Ecce ex Diuo Bernardo quàm congruat adolescentibus Studiosis castitas, verecundia, pudor; qui non in solo frontis rubore continetur, sed in externis quoque actionibus propalatur, nempè in oculorum modestia, in oris custodia, in corporis gestu, & habitu, & in ipsa incedendi ratione; nam, vt Diuus Ambrosius *lib. 1. de offic. cap. 18.* ait; *Est verecundia pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est; bonus enim regendæ castitatis pudor est comes, qui se se prætendat ad ea, quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerari non sinat.* Sanè erubescere debet adolescens ad quodlibet inhonestæ actionis, aut verbi signum; effrontis quippè est, vel ipso lasciuiæ audito nomine, non verecundari; Vidit aliquando Diogenes adolescentem, inhonesto dicto suffultum rubore, eique illicò dixit; *Confiae fili, hicce virtutis color est.*

582 Fugiant igitur Studiosi adolescentes turpissimæ luxuriæ vitium, quod non humanum est, sed belluinum, & hominem, veluti Circæo dementatum poculo, in fædam suem conuertit. Tartarea certè libido, immundorum spirituum, aut parens, aut soboles, cui Asmodæus diabolus præest; indeque Sanctus Ambrosius *libr. 1. de Virgin.* loquens de Castitate ait; *Qui eam seruat, Angelus est qui perdidit, diabolus est.* Timendum itaque mō

strū

ſtrum eſt luxuria, & ab Studioſis maximè euitandum; cum ipſi etiã Ethnici, qui Minerua m ſcientiarum Dea m fingebant, ſimul Caſtitatis præſidem ipſam pronuntiarent; quaſi ſcientiæ non niſi caſtitatis ſubſidio, comparari queant. Hoc argumentum concinnè proſequitur P. Carolus Muſart *in libr. Adoleſcens Academicus, part. 4. capite 3.*

583 Vt ad Caſtimoniæ virtutem ſuauiter animis inſerendam Adoleſcentes perueniant, inter alia id præ oculis habeant, vt otium vitent, quod eſt Caſtitatis hoſtis. Appoſitè Florentius Schoonhouius *emblem. 35.* Dianam (fictam antiquitatis ſyluarum Deam) venationi intentam depinxit, & à tergo Cupidinem inſequentem, & eam ſuis telis impetere tentantem, ſed fruſtrà; & cauſam lemmate hoc declarauit, *Labor Amoris domitor* Premat illa Veneris proles duro telorum imperio deſides, otioſos, & ignauos; at Diana, & quisquis ſtrenuè laboribus, ſtudijs, & elucubrationibus vacat, eius vim deſpicit arcus; perit quippè libido, ſi otia a mãdentur, eamq; domat aſſiduus labor, & infatigabile ſtudium. Vide de his plura apud Alciatum *emblem. 81. & lib. 1. Paerg. capit. 17.* Batillium *emblem. 14.* Boiſſardum *emblem 25.* Oræum *emblem. 29.* Catſium *emblem. 36.* Don Ioannem de Solorzano *in emblem. Regio politicis emblemate 77.*

Quæſtio L. Vbi debeant, aut poſſint ſepeliri Scholaſtici extra patriam in loco Academiæ decedentes è viuis?

(?)

584 DICO primò, Scholaſticum decedentem in Academiæ loco, qui nec ſepulturam elegit, nec ſepulchrum Maiorum habet, aut nequit ad illud commodè deferri, ſepeliendum eſſe in propria Parochia, in qua ratione quaſi domicilij Sacramenta percepit, ſeu percipere tenebatur. Ita Panormit. *in cap. 1. de ſepultur.* P. Layman *in Theolog. moral. tom. 1. lib. 3. tract. 6. c. 12. num. 8.* Etenim cæteri domicilium habentes in aliquo loco, debent in propria parochia ſepeliri, quando non eligunt ſepulturam, aut non habent ſepulchra Maiorum, in quibus commodè tumulari queant, vt infertur *ex capit. 2. & 3. de ſepultur. in 6.* & docent omnes Authores. Is autem, qui quaſi domicilium habet, æquiparatur habenti domicilium.

585 Dico ſecundò, poſſe Scholaſticum, ſi pubes ſit, eligere ſepulturam extra ſuam Parochiam; id enim permittitur omnibus, qui ad pubertatem iam acceſſerunt, *in cap. 1. de ſepultur. cap. licet, eodem titulo in 6.* Quod quidem etiam abſque patris conſenſu præſtare valent, vt ibidem ſtatuitur. Filio autem impuberi, ſi loci non repugnet conſuetudo, poteſt eligi à patre ſepultura extra propriam Parochiam; imò, deficiente patre, poteſt à matre, vt tuentur Armilla *verbo, ſepultura, numer. 8.* Pater Molina *de iuſtit. diſput. 113* Pater Sa, *verbo, ſepultura, numer. vltim.* Extra Parochiam autem eligi ſepultura valet in quauis Eccleſia, cui ſepulturæ ius competat, cuiuſmodi ſunt Eccleſiæ Parochiam includentes; vel quę liberam à Pontifice ſepeliendi poteſtatem habeãt, (licèt id communi iure eis non competat) quales ſunt Eccleſiæ Regularium: aut cui Epiſcopus cum conſenſu Capituli ius ſepeliendi conceſſerit, etiam ſi Parochialis non ſit; quod fieri poſſe, aliqui docent. Videantur de his Panormitan. *in capit. certificari, de ſepultur.* Syluester, *verbo ſepultura, quæſtion. 3.* Pater Molina *vbi ſuprà.*

585 Dico tertiò, ſi Scholaſticus in patria propria decedat, habeatque ſepulchrum Maiorum, adhuc extra propriam Parochiam, in eo ſepeliendum fore, iuxt *cap. 1. de ſepultur.* Quod ſi aui, & progenitores in vno ſepulchro, & pater in alio, quod ipſe ſibi elegit, & non fortuito caſu, iaceat, in ſepulcho patris eſt ſepeliendus. Quod extenditur etiam ad filios non legitimos, dum naturales ſint; nam, ſi ſint ſpurij, cum matre ſunt tumulandi, dummodò illa illuſtris non ſit, quæ inde detrimentum honoris pati queat. Videantur Panormitanus, Syluester, P. Emanuel Sa, Pater Molina, & Pater Layman *locis relatis*, & Petrus Peruſius *tract. de canonica portione.*

587 Quòd ſi extra patriam obeat Scholaſticus in loco Academiæ, aut alibi, & habeat ſepulchrum Maiorum, ad quod poſſit deferri, poteſt id ante mortem eligere, ſiuè ſtatim ac obierit, eadaue

re delato, ſiuè eo depoſito in Parochia, aut in Eccleſia, quã ipſe elegerit, vt deferatur, cum cõmodè poſſit. Et quidem, ſicut eligere poteſt Eccleſiam, in qua ſepeliatur, ita poteſt eligere, in qua deponatur. Fit autem cadaueris depoſitum, teſtibus, & tabellione præſentibus, necnon Parocho, aut Superiore Domus Religioſæ, vt inſtrumẽtum publicum confici valeat; & cadauer tradatur, cum à teſtamentarijs, parẽtibus, hęredibus, aut ab alijs id potentibus præſtare, poſcatur, ſoluendo, ſi quid debeatur ratione depoſiti, iuxta Regionum cõſuetudinem, & Eccleſiarum, aut Domorum Regularium iura; atque etiam ſeruandæ ſunt aliæ ſolemnitates in corporum depoſitis, ſi quæ ſint in vnaquaque Regione.

588 Sed inquiris, an debeat in aliquo caſu Scholaſtico decedenti Eccleſiaſtica ſepultura denegari? Reſpondeo, aliquos eſſe caſus, in quibus negatur in iure ea ſepultura, qui ſanè ad Scholaſticos non attinent, niſi forte in aliquo raro euentu. Denegatur enim hęreticis; *cap. ſanè profertur, 24. quæſt. 2.* Iudæis item, & paganis, *cap. Eccleſiam 2. de conſecration. diſtinct. 1.* quibus annumerantur infantes ante baptiſmum morientes; Rurſus Catechumenis, vt docet S. Ambroſius *de obitu Valentiniani*; Deinde occidentibus ſe ipſos, *capit. placuit 23. quæſt. 5.* Attamen, quamuis reperiatur quis laqueo ſuſpenſus, aut in puteo ſuffocatus, non eſt priuandus Eccleſiaſtica ſepultura, quia nõ conſtat, ſeipſum interfeciſſe, dum teſtes non adſint, cum potuerit ab alio ſuſpendi, & ſuffocari; vt cũ Villalobos docet Diana *part. 5. tract. 3. reſolut. 99. & 100.*

589 Præterea denegatur Eccleſiaſtica ſepultura manifeſto raptori, & vſurario manifeſto; *capit. quia, de vſuris; capit. quamquam, eodem titulo in 6.* Adhuc denegatur ei, qui annuam Confeſſionem, & Communionem neglexit, ſi nulla probabilis excuſatio appareat, *capit. omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſion.* Itẽ Religioſo, qui ſit manifeſtè proprietarius, *capit. ſuper quodam, de ſtatu Monachorum*; Iis tamen concedenda eſt ſepultura Eccleſiaſtica, ſi ante mortem ſignum pœnitentię ediderunt, quod ſaltem vnus teſtis probet; & reſpectu vſurarij cautio præſtetur reſtituendi vſuras. Conſule Paludanum *in 4. diſtinct. 15. quæſtion. 2. articul. 6.* Sylueſtr. *verbo, ſepultura, quæſtion. 9. dicto 7.* Idem dicendum eſt de omni peccatore notorio, cui ſepultura Eccleſiaſtica negatur, *capit. quibus, & ſequentib. 13. quæſtion. 2.* Concedenda enim ei eſt, ſi qualecumque ſignum pietatis ediderit, aut pœnitentiæ ſignum dederit, quo, veriſimili cõiectura, præſumi poſſit, nõ impœnitentem deceſſiſſe. De quo vide Authores ſupẽtiùs relatos.

590 Denegatur quoque ſepultura Eccleſiaſtica his, qui occumbunt in torneamentis, aut haſtiludijs, in quibus datur mortis probabile periculum; *capit. 1. & 2. de torneamentis*; Item his, qui in duello occiduntur; iuxta Tridentinum *ſeſſion. 29. capit. 19. de reformation.* Excommunicatus etiam à viuis decedens, vt ſepeliatur in loco ſacro, indiget abſolutione; *cap. à nobis, cap. ſacris, de ſentent. excommunicat. cap. is cui, eodem titulo in 6.* Cæterùm diſcrimen eſt inter excommunicatũ toleratum, & non toleratum, de quo, & de abſolutione præſtanda ante ſepulturæ Eccleſiaſticæ conceſſionem, & de eo, qui illum poſt mortem abſoluere ab excommunicatione poteſt, necnon de vi, ac ſenſu eiuſmodi abſolutionis tractaui *tom. in Bul. Cruciat. diſp. 27. cap. 5. à n. 40.* Quare ea nõ placuit repetere; Ibi videnda ſunt, nam ad praxim poſſunt frequentiùs occurrere.

591 De pœnis autem, quas incurrunt hi, qui donant Eccleſiaſtica ſepultura illos, quibus in iure denegatur, & de exhumatione cadauerum, conſulendi ſunt Authores hac quæſtione allati, necnon ego *loco citato in Bullam Cruciat.* & Diana *part. 5. tractat. 3. reſol. 140. & part. 8. tractat. 7. reſolut. 79. & part. 9. tractat. 8. reſol. 1.* Hic aduerte, cum, qui obijt excommunicatus, vt donetur Eccleſiaſtica ſepultura, debuiſſe ante mortem ſigna contritionis oſtendere iuxta communiorem ſeu ſententiam; At Fernandez *p. 1. docum. 6. num. 5. tenet*, abſolui poſſe ab excõmunicatione, & in Eccleſia ſepeliri, quamuis ea ſigna non dederit, dum tamen non conſtet, obijſſe in peccato mortali; quod non eſt facilè credendum, ſed piè exiſtimandum, eũ ſaltem ante mortis vltimum articulũ elicuiſſe actum contritionis, niſi exteriores circunſtantiæ contrarium demonſtrent. Ideò hanc opinionem in praxi poſitam me vidiſſe teſtor *tom. in Bull. Cruciat. diſp. 25. num. 26.*

592 Inquiris demùm, quæ portio ſit præſtãda Parochis, quãdo Scholaſtici decedũt in loco Academiæ? In primis, ſi Scholaſtici ſint pauperes, tenẽtur ſub mortali Parochi eos gratis ſepelire, ſicut tenẽtur

tur ad quosuis pauperes sepeliendos. Imò absolutè mortaliter peccaret, quisquis fidelium corpora sepelire negligeret, cum nullus alius adest, qui id officium præstet; nam in hoc casu necessitatis opus misericordiæ, & charitatis est obligatorium; vt docent Bañez *in 2.2.q.32.art.2.conclus.3.* P. Sa *verbo, sepultura, ad finem*; P. Valentia *tom.3.disp.3.q.9.punct.2.* P. Layman *tom.1.lib.2.tract.3.c.6. & lib.3.tract.6.c.12. num.2.*

593 Deindè asserò iuxtà Tridentin. *sess.25.cap.13.de reform.* deberi Ecclesijs Parochialibus quartam partem funeralium, scilicèt oblationū, & sacrificiorum, quæ à defuncto relicta sunt. Attamē non intendisse Tridentinum reuocare priuilegia quadraginta annis integris præscripta, cōcessa Monasterijs, seu alijs pijs locis, ne scilicèt quarta funeralium soluatur Parochialibus Ecclesijs ab his, qui in eis locis sepeliuntur, docet Rodrig. *tom.1.qq.regular.q.39.art.2.* Quà propter in hoc spectandam esse cuiusque Prouinciæ, diœcesis, aut loci consuetudinem legitimè præscriptam, est regula tutior, & in praxi amplectenda.

594 Cum autem plures ex Scholasticis obeuntibus testamenta non condāt, nec oblationes, aut Missas pro ipsis celebrandas designent, totusq; funeris apparatus ab amicorum dispositione depēdere soleat, hinc est, non posse determinati portionē Parochis præstādā; atq; adeò, siuè in Parochia sepeliātur, siuè in alia Ecclesia ab ipsis electa, solet cū Parochis de portione ipsis tribuenda fœdus iniri; (nisi iā consuetudine, aut statuto diœcesano, vt assolet, sit designata quātitas:) Et sanè Parochi exiguis debent esse emolumētis contenti, cū ratio postulet, benignitatē erga exteros, & limitatis alimētis potitos exerceri. Quòd si Scholasticus possit testamentū condere, illudq; condiderit, facilè constabit ex his, quæ pro suæ animæ liberatione relinquit, quantum Ecclesiæ Parochiali debeatur, inspecta simul loci consuetudine.

Quæstio LI. An Fœminæ possint studijs litterarum publicè incumbere, easque docere?

595 EXORNATORIA est hæc quæstio potiùs quàm practica; sed cū iam publicè fuerit aliquando in Academia Salmantina in Repetitione ad Gradum obtinēdum, floridè sanè, & amoenè discussa, non absre fuerit, eam nūc vtcumque concinnare, vt nec vel hæc quæstio in hoc Opere desideretur.

596 Fœminas cunctis retrò temporibus doctas, ac sapientes Authorū paginæ celebrāt; Inter quas efflorruere *Erinna*, in insula Telos, poemate à se compositò celebris; loquitur de ea Propertius *lib.2.* Lucani vxor *Pollà*, de qua Statius *lib.2.Sylu.* Tres *Chorinæ*, alia Thebana, quam laudant ijdem Propertius, & Statius *locis relatis.* Alia Thespia, alia Ouidij coætanea. *Sappho* Lesbia, quæ libros Lyricos scripsit. *Aspasia* Milesia, in Philosophia Magistra Periclis, de qua Plutarchus *in Pericli. Zenobia*, Historiam Orientalem Alexandrinam edidit. *Phemoneo*, carminis heroici, vt quidem aiunt, inuentrix. *Cleobulina*, ænigmata conscripsit. *Cornificia*, epigrammata composuit. *Cornelia*, epistolas elegantes exarauit. Filiæ Lœlij, & Q. Hortensij in eloquentia floruerunt. *Theano*, Metapontina; *Sosipatra* Lida, & plurimæ aliæ, quas refert Ioannes Rauisius Textor *in Officina; tom.1.pagin.234.titul. Mulieres doctæ.*

597 Rursùs septem Sybillæ doctissimæ fuerunt, earumque libri, & oracula sunt celebratissima, de quibus agunt, pluresque quæstiones excitant Origenes *lib.5.contra Celsum*; Theophilus Antiochenus *lib.2.ad Autolycum.* D. Clemens Romanus *lib.5. Apostolicar. constitut. capit.6.* D. Clemens Alexandrinus *lib.1.stromat. cap.6. & lib.6.cap.3.* Damascenus *in orat. pro fidelibus defunct.* Diuus Hieronymus *libr.1.contra Iouinianum capit.26.* D. Isidorus *lib.8.orig.cap.8.* D. Thomas *2.2.quæst.172.art.6.ad 1.* Abulensis *quæstion.5.in caput 18. Deuteronom.* Cardinalis Baronius *in Apparatu Annalium, numer.19.* Philippus Abbas *de silentio Clericor.cap.37.* Cardinalis Bessarion *lib.3.contra calumniatores Platonis, cap.9.* Marianus Victorius *ad epist. D. Hieronymi ad Paulinum.* Beda *tom.2.tract. de oraculis Sybillinis.* P. Suarez *tom.1.in 3.p. disp.3.sect.2.* P. Azor *tom.1.institut. moral. libr.9. cap.24. quæst.10.* P. Henriquez *de vltimo fine, cap.7.n.4.* P. Canisius *libr.2. de B. Virgine, cap.7.* P. Barradas *tom.1.in Euangel. lib.3. capit.25.* Cardinalis Bellarminus *lib.4.de notis Ecclesiæ. cap.15.* P. Possevinus *lib.2. Bibliothecæ selectæ, capit.71.* Pater Iustinianus *in ep.2. Petri, cap.1. ver.21.* Pater Didacus Ruyz *de Trinitat. disp.*

45 sectio. 2. P. Theophilus Raynaudus *de Theologia naturali, distinct. 5. quæst. 2. artic. 2.* Laurentius Ananias *libr. 2. de natura dæmonum, cap. 12.* Petrus Gregorius *Syntagmatum iuris, lib. 18. capit. 6.* Pater Salmerõ *tom. 2. in Euangel. tractat. 19.* Pater Serarius *opuscul. in symbolum Athanasij, numer. 87.* Ioannes Bonifacius *in Histor. Virgin. libr. 1. capit. 2.* Ludouicus de Velluga *in vita Christi, tractat. de Sybillinis oraculis,* Pater Delrio *de Magia, lib. 4. cap. 1.* Apud quos, & apud alios innumeros plura de sapientia Sybillarum, de alijsq; ad ipsas spectantibus reperientur.

598 Inter Catholicas fœminas eminuit D. Catharina Alexandrina, quæ à prima ætate studia liberalium Artium cum fidei ardore coniunxit, & plures Philosophos vndiq; ab Imperatore Maximo accersitos suæ disputationis subtilitate deuicit, & ad Fidẽ Catholicã traxit, vt Ecclesia in eius Officio canit; & referunt in eius mirabili vita Simeon Metaphrastes, Cardinalis Baronius anno 307. Pater Petrus Ribadeneyra, & alij. Tempore etiam Diui Hieronymi excelluerunt litteris *Fabiola* Romana, in Scripturis sacris versatissima, cui maximus Doctor librum de veste Sacerdotali dicauit; *Marcella* Romana, quæ Sacras litteras egregiè calluit, idemque Sanctus Doctor ei opera plura concripsit. *Eustochium*, nouum Orbis appellata prodigium, in litteris Latinis, Græcis, & Hebraicis peritissima; Cui familiariter ipse Diuus Hieronymus scribebat. Adhuc tempore Pij II. viguit *Genebria*, Veronensis, quæ luculentas epistolas exarauit. Eminuerunt præterea *Constantia* Alexandri Sfortię vxor, & eius filia *Baptista*, quæ eloquentia, & eruditione fuerunt insignes, vt testatur Ioannes Rauisius *vbi suprà*. Et sæculis nostris non paucas extitisse fœminas sapientes, historiæ narrant; Et nunc temporis inter alias Regina Sueciæ litteris valdè prædita commendatur.

599 Olim etiam apud Æthiopes fœminæ solæ regnabant, iudicium ferebant, & leges promulgabant. Imò apud Athenienses frequentabant fœminæ Scholas, & ad publicas disceptationes, ac consultationes confluebant; Idque de alijs Nationibus Scriptores enuntiant. In Scriptura Sacra Sapientum fœminarum fit mentio, earumque gesta recensentur. Sic Debora iudex extitit populi Hebraici, vt constat *ex libr. Iudicum, à capit. 4.* Maria Soror Aaron fuit Prophetissa; *Exodi, cap. 15. v. 20.* Iudith Canticum Domino concinnauit; *Iudith, cap. 16.* Esther orationem elegantem Deo direxit; *Esther, c. 14. à v. 3.*

600 Hæc omnia satis suadent, fœminas ex se (dum alia prohibitio, aut ratio non resistat) non esse incapaces ad docendum, ad ferendum leges, & ad iudicandum. Vndè etiã colligitur, ex se posse scientias addiscere, & callere, cum nequeat ad doctrinam tradendam perueniri, nisi ea priùs addiscatur; quod ampliùs firmabitur *inferiùs*.

601 Cæterùm duobus assertis quæstionem expedio. Primum est, de facto non licere, nec expedire, vt fœminæ addiscant, aut doceant publicè scientias. Secundum est, secluſa prohibitione, & incommodis, eas ex se posse (sensu infrà exponendo) addiscere, ac docere scientias. Singula nunc probanda, & exornanda sunt.

602 In primis. Iure ciuili *in leg. fœminæ 2. ff. de regul. iuris*, ita cautum est; *Fœminæ ab omnibus officijs ciuilibus, vel publicis remotæ sunt, & ideò nec iudices esse possunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio intercedere, nec procuratrices existere.* Qua lege vel prohibetur fœminis munus publicè docendi, & assumendi Gradus, vel validum ex ea desumitur argumentum. Etenim, cum iuxta dicta à nobis in superioribus, Gradus sit Dignitas, affinis valdè est Magistratui, ac munus, seu officium docendi non minùs est publicum ad vtilitatem publicam conducens, quàm prætura, iudicatura, tutela, & cura; &, quibus hæc omnia, exercitiumque fideiiubendi interdicuntur, aut simul, aut pariter, vel à fortiori munus docendi prohibetur, indèque & obtentio Graduum, qui ad erudiendum cæteros ordinantur. Fœminis etiam prohibetur, esse procuratrices *in leg. quod de absente, & in leg. alienam, Cod. de procuratoribus*, nisi pro patre impedito, iuxta *leg. fœminas, ff. de procurat.* Item eis interdicitur, esse Iudices arbitras *in leg. vlt. Cod. de arbitris.*

603 Deinde D. Paulus *1. ad Timoth. 2. v. 12.* asserit; *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.* Consonant plura Sacræ Scripturæ testimonia. Imò, cum olim fœminis fuisset permissum in Ecclesijs canere, (quod multò minus est, quàm docere) teste Isidoro Pelusiota *libr. 1. epistol. 90.* postmodùm id eis fuit prohibitum, vt cerni

ni potest apud Patrē Cresolium *lib. 3. Mystag. cap. 27. sect. 1.* Et quidem tum in canendo, tum indocendo opportunè fœminea garrulitas compescitur; Etenim, vt D. Cyrillus *in Caten. P. Corderij ad cap. 4. Luc. vers. 16.* fatur; *Rectè profectò, verèq; dici potest, fœmineā esse fœminarum omnium mentē, mollemque mulieribus ineſſe animum, qui nihil omnino possit acutè, saga citerque concipere. Docilior autem natura virorum; & ad omnem rationem sollertior, sobrietate excitata, &, vt ita dicam, feruentiori, sublimioriq; mente prædita.*

603 Nihil sanè in Scripturis, & Patribus magis laudatur, & commendatur, quàm quòd fœminæ intra suarum ædium Claustra contineantur, domesticis operibus intētæ, & ne publicis se immiſceant commercijs. Indè *Prouerbior. capit. 31. in Parabolis Salomonis*, cum mulier fortis laudatur, asseritur; *Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum*; ac inferiùs *Considerauit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit*; Et, quamuis ibidem decantetur; *Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius*; Atramē iuxta Expositorum cōmunē sensum id intelligitur de doctrina priuata, qua fœmina prudens instruat in virtute filios, & domesticos. Refertæ sunt Sanctorum Patrum paginæ pulchris testimonijs, quibus fœminæ edocentur, intra domum sistere, silentium amare, à publico abstinere; quibus transcribendis non vacat, & cuique erunt obuia.

604 Rursùs sacræ litteræ, ac Sancti Patres monent frequentissimè, virorū, ac fœminarum fore vitanda commercia, vt periculis obuiam eatur, nec paretur indecentijs, ac honestatis detrimentis opportunitas. Hinc olim in Ecclesijs locus, in quo fœminæ versabantur, à loco virorum erat sciūctus. Indè ergo euincitur, minimè decere, fœminas publicè addiscere Scientias, easve docere, cū id nequiret præstari, nisi mutua, ac familiaria essent inter ipsas, & viros colloquia, disputationes, cōfabulationes, & commercia; nec Scholæ litterariæ, quæ à solis fœminis frequentarentur, possent adstrui; cum id ex se absonum sit; & aliundè pararetur pluribus erroribus locus, dum ipsæ, quæ communiter acutè, vt aiebat D. Cyrillus *suprà*, nequeunt concipere, nec argumenta, rationes abstrusas, & metaphysicas penetrare, scientias edocerent, quin à Viris corrigerētur, aut instruerentur. Vnde etiam suadetur, absolutè nō fore docendum à fœminis; rarum quippe esset, ac mirabile, doctrinam ab eis traditam multis absurdis, ignorantijs, aut erroribus non intermiscri.

603 Regimen etiam politicum populorum exigit, vt fœminæ omnino ab addiscendo, & docendo scientias publicè penitùs abstineant. Quippe conādum est, vt apti, eruditi, ac in libris versatissimi sint Magistri; id autem à fœminis est alienum; Nec quidquam in cōtrarium euincit, quòd vna, vel alia fœmina fuerit aliquando sapiens; cum id, velut mirabile & à communi stylo, ac consuetudine exorbitans, enarretur. Deinde, vt populus æquè gubernetur, fœminas cum Viris, nisi intra domesticos, patrios, aut coniugales lares, non habere consortium, omnino est expediens bono publico, & communi vtilitati, cum ex oppositō tot damna omnibus sæculis acciderint, & frequenter proueniant. Præterea fœminas intra ædes cōtineri, & domesticis officijs incumbere, par est omnino; indeq; in pluribus Nationibus, vt apud Sinas, ac Turcas, nefas habetur, fœminas extra domos diuagari; quin nec in ædibus feneſtræ aperiuntur, per quas possint illæ ad vias, & compita publica sese ostendere, aut à transeuntibus respici. Et sanè, si fœminæ Scholas frequentarent, cuncta turbarentur; fas, nefasque confunderentur; honestas, & pudor corruerent: rixis, atque tumultibus aperiretur aditus; Et inanis, frustraneus, ac sine vlla spe fructus ea frequentatio peragerētur. Etenim studia litterarum diriguntur in fines, ad quos vel ineptæ, vel incapaces sunt fœminæ; nempè ad munera Iudicis, & Aduocati gerēda; ad Ecclesiasticas Præbendas obtinendas; ad disputandum cum hęreticis; ad assistendum Concilijs; ad Ordines Sacros suscipiendos, Sacramentaq; administranda; ad Medicinam exercendā, hisq; similia, à quibus omnibus, ex se cōstat, quam alienæ sint fœminæ.

605 In Iure Canonico extant etiā prohibitiones circa doctrinā tradendam à fœminis; In *cap. mulier. dist. 33.* asseritur; *Mulier, quāuis docta, & Sancta, viros in conuentu docere non præsumat*; Quod statutū fuit *in Concilio Carthaginens. 4. cap. 88. & 89.* Deinde *in cap. noua 10. de pœnit. & remiss.* ait Pontifex Innocentius IV. *Noua quædam nostris sunt auribus intimata, quòd Abbatissæ Moniales proprias benedicūt, ipsarumque Confessiones in criminibus audiūt, & legentes Euangelium præsumunt publicè*

præ-

prædicare; Cum igitur id alienum ſit pariter, & abſurdum, mandamus, quatenùs, ne id de cætero fiat, curetis firmiter inhibere. Et addit Gloſſa; *Mulier enim nec prædicare, nec docere poteſt, quia hoc officium extraneum eſt à mulieribus.* Nec valet aſſeri, à Pontifice ſolam ibi prohiberi poteſtatem Clauium, quæ ab Abbatiſſis vſurpabatur. Etenim certum eſt, hanc præcipuè interdici, vtpotè fœminis omnino repugnantem; verùm non ea ſolùm prohibetur, ſed poteſtas legendi Euangelium, & prædicandi, quæ eſt publica doctrinæ traditio; indeque præceptum Pontificis eò tendit, vt non permittantur fieri ea omnia, quæ retulerat, inter quæ prædicatio, ac doctrinæ traditio continebatur; quare Gloſſa relata optimè intulit, mulierem non poſſe docere, nec prædicare, & ſummarium capitis idem continet. Et premenda ſunt verba Pontificis, quibus oſtendit, eſſe quid nouum, fœminas tum vti poteſtate Clauium, tum docere ſuas ſubditas media lectione, & prædicatione Euangelij: igitur vtrumque erat inuſitatum, ac prohibitum, aliter non eſſet nouum. Adhuc *in cap. Dilecti, de arbitris*, iniungitur, fœminas ſeparandas eſſe à iudicio arbitrario ferendo, niſi in Nationibus, in quibus fœminæ iuriſdictione erga ſubditos gaudent. Et *in cap. mulierem 38. quæſt. 5.* Iudicatura eis interdicitur: Ac *in capit. infamis*, §. *tria. 3. quæſt. 7.* prohibetur ipſis, aduocare in iudicio, ſeu poſtulare pro aliquo. Conſonant communiter Authores, quos breuitati conſulens, & quia peruij ſunt, non conglomero.

605 Ad ſecundum aſſertum deueniamus, nempè ex ſe fœminas poſſe addiſcere, ac docere ſcientias. Quod ſic expono. Sanè fœminæ non poſſunt moraliter (vt ita loquar) addiſcere, & docere; ſumpta potentia morali pro potentia conſentanea decentiæ, honeſtati, ſexui, regimini publico, & pluribus præceptis. Id ex adhuc traditis fit manifeſtum, cum iam fuerit oſtenſum, quanta damna, incommoda, inutilitas, & oppoſitio ad rectam rationem ſequerentur, ſi fœminæ Scholas frequentarent, aut publicè docerent. Nec obſtat, quòd aliquando nonnulla fœmina id præſtiterit; quia contingit quandoque, eos interuenire euentus, & circunſtantias, in quibus incommoda ceſſent; id autem rarum eſt; & moralis poteſtas ex ſæpè, ac communiter contingentibus deſumitur. Nec enim plures ſunt Catharinæ, nec Deboræ, nec Sybillæ, nec aliæ ex illis, quarum vnam ſæculum integrum generauit; Deique prouidētia eas deſtinauit ſpecialiter, vt ipſius gloriam, legem, aut Fidem vel prænuntiarent, vel firmam redderent.

606 Imò fœminæ, quas *ſuperiùs*, retulimus, eſto eſſent ſapientes, nō frequentauerunt publicè Scholas, vt in eis addiſcerent, vel docerent, ſed ingenio præditæ priuato ſtudio, aut Magiſtro vtentes domeſtico, vel ſingulari, ſcientias, aut linguarum notitiam, ſeu Poematum ſtructuram, genio iuuante, compararunt. Quòd ſi in aliqua Natione Scholas publicas frequentabant, id rectæ gubernationi, ac publicę vtilitati neutiquam erat cōſentaneum, quare is abuſus ad ſæcula ſuccedentia non peruenit; Satis enim indicata ſunt detrimenta ex eiuſmodi publica frequentatione emergentia, quæ difficulter poſſent vlla ratione politica vitari.

607 Hinc ſolùm reſtat, fœminas poſſe, quaſi potentia phyſica, addiſcere, & docere publicè Scientias. Id enim earum ſexui non repugnat; quamuis enim plurimæ illas percipere aut non valerent, aut ægrè poſſent, aliquas tamen, fatendum eſt, ea vigere ingenij viuacitate, vt poſſent ad illas addiſcendas, ac docendas peruenire. Quod ſuadetur, tum quia in hoc nulla cernitur repugnantia; tum quia ſuccedentibus diuerſis temporibus, plures fuerunt eruditæ, ac ſapientes, vt *ſuprà* libauimus. Exindè etiam poſſunt priuato Studio litterarum incumbere, cum hinc non ſequantur incommoda adhuc expenſa; quare noſtris etiam ſæculis, vt iam attigi, fœminæ extitere, quæ linguarum notitiam ſunt adeptæ; poemata cōcinnarunt; libellos aliquos compoſuerunt; eſto nec in Theologa, aut in Iure, vel in Philoſophia (quæ ſcientiæ maiorem in ſtudio operam deſiderant) facilè quis vllam comperiat eruditam.

608 Reuerendiſſimus Magiſter Fr. Franciſcus de Roys Ciſtercienſis, Regius Concionator, & in Salmantina Academia nunc Cathedræ Scoti Moderator, altiores illicò obtenturus, cum ad lauream Magiſterij exercitamenta litteraria olim perageret, in Repetitione diſceptauit, an fœminis competeret poteſtas legiſlatrix ciuilis, ac etiam Eccleſiaſtica (quod diſcutere, noſtri non eſt inſtituti) & vtrùm eis liceret docere Theologiam, & Scripturam Sacram? Et, quamuis affirmantem concinnauerit ſententiam, à noſtra mente non diſtare, crediderim, ſi attentè fundamenta,

menta, quibus assertum firmauit, expendantur. Primum est, nam Deus fœminam produxit, vt hominem in cunctis iuuaret; *Faciamus ei adiutorium simile sibi. Genes. 2. v. 18.* ergo in qualibet materia fœmina est adiuuans, atque adeò etiam in Scientiæ Sacræ doctrina. Prolixum esset, referre expositiones eiusmodi adiutorij à Sanctis Patribus traditas, ex quibus constat, non extendi id adiutorium ad hæc munia docendi, sicut non extenditur ad arma sumenda in defensionem Regni, & cū hostibus præliandum, eo pacto, quo Viri præliantur; nec ad officia præstanda laboriosa, qualia sunt ædificiorum constructio, & similia. Quare domesticum dumtaxàt adiutorium habet vir in fœmina, laborumque leuamen, ac solatium.

609 Secundum fundamentum. Ad disseminandum Christi Euangelium non paucæ fœminæ præbuere ministerium, Apostolosque fuerunt secutæ, eorum muneris sociæ; *& in Actis Apostolor. cap. 18.* Apollo Alexandrinus venit Ephesum, docebatq; in Synagoga; *Quem cum audissent Priscilla, & Aquila, assumpserunt eū, & diligentiùs exposuerunt ei viā Domini.* Ecce virum doctum fœminæ in lege, & Fide adhuc magis instruxerunt; eas ergo nō dedecet eiusmodi doctrina. Sed equidem nō ea, quæ illicò post mortem Christi euenerunt, frequenter contingunt; Etenim tunc cum pauciſsimi essent Euangelij Prædicatores, speciali gratia, & spiritu Deus aliquas fœminas illustrauit, vt dissemination Euangelij cooperarentur; quod adhuc summa cum moderatione præstiterūt. Et sanè Christus discipulos monuit, vt euntes in vniuersum mundum prædicarent Euangelium omni creaturæ, quod fœminis nequaquam commendauit. Imò Deiparā Virginem, cum scientia infusa esset prædita, excelleretq; Sapientia omnes Apostolos, cunctosque mortales, publicè prædicasse Euangeliū, non legimus, vt fœminas suo exemplo instrueret, id earum muneri non incumbere. Quin & viris laicis prohibetur *in cap. cum ex iniuncto, de hæretic.* prædicare, aut docere Scripturam; à fortiori ergo fœminis id est interdictum.

610 Tertium fundamentum. Nam Patres Ecclesiæ valdè commēdant aliquas fœminas in Scripturis Sacris sapientes; vt cernere est apud D. Hieronymum, qui in Epitaphio Marcellæ, de ea asserit; *Quidquid in nobis longo fuit studio congregatum, & meditatione diuturna, quasi in naturam versum, hoc illa libauit, hoc didicit, hoc possedit, ita vt post perfectionem nostram, si de aliquo textu Scripturarum esset obortā contentio, ad illam iudicem pergeretur.* Ego sanè non inficior, posse fœminam studio priuato ad eam eruditionem peruenire, vt ipsā cōsulere viri possint de aliquibus quæstionibus; nihilominùs ob rationes traditas contendo, non posse, morali quasi potestate, fœminas publicè Scientias addiscere, aut docere; nec contrarium asserit D. Hieronymus, cū Marcella publicè nō didicerit, nec docuerit, aliquas Scholas frequētans. Præterquàm quòd exhibe mihi plures huiusmodi Marcellas, à quibus D. Hieronymus possit addiscere.

611 Vltimum fundamentum. Ratio formalis constitutiua Magistri est excessus scientiæ respectu alterius, qui ab eo possit edoceri; sed in fœminis potest ea ratio, & excessus scientiæ inueniri, ergo possunt esse Magistræ. Profectò, si hoc modo sumatur magisterium, latissimè extenditur; & sic quæuis mater respectu filiarū in prima earum ætate est magistra, cum excessum scientiæ habeat respectu ipsarum, & ab eis ignorantiam expellat. Verùm hęc quæstio discutitur de Magisterio publico, quale ad Scholas desideratur. Et deinde hoc fundamentum dumtaxàt suadet, fœminas posse physicè esse Magistras non verò moraliter, attenta æquitate, vtilitate, bono publico, honestate, & cæteris circumstantijs, quas iam perpēdimus; quippè iam asseruimus, non esse repugnantiā physicam in eo, quòd fœmina addiscat, & docat; & id ad summum hoc argumentum euincit.

Quæstio LII Remissiones Authorum, qui de materia totius huius Tractatus dispersim agunt.

612 QVAMVIS omnes quæstiones vtiles de Iure Academico attigerim, attamen volui in conspectum dare Authorum loca, in quibus dispersa inuenientur plurimę ex illis, (& si non paucæ à nobis sine duce fuerint propositæ, vt quicumq; velit aliquas aut latiori calamo exagitatas, aut eruditione præditas, adeat Authores nunc referendos; quorum

rum etsi maiori ex parte authoritatem decursu totius Tractatus retulerim, tamen in præsenti simul congeram eos, quos diuisim pro quæstionum varietate recensui. Nec eos enumerabo, quos in quæstionibus moralibus præstrinxi; hi enim non solùm de Academicis, sed de omnibus loquuntur, innumeriquesunt, qui de huiusmodi materijs moralibus disceptant; sed eos adducam, qui specialiter aliquid habent de Academijs, earum vtilitate, priuilegijs, Gradibus, Statutis, Iurisdictione, Foro, regimine politico, & similibus. Authorum autem, quos enarrabimus, quidam ex instituto Libros, Tractatus, aut disputationes de aliquibus spectantibus ad Academias confecerunt, (de omnibus enim simul noster hic Tractatus primus in lucem editur) Alij verò obiter, aut pauca habent, hi quidem de his, alij verò de alijs punctis huc concernentibus. Id credideris, omnes ferè à me attenta consideratione fuisse percursos, vt hoc opus elaborarem.

613 Ex Concilijs aliqua loca huc attinentia depromi possunt. Ex Concilio Cabilonensi celebrato *anno 813. c. 3.* Ex Parisiensi sub Gregorio IV. *anno 829. lib. 3. cap. 12.* ex Valentino sub Leone IV. *anno 855. cap. 18.* Quæ tres Synodi habentur *tom. 3. Conciliorum p. 1. sec. 2.* Ex Toletano 5. *cap. 3.* Ex Aquisgranensi. *can. 135.* Ex Lateranensi sub Leone X. *sess. 9.* Ex Lateranensi sub Innocentio III. *cap. 12.* Itẽ ex Lateranensi sub Alexandro III. *c. 28.* Ex Tridentino *sess. 5. cap. 1. de Reformatione. Sess. 7. cap. 13. de reform. Sess. 14. cap. 5. de reform. Sess. 22. cap. 2. de reform. Sess. 23. cap. 18. de reform. Sess. 25. cap. 6. de reform. ad finem; Et cap. 9. ad medium.*

614 In Iure Canonico, præter plura obiter libata, extat in Decreto *Distinctio 10.* ac in Decretalibus, & Clementinis Titulus *de Magistris &c.* Et in *lib. 6. Decretalium; cap. cum de diuersis, de priuileg.*

615 In Iure Ciuili, *Authentica, Habita Cod. ne filius pro patre, &c.* Titulus, *C. de Studijs liberalibus vrbis Romæ.* Titulus *de professoribus, & medicis, Cod. lib. 10. De priuilegijs Scholarum, Cod. lib. 12. De Professoribus, qui in vrbe Constantinopolitana, &c. Cod. lib. 12.* In Codice Theodosiano, Titulus, *De studijs liberalibus vrbis Romæ;* & Titulus *de Professoribus, & Medicis.*

616 In Iure Regio Castellæ, *titulus 7. lib. 1. Recopilat.* & ferè totus *titulus 8.* necnon plures aliæ leges decursu Recopilationis. Et præterea *lex 1. & 2. tit. 4. partit. 3. lex 6. & 7. tit. 31. partit. 2.* Necnõ *lex 8. tit. 2. lib. 1. Ordinat. Et ibidem lex 1. tit. 3.* Extant etiam Decreta Senatus Supremi Castellæ diuersis temporibus expedita circa Academias, necnon Rescripta, & Priuilegia specialia Regum in ipsarum fauorem, & maximè Salmantinę, quæ apud ipsas asseruantur. Ex Authoribus autem possunt sequentes adiri.

617 Ex Patribus Ecclesiæ, S. Hieronymus *de Ecclesiasticis Scriptoribus*, sæpè obiter. S. Chrysostomus relatus *in c. numquam, dist. 56.* & plures alij, qui in Decreto referuntur. D. Thomas *in Opusculis lib. 1. eruditionis Principum, cap. 2.* ac sępè numerò in suis aureis operibus. Beda *in historia Anglorum lib. 3. cap. 27. & lib. 4. cap. 3. & lib. 5. cap. 3. & 23.* Ludolphus Bebẽbergius, *lib. de veterum Germanorum Principum zelo, cap. 2.* qui extat *in Tomo 15. Bibliothecæ Patrum, Colonienſis.*

618 Ex Historicis, D. Antoninus *2. part. histor. tit. 14. cap. 4. §. 12.* Eusebius *lib. 5. Histor. cap. 10.* Nicephorus *lib. 4. cap. 32. & lib. 5. cap. 20. & lib. 6. cap. 37.* Vincentius Veluacensis *lib. 23. specialis historiæ c. 173.* Tritemius *lib. 2. de Viris Illustribus Ordinis S. Benedic.* Pulydor. Virgilius *lib. 5. de histor. Anglorum.* Catdin. Baronius *tom. 3. an. 354. n. 25. & tom. 7. an. 535. n. 89. ac tom. 9. anno 802. num. 14. & tom. 10. anno 859. num. 52.* ac frequenter suorũ operum decursu. Florimundus Remũdus *de origine hæresis lib. 5. cap. 2.* Prudentius de Sandoual Episcopus Pampilonensis, *2. p. gestor. Caroli V. lib. 24. §. 25.* P. Possevinus *lib. 1. Bibliothecæ Selectæ.* Theatrum vitæ humanæ, *verbo Academia.* Drautius *in Bibliotheca classica, tom. de libris historicis, verbo, Academia.* Cassanæus *in Catalogo gloriæ mundi p. 10. à consideрat. 32.* Bonauentura de Salinas *in historia noui Orbis, cap. 7.* Thomas Herrera *in Alphabeto*, pluribus in litteris. P. Ridadencyra *de Instituto Societatis, cap. 39.* Ægidius Gonzalez Daula *in histor. Salmant. cap. 17.* Et in Theatro Ecclesię Salmantinæ, ac aliarum, quæ sitę sunt in territorijs, in quibus extant Academiæ. Alfonsus Ciaconus *in vita Pauli III.* Ioannes Boter, *lib. 2. de origine vrb. cap. 4.*

619 Ex Politicis, & ex alijs, qui de diuersis scripsere materijs; Fr. Ioannes Marquez *de Gubernatore Christiano, lib. 2. cap. 24.* P. Adam Comcen *lib. 4. politic.* Antonius Zara Petinensis *in Anotomia ingeniorum.* Stanislaus Resius *contra Equitẽ Polonum pag. 49.* Cresolius *Mystagogi lib. 2. cap.*

2. c. 14. sect. 2. Liber, cui titulus est *Adolescẽs, Studiosus*. Eruditissimus D. D. Laurentius Ramirez de Prado, *in Notis ad Luitprandũ*, & sæpè in suis doctissimus operibus. Don Didacus de Saauedra *in Ideis Politicis, Idea 4. & seqnentib. & Id. 19. 20. ac 51.* Emanuel Faria de Sousa *in Comment. Camoes tom. 1. fol. 141. & tom. 2 fol. 618. Et in Predic. de las gent. lib. 3. cap. 8. ac lib. 5. à cap. 1.* Forum vniuersale Garzonis Italicè exaratũ *discursu 14.* P. Carolus Mussart *in libr. Adolescens Academicus.* P. Ioannes Eusebius Nieremberg, *in Sigalione lib. 1.* P. Melchior de la Cerda *in Apparatu linguæ latinæ, & in lib. de Demonstrat.* pluribus in locis. Theodulphus *in epist. ad Clerum Aurelianensem, cap. 19.* Maiolus *dierum canicul. tom. 1. Colloq. 1.* Aulus Gellius *lib. 1. noctium Atticar. cap. 9.* M. Varro, *lib. 5. de lingua latina.* Ludouicus Viues *de tradit. disciplinæ à fol. 248.* Erasmus *de pronuntiation.* Hypolitus à Collibus *in tract. de increm. Vrb. cap. 1. & in tract de princ. cap. 30.* Scipio Gentilis *lib. sig. orig. à pag. 277.* Zoanet *de Romano Imperio à num. 71.*

619 Ex Theologis, Controuersistis, & Scripturæ Sacræ Interpretibus, Cardinalis Alanus *in Apologia contra Reginæ Elizabethæ edictum, cap. 6.* Dominicus Grauina *in voce Turturis, part. 2. cap. 30.* Christophorus Giarda *in Api Religiosa.* Didacus Payua *lib. 1. Orthodoxarum Explanationum.* P. Suetez *tom. 4. de Religion. lib. 5. cap. 4.* & sæpissimè alibi. P. Thomas Sanchez *tom. 1. Consilior. moral. lib. 2. cap. 1. dub. 57.* ac frequenter in suis Operibus. P. Azor *Institution moral. tom. 2. lib. 7. cap. 4.* & pluries alibi. P. Pineda *de rebus Salomonis lib. 3. à cap. 27.* P. Paulus Sherlogus *tom. 1. in Cantic. anteloquio 9. sect. 2. & tom. 3. vestigat. 35. à num. 53.* P. Pellizarius in Manuali Regular. *tract. 6. cap. 14.* Ægidius Trullench *tom. 1. in Decalog. lib. 4.* P. Castro Palao *3. part. operis moralis, disp. 4. punct. 13.* P. Oñate, *de contract. tom. 2.* frequenter: Et plures alij operis huius decursu relati.

620 Ex Authoribus, qui de Academijs, vel de his, quæ ad illas spectant, libros, vel tractatus cõfecerunt; Matamoros *de Academijs Hispaniæ, & de Salmantina*, & habetur in Tomis *de Hispania illustrata, & in Bibliotheca Hispanica.* Iacobus Middemdorpius *de Academijs vniuersi orbis; & Oficiorum Scholasticorum.* Don Ludouicus Venegas Episcopus Almeriensis *in lib. manuscripto de Academia Salmanticẽsi.* Chacon *in historia manuscripta eiusdem Academiæ.* Alphonsus Garcia *de Academijs Hispaniæ.* Bocerus *in orat. de dignitate Academiarum.* D. Alphonsus de Escobar, *de Pontificia, & Regia iurisdict. in Studijs generalib.* Don Didacus de Leon Pinelo *in Hypõnemate Apologetico pro Academia Limensi.* Iustus Lipsius *in descriptione Louanij, & eius Academiæ.* Gumpelsheimerus *de Exercit. Academ.* Dominicus Baudus in *orat. ad Studiosos Leidenses* Thomas Lansius *de Academijs.* Antonius Perezius *de Professoribus.* Camillus Borrell. *tract. de Magistris* Lossæus *de Iure Vniuersitatum.* Horatius Lucius *de priuileg. Studiosorum*; Christophorus Bessoldus, *de Studiosis, Magistris, &c.* Idem *in Thesauro practico, verbo, Academia.* Rebuff. *de priuilegijs Scholasticorum.* Boetius, *tom. 2. de Scholarium disciplina* Matthæus Stephanus, *de Academ.* Christophorus Vualterus, *De statu, iuribus, & priuileg. Doctorum.* Antonius Florelus *in quæstione, An Prorex Neapolitanus dispensare queat, vt minor viginti vnum annis Gradu Doctoris valeat insigniri, &c.* Benius *de priuilegijs Iurisperitorum.* Petrus Lenander *de priuilegijs Doctorum.* Caccialup. *de modo Stud.* Kremberg. *tract. de sumptibus Studiosorum.*

621 Ex Interpretibus *Authenticæ, Habita, Cod. ne filius pro patre, &c.* Ioannes Iacobus Frischem; Gilchenius: Bologninus: Sicardus: Christophorus Cuppenarius: Iulius Pacius: Baldus: Odofredus: Donellus: Cuiacius: Idemque *in Recitatione ad leg. si duas, 6. §. 4. ff. de excusat.* & sæpè alibi.

622 Ex alijs Iuris vtriusq; peritis theoricis, & practicis, qui de varijs circa idẽ Ius scripsere materijs; Antonius Faber, *tom. 2. decisionum forensium lib. 2. tit. 2. definit. 2.* & pluries, alijs in locis. Bartolus, & Platea *ad leg. vnic. Cod. de Comitibus, & Architriatis, &c. libr. 12.* & sæpè in suis operibus. Petrus Gregorius *de Republica lib. 6. cap. 18. & lib. 18. cap. 5.* Sixtinus *de Regalibus, cap. 2.* Ioachimus Stephanus *in tract. de Iurisdictione* Ioann. Iacobus Speidel, *in lib. notabilium Iuridicorũ, verbo, Academia, pag. 9.* Marianus Socinus *de foro competenti, cap. 1.* Martha *de iurisdictione*, vbi plura attinguntur. Moneta *de Conseruat.* Natta *consil. 57.* Tiraquellus *de nobilitat. c. 18.* ac alibi sæpè. Decius *consil. 48.* & frequenter in alijs locis. Iacobus de S. Gregorio *tract. de homagijs.* Menochius *lib. 2. præsumpt. 78.* Caualcanus *p. 1. decis. 9.* Coler. *de processu execut. p. 2. cap. 3.* Bertachius

de

de gabellis q. 7. Rolandus *lib. 2. consil. 82.* Alexander *in leg. Scrinarios, C. de testam. milit.* Antonius Gabriel *in titul. ff. Quod cuiusque Vniuersitatis nomine, &c.* Arumæus *in l. 2. Cod. de rescindēda vendit. them. 31.* Petrus Heig. *p. 2. q. 11.* Ioannes Pels. *in processu iudiciali, tit. 9.* Guido Pap. *decis. 379.* ac sæpè obiter. Vuesembechius *de collat. dotis, & consil. 80.* Reusnerus *quæstionum Iuris, q. 8.* Geminianus *in cap. à collatione, de appellat. in 6.* Serader *de feudis, p. 20. sect. 7.* Theophilus Gisuertus *in tit. de reconuent. c. 12.* Muscor. *de iurisdict. à n. 76.* Iligerus *ad Donellū lib. 3. Commentar. cap. 9.* Froster. *histor. Iuris, lib. 6. cap. 6.* Signorus de Homodeis *consil. 23. & 129.* Ossualdus *lib. 17. Commentar. c. 20.* & sæpè alibi. Zassius *de feudis p. 5.* Antonius Petrus *de potestat. Principis, cap. 13.* Fulgosius *in leg. qui sub prætextu, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* Bosenht *de feudis cap. 5.* Pacianus *de probation. lib. 2. cap. 41.* Alciatus *in leg. cui præcipua 52, ff. de verb. significat.* Annæus Robertus *lib. 1. rer. iudicat. cap. 7.* Hottomanus *consil. 105.* Dressen. *millen. 6. p. 281.* Angelus *in leg. antepenult. de milit. test.* Salicetus *in leg. 1. C. de aduocatis diuers. iudic.* Abbas *in tit. de Magistris:* Carleual *de iudic. tom. 1. à num. 506.* Parladorius *rerū quotidianar. q. 14.*

623 Insuper Laurentinus Landmeter *de vetere Clericorum, & Monachorum victu, libro 2. cap. 107.* Marius Antoninus Maceratem *in varijs practicabilium rerum resolutionibus, libr. 1. resol. 6.* & obiter alibi. Couarr. *lib. 3. variarum, cap. 13.* & passim in suis operibus. Franciscus de Leon *in thesauro Ecclesiæ cap. 33.* Barbosa *de potestat. Episcop. 3. p. alleg. 50. ac 56.* Et *in Collectaneis* ad Textus tractantes de Magistris, ac de eorum priuilegijs, relatos *supra n. 597.* Garcia *de Beneficijs 3. p. c. 2.* ac sæpè obiter. Bouadilla *in Politica lib. 2. cap. 18. num. 214.* & alibi frequenter. Didacus Perez *in leg. 8. tit. 2. lib. 1. ordinam. & lib. 2. tit. 3. leg. 7.* Philesacus *ad tit. de officio Ordinarij.* Gregorius Lopez *in leg. 8. tit. 7. partit. 2.* Don Franciscus Carrasco *ad leg. Recopil. cap. 9. n. 31.* Antonius Gomez *in leg. vlt. Tauri, n. 16.* Rodericus de Acuña *in cap. de quibusdam, 12. dist. 37.* Doctor Don Antonius de Graña, & Nieto, Primariæ Canonici Iuris Cathedræ in Salmantina Academia Antecessor, *tom. 2. cap. 2. de vita, & honestate Clericor. Ac in cap. 6. de testib. Et in tit. de appellationibus.* Don Antonius de Leon Pinelo, *in Recopilatione legum Indicarum*, quā iam in lucem publicam parat, *lib. 6.* Claudat doctissimum agmen, nulli in sapientia, & eruditione secundus, Clarissimus D. Ioannes de Solorzano Pereira; *tract. de stipendijs honorarijs, pag. 1. Et tomo 2. de Iure Indiarum, lib. 3. cap. 14. à num. 24.* Ac in vtroque tomo de eo Iure, frequenter. Item *in Politica Indica, fol. 441. ac 607. & 615.* Necnō *in Emblematibus Regio politicis, Emblem. 26. & 27.*

624 Demum consuli possunt omnes Interpretes Iuris Canonici, Ciuilis, ac Hispani, ad Titulos, & Textus *superius* adductos; & insimul plurimi alij Authores, quos retulimus totius huius tractatus decursu.

(?)



APPENDIX.

APPENDIX.

DE VOTO, SEV IVRAMENTO, QVOD AB ACADEMIIS, ET AB STVDIOSIS SOLET EMITTI, DEFENDENDI PIAM OPINIONEM DE IMMACVLATA CONCEPTIONE *Deiparae Virginis.*

Hvivs Tractatus de Iure Academico omnino est proprius Appendix, quem annectimus; consonus sanè nostro instituto, ne aliquid omnino ad Academias, & Studiosos spectans omittamus; maximè cum quid adeò præcipuum sit id Iuramentum ab illis emissum; Nec erit vlli iniucundum, rem totam callere clarè, dilucidè, & exactè præstitam.

§. *VNICVS.*

Materia, obligatio, necessitas, iustitia, & veritas Iuramenti emissi ab Academijs, & Studiosis defendendi Piam opinionem de Immaculata Conceptione Virginis.

1 DIETAS, & deuotio erga mysteriũ Immaculatæ Conceptionis Deiparæ eò in Hispania creuit, vt certatim Cõmunitates Ecclesiasticæ, & sæculares votum, seu Iuramentum emiserint defendendi Piam opinionem, quæ MARIAM ab omni macula in sua Conceptione reddit immunem. Academiæ etiam plures id iurarũt, ac sanè omnes in Hispania, & Salmantina pluribus abhinc annis hoc iuramentũ peregit, vt infrà ostendemus à *num. 119.* Vnde, vt in procmio dicebam, hic appendix omnino est proprius huius Tractatus de Academijs; vt ex eo constet, quàm rectè ipsæ iuramentum præfatum emittant; & quàm verum illud sit, ac quibus ad id fundamentis moueãtur; & quæ inde obligatio consurgat. Ipsi etiam Studiosi, antequam Gradum accipiant in aliquibus Academijs, vt in Salmanticensi, idem iuramentum præstant; quod quidem iuramẽtum meritorium valdè est; Eius honestas ex tribus comitibus liquet; Etenim veritas adest, quam certissimam inferiùs ostẽdemus; Adest & iustitia, cum materia sit licita, iusta, pia, & sancta. Interuenit etiã iudiciũ, seu necessitas; præstatur enim hoc Iuramentum, summa consideratione præhabita; opportunumq; est ad excitandos Fidelium animos in affectum erga Deiparã, ac vt ei gratissimum offeratur obsequiũ, & eius Filij à Matre Immaculata nascẽtis gloria augeatur.

2 Aiebat Lyppomanus; *Iuramenttum locum habet inter Sanctos pro Dei gloria, & veritate*; quare, cum pro gloria Dei, eiusq; Matris, ac pro veritate decertetur, sanctum debet hoc Iuramentum iudicari. Prætereà aliqua fuit super hac veritate controuersia; esto, vt asseruit D. Chrysostomus, *Huiusmodi est veritatis natura, vnde magis oppugnatur, inde magis cõfirmatur*; Iuramentum ergo præstatur, vt finis controuersiæ detur; Inquit enim D. Paulus *ad Hebræos cap. 6. v. 16. Homines enim per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorũ*

rum finis ad confirmationem eſt iuramentum; & explicat D. Anſelmus, *id eſt, ad omnimodam certitudinem faciendam.* Ecce iuramenti prædicti neceſſitatem.

3 Igitur id iurantes, aut votũ emittentes ſub peccati lethalis reatu tenẽtur ad eius adimpletionem, cum ſit materia grauis, & nullo ex capite excuſentur ab impletione, dum iuramentum, aut votum non relaxetur; adeòq; ſi non adimpleant iuramentum, periurium patrabũt; ſi verò votum emiſerint, & non ſeruauerint, ſacrilegium committent: iuxta communia principia *in tractatu de voto, & iuramento.* Cæterùm id votum, & iuramentum relaxari poteſt his omnibus modis, quibus cætera vota, & iuramenta non reſeruata, cum illud reſeruatum non ſit. Modi autem relaxationis, & à quibus relaxari queant, paſſim apud Authores inuenientur; Et nos latè de illis egimus *tom. in Bullam Cruciatæ diſp. 26. à num. 11. & à num. 13.*

4 Hoc votum, ſeu iuramentũ obligat eos, qui illud emittunt; at ſucceſſores nõ obligantur ex vi illius, niſi ipſum denuò confirment. Quod eſt commune omnibus votis, ſeu iuramentis, quæ emittuntur à Comunitatibus, nẽpè ſeruándi ali quod Feſtũ, ieiunãdi aliquo die, & ſimilia; quãuis enim in emiſſione aſſerant vouentes, ſeu iurantes, ſe nomine proprio, & nomine abſentium, ac ſucceſſorũ, iurare, ſeu vouere, tamen qui de facto non iurant, vel vouent, ex vi voti, aut iuramenti non tenetur ſeruare promiſſum ab alijs; quia obligatio prouẽniens ex voto, vel iuramento debet eſſe deliberata, & vnicuique voluntaria, ita vt in ipſo detur voluntas ſe obligandi; Per actum autem aliorum nõ inducitur ea voluntas ſpõtanea; etſi enim poſſet quis cogi per externa præcepta, aut ſtatuta, vt aliquid impleat, non verò, vt habeat voluntatem ſpontaneam obligandi ſe ad illud adimplendum; cum termini ipſi in ſe implicent; ſcilicèt voluntariè, ac ſpontaneè inducere ſibi obligationem, & cogi, vt eam ſibi inducat. Hanc doctrinã tuentur P. Thomas Sanchez *in decalog. lib. 4. cap. 15.* Bonacina *tom. 2. circa ſecundum Decalogi præceptum, diſp. 4. q. 2. punct. 5. §. 2. à n. 20.* & nos tradidimus *loco ſuprà relato in Bull. Cruciat. diſp. 26. n. 25.* eſtque inter Authores communis.

5 Quamuis autem ex vi iuramenti, & voti à Communitatibus emiſſi non obſtringantur ſucceſſores ad promiſſũ adimplendum, at ſtatuto, aut præcepto Epiſcopi communiter obligantur, vt præfati Authores obſeruant. Vnde, ſi in Academijs, poſt emiſſum votum, aut iuramentum, de quo in præſenti, à Communitate, accedat Statutum grauiter id præcipiens, ſeu præceptum Superioris, ex vi huius tenebuntur Academici defendere Piam opinionem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, quamuis ipſi iuramentum, aut votum non emiſerint.

6 Sed, cum iam ſit à Sede Apoſtolica prohibitum, quod nec publicè, nec priuatè quiſquam defendat opinionẽ minùs piam de Virginis Conceptione, dubitabis, ad quid obliget votum, ſeu iuramẽtum defendendi Piam opinionem, ne illud iuramentum reddatur fruſtraneum? Reſpondeo, ad plura obligate; Primò ad id ipſum, quod ex Pontificio decreto eſt obligatorium, nempè ad non defendendũ opinionem minùs piam. Etenim honeſtũ, & meritorium eſt, obligare ſe quemuis voto, aut iuramento exequendi illud, ad quod aliàs ex præcepto tenetur, ita vt duplex inde reſultet ipſi obligatio, duplexq; vinculum, alterum ex præcepto, alterum voluntarium ex voto, vt tradunt omnes Expoſitores, & Summiſtæ *in tract de materia Voti, & Iuramenti.* Secundò, ſi decretum illud Pontificium (quod neutiquam continget) reuocaretur, ac liberum cuique maneret, defendere opinionẽ minùs piam, eo caſu tatione illius voti, aut iuramenti teneretur quis ad eam non defendendam, nec verbis, ne ſcripto, nec aliquo nutu, aut ſigno externo; Etenim adhuc in caſu non euẽturo reuocationis, per hanc non relaxaretur illud votum, ſeu iuramentum, ſed in ſua vi obligandi permaneret.

7 Tertiò, ſi caſus ſe offerat, quo quis interrogatus, quid de ea opinione ſentiat, ſua taciturnitate indicanda eſſet ſufficienter in eo contraria ſententia, tenetur defendere ſententiam piam, ſeu aſſerere, ſe eam ſequi: ad quod adſtrictus eſt, quoties ſuo ſilentio moraliter ſuadet, ſe contrariam opinionem tueri. Nam obligatio defendendi piam ſententiam eſt obligatio non defendendi contrariam vllo modo ſufficienti ad exprimendum patrocinium illius, ſiuè verbo, ſiuè ſcripto, vel etiam nutu, aut ſilentio Demum inſpiciendum eſt, quid in iuramento, aut voto promittatur, an ſcilicèt ſuperaddatur aliquid ſupra obligationem defendẽdi iuſmodi piam opinionem, vt inde conſtet,

ad

ad quid iurans aut vouens teneatur. Id obſeruandum eſt, quòd id iuramentum, aut votum non obſigat ad quærendum euentus, in quibus defendat quis piam opinionem; nec ad aliquam ſpecialem defenſionem verbo, aut ſcripto præſtandam, niſi in caſibus ſuprà libatis.

8 Vt autem veritas, quæ præfati iuramenti eſt comes, innoteſcat, decreui ferè tranſcribere breue quoddā opuſculū, quod Hiſpano ſermone edidi anno 1651. hoc titulo; *Memorial ajuſtado de los fundamentos incontraſtables, por la Immaculada Cō cepcion de la Virgen Maria Señora nueſtra: Treſpueſta à las razones de la opinion contraria, &c.* quod plauſu, & beneuolentia communi fuit exceptū, & à pluribus deſideratum, eo quod pauca è prælo prodierint exemplaria; vnde nunc plurimorum votis annuimus, dum iterum illud publicè damus, & aliqua poſtmodum exactè obſeruata addemus, indeque toti huic operi pergratum finem Marianæ laudes imponent.

EPILOGVS Fundamentorum, & rationum, quæ ſolidè, & efficaciter ſuadent Immaculatam Virginis Conceptionem, eiuſque proximam definibilitatem.

9 NON eſt animus, quæſtionem hanc ex profeſſo diſcutere, ſed quæ in Authoribus, & breuibus libellis ſparſa continentur, in epilogum redigere, vt quæ ibi non facilè comprehendi valēt, hic non difficilè reperiantur, ac docti, atq; indocti rem totam capiant, & veritatem, vt manifeſtam, ac certiſſimam amplexētur. Inde à diſputatione rationum metaphyſica abſtineo, & alia ſolida fundamenta propono.

10 De veritate huius piæ opinionis, de tituloq; Immaculatæ Conceptionis retinendo, nec non de proxima huius myſterij definibilitate, plurima, & varia opera, ac opuſcula in lucem prodierunt, quorum maximam partē ſedulus, & ſollicitus quæſiui, & euolui, vt firmiora fundamenta ex illis in hoc compendium redigerem. Plures item Conciones de hoc myſterio à varijs doctis Authoribus extāt prælo donatæ: Alij etiā Expoſitores in diuerſis Tractatibus hanc piam ſententiam diſcutiunt, & tuentur; quos vt in plurimū in hoc Appendice non referam, ne epilogus prolixus reddatur. Innumeros certè libros, ac libellos de hac materia tractantes in ſuo Muſæo congeſſit Eruditiſſimus Don Antonius de Leon Pinelo, Indici commercij Hiſpalenſis Senator.

§. I. *Supponitur quæſtio.*

11 PRIMVM humani generis Parentem Adamum è limo terræ formauerat Deus, & illicò, vt debitam ille Creatori obedientiam, atq; ſubiectionem exhiberet, præceptum ei impoſuit de non edendo fructu arboris ſcientiæ boni, & mali: *Geneſ. cap. 2. & 3.* In Adami voluntatem poſterorū omnium erant tranſfuſæ voluntates; par enim fuerat, vt cum capite omnia membra in eumdem conſenſum conuenirent. Trangreſſus fuit Adamus diuinum præceptum, fructu prohibito veſcens; deliquit grauiter: gratiam originalem amiſit; idq; peccatum ad omnes eius poſteros per ſeminalem propagationem ab ipſo deſcendentes eſt tranſfuſum, ita vt omnes in eo peccauerint, vtpotè qui in ipſum, vt caput, ſuas volūtates trāſfuſas hābuerint. Inde cuncti in peccato originali, quod in eos deriuatur, concipiuntur; quod quidem in illis actuale non eſt, cum proprium actualem conſenſum non præſtiterint, ſed originale per propagationem deriuatum; graue tamen, ita vt abſq; gratia sāctificāte cōcipiantur, & filij iræ, eorumque conceptio hac piaculi macula fœdetur.

12 Quæſtio igitur eſt, an Virgo Maria in hac originali culpa fuerit cōcepta? Sententia pia, quam tuendam ſuſcipimus, ſuadet, & perſuadet, ab ea culpa fuiſſe prorſus immunem, & primo ſuæ Conceptionis inſtanti nō fuiſſe filiam iræ, nec cum Deo inimicatam; ſed ſpeciali prouidentia, & præſeruatione diuina non contraxiſſe eam culpam, eiuſq; Conceptionē abſq; peccati macula extitiſſe, ita vt à primo inſtāti amica Deo per gratiā sāctificātē Maria fuerit. Longa diſputationis ſerie adſtruunt Theologi Decreta diuina, quæ prohabita sūt à Deo, vt Matrē à culpa originali præſeruaret. Id eſt ſcholaſticū, nec omniū idoneū captui; Supponēdūq; eſt, in ea Decretorū deſignatione nullā inuolui impli-

implicantiam; atq; re ipsa in Deo eiusmodi Decreta ab æterno esse, redditur manifestum uis ipsis rationibus, ac fundamentis, quibus conuincitur, Conceptionem Virginis fuisse à peccato originali penitùs immunem; ea enim ipsa suadent, in Deo extitisse necessaria, ac opportuna Decreta, vt Mater præseruaretur à culpa. Scholastica etiam est disputatio, vtrùm Maria, & si culpæ originariæ in sua Conceptione expers euaserit, contraxerit tamen debitum eius culpæ, in quam incidisset, si non præseruaretur? Ideò etiã ab hac quæstione, quam non facile cuncti percipient, abstinemus; Ea quippè dumtaxàt dabimus, quæ omnes primò intuitu capiant.

13 Demùm hisce temporibus inuestigatum est, quod sit obiectum Festiuitatis Conceptionis Deiparæ, quam celebrat Ecclesia, & doctissimi manu scripti tractatus à Præsulibus Ecclesiarũ, & ab alijs Sapientibus Magistris sunt elaborati, quibus valdè sententia pia roboratur. De quo libellum doctissimum edit in lucem P. Ioannes Eusebius Nieremberg; Et quia etiam rigore metaphysico res disceptatur, solummodò attingemus inferiùs, quæ clariora sunt, & ab omnibus absque hæsitatione intelligenda.

§. II. *Conceptio Immaculata Deiparæ suadetur fundamentis, quæ suggerit ratio à Fide instructa.*

14 POTVIT Deus MARIAM à culpa originali præseruare; nullus negabit, ne Dei minuat potentiam. Potuit: ergo præstitit. Id ad diuini Numinis honorem, & maiestatem spectabat; Concipiebatur in eius Matrem, ac omnino mundam, ipsum oportebat, habere genitricem. Quis, si eligere matrem valeret, eam non assumeret vndique puram, nec aliquo ex capite macula fœdatam? Filius probus honoribus, quos adhibere potest, cumulat parẽtes; Ergo Filius omnium Optimus huic debito officio deesset? Qui eam, quia Matrem cogitauit, ingentioribus prærogatiuis, ac excellentijs, quàm omnes alias creaturas, ornauit, ab omni actuali noxa liberans, cuncta dona, & scientias infundẽs, cumulationemque gratiam, quàm cæteris iustis, Angelis, & hominibus, simul sumptis, impertiens, neutiquam erat hanc denegaturus excellentiam, quod nullo instanti dæmoni, ac peccato fuisset subiecta, Maior quidem perfectio, & prærogatiua Virginis est culpa originaria caruisse, quàm priùs ea fuisse fœdatam, & deinde ab ipsa redemptam; Cur ergo hoc priuilegium possibile Deus ei inuideret, cum cætera elargiretur, & eam in suam Matrem eligeret?

15 Noluisset Deus à Matre nasci, quæ in dæmonis extitisset ancillatu, potens à Genitrice ortum habere, quæ vile mancipium ipsius dæmonis non fuisset nec per breue momentum. Estagiriũ Monachum Energumenum solabatur Diuus Ioannes Chrysostomus, (Ita Ioannes à Fonte *in allegat. pro Concep. fol. 17.*) asserens, fœdius, indignius, infœliciusq; esse, animam dæmoni per culpam originalem esse subiectam, quàm esse energumenum, seu à dæmone obsessum. Quis igitur ferat, Mariam in aliquo instanti fœdius, indigniùs, ac infœliciùs dæmonis fuisse domini mancipatam, quàm si esset Energumena, & à dæmone ipso correpta? Quæ dæmonis, seu Serpentis caput erat contritura, nunquam ab eo fuerat subiuganda. Nec iuxta Dei voluntatem Mater pararetur, cum ipse semper optauerit, mundissima esse omnia, quæ ad eius cultum spectant; Nihil autem Deum tam propè attigit, ac Maria, eius futura sedes, & thronus, ac eam in suis gestatura visceribus; certè æterni Patris filia, Mater Filij, & Sponsa Spiritus Sancti; quare maxima debebat puritate nitere; maior autem est puritas, maculæ esse originalis expertem, quàm eius næuum, fœditatemq; cõtraxisse. Vide Fr. Franciscum Tello *in serm. de Concep.*

16 Ab æterno Maria in Cœlorum Imperatricem, & Angelorum Reginam erat destinata; Imperatrices autem, & Reginæ legibus generalibus non obstringuntur, sed vi priuilegij liberantur; (plura Iura dabunt id statuentia Iurisprudentes) vnde Maria lege generali reatus originariæ culpæ non tenetur, sed ex priuilegio præseruatur. Et iniquè ferrent Angelici Spiritus, suam esse Reginam, quam in puritate per aliquod instans ipsi excessissent; & quæ mancipium fuisset diaboli, quem ipsi triumphassent, in eoque triumpho reperiretur inferior Deipara.

17 Quisquis animaduertat, suam

suam matrem in periculo versari, quòd capiatur ab hostibus, quamuis eam captã redimere postmodũ queat, parùm amans, & prudens ostenderetur, si à captura, cum posset, non liberaret. Hinc Deus suam Matrem, ne ab hoste dæmone caperetur, præuenit; id enim ardentiorem etga eam amorem propalauit, quàm si captam rediméret. Equidem Deus, qui MARIAM reddidit immunem à pœnis, quæ ab Adæ peccato originem trahunt, (videatur D. Augustinus *serm. de Assumpt.*) cuiusmodi sunt concupiscentia carnis; ad culpã propensio, peccandi periculum, partus cum dolore, & aliæ consimiles, certiùs ipsam à culpa illa immunem redderet, cum grauius sit malum culpa, quam pœna. Infœlicior est animæ corruptio, quàm corporis, (consule D. Cyprianum *lib. de Operib. Cardinal. Christi*) Deus ergo, qui Mariam à corporis corruptione præseruauit, quo pacto nec cogitari veleat, ab animæ non præseruasse corruptione fœdiori? Qui Matris honorem adeò curauit, vt voluerit fabri reputari filius, ne ei quidquam in existimatione communi derogaretur, non sollicitaret parem in Conceptione ipsius Matris honorem, cum adeò ei esset detrahendum, si dæmonis subijsset ancillatum, & supremi Numinis iram? Credat ne aliquis, Deum aliquando odio habuisse Mariam, quam Matrem elegerat? & æquè tulisse, animam eius turpiter maculari, cum tamen noluisset, maculari corpus, sed immaculata Virginitate exornari, vt canit Ecclesia; *Sancta, & Immaculata Virginitas!*

18 Magis eximium Dei donum fuit, Mariam in sui Matrem eligere, quàm eam ab originali peccato præseruare; cui ergo priuilegium maius donauit, quomodo nõ præstaret, quod est inferius? An MARIAM Deus in gratię donis inferiorem Angelis effotmaret, hos in gratia creando, illam in culpa? Nec, quæ secunda Eua, mater viuentiũ, reparatrix damnatiũ, quorũ prima Eua fuit occasio, excedi ab hac debebat in sua prima formatione excederetur autem, si fœdata eius fuisset Conceptio, cum Eua absq; næuo culpæ prodierit effotmata. Singularis fuit MARIA in omnibus prærogatiuis, nec similem esse cæteris, par esset, in miseria infœliciſsima peccati primæui. Obtinuit illa supremam dignitatem, atque adeò non infausta, sed fœlici erat sorte donata; fœliciusque est, non cadere, quàm assurgere; non ægrotare, quàm sanari; non esse ancillam vilem, quàm ab ancillatu liberari.

19 Priuilegium hoc puritatis Matri cõcedi, Deo multum intererat, cum facilè concedere posset; si quidem illam à dedecore reddebat immunem, & occasionẽ è medio tollebat, ne homines cogitarent, non honorauisse Genitricem, quantum valuerat, & in ipsum suspicarentur refundi aliquid ex ignominia, qua notaretur Mater. Quid? quòd MARIA futura erat apud Deũ humani generis aduocatrix, idque munus (testante D. Paulo ad *Hæbreos cap. 7. v. 26.*) annectitur sanctitati, quando exercetur cũ ea excellentia speciali, qua illud subit ipse Dei Vnigenitus Filius, cui vt similis Mater in aduocando cernitur, ita non dissimilis in culpæ originalis carentia designatur. Nonne plus indulgendum est Mariæ, quàm Ieremiæ Prophetæ, & Præcursori Baptistæ? non autẽ indulgetur, si in culpa cõcepta, in vtero per gratiam redditur Sanctificata; hoc enim priuilegio & illi fuere potiti, esto asseratur non tandiu Virginem in ipso vtero matris culpæ fuisse subiectam, ac fuerunt Ieremias, & Ioannes. Id enim exiguus foret excessus in priuilegio. Adeò à Deo distans in aliquo instanti constituatur Maria, ac peccatum distat à sanctitate infinita, cum tamen ita Deo ipsi assimilaretur, vt dixerit Diu. Dyonisius Areopagita de illa: Tanquam Deum venerarer, si Deum non esse, fides diuina doceret.

20 Caro Christi est caro Mariæ, nec esset assumpturum Verbum Diuinum carnem, quæ priùs per culpam fuisset denigrata, & fœdissimè deturpata. Maria quidem tota pulchra est, & macula nõ est in illa, idque non conuenit cum macula, & miseria peccati. Spiritus Sanctus eã sibi desponsauit, nec sponsam, nisi nobilẽ, ille adamasset; plurimum autem nobilitati Mariæ detraheretur, si dæmonis fuisset infame mancipium. Filius liber à peccato originali euasit; partus autem sequitur ventrem, (consule Iurisprudentes) vnde etiam debuit libera, & ingenua esse mater; ab ancilla enim filium liberum, & & ingenuum nasci, rationi non consonat; & quamuis pro humanis sufficiat, vt filius liber oriatur, matrem liberam esse tempore medio, vel cõceptionis, aut partus, plus Dei Matri est concedendum, cum eius filius cæteros omnes infinitè excedat.

21 MARIA, vt nomen præsefert, Domina est, & tanquam Domina à chirographo damnationis fuit libera, & prorsùs aliena. Charta fuit purissima, in qua nulla vnquam peccati littura apparuit; liber Dei, in quo eius Verbum, & Sapientia, Spiritus Sãcti calamo, fuit scripta; atque adeò vndique sine nævo. Speculum est MARIA, in quo suam faciem Deus intuetur; inde pulchrum omnino quis inficiabitur? Est quidem Dei forma, nec digna forma esset, quæ peccati fœditate aliquando inquinata extitisset. Omnes illa laudes promeretur, sed pro dignitate non extollitur, dum communibus encomijs illud non additur quòd fuerit Immaculatè concepta. Vide P. Ioannem Antonium Velazquez *tom. de Conceptione*, hęc, & alia argumenta plenè, eruditè, ingeniosè, & efficaciter concinnantem. Latum, & amœnum campum Scripturæ Sacræ loca, quæ à Sanctis, & Expositoribus Conceptioni Immaculatæ Deiparæ adaptantur, nobis nunc aperiebant; sed ab illis abstinemus, ne, cum solida fundamenta supersunt, aliquis arbitretur, concionatoria nos suppellectile vti.

22 Hanc veritatem Ecclesia sectatur, cum celebrat Virginis Conceptionem, nec Deus in sua Ecclesia fallaciã permitteret. Eam edocent Ecclesiæ Doctores, ac Sancti Patres, voxq; populi acclamat, quæ est vox Dei. Eam iurant defendere Ecclesiæ Matrices, Academiæ, Ordines Militares, Vrbes, Loca, Communitates, Congregationes, & Confraternitates. Eam approbant Pontifices, Concilia, & Sacræ Fidei Tribunalia. Eam confirmant Reuelationes, & miracula. Nec his omnibus potest inesse falsitas, & fallacia, quippè id diuinæ prouidentiæ derogaret; & deuenustaret MARIAM, elogijs fictitijs, & encomijs falsis laudari. Singula probemus, vt rem conuincamus.

§. III. *Immaculata Virginis Conceptio stabilitur celebritate, & approbatione Ecclesiæ vniuersalis.*

23 DIE octaua Decembris celebrat quotannis Conceptionem Deiparæ vniuersalis Ecclesia; & aliquæ Religiones Sacræ, nec non priuatæ personæ ex priuilegio omnibus anni Sabbathis Festo Duplici, aut Semiduplici nõ impeditis, excepto Aduentus, & Quadragesimæ tempore, Officium Diuinum Cõceptionis persoluunt. Ecclesia sanè Conceptionem absque peccato originali concelebrare intendit, atque adeò huic veritati authoritas Ecclesiæ patrocinatur. Quippè Ecclesia nihil non sanctum celebrat, vt Diuus Thomas docet *3. part. quæst. 27. art. 1.* Sanctum autem formaliter gratiam importat; ideòque Natiuitas S. Ioannis Baptistæ cultu Ecclesię donatur, quia in vtero matris sanctificatus, in suo ortu gratia fuit præditus; ergo Ecclesia celebrat Mariæ Conceptionem sanctam, cum originali gratia, sine originali culpa; & in Officio Ecclesiastico Conceptionis *in octauo Responsorio ad Matutinum*, accinit *Tuam Sanctam Conceptionem.*

24 Nec dici fas est, Ecclesiam celebrare Conceptionem spiritualem, seu Sanctificationem Deiparæ. Hæc enim propositio damnata est à Sixto IV. *in Extrauag. Graue nimis; & in Extrauag. Cum præexcelsa, de reliquijs, & venerat. Sãctor.* & à Gregorio XV. in Decreto edito die *23.* Maij, anno *1622.* Latè id probat P. Ionnes Antonius Velazquez, *tom. de Concept. lib. 4. dissertat. 3.* Nec asseri valet, non celebrari ab Ecclesia Mariæ Cõceptionem in primò instãti, sed in eo, quo fuit sanctificata. Etenim id esset, non celebrari Conceptionẽ, sed Sanctificationẽ, quod nefas est, dici. Deinde nec id esset, celebrari Conceptionem, seu infusionem, vel introductionem animæ in corpus, ea enim vnico instanti fit. Nec responderi potest, Ecclesiam celebrare Conceptionem, præscindendo ab eo, quòd in gratia, aut cum peccato euenerit. Quippè, vt ex D. Thoma præmissimus, Ecclesia non celebrat quidquam, nisi determinatè Sanctum; & id in præsenti exprimit, cum canit, *tuam Sanctam Conceptionem*; non ergo præscindit.

25 Præter Officium Diuinum vniuersali Ecclesiæ commune, quod in Festo Cõceptionis persoluitur, aliud extat compositum à Leandro Nogarolis, Protonotario Apostolico, cõfirmatum à Sixto IV. quo vtuntur sacra Religio Sancti Francisci, & aliquæ Almæ Ecclesiæ, indeque admissum, & approbatum habet in sui patrocinium authoritatem Ecclesiæ. In hoc autẽ Officio, in Inuitatorio ad Matutinũ, in versiculo, & in Oratione dicitur;

Im-

Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus, Chriſtum eius præſeruatorem adoremus Dominum. Immaculata Conceptio eſt hodie. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem. & ſæpè in ipſo repetitur, in Mariæ Conceptione nullam maculam, culpamvè originalem fuiſſe repertam, atque expreſſis, ac claris verbis id ingeminatur, vt nullus interpretationi, aut effugio locus ſupersit.

26 Eccleſia Romana ducentis ab hinc annis, & ampliùs, Officium Cõceptionis admiſit. Officium autem Leãdri Nogarolis approbatũ fuit anno 1476. Sed in pluribus Eccleſijs hoc Feſtum eſt multo ante celebratum. In vrbe Hyerioſolimitana, & in alijs Prouincijs, illud iã celebrari ann. 400. probat Oxeda *de Concep.* Anno autẽ 600. iam in Hiſpania coli, conſtat ex Miſſãlibus, & Breuiarijs antiquiſſimis, quæ reformauit D. Iſidorus, ex commiſſione Quarti Concilij Toletani, & approbarunt Pontifices Leo II. & Alexander II. Anno 1307. admiſit hanc Feſtiuitatem Anglia, vt Cardinalis Baronius affirmat. Anno 1636. eam iam celebrabat in Gallia Eccleſia Lugdunẽſis, vt cernere eſt in epiſtola D. Bernardi *ad Canonicos Lugdunenſes.* Anno 1342. celebrabatur hoc idem Feſtum in Britannia, & Vualdẽſis citat concionem, quam in ea ad populum habuit Archiepiſcopus Armacanus.

27 In Monaſterijs Ordinis Sancti Benedicti pluribus ab hinc ſæculis Feſtum Conceptionis Deiparæ colitur, vt conſtat ex Martyrologio Bedę, qui floruit anno 730. ibi enim extat Conceptionis Feſtum die octaua Decembris; quod Martyrologium induxerunt in Angliam primi Benedictini Monachi, quos ad illud Regnum Chriſto comparandum miſit D. Gregorius Magnus; ſic tradit Cardinalis Baronius *in prologo ad Romanum Martyrologium cap. 9.* Et quamuis ob eius Regni varietates huius Feſti memoria forſan fuerit abolita, illud reſtaurauit in omnibus ſuis Eccleſijs, & Monaſterijs D. Anſelmus, cum eſſet Cantuarienſis Epiſcopus, diuina cœlitùs reuelatione ipſi facta, & ſimul Elpino Abbati, eius coæuo; vt affirmãt Petrus de Natalibus Epiſcopus Equilinus *in memoriali Sanctor. lib. 1. cap. 42. & 52. & lib. 6. cap. 56.* Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum, die octaua Decembris.* Boſius *de ſignis Eccleſiæ cap. 9.*

28 Dia. Anſelmus *in epiſt. ad Angliæ Epiſcopus* quæ refertur *in appendice ad tomum 7. Chronicæ Ordinis S. Benedicti*, præcipit eis, vt quotannis celebrent Feſtum Conceptionis Deiparæ, refertq; reuelationem habitam ab Abbate Elpino; & Officium Canonicum ei deſignatum pro hac celebritate, nempè Officium Natiuitatis Mariæ, mutata voce *Natiuitatis* in vocem *Conceptionis*; Et poſt relata miracula inſignia in confirmationem huiuſmodi Feſti cœlitùs peracta, ita concludit; *Nos igitur, fratres dilectiſſimi, meritis, & interceſſionibus Beatæ Virginis indigentes, cum tota mentis deuotione ſimus ſolliciti, vt nullus noſtrum ita ſit rebus temporalibus occupatus, aut proprijs delictis deſperatus, quin Beatæ Virginis Mariæ Conceptionem pro poſſe ſuo celebret annuatim.* Hæc, & alia tradit Reuerendiſſimus Fr. Bernardus de Hontiberos Generalis Ordinis Sancti Benedicti per Hiſpaniam, & Angliam, *in approbatione Memorialis pro Conceptione*, quod ego in lucem edidi.

29 Eccleſia Græca pluribus etiam ab hinc ſæculis Conceptionẽ Deiparæ celebrauit, Officio peculiari ad hoc Feſtum compoſito, & ſimul Eccleſiaſticõ Canone, in quibus, verbis expreſſis, & manifeſtiſſimis ſæpiſſimè repetitur, Conceptionem Mariæ fuiſſe Immaculatam, & labis originariæ prorsùs expertem. Conſtat id ex Menæis Græcis die nona Decẽbris, in Feſto S. Annæ concipientis; & ex P. Simone Vuangnereckio affert id Officium, & Canonem, & alia plura huc cõcernẽtia P. Ioannes Antonius Velazquez *tom. de Concep lib. 4. diſſertat. 4. & 5.* Plurima etiam tradit ipſe P. Vuangnereckius in libello, *Pietas Mariana Græcorum.*

30 Authoritas ergo Eccleſiæ, quæ approbat, & patrocinatur, ſolemni cum celebritate, Conceptioni naturali Deiparæ abſque peccato originali, indubitabilem hanc reddit veritatem. Etenim Deus non permitteret in Eccleſia ingentem adeò fallaciam, niſi puritas Marians eſſet certiſſima; & cum ipſius prouidentia tota ſolliciteretur de ſua Eccleſia, cogitari nequit, eam prorsùs derelinquere, vt in hunc incideret errorem, ex quo magna poſſent detrimenta emanare, Fideliumque debita veneratio erga Eccleſiæ ſtatuta decreſcere, Hæreticiſque anſa præberi ad illa obiurganda. Deinde conſuetudo, & vſus Eccleſiæ eam authoritatem cuilibet veritati conciliat, vt præponderet authoritati cuiuſcũq; Patris,

& Doctoris Eccleſiæ, vt ſæpè tradit Diu. Thomas; Ita *2. 2. quæſt. 10. art. 12. & 3. p. quæſt. 68. art. 2.* Sic quippè ait; *Magis ſtandum eſt authoritati Eccleſiæ, quàm Hieronymi, & Auguſtini, & cuiuſcumq; Doctoris.* Vim autē authoritatis Eccleſiæ exponūt D. Auguſtinus *epiſt. 118.* & D. Iſidorus *lib. 1. de Eccleſiaſt. Officijs cap. 44.* Hac ratione motus Sacer Ordo Prædicatorum in ſuis Comitijs Hiſpalēſibus olim ſtabiliuit, & ſuis inſignibus Alumnis præcepit, ne defenderent opinionē minùs piam, eo quòd eſſet ſcandaloſa; & oppoſita conſuetudini Eccleſiæ, cuius authoritas præualet authoritati cuiuſlibet Doctoris, & ſacer ille Ordo, vt de Eccleſia ſemper optimè meritus, noluit, vt ab eius cōſuetudine quiſquam è ſuis deuiaret. Quid? quòd Patres, & Doctores Eccleſiæ, agmine facto, vt infrà conſtabit, opinioni Piæ ſuffragantur? Certè, quāuis alia efficaciſſima fundamēta, quibus eam ſtabiliemus, abeſſent, ſola authoritas Eccleſiæ ad eam firmandam ſufficeret.

§. IIII. *Deiparæ Immaculata Conceptio firmatur authoritate, & teſtimonijs Summorum Pontificum.*

31 INNOCENTIVS VII. quemdā Doctorem Theologum, nomine Ioannem Monteſonum, qui in concionibus ſuis aſſeruerat, MARIAM fuiſſe in peccato conceptam, inſtante contra illum Academia Pariſienſi, rigidè puniuit, &, vt palinodiam caneret, coercuit. Ita Hyppolitus Marachius *in ſuis Pontificibus Marianis, cap. 68.* & Robertus Gaguinus *in hiſtoria Francorum in Carolo VI.* Sixtus IV. expediuit pro Conceptione Immaculata prædictas extrauagātes *Grauenimis*, & *Præexcelſa*; approbauit Officiū Leandri Nogarolis, impugnanteſq; illud, ac ſentientes, Eccleſiam celebrare Feſtū Conceptionis ſpiritualis, aut Sanctificationis Deiparæ, damnauit, conceſſitq; celebrantibus hoc myſterium eaſdem indulgentias, quæ conceſſæ ſunt celebrantibus Feſtum Sanctiſſimi Sacramenti. Præterea Orationem ipſe compoſuit in laudem Virginis, & deuotè eam recitantibus vndecim millium annorum indulgentiam conceſſit; quæ Oratio ita incipit; *Aue Sanctiſſima MARIA Mater Dei, Regina Cœli, porta paradiſi, domina mundi. Tu es ſingularis Virgo puriſſima. Tu concepta ſine peccato originali, & ideò Immaculatiſſima, &c.* Eam Orationē affert præfatus Hypolitus Marachius *vbi ſuprà cap. 76.*

32 Innocentius VIII. aprobauit Religionem Monialium erectam in cultum Conceptionis Immaculatæ à Domina Beatrice de Sylua, Comitis de Portalegre Sorore *anno 1489.* quam confirmarunt Iulius II. & Leo X. Et *in cap. 3.* Regulæ eius Ordinis, quæ à præfatis Pontificibus eſt approbata, affirmatur, *Animā Virginis à primo inſtanti creationis fuiſſe ſanctam.* Et conſtans ſanè perſuaſio eſt, eam Religionem fuiſſe inſtitutam in venerationem Conceptionis *Immaculatæ*, ſicut & alias Congregationes, ac Confraternitates. Vnde ſatis myſterium hoc roboratur, cum ſancta adeò opera nō abſque diuina inſpiratione, & Spiritu Sancti aſſiſtētia executioni mandentur. Confirmauit idem Pontifex relatas Extrauagantes Sixti IV. Eas etiam grauiſſimis verbis confirmauit Alexander IV. quæ afferuntur à P. Ioanne Antonio Velazquez *tomo relato de MARIA Immaculatè concepta, lib. 4. diſſertat. 6. adonat. 1. num. 5.*

33 Iulius II. confirmans Regulas Monialium Conceptionis, has vocat *Genitricis Dei Immaculatam Conceptionem venerantes*, idque repetit, dum colorem habitus moribus adaptat, & hanc aſſignat Profeſſionis formulam; *Ergo Soror N. ob amorem, & ſeruitium Domini noſtri, & Immaculatæ Conceptionis eiuſdem Genitricis, voueo &c.* Addit inſuper, velle ideò, Religionem hanc Monialium ſubijci Sacro Ordini Minorum, quia hi indefendenda Conceptione Immaculata Virginis ſtrenuè ſemper militarunt.

34 Leo X. approbauit Officium Conceptionis Leandri Nogarolis, & indulſit, vt etiam tempore interdicti eo vtē tes per totam Octauam Conceptionis ſolemne Feſtum agerent, ſublato interdicto; vt ex duplici eius Bulla conſtat, allata, *in Armament. Seraphico in Regeſto à fol. 138.* Dedicauit ipſe Romæ templum Cōceptioni Deiparæ, quod reædificauit, priùſque vocabatur Eccleſia Sanctæ Mariæ Campi Sancti. Approbauit etiam hymnos, quos ad ipſius inſtantiā cōcinnauit in honorem Conceptionis Immaculatæ Zacharias Epiſcopus Gardiēſis; & plures indulgen-

dulgentias concessit Religioni Monialiũ Conceptionis Deiparæ.

35 Alexander V. ante Pontificatum dictus Petrus de Candia, docuit Virginem, absque labe peccati originalis fuisse conceptam, *in lib. 3. sentent. dist. 3.* & Pontifex creatus approbauit anno 1411. vt Festum Conceptionis celebraretur. Vrbanus IV, & Martinus V. confirmarunt concessionem indulgentiarum à Sixto IV. expeditam in fauorem celebrantiũ Festum Conceptionis. Adrianus VI. confirmauit Confraternitatem, quam in cultum Conceptionis erexit Eminentissimus Cardinalis Fr. Fraciscus Ximenez de Cisneros, & simul eius Constitutiones, in quibus sæpè ingeminatur, Deiparã fuisse præseruatam ab originaria noxa; indulsitque, vt ea Cõfraternitas posset institui in omni ditione Imperatoris Caroli V. qui nomen suum eiusmodi Confraternitati dedit, & rescripta expediuit pijssima omnibus Episcopis, & Ecclesijs, vt eam Confraternitatem promulgarent.

36 Clemens VII. confirmauit omnia Prædecessorum indulta erga Religionem Monialium Conceptionis, & approbauit huius Festiuitatis Officiũ, quod extabat in Breuiario dispositro à Cardinali Quiñones, & permansit vsq; ad reformationem Breuiarij à Pio V. peractã. Paulus III. Iulius III. Paulus IV. plura ex priuilegijs, & indultis iam libatis confirmatione sua roborarunt. Et insuper Paulus III. & Pius IV. Concilij Tridẽtini Decreta approbarunt; inter quæ illud extat infrà afferendum, quod Immaculatæ Cõceptioni summè fauet.

37 Pius V. è numquam satis laudata Prædicatorum Familia, Motu proprio, qui incipit, *Super speculam*, firmissimis verbis confirmauit, quidquid Sixtus IV. & Concilium Tridentinum decreuerãt in fauorem piæ opinionis; Et iniunxit, vt in Ecclesia Vniuersali ex præcepto Officium diuinum Conceptionis, quod vsq; ad id temporis fuerat celebratum ad libitum, persolueretur

38 Gregorius XIII. plura ex præfatis indultis confirmauit, & Bullas expediuit ad erectionem Monasteriorum Conceptionis, præcipuè in Indijs. Ipse anno 1597. in sua Bulla damnauit plures propositiones Michaelis Baij Theologi Louanienſis, inter quas hanc enumerat, quæ est 69. *Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut aliorum iustorum, fuerunt vltiones vel peccati actualis, vel originalis.* A Pontifice autem vtramque partem disiunctionis propositæ reprobari, satis euincit P. Salazar *c. 42. ad sæculum 12.* Sixtus V. concessit Iubilæum perpetuum visitantibus die Conceptionis Ecclesias Monialium in eius honorem militantium. Gregorius XIV. confirmauit relata priuilegia. Idẽ præstitit Clemẽs VIII. qui etiam approbauit libellum *Doctrinæ Christianæ* à Cardinali Bellarmino compositum, in quo, in expositione Salutationis Angelicæ, docet, Virginem absq; labe originali fuisse conceptam. Vbi obseruaueris, perindè fuisse, hunc, & alios Põtifices relatos approbasse doctrinam, Regulas, Decreta, & similia, in quibus hæc Pia opinio de Conceptione Immaculata continetur, ac ipsos fecisse suam eiusmodi opinionem, iuxta illud Iustiniani Imperatoris *in leg. 2. Cod. de veteri iure enucleando: Ea nostra facimus, quibus authoritatem nostrã impertimur.*

39 Paulus V. anno 1609. concessit sacro Ordini Minorum, vt omnibus Sabbathis non impeditis Officio Duplici, aut Semiduplici, singuli ex illo; & etiã in Choro, recitarent Officium Conceptionis. Et anno 1615. impertitus est centum dies Indulgentiæ dicentibus Antiphonam Officij Leandri Nogarolis cum Oratione *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem.* Anno autem 1616. expediuit Motum proprium, confirmans Extrauagantes Sixti IV.

40 Gregorius XV. die 24. Maij, anno 1622. præcepit, ne publicè in concionibus, lectionibus, conclusionibus, aut Actibus quibuscumque, nec priuatis in colloquijs, aut scriptis, quisquam assereret, Deiparam fuisse conceptam cum peccato originali, nec de hac opinione aliquo modo ageret, seu tractaret. Deindè mãdauit omnibus Ecclesiasticis sæcularibus, & Regularibus, vt Festum Conceptionis solemniter celebrarent, & in eius Officio vterentur non alio verbo, quàm *Conceptionis.*

41 Vrbanus VIII. ante Põtificatum Maphæus Barberinus, in Carmi nibus suis Italo sermone concinnatis, *strophe 2.* cecinit

----Fosti ab eterno eletta,
Esenza machia original concetta.

Postmodùm Pontifex creatus anno 1625. ha-

inſtituit Militarem Religionem ſub aduocatione Conceptionis MARIÆ; Cuius habitum benedictum tranſmiſit Sereniſſimæ Iſabellæ Reginę Hiſpaniarum, eique habitui conceſſit omnes indulgentias Sãcti Caroli Borromæi, & Canonizationis quinque Sanctorum, ac conceſſas ad inſtãtiam Comitis de Monterrey, & pleniſſimam Indulgentiam in mortis articulo; Ita Hypolitus Marrachius *in Põtificibus Marianis ſub Vrbano VIII.* Exemplar autem diplomatis, quod, cum miſit eum habitum noſtræ Reginæ Pontifex, reſcripſit, non fuit omittendum; Eſt autem huiuſmodi;

CHARISSIMÆ in Chriſto Filiæ noſtræ Iſabellæ Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ. Vrbanus Papa VIII.

Chariſſima in Chriſto noſtra, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Qua pietate Imperatrici Angelorum Maieſtas tua regalis Imperij faſces ſubmittat, iamdiu famæ tibi plaudentis vox teſtatur; nuper autem nobilis Viri Ducis de Alcala declarauit oratio. Cum autem cupias tuam erga Immaculatam Deiparam illuſtri aliquo aocumento religionem ſignificari, mittimus Maieſtati tuæ munitum Apoſtolica benedictione habitum militiæ Chriſtianæ, quæ ab eiuſdem Virginis Conceptione petit ſacrum Equeſtris familiæ nomen, & auſpicium. Scis, quod inſigne Catholica Regina cõdis in corde, idem in Regali pectore geſtabis. Videmus, quàm fœlix poſſit in Auſtriacis Regnis incrementum noua hæc Militia, cuius voto, & inſtituta ſaluberrimos triumphos quærunt Chriſtianitatis. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, die 20. Septembris, 1625. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

42 Idem Vrbanus VIII. primum lapidem ad ædificationem Eccleſiæ dicatæ Immaculatæ Deiparæ Conceptioni, Fratrum Capuccinorũ Romæ ſuis manibus iecit; & nummiſma pro re nata cudi præcepit, quod in vna facie Pontificis vultum referebat, cum epigraphe, *Vrbanus VIII. Pontifex Maximus*, in altera verò tẽplum cum inſcriptione, *Eccleſiæ B. Virginis Conceptioni primo iacto lapide 1626.* Refert id Hyppolitus Marracius *in Pontificibus Marianis, c. 95.*

43 Et vt hoc fundamentũ perficiamus, audiendus eſt Antiſtes Vincentius Iuſtinianus ex illuſtri Prædicatorum Familia, *in lib. de Concept. conſiderat. 1* cuius verba Hiſpana in ſermonem latinũ conuerſa ab Authore Armamentarij, hæc ſunt. *Prima conſideratio eſt, omnes Summos Pontifices, qui poſt Sixtum IV. Eccleſiam gubernarunt (Pio Tertio, & Marcello Secundo, & Vrbano Septimo exceptis, qui, cum menſem integrum in Pontificatu non expleuerint, piũ affectum ſuum oſtendere non potuerunt) magnis affecerint honoribus, & multis præſecti ſint gratijs eos, qui ſentiunt, Dominam noſtrã conceptam fuiſſe ſine peccato originali. Et ex aduerſo nec vnus Pontifex reperietur, qui vel in re minima oppoſitum opinantibus fauerit;* Qui plura de Põtificibus velit, adeat præfatum Hypolitum Marracium; P. Granado *in tract. de Concept. diſp. 3. cap. 9.* P. Salazar *vbi ſuprà*, Guerrero *concordant. 21. fol. 257.* Soſa *in tract. de Concept. fol. 13.* Monumenta Minorum *tract. 2. fol. 74. in prima editione.* Priuilegia Minorum *verbo, Conceptio.* P. Ioannem Antonium Velazquez *vbi ſuprà, diſſertat. 6.*

44 Quo pacto iam de ſententia pia dubitetur, quam tot Summi Põtifices priuilegijs, gratijs, ac Bullis approbauerint; cum Spiritus Sanctus, ne decipiantur in grauibus adeò materijs, ſpecialiter aſſiſtat? Vnica Bulla vnius Pontificis communiter ſufficit, vt alia dubia dirimãtur; &, cum tot ſuis Decretis, & Bullis concurrant Pontifices in veritatem opinionis piæ fulciendam, & approbandam; adhuc erit, qui hæſitet?

§. V. *Virginis Conceptio Immaculata roboratur teſtimonijs, ac authoritate Conciliorum; & ſpecialiter pro ea expenditur Tridentinum?*

45 AFFIRMAT Doctor Mexia de la Cerda *in orat. de Concep. fol. 7.* Apoſtolos cõgregaſſe Concilĩũ, iuxta id, quod D. Theſiphõ ſcribit, & in eo definiſſe; *Illa Virgo, illa MARIA, illa Sancta, præſeruata fuit ab originali peccato, & ab omni culpa immunis. Et qui aliter ſenſerit, ſalutẽ æternam non conſequetur.* Epiſcopus F. Franciſcus de Soſa *de Concept. fol. 9.* validis rationibus ſuadet, propoſitionem hãc Concilij proferte, nequaquam eſſe, opinioni cõtrariæ cenſuram infligere, cum nihil aliud fiat, quàm referre id, quod alij ſcribunt, & non affirmetur, illud Concilĩũ eſſe ab Eccleſia approbatum, eamque aſſertionem de fide. Deſumpta autem fuere ea verba

ex

ex libello Arabicè conscripto, sub titulo *de domo gloriæ, & de domo tormenti*, inuento in monte sancto propè Granatam, qui liber Ecclesiastica authoritate non fulcitur.

46 Concilium Basilienſe cõgregatum fuisse anno 431. absque authoritate Pontificis Eugenij IV. qui tunc Ecclesiæ præerat, aliqui affirmant; alij verò, & si congregatum fuerit authoritate Pontificia, attamen ostendunt, Patres in eo cõgregatos à Pontifice se iam disiunxisse, cũ definitionem statim referandam stabilierunt; Attamẽ cum ibi adstiterint tot Prælati, & Patres, ait Lezana *de Concept. capit. 13. Et si non Fidei authoritatem, maximam tamen reuerentiam meretur.* Et quàm inuiscerata tunc esset Fidelium cordibus persuasio de immunitate Conceptionis Deiparæ, & communis eius sæculi consensus in hanc veritatem, inferunt ex verbis referendis, Seuerinus *in suis notis*; Palacios *in 3. sentent. dist. 3. disp. 1.* Cardinalis Bellarminus *de Scriptorib. Ecclesiastic. in Ænea Syluio.*

47 Verba eius Concilij sunt, *Hactenùs difficilis quæstio in diuersis partibus super Conceptione ipsius glorioſæ Virginis Mariæ Matris Dei, & exordio sanctificationis eius facta est. Et nos diligenter inspectis authoritatibus, & rationibus, quæ iam à pluribus annis ex parte vtriusque doctrinæ allegatæ sunt, alijsque etiam plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis, doctrinam illam differentem, gloriosam Virginẽ Mariam, præueniente, & operante diuini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subiacuisse peccato originali, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa sanctam, & immaculatam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, approbãdam fore, & tenendam, & amplectendam, diffinimus, & declaramus; nullique de cætero licitum esse, in contrarium prædicare, seu docere; renouantes præteréà institutionem de celebranda eius sanctæ Conceptione, quæ sexto Idus Decembris antiqua, & laudabili consuetudine celebratur.* Hactenùs Basilienſe Concilium.

48 Concilium Oxonienſe celebratum in Anglia anno 1200. præcepit, celebrari, & obseruari Festum Conceptionis Deiparæ; vt refert Don Ferdinandus de Ojeda *in Relectione de Conceptione, cap. 12.*

49 Concilium Cantuarienſe citatum à Bacon *in quodlib. 3. quæst. 13.* & celebratum in Anglia anno 1328. clarissimè fauet Immaculatæ Cõceptioni Deiparæ, illis verbis; *Maiorem gratiam apud Deum, qui eius Conceptionem prædestinatam ad Vnigeniti sui temporalem originem veraciter ordinauit, &c.*

50 In eiusdem originariæ puritatis Deiparæ commendationem, affert Lezana Synodum tertiam Ephesinã; Synodum sextam Generalem, Constanti nopoli celebratam; & Synodum septimã, Nizeæ congregatam; necnon quoddam Concilium in Gallia habitum. In his omnibus vocatur Immaculata Maria; eamque vocem *Immaculatam* referri ad eius Conceptionem, constat tum ex contextu, & sensu; tũ quia in Cõcilio præfato Ephesino, in margine apponitur; *Nota, de puritate Conceptionis Beatæ Mariæ.* Latè expendit P. Ioannes Antonius Velazquez *tom. de Maria Immaculatè concepta, dissertat. 3.* Sextæ Synodi Generalis verba, *actione 8. 11. 12. & 18.* pro Conceptione Immaculata Virginis.

51 Concilium Tridentinum, cum ex verbis D. Pauli *ad Roman. c. 5.* definitionẽ desumpsisset, qua statuit, homines omnes in Adamo peccasse, *sess. 5. de peccato originali*, addit; *Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariã, Dei genitricem, sed obseruandas esse Constitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ Quarti sub pœnis in eius Constitutionibus, quas innouat* Concilium Tridentinum noluit cõprehendere Mariam in lege generali à D. Paulo conclamata; Et adhuc erit, qui velit, eam in hac lege comprehendi? Et, cum excipitur à lege soluendi culpæ tributum, intendat quisquam, vt soluat? Sed expendamus Tridentinum.

52 Concilium definiuit, omnes in Adamo peccasse, non tamen ideò comprehendere Mariam; ergo D. Paulus, cum asseruit, omnes in Adamo pecasse, nequaquam intendit Mariam includere. Attende vim consequentiæ. Idem Spiritus Sanctus, qui Apostolum Paulum edocuit, vt stabiliret, omnes peccasse in Adamo, direxit, & adstitit Concilio Tridentino, vt id definiret; igitur declaratio, qua limitat Concilium veritatem, quam definit, aptãda est Diuo Paulo ad id, quod statuit; vnde, cum Concilium edoceat, non comprehendere Mariam in ea veritate ab ipso definita, sequitur etiam, nec Paulum comprehẽdisse Mariam in ea veritate à se promul-

mulgata, ſiquidem D. Paulus, & Tridentinum Concilium eodem Spiritu Sancto edocente, ac gubernante, de peccato originali loquuntur.

53 Firmatur idipſum. Tridentinum ex verbis Pauli edoctũ, ac motum, definiuit, omnes homines peccaſſe in Adamo; ſi autem Paulus in ſuis verbis includiſſet Mariam, non rectè Tridentinum his ipſis verbis ſtatuiſſet ſuam veritatem non includens Mariam. Nec videtur, dici poſſe, Spiritum Sanctum, qui Tridentino Cõcilio ea verba Pauli miniſtrauit, vt peccatum originale, quod homines in Adamo contraxerunt, definiret, non ſimul luce ſua illud illuſtraſſe, vt perfectè ea intelligeret; Nec ſanè idem Spiritus Sanctus permiſiſſet, anathemate damnari à Tridẽtino (innouatis Extrauagãtibus Sixti Quarti) eos, qui aſſererent, Eccleſiam non celebrare Conceptionem naturalem Deiparæ, ſed ſolùm ſpiritualem, ſeu eius Sanctificationem. Ac profectò, dum Tridentinũ declarauit, ſua in definitione de peccato originali nolle comprehẽdere Mariam, id nõ ideò ſic aſſeruit, quia dubitabat de eius originali puritate, ſed quia luce cęleſti illuſtratum eius Conceptionis munditiem agnouit.

54 Conſtat ex his, Concilia Opinioni piæ de Immaculata Conceptione ferre ſuppetias; &, quamuis eam dogmaticè non definierint, attamen ſuis approbationibus, ac teſtimonijs validum ei robur ſupperaddere, præcipuè Tridentinum.

§. VI. *Immaculata Conceptio MARIÆ Virginis probatur communi ſuffragio Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum?*

55 IN ſententiam piam de Conceptione Immaculata Deiparæ defendendam conſpirant Eccleſiæ Patres, ac Doctores. Aliqua ex illis teſtimonia depromam, cum omnia nequeant in medium adduci, huius epilogi breuitati conſulendo. S. Ioannes Damaſcenus *orat. 1. de Natiuit. Virgin.* ait; *Natura gratiæ fœtum anteuertere auſa non eſt, verum tantiſper expectauit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet.* Et inferiùs. *O beatos Ioachim lumbos, in quibus immaculatum ſemen effluxit! O præclarã Annæ vuluam, in qua tantis incrementis formatus fuit ſanctiſſimus fœtus! O Sanctiſſima, quæ principatus, & poteſtates ſeſellit, immaculata conſeruata in Dei ſponſam.*

56 S. Ildephonſus, relatus à Soſa, loquens de Virgine, ait; *Nec originale peccatum iam in vtero ſanctificata naſcendo contraxit.* Nec ſignificatur his verbis, Mariam poſt ſanctificationem à peccato originali liberam remanſiſſe; id enim certo certius eſt in quolibet infante, ſeu homine poſt gratiam ſanctificantem, vel in vtero, vel extra vterum infuſam ipſi; quare D. Ildephonſus non erat in elogium ſingulare Virginis id allaturus, quod de Baptiſta, & Ieremia potuit aſſerere, ſed ſignificatur, abſolutè non contraxiſſe Virginem originale peccatum. Et, vt dubiũ omne amoueatur circa ſenſum D. Ildephonſi, ipſe *in lib. de Virginitate Mariæ, qui extat in tom. 8. Bibliothecæ Patrum*, expendens celebritatem Cõceptionis ab Eccleſia peractam, ait; *Sed quia tam ſolemniter colitur, conſtat ex authoritate Eccleſiæ, quòd nullis, quando nata eſt, ſubiacuit delictis, neque contraxit in vtero peccatum originale.* Quo argumento nos vti ſumus *ſupra §. 3.*

57 S. Ambroſius, à quo deſumuntur verba ſequentia, & in Officio Leandri Nogaralis apponuntur, loquẽs de Maria, inquit; *Hæc eſt virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit.*

58 S. Auguſtinus exponens de Virgine verba illa *Geneſis cap. 3. 15. Ipſa conteret caput tuum*, aſſerit; *ſubiectio originalis peccati caput eſt diaboli*; Ergò, ſi Maria contriuit dæmonis caput, & hoc eſt originale peccatum, ſanè contriuit, & calcauit peccatum iſtud. Prætereà *libr. de natur. & gratia cap. 36.* ait; *Excepta ſancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullã prorsùs, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Indè enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem conſtat, nullum habuiſſe peccatum.* Demùm *ſerm. de Natiu. Virgin.* fatur; *Magnifica illum, ò Virgo Beatiſſima, qui te ab omni peccato ſuper omnes homines præſeruauit.*

59 S. Cyrillus Alexandrinus *ſuper Ioannem*, hæc habet; *Omnes homines, excepto illo, qui de Virgine natus eſt, & ſanctiſſima eius Virgine, ex qua Deus homo prodijt in mundum, excepta, cum peccato originali naſcimur.*

S. Gre-

60 S. Gregorius Nazianzenus *in epiſt. ad Nemeſium*, ſcribit; *Beata Virgo, vtpotè templum Dei, ab Spiritu Sancto eſt coagmentata. & ſancta ſtructa*; Quæ verba ſignificant primam formationem, & Conceptionem Deiparæ.

61 S. Bernardus *ſerm. 4. ſuper Salue Regina*, ait; *Innocens fuit ab originalibus, & actualibus peccatis. Nemo ita præter te.* Alia ſimilia pluribus in locis habet; Et inferiùs oſtēdemus, nec S. Bernardum, nec alios Eccleſiæ Patres ſtare pro opinione minùs pia.

63 S. Bonauentura *ſerm. 2.* ita ratiocinatur; *Dico primò, quòd Domina noſtra fuit plena gratia præuenente in ſua ſanctificatione: gratia ſcilicèt præſeruatiua contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxiſſet ex corruptione naturæ, niſi ſpeciali gratia præuenta, præſeruataque fuiſſet. Solus enim filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipſa Mater eius Virgo.*

64 S. Anſelmus *homil. ſuper Math. in die Conceptionis*, enuntiat; *O quanta eſt dies illa, qua noſtræ Reparatricis anima digna creatur, & ſacratur, & ſanctificata corpori vnitur! Non eſt verus amator Virginis, qui reſpuit colere diem Conceptionis. Erubeſcant iterùm inſani, qui hunc diem colere nolunt.* Præterea *in Offic. Nog. cap. 4.* aſſerit; *Paulus dixit, omnes in Adam peccaſſe. Vera vtique ſententia. Sed, cum eminentiam in te, Maria, conſidero, ſicut te non intra, ſed ſupra omnia contueor, ita & te non lege aliorum in tua Conceptione fuiſſe deuinctam, opinor.*

65 S. Antoninus de Florentia allatus à P. Pinto Ramirez *tom. de Conception.* expendens repetitum Seraphinorū trifagion inquit; *Seraphim obſtupeſcentes cantū mutarunt dicentes; Sancta, Sancta, Sancta Virgo Maria. Sancta in Conceptione; Sancta in Natiuitate; Sancta in toto vitæ decurſu.*

66 S. Vincentius Ferrer *ſerm. de Conceptione*, ait; *Quando enim corpus gloriosæ Virginis fuit organizatum, & lineatum, & anima coniuncta corpori per creationem, tunc Altiſſimus ſanctificauit tabernaculum ſuum.* Et *ſerm. 2. de Natiuit.* inquit, dum lucis creationem exponit; *Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quia ſine tenebris culpæ facta eſt.* Ac inferiùs; *Non creditis, quòd fuerit, ſicut in nobis, qui in peccatis concipimur, ſed ſtatim, poſtquam corpus fuit formatum, & anima creata, tunc fuit ſanctificata.* Alia teſtimonia S. Vincentij Ferrer, & S. Antonini de Florentia affert Marcus Antonius de Palau *in libello Hiſpano, qui inſcribitur, Defenſa Dominicana, pag. 24. & 27.* In quo libello ſolum contendit defendere illuſtrem Dominicanam familiam à communi ſenſu, quem ipſe vocat impoſturam, nempè quòd non ſtet pro Opinione pia; & ſuadere conatur ex plurimis capitibus, neutiquam id ita euenire, nec veraciter poſſe affirmari.

67 Ciſtercienſis *tom. 2. Mar. magn. lib. 13. cap. 12.* expendit, Lucam Euāgeliſtā in generatione Ioſephi Sponſi Virginis præfigere in initio Adamum, & in fine non ſubiungere Mariam; & præterea in eadem generatione Euangeliſtam Matthæum ſubnectere in fine Mariam, & initio non præponere Adamum; Ac ita loquitur; *Perpendite eumdem ſpiritum ſuggerentem Euangeliſtis diuina myſteria. Si enim, cum Lucas exprimit Adam, oblitus eſt Mariam; è contra verò Euangeliſta Matthæus; Ergo dormiebat Adam, ne communi lube communem Matrem viuentium coinquinaret.*

68 S. Dominicus, & S. Thomas ſtant pro Opinione pia Immaculatæ Conceptionis, vt ex ipſorum teſtimonijs inferiùs adducendis conſtabit. Doctor Mexia *in Orat. pro Concept. fol. 7.* affert pro hac eadem opinione S. Hieronymum, S. Chryſoſtomum, S. Iſidorum, & Clithoueum. Epiſcopus Soſa *de Concept. fol. 7.* profert teſtimonia S. Fulgentij eam comprobātia. Plurima alia loca Sanctorum Patrum id ipſum ſuadentia afferuntur à P. Caniſio, Suarez, Vazquez, Valentia, Granado, Pineda, Salazar, Perſines, Pinto Ramirez, & ab Authore Armamentarij Virginis. Nos verò nūc aliqua ex Græcis Patribus ſubijciemus, deducta ex antiquiſſimis Eccleſiæ Græcæ Menæis, quæ ad vſum ipſius Eccleſiæ confecit S. Sabbas ante mille & ducētos annos, & poſtmodùm auxerunt Sophronius Patriarcha, & S. Ioannes Damaſcenus, atque è Græco in Latinum ſermonē tranſtulit P. Simon Vuangnerckius in editione Veneta, demumque, cum non adhuc præ manibus haberentur, ea in lucem protulit P. Velazquez *tom. de Maria Immaculatè concepta, lib. 4. diſſertat. 5.* A qua aliqua deſumemus, cætera apud ipſum videātur.

69 S. Sabbas *in Menæis Græcis die 3. Ianuarij, ode 9. de ſancta Syncletica*, ſic Deiparæ gratulatur; *In te primi parentis ſubſtitit lapſus, vltrà pergendi facultate ſublata.* Ibidem *die 3. Ianuarij, ode 3. de S. Malachia*, Virginem alloquitur; *In te, quæ nulli vnquam culpæ affinis fuiſti, ſpem omnem meā re-*

repono. Ibidem *ode 3. de S. Gerdio*; *Nemo, vt ta Domina, inculpatus est æquè, nec, præter te, intaminatus quisquam, ô næuo nulli subiecta!* Similia repetit pluribus locis.

70 S. Ioſephus Confeſſor, *in eiſdem Menæis die 20, ode 9.* inquit; *Tu næuorum expers ò Domina, Regis omnium thronus effecta es.* Ibidem *die 2. Ianuarij ode 5.* ait; *Salue ò cadentis mundi erectrix, nulli vnquam culpæ ſubiecta.* Ibidem *die 13. Iulij, ode 5.* fatur; *Te perquàm ſuppliciter oro, quæ ſola maculam in te omnem ignoras.* Hæc, & plura huiuſmodi habet S. Ioſephus Archiepiſcopus Teſſalonicenſis.

71 S. Theophanes Epiſcopus Nicænus *in eiſdem Menæis, die 23. Februarij, ode 4. de S. Policarpo*, de Virgine loquitur; *O à cunctis ſordibus incontaminata, & ſuper omnes inculpatos inculpatiſſima Domina!* Plura alia teſtimonia id ipſum roborantia affert P. Velazquez *vbi ſuprà*, ex D. Ioanne Damaſceno, ex S. Stephano Sabaita, ex Andrea Cretenſi, ex Philothæo Patriarcha Conſtantinopolitano, & ex alijs. Conſtat igitur, Doctores, & Patres Eccleſiæ Latinę, & Græcę pro Immaculata Deiparæ Conceptione ſuum ferre ſuffragium.

§. VII. *Conceptio Immaculata Virginis firmatur traditione, & antiquitate, ac approbatione Tribunalium Sanctæ Fidei.*

72 ALIQVA Apoſtolorum teſtimonia pro Immaculata Deiparę Conceptione circumferuntur, quibus non maiorem authoritatem ineſſe intendo, quàm eſt ea, qua fulciuntur ab Authoribus illa referentibus. Doctor Mexia dela Cerda *de Concept. fol. 6.* affert ſequentia ex quatuor Apoſtolis, & ea defendit Epiſcopus Soſa *à fol. 11.* Igitur S. Andreas Apoſtolus; *Quando totum humanum genus damnatum fuerat, totum perierat, totum priuatum fuerat hæreditate; Tu ſola à communi omnium damnatione præſeruata fuiſti.* Sanctus Matthæus Apoſtolus, & Euangeliſta; *O MARIA Immaculata, ſcirpus es nodo carens, multiplicabuntur feſtiuitates tuæ, augebuntur feſta tua.* S. Thomas Apoſtolus; *Et Adæ peccato præuiſo, nō fuiſti cum alijs omnibus condemnata.* S. Matthias Apoſtolus; *In peccato concepta non fuit: omni gratia, & omni ſcientia fuit impleta, neque vllum donum creaturæ conueniens fuit illi denegatum.*

73 Epiſcopus Soſa *vbi ſuprà* affert aliud teſtimonium S. Andreæ Apoſtoli pro Immaculata Conceptione, illudque expendit P. Velazquez *de Maria Immaculatè concepta lib. 4. diſſertat. 1. à n. 3.* oſtendens authoritatem, qua roboratur, ex pluribus Authoribus.

74 In Bibliotheca Regia Sancti Laurentij in Eſcoriali aſſeruatur liber manuſcriptus, qui inſcribitur; *Apocalipſis noua B. Amadæo Authore.* Ibi *raptu 8.* Sanctus Andreas Apoſtolus introducitur ab Angelo Gabriele ſic alloquens Deiparam; *Tu ſola ab vniuerſali damnatione præſeruata fuiſti; nō tu mortua in Adam fuiſti, vnica es: vnica immaculata receſſiſti à quocunque peccato. Recedere tam longè nemo poteſt.* Et inferiùs; *Tibi, & Filio nos commendatos fore velis, vt, quæ ſine peccato ſemper fuiſti, nos, & poſteros peccatores tua charitate complecti digneris.* Ex hoc libro deſumpta ſunt verba S. Andreæ Apoſtoli, & aliorum, quos nuper adduximus *num. 72.*

72 A tempore igitur Apoſtolorum, ipſis præcipientibus, feſtum Cōceptionis fuiſſe celebratum, ex pluribus conſtat monimentis. S. Iacobus Maior tēplum Cæſarauguſtæ ędificauit, quod in honorem Conceptionis Immaculatæ fuiſſe extructum, teſtatur in primis Marcus Maximus Archiepiſcopus Cæſarauguſtanus, qui floruit, regnante in Hiſpania Siſebuto, & laudatur à S. Braulio *in Epitaphio eiuſdem*, & à S. Iſidoro *de Viris Illuſtribus, c. 46.* apponitur in Catalogo Virorum illuſtrium; Sic ergo ait; *Hæc iam Iacobo Apoſtolo-Et ſuo conſanguineo-Ædem iubet conficere-cunctis manente ſæculis-Oſtendit ille ſe hilarem-ſuoque natalitio-Conceptionis aureæ-tēplo manent encomia.-Conceptionis hinc diē-Iacobus Hiſpanos docet,-Et prædicat, ſeu cæteri-ab omni labe liberam.-Hinc mos habet principium hunc celebrandi iugiter-Populus Iberis diem,-qui durat vſque hodie.* Videantur Murillo *in lib. Fundationis Eccleſiæ del Pilar, c. 14.* Soſa *de Concep. fol. 12.*

76 Inſuper idipſum, & quòd feſtum Conceptionis Immaculatę à tempore Apoſtolorum, & ex eorum traditione, fuerit celebratum, tradit Luitprandus *in Chronico, anno 676. num. 131. pag. 359.* aſſerens; *Beatiſſima ſedes de columna in vrbe Cæſarauguſtana, quæ conſtructa eſt iuſſu Virginis à B. Iacobo, cum in Hiſpania prædicauit,*

anno

anno 37. à Natiuitate Domini, & consecrata eiusdem Immaculatæ Conceptioni (quam omnes Apostoli prædicauerunt vbique) hoc tempore celeberrima, multorum peregrinorum contubernio visitatur.

77 Firmat hanc traditionem Iulianus Toletanus Scriptor, qui floruit anno 1037. tempore Alphonsi *VI.* Castellę Regis, *in Chronico Luitprandi edito in lucem Parisijs anno 1618. numer. 697.* vbi loquens de Bernardo Archiepiscopo Toletano, inquit; *Erat Beatæ Virginis deuotissimus, qui faciebat celebrare Festum eiusdem Dominæ cum magna deuotione, & fecit celebrare deuotius Festum Immaculatæ Conceptionis eius, quod prædicauit in Hispania Sanctus Iacobus, & incepit ab Apostolis in Concilio decementibus.* Et in *Aduersarijs, numer. 395.* apponit; *Traditio ab Apostolis in Concilium congregatis, Beatam Virginem MARIAM originali peccato incontactam esse.*

78 Venerabilis Beda in *suo Martyrologio die 8. Decembris*, asserit; *MARIÆ Conceptionem ex Apostolica traditione celebrari.*

79 Flauius Dexter in *omnimoda historia, in fragment. anno 300.* ait; *A Sancti Iacobi prædicatione celebratur in Hispania Festum Immaculatæ, & Illibatæ Conceptionis Dei Genitricis MARIÆ.* Videatur eruditus Franciscus de Bibar Cistercienſis *in notis ad eumdem Flauiũ Dextrum.*

80 Præterea ex Lithurgia Diui Iacobi Minoris, & ex alia Sãcti Marci Euangelistæ, qua vtebantur Æthiopes, afferuntur plura testimonia, ex quibus cõstat, ex eo tempore, & ex ordinatione ipsorum Apostolorum celebrari Festum Cõceptionis Immaculatæ. Videantur Marcus Antonius Palau *in Defensione Dominicana, fol. 5.* Pater Velazquez *de MARIA Immaculatè concepta, lib. 4. dissertat. 1. adnot. 2.* Addit Fabricius Boderianus *in proem. translat. Syriac.* discipulos Sancti Marci Euangelistæ, Syros, & Alexandrinos celebrasse Festum Conceptionis Deiparæ die 8. Decembris. Insuper Palau *loco relato*, affirmat, in libris repertis in monte Sancto Granatæ die *19* Martij, anno *1595.* in explicatione verborum, *Aue gratia plena. Lucæ cap. 1. 28.* id extare; *Nequaquam Angelus Virgini diceret, Aue gratia plena, si in originali peccato concepta fuisset.*

81 Gilbertus Genebrardus ex Lithurgia, quã in Euchologio Græcorum adinuenit, hæc affert verba; *Qui consecuti sumus gaudium in tuo Conceptu, ò planè Immaculata! Salutamus te cum Angelo clamantes, &c.* Ecce vbique à sæculis primæuis Festum Conceptionis celebrabatur. Et quidem consuetudinem illud celebrandi in Ecclesijs Hierusalem, Syrię, Ægypti, & Armeniæ ab Apostolis originẽ traxisse, docent, & probant Matthæus Vuestmus *in Chronico, anno 1228.* Iodocus Coccius *lib. 3. art. 6.* Stephanus Raguſinus *lib. 1* Petrus Oxeda *in Fundamento pro Immaculata Conceptione à cap. 2.* & alij suprà allati, & adhuc afferendi.

82 Continua temporum serie Festum Conceptionis in Hispania fuit celebri cultu donatũ. Paulus Orosius, qui obijt Carthagine, in Bætica Prouincia, anno 471. asserit; *Corũ Deo noui, & in veritate cõperi, quòd nulla mulier in partu periclitatur, supra quã deotè MARIÆ gratia imploratur, & dies Conceptionis eius celebratur.* Anno *611.* in quo ex cõmissione Concilij Toletani Quarti Diuus Isidorus reformauit Breuiarium, ac Missale, nuncupatũ *Mozarabe*, iam in his continebatur Officium Conceptionis die 8. Decembris, atq; Missę Præfatio habebat hæc verba; *Dignum, & iustum est, Omnipotens Pater, tibi in honorem Conceptionis Virginis MARIÆ, &c.* Anno *674.* solemnissimum erat in Hispania Festum Conceptionis, indeque Virginem non subiacuisse peccato originali, intulit S. Ildephonsus, cuius verba retulimus *suprà num. 56.* In pluribus etiam antiquissimis Breuiarijs Festum Conceptionis reperitur, vt videre est in his, quę asseruantur in Almis Ecclesijs Hispalensi, Valentina, Cordubensi, Segouiensi, Ouetensi, Euorensi, ac alijs.

83 Id obseruatione est dignũ, quòd anno *1088.* Vrbanus II. præcepit, in Hispania Officium Ecclesiasticum Romanum recitari, relicto Breuiario *Mozarabe*, quo Hispani vtebantur; & quod approbauerant Ioannes X. anno *918.* & Alexander II. anno *1064.* in eoque, vt asserui, continebatur Officium Conceptionis. Ægrè ferebant Hispani, suum Missale, & Breuiariũ è medio tolli, &, vt constaret, nihil reprehensibile in eis contineri, ad experimentũ ignis, celebre eis temporibus, confugerũt. Itaque in ignem coniecta sunt Missale Romanum, & simul *Mozarabe*; illęsumque perstitit Romanum; & etiam ab igne forãs exilijt Missale *Mozarabe* intactum; indeque per aliqua tempora vtrumque

Miſſale viguit, donec Hiſpania Romanum communi cõſenſu amplexa eſt; ſed adhuc in nõnullis Almis Eccleſijs Capellæ ſunt deſtinatæ ad Officium Eccleſiaſticũ Mozarabe perſoluendum; &, cum adeò antiqua ſint Miſſalia, quæ in eis extant, reperietur Officium Conceptionis in ipſis.

84 Antiquitas etiam venerationis, qua fideles ſemper Immaculatã Conceptionem coluerunt, ſatis colligitur ex vetuſtiſſimis Imaginibus hoc myſteriũ repræſentantibus; vt cernere eſt in Eccleſia Cæſarauguſtana *del Pilar* in peruetuſto quodam Altari; Et in illuſtri Cœnobio S. Iacobi de Vcles; Ac in Alma Maioricenſi Eccleſia antiquiſſima, Templi frons mira ſtructura elaborata à ſummo vſq; deorsũ Deiparam Immaculatè conceptam egregijs ſymbolis adũbrat, & pulcherrimis titulis exornat, cũ ea inſcriptione; *Tota pulchra es Maria, & macula non eſt in te*; Templum ipſum Immaculatæ Conceptioni dicatum eſt, & quotannis eius Feſtum cum Octaua peragitur; ac quotidie, finitis Veſperis, concinitur in Choro Antiphona Cõceptionis, cũ ea Oratione, *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem.* &c. Nec ſolùm in Hiſpania floruit ab exordio Eccleſiæ Cõceptionis Immaculatæ celebritas, ſed vbique. Ad latus mõtis Carmeli in honorem illius Templum fuiſſe extructũ, tradit Tritemius *c. 7. de laud. Carmeli*; Et in omnibus Regnis feſtum fuiſſe celebratum in Conceptionis cultum, cõſtat ex aſſertis ſuperiùs.

85 De prædictis omnibus, præter relatos Authores, conſulantur Murillo *lib. fundationis Eccleſiæ del Pilar*; Mauricius Villaprobata *in Coron. Martyr. ſerm. 16.* Buſtos *de Concept. ſerm. 8.* P. Mariana *in Hiſtoria Hiſpaniæ, lib. 7. cap. vlt. & libr. 9. c. 5.* Ambroſius de Morales *lib. 15. cap. 47.* Baronius *anno 918.* Archiepiſcopus D. Rodericus *lib. 6. cap. 26.* P. Ioannes Antonius Velazquez *vbi ſuprà, lib. 4. diſſertat. 4. adnotat. 3. num. 8.* Vnde conſtat, veritatem Conceptionis Immaculatæ muniri, ac firmari validiſſimè celebritate incepta ab exordio naſcentis Eccleſiæ, & eius continuata ſolemnitate, necnon antiquitate, & traditione. Quare rectè probat Immaculatam Conceptionem ex poſſeſſione D. Frãcilcus de la Cueua *in Informatione pro puriſſima Mariæ Conceptione iuxta Iuris diuini, & humani leges facta.* Cur ego Maria deturbetur à poſſeſſione puritatis originariæ, quam pacificè à primis Eccleſiæ ſęculis obtinuit?

86 Iam verò ingens ſtabilitas Opinioni piæ accedit à fauore, quo eam ſunt proſecuta ſacræ Fidei Tribunalia; cum enim hæc ſint arces Fidei Catholicæ, quæ eam defendunt acerrimè, ne impugnetur, nec expugnetur, eximiam præſtant authoritatem veritatibus, quas amplectuntur, fouent, & ab aduerſarijs tuentur. In Indice Expurgatorio, qui prodijt anno 1612. iuſſu eminentiſſimi Cardinalis D. Bernardi de Rojas, & Sandoual, Supremi, ac Generalis Fidei Quæſitoris, in Expurgatione Iuris Canonici, & Extrauagantium *pag. 138.* præcipitur; *Deleatur nota*, delenda autem propoſitio eſt impugnatio quædam Immaculatæ Conceptionis.

86 Anno *1615.* adhuc ante prohibitionem editam à Gregorio XV. cum Hiſpali fuiſſent prælo mandatæ Aſſertiones, in quibus continebatur, Deiparam fuiſſe labi originariæ obnoxiam, ipſe Cardinalis D. Bernardus de Rojas, & ſimul Illuſtriſſimus Don Antonius Gaetanus Pontificis in Hiſpania Nuntius, eas prohibuerunt, facultate negata, ne vnquam defenderentur. Sub idem tempus aliæ conſimiles Aſſertiones Barcinone editæ, munus Proregis ibi obeunte Excellentiſſimo Duce de Alburquerque, etiam prohibitæ fuerunt. Vterque caſus refertur *in libello oblato Regi Philippo III. pro legatione ad SS. Dominum noſtrum Pontificem mittenda.*

88 Anno *1617.* die 31. Auguſti, in Decreto, quod incipit; *In Generali Cõgregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis*, Inquiſitio Generalis Romana, poſt diſceptatam hanc quęſtionem coram Paulo V. præcepit, Opinionem minùs piã numquam publicè defendi, nec in Concionibus doceri, ac innouauit cenſuras inflictas à Sixto IV. & Pio V. Videatur Guerrero *concord. 21. fol. 277.*

89 Sanctum Fidei Tribunal Luſitaniæ approbauit, quod docet Ægidius de Præſentatione *lib. 3. de præſeruat. quæſt. 6.* nempè Conceptionem Immaculatam Deiparæ eſſe Canonizatam, vt Sanctam, abſque præcepto. Videatus Marcus Antonius Palau *in Defenſione Dominicana, fol. 73.* Imò, cum ante Decreta Pontificia inhibẽtia, ne opinio minus pia aliqua cenſura notetur, Vir quidam doctus eam erroneam, & ſcãdaloſam eſſe cenſuiſſet, ac affirmaſſet, ad Fidei Tribunal delatus, cuaſi incolumis.

90 Cæterùm Virginem Mariam

riam non ſolùm non contraxiſſe peccatũ originale, ſed nec debitũ illius (quod multò eſt amplius) iam olim, referente P. Salazar *in defenſione pro Immaculata Conceptione, cap. 10. num. 7.* publicè defenſandum, fuit propoſitum, & ad Supremum Fidei Tribunal delatũ; ſed tamen defenſio eius aſſerti libera à delatione prodijt, in eius probabilitatem tota Academia Complutenſi conſpirante.

91 Eadem propoſitio defenſata fuit Toleti à Patribus Sacri Ordinis Sancti Franciſci, cum tamen priùs fuiſſet delata ad Fidei Supremum Senatum, qui, Præſide Eminentiſſimo Cardinali Dõ Bernardo de Roxas & Sandoual, præcepit, vt abſque vllo impedimento liceret, eam tueri, edicto dato die 22. Ianuarij, anno *1616.* Referũt id P. Granado, & P. Velazquez *vbi ſuprà, lib. 3. diſſertat. 3. adnotat. 3. num. 2.*

92 Rursùs anno *1649.* P. Fr. Franciſcus de Caſtelui è Sacra, ac Regia Familia B. Mariæ de Mercede Aſſertiones Theologicas edidit, in Academia Salmantina propugnandas, in quibus aſſerebat, myſterium Immaculatæ Cõceptionis eſſe proximè definibile; & itẽ Deiparã non ſolùm fuiſſe conceptam in gratia, ſed etiam in gloria. Aliqui has impedire Aſſertiones enixè intenderunt, verùm fruſtrà; nam Academia Salmantina ſui muneris eſſe iudicauit, immunitati, ac ſplẽdori Virginis fauere, & Senatu Academico plaudente, Aſſertiones fuerunt à docto, & pio pugili propugnatæ. Ipſe deinde in Academia Valliſoletana eaſdem Aſſertiones defendendas promulgauit, &, cum ad Sacrũ Fidei Tribunal fuiſſent delatæ, ab eo pronuntiatum fuit, vt abſque obſtaculo publicè propugnarentur.

94 Deinde Vallis Oleti Aſſertiones aliæ editę ſunt publicè defendẽdæ à F. Antonio Bohordo ſub præſidio doctiſſimi Magiſtri F. Ioannis de Villamar, Ordinis S. Frãciſci, in quibus aſſerebatur, Immaculatam Deiparæ Conceptionẽ eſſe proximè definibilem, ſeu vltimò diſpoſitam ad definitionem; & Deiparam non contraxiſſe debitũ peccati originalis, eiuſque Cõceptionem fuiſſe in maiori gratia, quàm inuenitur in cæteris omnibus Beatis, etiam collectiuè ſumptis, indèq; inferri, eamdem Conceptionem etiam fuiſſe in gloria. Hæ aſſertiones ad Supremũ Fidei Tribunal fuerũt delatæ; at illud ſanciuit, vt publicè defenderentur integræ, & illæſæ, quin iota vnum, aut apex amoueretur. Ecce iam opinionis piæ, ſemper victricis (vt decurſu conſtabit) aliquos triumphos, necnon fauorem, & approbationem, quibus eam Sacræ Fidei Tribunalia proſequuntur.

§. VIII. *Deiparæ Immaculata Conceptio roboratur Reuelationibus, & Miraculis?*

94 FAVSTINVS Epiſcopus Paduenſis anno *1400.* cum aliquas quæſtiones *in Tertia parte S. Thomæ* legeret, cenſuit, Præceptorem Angelicum docuiſſe Opinionem minùs piam; Mirabatur id vehementer Antiſtes, cũ ecce ipſi D. Thomas apparuit, ac dixit; *Scias Domine Epiſcope, quòd, quando talem opinionem poſui, ſolã habui reſpectum ad diuinum ſtatutum, quo Beata Virgo pecatum originale contrahere debuerat, niſi per Filium ſuum fuiſſet præſeruata; ſed Dei Filius Matrem ſuam ab originali macula reſeruauit.* Hanc Reuelationem Epiſcopus aperuit ſuo Vicario Nicolao de Padua, & iuſſit ibi cò in ſua dioeceſi celebrari Feſtum Conceptionis ritu ſolemni. Ita tradunt Buſtos *p. 1 ſer. 7.* Guerrero del Eſpinar *concord. 15. §. 4.* Ioan. Tamayo de Salazar *in opere S. Epitacij pag. 259.* Ioann. à Fonte *in allegation. pro Concep. fol. 16.* & alij graues Authores ab eiſdem allati.

95 Ante Virginis Mariæ Conceptum, & ortum, futuram eius Conceptionẽ abſque peccati originalis macula, fuiſſe reuelatum Eliæ Prophetæ, dum nubeculam paruã vidit quaſi veſtigium hominis, affirmãt Ioannes Hyeroſolim. *de inſtit. Monachor. c. 22.* Ioſephus Antioch. *de militia Eccleſiaſt. c. 12.* Gilbertus Gerablaten. *in Chronic. Hyeroſolom.* Palinidor. *lib. de Eremitorijs Carmeli;* & Propugnaculum breue Conceptionis ab Authore Carmelita Excalceato, nomine nõ appoſito, in lucem editum.

96 Tempore Bonifacij VIII. refert Buſtos *ſerm. de Concept.* Moniali cuidã piæ in extaſi permanenti Deiparã apparuiſſe, ac dixiſſe; *Scias filia, quòd meæ Immaculatæ Conceptioni, & Sanctificationi interfuerunt tria millia Cherubim canentium, & dicentiũ, Mater Domini eſt Maria, & Tabernaculum Trinitatis. Certa eſto de eo, quod dixi tibi, & prædica, hoc eſſe verum ſub iuramento.* Affert id etiam Guerrero *concord. 15.*

97 S. Anſelmus *in epiſt. ad Epiſcopos Angliæ* refert, nauigante in Angliam Elpino Abbate, oborta tempeſtate, nauem penè ſubmergi, & inter vndas ſpectabilem Virum ei apparuiſſe Pontificijs ornatum veſtibus, qui ei iniunxit, vt promitteret celebrare quotannis Feſtum Cõceptionis die 8. Decembris, & publicè hortari, vt celebraretur, perſoluto Officio Eccleſiaſtico Natiuitatis Deiparæ, & mutata voce *Natiuitatis* in vocem *Conceptionis*; ac ſic tempeſtatem illam eſſe ſedãdam. Promiſit Abbas: ceſſauit tempeſtas, & ille adimpleuit promiſſum. Iam autem ſuperiùs ſtabiliuimus, Conceptionem, niſi foret ſancta, & Immaculata, ab Eccleſia non fuiſſe celebrandam.

98 Idem D. Anſelmus in alia epiſtola refert, Deiparam pio ipſius alumno apparuiſſe, & inter alia protuliſſe hæc verba; *Et, ſi Conceptionis meæ Feſtum annuatim ſexto Idus Decembris ſolemniter celebraueris, & celebrandum prædicaueris, mecũ in Regno Filij mei laureatus eris.* Hic, cui hæc fœlix contigit apparitio, poſtmodùm fuit Patriarcha, & Epiſcopus Aquileiæ, & præcepit, vt Feſtum Cõceptionis cum Octaua perageretur.

99 Idem D. Anſelmus refert ibidẽ, Deiparam liberaſſe Canonicũ ſibi affectum de poteſtate dæmonum, cui iam erat traditus in adulterij vindictam, &, cum eum liberaret, iniunxiſſe; *Precor te iterùm, de cætero Feſtum Conceptionis meæ deuotè celebres annuatim ſexto Idus Decembris, & vbique celebrandum prædices.*

100 Syluanus Pazzi *in Actis B. Oringæ*, quæ alio nomine vocatur *Chriſtiana*, & obijt in Hetruria anno 1310. refert, eam vidiſſe Deiparam alba veſte præniteritem, Feſtum ſolemne in eius honorem Sanctis omnibus celebrantibus, ac Chriſtum D. ſic illam fuiſſe allocutum; *Miraris, Chriſtiana, honorem, qui ab Angelis hodie Matri meæ glorioſæ exhibetur, &, qua induta eſt, veſtem; ſed ſcito, hodie agi in cœlo celebritatem Immaculatæ Conceptionis eius, quæ me deinde concepit, ac peperit verum Deũ, ac hominem, &c.* Pergit Author; *Propter hanc viſionem voluit Chriſtiana, Monaſterio, quod deinde erexit, nomen eſſe* S. Mariæ nouellæ, *ſtatuitque, vt in eodem, ſalua Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſummique Pontificis authoritate, & reuerentia, quotannis ſacræ Conceptionis ſolemnitas celebraretur.*

101 Deipara ipſa, vt conſtat *ex lib. 6. Reuelationum, cap. 55.* Sãctam Brigittam ſic allocuta eſt; *Hora, in qua ego concepta fui, benè poteſt vocari aurea hora, & pretioſa, quia alij coniuges conueniunt ex voluptate carnali, mei verò parentes conuenerunt ex obedientia, & præcepto Dei; Benè ergo aurea hora fuit Conceptio mea, nam tũc incepit principium ſalutis omnium, & tenebræ, quaſi feſtinabant in lucem; Deus nãque ſingulare quoddam, & à ſæculo abſconditum facere voluit in opere ſuo, quemadmodum fecit in virga arida floreſcente.* Et inferiùs. *Scito, quòd Conceptio mea non omnibus nota fuit; quia voluit Deus, quòd, ſicut ante legem ſcriptam præceſſit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & poſteà veniret lex ſcripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus, ſic placuit Deo, quòd amici ſui pièdubitarẽt de Cõceptione mea, vt quilibet oſtẽderet zelum ſuum, donec veritas clareſceret in tempore præordinato.*

102 *Et lib. 6. c. 49.* ipſa Deipara ſic fatur; *Veritas eſt, quòd ego concepta fui ſine peccato originali; quia, ſicut Filius meus, & ego nunquam peccauimus, ita nullum cõingiũ fuit, quod honeſtius eſſet, quàm illud, de quo proceſſi.* Et inferiùs *Facto autem corpore meo, Deus à diuinitate ſua animam creatam immiſit corpori, & mox anima cum corpore ſanctificata eſt, quam Angeli cuſtodiebant die, ac nocte. Cum autem anima ſanctificaretur, & corpori coniũgeretur, tãta matri meæ aduenit lætitia, vt impoſſibile eſſet dictu.*

103 Quantum autem ſit deferẽdum his S. Brigittæ Reuelationibus ob inſignem earum authoritatem, conſtat in primis, quia Eccleſia in communi probat Reuelationes illius, cum in Officio Eccleſiaſtico in Oratione proferat; *Domine Deus noſter, qui B. Brigittæ per Filium tuum vnigenitum ſecreta cœleſtia reuelaſti, ipſius pia interceſſione da nobis famulis tuis in Reuelatione ſempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes*; Deinde eas Reuelationes cõmendant Ludouic. Bloſius *in Monili aureo*; Turrecrem. *in prologo libri eiuſdem Reuelationum*; P. Caniſius *lib. 1. de B. Virgin. c. 7.* Nicol. Sander. *de viſibili Monarchia, lib. 6.* Michael de Medin. *de recta in Deum fide, lib. 2.* Cordoua *lib. 2. qq. q. 44.* Vincentius Iuſtinian. *de Immaculata Virginis Concep. §. 9.* Vuadingus *ſect. 3.* Melchior Zetina *in exhortatione ad Mariæ deuotionem, c. 5.* Galatinus *lib. 7. c. 8.*

104 Præterea hæ Reuelationes S. Brigittæ habent pro ſe ſuffragium Summorum Pontificum Gregorij XI, Bonifacij IX. Martini V. & Vrbani VI. Et quidẽ Gregorius XI. anno 1377. eas examinandas commiſit tribus Sapientiſſimis Eccleſiæ

Romanæ Cardinalibus,& quatuor Theologis eruditis,quorum iudicium fuit ; *Totum, quod in eis continetur,& veritate conſpicuum eſſe,& ſanctitate plenum,perlucidum, atque perfectum.* Vrbanus VI. anno 1478. poſt examen factum à quinque Cardinalibus, ac ſeptem Theologis, & Iuriſperitis,declarauit; *Authenticas,& veritate plenas,& à Dei Spiritu veraciter traditas, & ad vtilitatem legentium,& audientium : pro ſaluberrimo fidelium dogmate in Dei Eccleſia in perpetuum cum deuotione, & reuerentia ſtudioſiùs obſeruandas eſſe.* Idem examen fieri iuſſit Bonifacius IX. & poſt illud ipſas Reuelationes approbauit. Inter eos autē, qui eas examinarunt,& approbarunt, fuere Magiſtri Sacri Palatij,ex illuſtri Prædicatorum Ordine.

105 Hinc has Reuelationes Sanctæ Brigittæ,prætet Authores traditos nuper *num. 103.* maximi faciūt,& laudant Ambroſius Catharinus *opuſc. 2. de Cōception.* Ægidius de Præſentatione *lib. 3. quæſt. 6. art. 4. §. 2.* Nauarrus *tom. 2. capit. 3.* P. Suarez *tom. 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 3. §. Tertiò augetur.* P. Salmeron *tom. 13. diſput. 52. in epiſt. ad Roman.* P. Ferdinandus de Salazar *de Concept. cap. 42. ad finem ſæculi 14.* P. Perlines *diſp. 10. c. 8.* P. Granado, & alij plures apud Armamentarium Virginis *in Regeſto fol. 40.*

106 In ipſo Armamentario afferuntur aliæ triginta duæ Reuelationes pro Immaculata Deiparæ Conceptione ex probatis Authoribus deductæ. Et ſanè fides nequit negari tot,tantiſque viris , cū teſtimonia eiuſmodi ſint iudiciorum humanorum potiſſima inſtrumenta,& hiſtoria ab antiquis tradita ſit vitæ magiſtra, prudentiæ ſubſidium,& lux veritatis,vt aiebat Canus *de locis , libr. 11. capit. 4. concluſ. 2.* Ecce ſatis Reuelationibus firmatā Conceptionem Virginis abſq; originaria noxa.

107 Ad Miracula deuenia-mus, quæ inſignia ſunt veritatis ſtabilimēta; cum enim ea ſint vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum ſupernaturalia, ſanè nequit aſſeri,Deū approbare, aut confirmare operibus ſupernaturalibus mendacium,falſitatem, aut fictionem. Volumen ferè conficiendum foret, ſi omnia miracula,quæ à varijs Authoribus in confirmationem Immaculatæ Conceptionis afferuntur, coniungere , eſſet in animo; quare breuitati conſulendo aliqua ſeligemus.

108 In Vrbe Toloſa in Gallia concionem quidam ad populū habuit, in qua contra puritatem Mariæ originalē fuit allocutus. Ea peracta , celebraturus Miſſam acceſſit ad Altare S. Michaelis, in quo Imago erat Deiparæ marmorea; Ad eam reſpexit Cōcionator; illa verò caput ad latus flexit,eum aſpicere dedignata, & ſic adhuc permanet. Amiſit illicò viſum ipſe,& promittens pallinodiam recātare,cū recuperauit. Hinc rectè Doctor Ioannes Americus in concione habita ad Concilium Tridentinum aſſeruit , plures Concionatores ob ſimile contra Immaculatā Conceptionē prolatum ſermonem grauibus faiſſe morbis vexatos,imò & extremū diem obiiſſe. Referunt hæc omnia Cattagena *tom. 2. lib. 1. hom. 19.* Pelbartus *in Stellario lib. 3. p. 2. art. 3.* Propugnaculum breue Conceptionis,& alij.

109 Pontifex Innocentius VIII. confirmauit Ordinem Monialium Immaculatæ Conceptionis, & confirmatio hæc à Deo reuelata fuit Dominæ Beatrici de Sylua eiuſdem Ordinis Fundatrici. Bullæ cæterùm Confirmationis in arcula incluſæ in mari amiſſæ fuerunt ; ipſa verò Beatrix in quadam ſui Toletani Monaſterij area inuenit Bullas,& ignara,quid continerent,eas oſtendit Fratri Garciæ de Quixada, Guadixenſi poſteà Epiſcopo, qui legēs illas, miratus eſt miraculū, cū eſſent illę ipſę,quæ in mari amiſſæ fuerāt, indeque miraculo promulgato , Alma Eccleſia Toletana, & Vrbis Senatus Monaſterium adierunt,& ſolemniter illud fuit celebratū. Id referunt Petrus de Salazar *libi 8. Chronicæ Caſtellæ;* Potreño *lib. de Concept.* Marcus Antonius Palau *in Defenſione Dominicana, fol. 79.*

110 Fr. Ioannes de Viterbo Italus Opinionem piam impugnabat; &, cum ægrotaſſet, ac in vltimum vitæ diſcrimen incidiſſet , meminit, Alexandrum de Ales nolentem celebrare Feſtum Conceptionis morbo fuiſſe vexatū , ac deindè ab eo liberatum, dum voueret illud celebri cultu donare,& Deiparæ Imaginē reſpiciens aſſeruit; *O Beata Virgo Maria , ſi verum eſt, quòd ſine peccati macula concepta fuiſti, rogo, mihi ſanitatem donare digneris in ſignum veſtræ puritatis. Et ego voueo, & promitto, toto tempore vitæ meæ celebrare Feſtum Conceptionis, & prædicare, & annuntiare populis innocentiam veſtrā, & retractare, quidquid aliàs in contrarium prædicaui.* Illicò ſanitatem recepit,& ob euidens miraculum

cymbalis pulsatis, ipse statim librũ pro defensione Immaculatæ Cõceptionis scripsit. Sic refert id Guerrero *concord. 17.*

111 Apud eumdem Authorem illud etiam mirabile extat. Franciscus de Coris, eques Mediolanensis, lenta febri, quæ à Medicis etyca nuncupatur, ægrotabat, cum à Religioso quodam inuisitur; De Cõceptione Immaculata sermo processit, defendebat illam piè ægrotus, impugnabat alius; Tunc ille exclamauit; *Rogo Deum, vt faciat iudicium inter me, & vos.* Statim ipse liberatus fuit febri, & Religiosus eam in suo corpore sensit, pluribusque diebus valdè vexatus ægrotauit.

112 Magister quidam Parisiensis se ad concionandum aduersus Immaculatam Conceptionem parabat, & ecce ei Deipara apparuit inquiens; *O Magister, quid ego vnquam tibi feci, quia hoc mane vis contra meum honorem prædicare?* Pœnituit statim sui animi Magistrum, & Deipara Archangelo Gabrieli, qui simul cum alijs cœlestibus Spiritibus eam comitabatur, fata est; *Vade, & doce hunc sermonẽ, quem mane faciet Vniuersitati Parisiensi;* Archangelus autem Magistro dixit; *Aperi os tuum, & implebo illud;* Ille verò ingentem dulcedinem sensit in ore, & vehemens in corde desiderium concionandi de Immaculata Conceptione, & ita præstitit. Refert id Fr. Franciscus de Mayrones *in serm. de Concept.*

113 Fr. Bernardinus de Bustos *in serm. de Concept.* enarrat, Mantuæ Theologum quemdam voluisse sententiã minùs piam in publicis assertionibus defendere; & ita incepisse; *Probo vobis istam veram conclusionem, quòd Beatissima Virgo MARIA concepta fuit sine peccato originali.* Mirati sunt adstantes propositionem, quæ cõtradictoria erat illius, quam defendere ipse intendebat; Notauit ipse, quod proposuerat, & asseruit; *Nunc emendabo, quod dixi;* Conatus fuit bis se ipsum corrigere, attamen frustrà, quia eamdem præfatam propositionem enuntiauit.

114 Ingrediebatur ad Parisiensem Academiam subtilis Scotus propugnaturus Immaculatam Conceptionẽ, & humiliter veneratus Imaginem Deiparæ, quę pro fotibus Academiæ est affixa, sic cum ea fuit allocutus; *Dignare, me laudare te, Virgo sacrata;* Ipsaque Imago caput ei suauissimè inclinauit; manifestante Virgine, quàm grata ei esset defensio, quã Scotus susceperat. Id refert Lezana *in Apologetic. c. 15.*

115 Magister Fr. Basilius Põce de Leon, in Academiã Salmantina primariæ Theologiæ Cathedræ antecessor, sequẽs testimonium protulit idiomate Hispano, ac tradidit Fratri Antonio del Castillo sacri Ordinis Minorum, quod hodie extat; *Vi vna informacion autorizada, sacada del original, y legalizado el Notario, que la sacò, con otros tres Notarios, en la qual testigos de vista deponian, que vn Canonigo murio en Manresa, que es en el Reyno de Cataluña, que hablaua contra la Concepcion de nuestra Señora, y le dieron de puñaladas, y quatro horas despues de muerto se leuantò en la cama, y dijo, que auia estado en el Purgatorio, y que nuestra Señora le libro del infierno; y que boluia à la vida, à dezir, que la verdad era, q̃ nuestra Señora fue concebida sin pecado original. Y como tambien dijo, que el moriria dentro de nueue horas, como murió. Y que la informacion es de mas de ciento y treinta años. Firmolo en Salamanca. Nouiembre 8. de 1616.* Quod testimonium in Latinum sermonẽ translatũ sic se habet. * Vidi informationem quãdam authenticam, ex primo exẽplari desumptam, subscribente Notario, eoque alijs tribus Notarijs legali formula approbato; in qua oculares testes deponebãt, Canonicum quemdam extremum vitæ diem obijsse Manresæ in Regno Catalauniæ, qui aduersus Immaculatã Deiparæ Conceptionem obloqui fuerat solitus; Hic vulneribus violentè fuit occisus, & quatuor transactis post cædem horis in lecto, in quo iacebat, surrexit, & adstantibus dixit, se in Purgatorio fuisse detentũ, ac ab æternis pœnis à Deipara fuisse liberatum, ad vitamque redire, vt enuntiaret, veritatem tenendam esse, quòd Virgo fuerit absque peccato originali concepta. Et simul prædixit, post nouem horas, se fore è viuis decessurum, quod & accidit. Informatio autem super hoc euentu facta supra centum & triginta annos antiquitatis retinebat. Ita subscribo. Salmanticæ, Nouembris die 8. anno 1616. Fr. Basilius Ponce de Leon.*

116 Quæ maior opinioni piæ confirmatio, quàm ex miraculis prædictis, & innumeris alijs ob breuitatem omissis, potest excogitari? Nam, si ea negentur, historiarum, & Authorũ fidei detrahitur, & pariter poterunt omnes historiæ negari. Si verò ea admittantur, nullum de pia opinione dubium, aut scrupulus subsistet.

§. IX.

§. IX. Immaculata Conceptio Virginis firma redditur voce populi, iuramento Communitatum, & Academiarum, ac Authorum consensu.

117 NEMO inficias ibit, vocem populi esse pro Immaculata Conceptione, & quidem non populi ignari, sed Academiarum, Autistitum, Magistrorum, Principum, Religionum, Nobilium, & cæterorum; vox autem populi vox Dei est. Vix pueri loqui norunt, & iã exclamant, *Laudetur Sanctissimum Sacramẽtum, & pura Conceptio Virginis Mariæ concepta absque peccato originali.* Verba hæc in cordibus, in lapidibus, in compitis, in plateis, in ædibus reperiuntur affixa. Imagines Deiparæ, quæ Immaculatam Cõceptionem repræsentant, in omnibus Ecclesijs, domibus, & locis publicis Vrbium, ac Oppidorum frequẽter collocantur. Linguæ, ingenia, calami certatim ad id mysterium defendẽdũ inuigilant Regna, Prouinciæ, Academiæ, cuncti ferè, totis votis ambiunt, vt à Sede Apostolica definiatur Immaculata Conceptio. Principes id per Legatos, per libellos supplices, per epistolas Episcoporum, & Ecclesiarum, necnon & Academiarum à Pontificibus enixè exposcunt.

118 Etne? omnes errant? omnes decipiuntur? Et id Deus permittat? Potiùs equidem ipsa Dei vox, quæ est vox populi, clamat, suam Genitricẽ absque næuo originalis peccati fuisse concep tam. Olim ante Canonizationum introductam solemnitatem vox populi sufficiebat, vt plures Sãcti ab Ecclesia colerẽtur, ac celebrarentur; Si autem nunc solemnitas declarationis mysteriorum non vigeret, quis neget, satis, superq; authoritate illa antiquitùs pollente nunc hoc Immaculatæ Conceptionis mysterium fulciri? Equidem vox vniuersalis Fidelium sedes est veritatis; hæc autem pro Cõceptione vox est vox Cathedrarum, vox suggestorum, vox Principum, vox Episcoporum, vox Ecclesiarum, vox Religionum, vox populorũ, vox Communitatum, vox Authorum, vox senum, iuuenum, & puerorum, ac vox vniuersi. Nec multos inde excipias; qui tamen non tollunt, eam esse vocem vniuersalem populi, & Dei.

119 Quàm docta autem ea vox sit, & quàm communis, breuiter dabimus. In Hispaniæ ditione Conceptionem Immaculatam semper fore propugnaturas, iurarunt Academiæ Salmantina, Complutensis, Vallis Oletana, Granatẽsis, Oxomensis, Ouetensis, Compostellana, Olutrensis, Baezana, Oñatensis, Cæsaraugustana, Valentina, Oscensis, Gandiẽsis, Barcinonensis, Tarraconensis, Illerdensis, Mexicana, Limensis, Conimbricẽsis, & Euorensis. In Germania autem Gallia, Italia, & Belgio, Parisiensis, Moguntina, Colonien sis, Viennensis, Tolosana, Louanien sis, & Neapolitana. In Anglia etiam olim, cum ibi Religio Catholica efflorebat, Oxomien sis, & Cantabrigensis. Id latè prosequitur, & formulas iuramentorum ab Academijs præstitas affert P. Velazquez *de MARIA Immaculatè concepta. libro 4. dissertat. 8. ad notat. 1. & 2.*

120 Quo iam pacto censeri queat, Scientiarum matres omnes errare, & ignorantia cęca teneri? Quomodo in hoc articulo verum non proferãt, cum de cæteris consultæ veritatem attingant? Quis auderet oppugnare omnium Academiarum diu excogitatam deliberationẽ super alia quauis quæstione, si cunctæ in vnum, eumdemque sensum conuenissent? Non igitur par est, vt resistatur communi Academiarum consensui circa veritatem Immaculatæ Conceptionis, cum ei subscripserint Sapientissimi, ac omnibus scientijs ornati Viri in cunctis Academijs, qui iam diu viguerunt, & nunc temporis vigenti, quibus recensendis ferè numeri desunt.

121 Eodem iuramento defendendi Immaculatam Conceptionem se obstrinxerunt Almæ Ecclesiæ, in quibus eruditissimi Viri versantur. Idem iuramentum emiserunt Curia Regia Madritensis, Vrbes, & Oppida Hispaniæ; Præterea Ordines Militares S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantarę; necnon Congregationes, Confraternitates, ac Communitates alię. Omnes in id ipsum certatim conspirant.

122 Rursùs sacræ omnes Religiones, quæ sunt illustris Ecclesiæ Catholicæ portio, refertæ insignibus virtute, & sapiẽtia alumnis, Magistris, Scriptoribus, Concionatoribus, toto animi studio, & industria ad constabiliendam doctrinam

de

de Immaculata Conceptione decertant. Sacrum S. Benedicti Ordinem in id semper fuisse intentum, constat satis ex his, quæ de D. Anselmo in superioribus adduximus. Et præterea S. Benedicti filiæ S. Getrudes, S. Ildegardes, & S. Melethildis illustribus Reuelationibus Immaculatæ Conceptionis reddidere testimonium. Illustrissimus Fr. Placidus à Tosantos olim Generalis Ordinis, & posteà Episcopus Accitanus ad Paulum V. missus fuit à Rege Catholico Philippo III. vt de difinitione opinionis piæ coram illo ageret; & strenuè inibi se gessit. Videatur Fr. Antonius de Yepes, *tom. 7. Annalium Sancti Benedicti anno 1099. fol. 104.*

123 Cistercienses clarissimæ Familiæ Monachos Virgo ipsa de suę Festiuitate Conceptionis peragenda admonuit, & ipsi obtempetarunt. Illustrissimus cæterùm Fr. Angelus Manrique, eiusdem Ordinis Generalis, Primarius in Academia Salmantina Antecessor Theologiæ, & postmodùm Episcopus Pacensis, Apologiam scripsit, Sanctissimo Pontifici nostro Innocentio X. offerendam, pro Immaculata Conceptione.

124 Carthusienses etiam, antequam Sixtus Quartus suo Decreto sanxisset, vt Cõceptionis Festum celebraretur, & non sub nomine Sanctificationis, illud celebrabant sub nomine Conceptionis, vt testatur Carthusianus *in 3. dist. 3. q. 1. §. verumtamen;* qui quidem hæc scripsit ante Extrauagantes Sixti Quarti, vt constat ex Cardinali Bellarmino *lib. de Scriptorib. Ecclesiast. ad annum 1450.*

125 Cœlestinorum Ordo Conceptionem Immaculatam mira pietate veneratur, & iam diu miraculum eam adauxit. Etenim in Capitulo Generali quidam ex eis, Nicolaus nomine, eximiæ vir sanctitatis, efflagitauit ac obtinuit, vt Festum Conceptionis in toto suo Ordine cum Octaua celebraretur; Et sui iam voti compos, gaudio refertus ex viridario Cœnobij excerpsit rubicundam rosam, & ante Deiparæ Imaginem coram aliquibus Religiosis reuerenter apposuit, dicẽs; *Benigna Mater, si hoc, quod hodie in nostro Generali Capitulo pro honore tuo fuit statutum, est tibi gratum, hunc florem, anno reuoluto, ad hanc vsque diem in hoc conspicuo vigore, ac fragranti odore, in quo nunc conspicitur, tua benignitas, humiliter quæsumus, conserua re dignetur.* Igitur eo die anno sequenti multi Religiosi eam rosam viderunt eque virentem, ac redolentem, ac si tunc fuisset à viridario decerpta. Id affert Antonius Solerius *in Opusc. de venerat. & inuocat. Sanctor.* Et Armamentarium Seraphi cùm *in Regesto fol. 733.*

126 Religio Sancti Norberti, seu Præmonstratensium à Calixto II. fuit confirmata sub nomine Ordinis Conceptionis Virginis de Præmonstre propter habitum cælitùs præmonstratum. Etenim S. Nobertus habitum nigrũ suis Canonicis Regularibus prefixit, & Deipara ei apparuit, ac iniunxit, vt Religionẽ in honorem puræ Conceptionis institueret, eumq; vestibus candidis superinduit, vt etiam in nitore habitus candor Cõceptionis demonstraretur. Sic præstitit Norbertus, & Officium Conceptionis in suo Ordine recitandum probauit, in quo præter alia illud extat; *Aue Virgo, Spiritu Sancto præseruante, quæ de tanto parentis primi peccato triumphasti innoxia.* Inde semper in hoc Sacro Ordine Festum Conceptionis solemniter fuit celebratum. Latè hæc refert, & firmat Fr. Bernardus de Leon *in prologo primæ partis opusculor.*

127 Illustris Augustiniana Familia tota semper incubuit defendendæ opinioni piæ, ita vt nullus ex illa ex tot, tamque insignibus Magistris, præter antiquos Ægidium Romanum, & Gregorium Ariminensem, contrariam opinionem tenuerit, aut docuerit trecentis ab hinc annis. Ita testatur Ægidius à Præsentatione *lib. 3. de Immaculata Virginis Concept. quæst. 6. art. 4. §. 3. num. 18.*

128 Carmelitarum Sacer Ordo iam diu in suo Capitulo Generali celebrato in Gallia anno 1306. condidit Statutum *Pro celebranda Immaculata Conceptione Virginis Mariæ;* Et à tempore immemoriali in Cœnobio Romano id Festum celebratur. Ac Diua Theresia à Iesu, Carmeli, Ecclesiæ, & Hispanię decus, *in libr. de sua vita cap. 5.* narrat, quemdam obtinuisse singulare à Deo beneficium suæ cõuersionis, intercedente Deipara. *Quia nimium suæ Conceptionis deuotus erat, ipsoque die magnum celebrabat Festum.* Videantur P. Petrus Oxeda *in informat. pro Concept. s. 15. fol. 63.* Lezana *in tract. de Concep. c. 22.*

129 Religio Sanctissimæ Trinitatis à suo exordio sẽper celebrauit Festũ Immaculatæ Conceptionis, & in Breuiario, quo vtebatur, hoc extat Inuitatorium ad Matutinum; *Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus, Christum eius Præ-*

Præseruatorem adoremus Dominum. Et in secũda lectione primi Nocturni hæc clausula continebatur; *Talis profecto laudanda est, quæ sola super omnes electa, & post ruinam sola Immaculata concepta.* Et, vt omnis dubij species abesset, Festum Conceptionis sub nomine *Præseruationis* celebrabatur. Ac ter in die Cõmemoratio Conceptionis in hoc Ordine paragitur. Videatur Reynoso *in lib. Probatio Conceptionis.*

130 Religio B. M. de Mercede in honorem Conceptionis Immaculatæ fuit erecta; & id præferunt vestes albæ, quæ præfiguntur in Constitutionibus huius Sacri Ordinis *distinct. 1. cap. 10.* Et vetus scholium earum subnectit, *In memoriam Immmaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ.* Hinc quotidie peragunt Commemorationem Conceptionis cum Oratione, quæ in Breuiario primæuo Religionis extat; nempè, *Deus, qui Immaculatam Virginem Mariam, vt digna Filij tui Mater existeret, ob omni labe peccati in Conceptione sua præseruasti, præsta, vt qui eius innocentiæ puritatem veraciter credimus, ipsam pro nobis apud te intercedere sentiamus.*

131 Sacer Ordo S. Hieronymi pro opinione pia semper stetit, asserente Hieronymo Ormachea *tom. 1. in Cantic. prologom. 3. Hieronymnianus Ordo omnis deuotissimè semper fuit affectus in hanc piam sententiam.* Hinc antiquitùs celebrauit Festum, ac recitauit officium Conceptionis, & in Religionis Breuiario edito ann. 1469. in eiusmodi Officio appositæ sunt lectiones ex epistola Sancti Anselmi Conceptionem Immaculatam propugnantis.

132 Religio S. Francisci de Paula ab exordio suo purissimæ Conceptionis Festum solemniter peregit; & Deiparam non solùm à culpa originaria, sed à debito eam contrahendi immunem fuisse, sæpè in publicis Assertionibus defensauit.

133 Ordo Sacer Clericorum Regularium Minorum acriter, & piè semper opinionem piam tutatus est, vt affirmat Ormachea *vbi suprà*, ibique enarrat, P. Hurtadum de la Fuente huius Religionis alumnum, egregiam operam Romæ nauasse, vt calamo, & consilio ferret opẽ Procuratoribus à Rege Catholico ad Sũmum Pontificem pro hoc mysterio definiendo missis. Itidem opinionem piam propugnat ex eadem Familia Laurentius Aponte *in Commentar. lib. Sapient. capite 1. vers. 4.*

134 De Sacra Prædicatorum Religione inferiùs sermonem instituemus. Seraphicum verò Minorum Ordinem in medium non adducimus; cum ipse sit firmius huius piæ opinionis propugnaculũ, totusque semper incubuerit in eam defendã verbo, & scripto; Id in suis Comitijs Generalibus firmiter corroboratur; id totis animis cuncti huius illustris Familiæ alumni suadere conantur; Communẽ omnium deuotionem circa hoc mysteriũ fouent; Illius celebritates solemnissimè peragunt; Imagines Conceptionem Immaculatam præfigurantes passim retinẽt, ac venerandas populo fidelium in Altaribus collocant; Officium Conceptionis Immaculatæ singulis recitant hebdomadis; Moniales sub titulo Conceptionis Deo militantes regunt; Apud Summos Pontifices pro hoc mysterio defendendo validè decertant; apud Principes id ipsum confouent; Innumeros, & eruditissimos libros pro eius defensione in dies edunt. Quid plura? Minorum sanè Familia in affectu erga Deiparam Immaculatè cõceptam promouendo, in veritate opinionis piæ propugnãda, primas tenet partes, nec ei vnquam erit hæc gloria detrahenda.

135 Religio nostra Societatis IESV vix habuit exordium, cum se Conceptioni purissimæ defensan læ tota sacrauit, nec vnquam ab incæpto destitit. Nullus omnino in tota Societate adhuc fuit, qui opinioni minùs piæ assentiretur. Et sanè Societatem Iesu ea de causa inter alias à Deo per S. Ignatium fuisse institutam, vt Matiæ immunitatem à labe originali publicè, ac priuatè, doctrinæ, & eloquẽtiæ copia tueretur, sæpius testatus fuit, diuinitùs sibi fuisse patefactum, & ab ipsa Deipara didicisse, venerabilis frater Alphonsus Rodriguez, vir sanctitate, ac miraculis clarus; (Nec assero, id fuisse reuelatum, aut dumtaxàt à Deo inspiratum; hoc enim iudicium, Sedi Apostolicæ maneat illibatum) Id referunt Ioannes Burgesius *lib. de patrocinio Virginis cap. 10.* Imago primi sæculi Societatis Iesu *libr. 1. nascentis Societatis cap. 5.* P. Ioannes Eusebius Nieremberg *in vita ipsius Fratris Alphonsi Rodriguez, §. 13. pag. 659.* Deinde S. Ignatius, & primi eius socij (inter quos S. Franciscus Xauerius) Magisterij in Theologia Gradum suscipiẽtes in Academia Parisiensi, iuramento defendendi Immaculatam Conceptionem se obstrinxerunt; eiusque defensionem S. Ignatius

scrip-

ſcripſit, quę in Codice Romæ aſſeruato, ipſius manu exarato, extat. Viuus adhuc ipſe adſtitit fouens Aſſertionibus publicis, quæ in Collegio Romano Societatis fuerunt propugnatæ, & in eis opinio pia defenſa. In noſtra etiam Quinta Congregatione Generali Decretum fuit ſtabilitum defendendi in vniuerſa Societate piam opinionem.

136 P. Didacus Laynez ſecundus Præpoſitus Generalis Societatis, in Concilio Tridentino Sedis Apoſtolicæ Theologus, cum Decretum fuiſſet ſtatuẽ dum de peccato originali, pro immunitate Deiparæ per tres horas perorauit ea vi, vt tota Synodus ab eius ore admirabunda penderet. Et quàm grata fuerit Virgini ea declamatio, accepta ſubitò valetudo ab illo, qui tũc febribus laborabat, patefecit. In eodem Concilio P. Alphonſus Salmeron, Theologus etiam Pontificis, valdè opinionem piam confirmauit. Rurſùs ſummo affectu, ac deuotione hoc myſteriũ proſecuti ſunt Viri è Societate IESV, ſanctitate eximij, quos recenſet P. Velazquez *de MARIA Immaculatè concepta lib. 4. diſſertat. 9. adnotat. 3. à num. 4.*

137 Cæterùm in ſcriptis ſuis in lucem publicam editis defendunt opinionem piam hi Authores è Societate, Cardinalis Bellarminus, Petrus Caniſius, Suarez, Vazquez, Valentia, Franciſcus Turrianus, Henriquez, Petrus Ægidius, Cardinalis Toletus, Ioannes Maldonatus, Gaſpar Sanchez, Martinus del Rio, Pineda, Pererius, Benedictus Iuſtinianus, Barradas, Cornelius à Lapide, Ioannes Fernandez, Chriſtophorus de Caſtro, Cardinalis Lugo, Ferdinandus de Salazar, Petrus de Oxeda, Granado, Perlines, Gaſpar Huttado, Antonius Balingen, Benedictus Fernandez, Mendoza, Antonius Fernandez, Hieronymus Nadal, Spinellus, Simon Vuangnerechius, Nicolaus Lancicius, Maximilianus Sandæus, Hieronymus de Florencia, Petrus Hurtado de Mendoza, Bernal, Becanus, Tannerus, Herice, Meratius, Franciſcus Amicus, Ambroſius de Peñaloſa, Baeza, Gueuara, Sherlogus, Ripalda, Moncæus, Theodorus Peltanus, Theophylus Raynaudus, Acoſta, Alegambe, Gregorius Ferrarius, Laurentius Maſſellus, Ioannes Baptiſta Poſarel, Ludouicus de la Cerda, Vincentius Brunus, Franciſcus Coſtero, Labata, Ioannes Buſæus, Ioannes Antonius Velazquez, Antonius de Eſcobar, Andreas Pinto, Antonius de Quintanadueñas, Arnoldus Cathius, Laurentius Chryſologonus, Andreas Peuernage, Lenardus Bagni, Bernardus de Aldrete, Vuadingus, Gabriel de Henao, Petrus Poſſinus, Dioniſius Petauius, Luiſius Turrianus, Ioannes de Salas, Petrus de Biuero, Caſtro Palao, Didacus à Celada, Emanuel de Naxera, Ioannes Bonifacius, Carolus Mãgotius, Lorinus, Petrus de Ribadeneyra, Ioannes Henricus Aubenius, Meſſa, Antonius de Herrera, Ignatius de Quintanadueñas, Nicolaus Arnaya, Guarnizo, Alphonſus Ezquerra; Quorum omnium opera, & loca, in quibus piam opinionem tutantur, refert. P. Velazquez *vbi ſuprà, adnot. 3. à num. 4.*

138 Conſtat ex dictis, ſtare pro opinione pia communem Authorum, & Scriptorum ſuffragium, cum ex Sacris Ordinibus omnes pro illa decertent; & præterea à alij Scriptores extra Religioſorum numerum, pro ipſa piè, & acriter militent, quos recenſere, & eſſet prolixum, & valdè difficile, cum ferè numeros ſuperent. Aliquos ex illis decurſu huius Appẽdicis referimus.

139 Principes etiam ſæculares totis cordibus erga Immaculatam Conceptionem Virginis afficiuntur; adeò vt à primis Eccleſiæ ſæculis nullus fuerit Imperator, vt affirmat P. Pineda, nullus Rex, nullus vir ſanguine, & ſtatu illuſtris, qui piam de Immaculata Cõceptione opinionem non fuerit profeſſus. Imperatores Græciæ pietate erga hoc myſterium excelluerunt; Leo Imperator orationem de immunitate Deiparæ compoſuit, cuius meminit Cardinalis Baronius *in Notis ad Martyrologium die 8. Decemb.* Imperator Emanuel Commenus legem tulit, vt dies Conceptionis inter feſtos referretur. Imperator Ioannes Cantacuzenus *apologia 3.* Immunitatẽ Virginis fuit confeſſus.

140 Ferdinandus II. Germaniæ Imperator Congregationi Immaculatæ Conceptionis erectæ anno *1634.* Viennæ in Domo Profeſſa Societatis IESV ſuum nomen dedit, ac ſubſcripſit, & ſimul cum ipſo Eleonora coniux, Ferdinandus filius, Maria Auguſta, Leopoldus, & duæ filiæ Duciſſa Bauariæ, & Regina Poloniæ. Et priùs die *13.* Iannuarij, anno *1624*, Epiſtolam ad Vrbanum Octauum ſcripſit, enixè poſtulans, vt hoc myſterium definiret. Videatur. P. Guillielmus

mus Lamormayni *in vita ipsius Imperatoris, cap. 8.*

141 Ferdinandus III. insignem statuam Conceptionis Immaculatæ construi præcepit, & de Consilio Ordinũ Austriæ, Episcopi, Cleri, & Religionum Conceptionem Immaculatam celebrare pręuio ieiunio statuit, & MARIAM Immaculatè Conceptam in Patronam Austriæ assumpsit; ac collocata Imagine in foro Domus Professæ Societatis, votum de eo emisit in manus Episcopi Viennẽsis die *18.* Maij, anno *1647.* Cuius actionis ingentem solemnitatem, & Imperatoris pietatem refert Guilielmus Comes Slauata *in libello, seu charta typis excussa Viennæ apud Matthæum Cosmerouiũ ann. 1648.* Comitati sunt Genitorem in actione, & votis Filius Ferdinandus, Vngariæ, ac Bohemiæ Rex, & Serenissima Maria Anna nunc (ò fœliciter!) nostri Regis Philippi IV. regno, & coniugio associata.

142 Hispaniæ autem Reges Immaculatæ Conceptioni Deiparæ semper fuere addictissimi. Ex Regibus Gothis Sisenandus mouit Conciliũ IV. Toletanum, vt in ordinem redigeret Diuina Officia, & inter illa Officium Cõceptionis, idq; committeret D. Isidoro Archiepiscopo Hispalensi. Cyndasuyndus, & Vamba, seu Vuamba, firmiter obseruari fecerunt B. Isidori instituta, in quibus Officium Conceptionis continebatur. De his vide P. Petrũ de Ojeda *in informatione Ecclesiastica cap. 8.*

143 Rex Aragoniæ Iacobus, vulgò *D. Iayme el Conquistador*, Sacrũ Ordinem B. Mariæ de Mercede in honorem Immacculatæ Conceptionis erexit. Ioannes I. eiusdem Aragoniæ Rex, anno *1394.* edictum promulgauit, quo graues pœnas inflixit eis, qui opinionem minùs piam defenderent, aut prædicarẽt, exilium à sua ditione illis indicẽs, & loco inimicorum se eos habiturum declarans. Videatur Pater Pineda *in aduertentijs ad priuilegium Ioannis I.* Deinde Ioannes *II.* Rex Aragonię, & Neapolis anno *1461.* publico edicto cauit, ne quis tutaretur opinionem contrariam Immaculatæ Conceptionis; quod priùs stabilierat in Comitijs Catalauniæ, anno *1451.* dum vicem gereret fratris sui natu maioris Alphonsi tunc regnantis. Consulantur Trophæa Regni Aragonum, *lib. 3.* Marinæus Siculus *de rebus Hispaniæ, lib. 12.* In eoq; diplomate affirmat hic Rex, se in hac re Prædecessorum suorum Martini, Alphõsi, Mariæque Regum vestigia premere. Reperies id *in Compilatione Constitutionum, & Iurium, edita Barcinone, anno 1588.*

144 Reges Catholici Ferdinandus, & Elisabetha, cum vrbem Granatam obsidione cingerent, votum emiserunt extruendi in illa, statim ac obtinerent, templum in honorem Immaculatę Conceptionis; & ita præstiterunt. Deinde cum eorum ditioni Christophorus Colon nouum Orbem à se adinuentum adiungeret, duas primas Insulas, quas occupauit, nomine Saluatoris, & Conceptionis insigniuit. Iidem Reges Confraternitatem sub aduocatione Immaculatæ Conceptionis erexerunt. Carolus V. Rex noster, & Imperator Augustus, hanc Confraternitatem firmauit suo rescripto, quod affert P. Oxeda *vbi suprà cap. 5.*

145 Philippus III. Hispaniarum Rex mira pietate Immaculatam Conceptionem coluit. Præbuit ipse Imaginem Cõceptionis Excellentissimæ Ducisæ de Villahermosa, in cuius tergo ipsius manu hæc verba erant inscripta. *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit;* Et subscripsit; *Philippus S.* id est, *Philippus seruus.* Testatur se eam vidisse Laurentius Aponte *lib. 6. Sapient. ad cap. 1. num. 4. digress. 2.* Deinde ipse Rex epistolas scripsit anno *1617.* die 17. Maj, ad omnes Prælatos, Archiepiscopos, Episcopos, Capitula Ecclesiarũ, Consistoria, Vniuersitates, Religiones, Ciuitates, & ad Regna Castellæ, & Legionis in Curia congregata, quibus suo ardore, ac pietate eos omnes incendit, vt à Summo Pontifice tota animi affectione Definitionem Mysterij Immunitatis Virginis efflagitarent; quod ipsi præstiterunt. Rursùs die *18.* Iulij anno *1618.* ad Academiam Salmantinam misit litteras, quibus approbauit, & cõfirmauit Statutũ conditum ab ipsa, vt omnes, qui promouerentur deiuceps ad quoslibet Gradus Litterarios, priùs iuramento se obstringerent defendẽdi, docendi, ac prædicandi, Deiparã fuisse immunem à peccato originali. Præterea Rex ipse misit Romam Episcopum Carthaginensem Fr. Antonium de Trejo, & Episcopum Accitanum Fr. Placidũ de Tosantos, viros doctissimos, vt de hac re coram summo Pontifice agerent; simulque ad eum litteras pijssimas scripsit, atque ad Consistorium Cardinalium, & ad aliquos seorsim Eminentissimos Cardinales;

les; præcepitq; Duci de Oſſuna, & Duci de Alburquerq; ac Comiti de Oñate, qui in Italia tunc verſabantur, vt Romæ ſimul cum Eminentiſſimo Cardinali Borja omnibus vijs hanc cauſam promouerent. Ipſeque Rex affirmauit, lubentiſſimè, ſi id ad Myſterium Conceptionis Immaculatæ definiendum eſſet neceſſarium, aditurum ſe fore Romam, omnibus Regni ſui negotijs poſthabitis, & ad pedes Summi Pontificis prouoluendum, vt Definitionē ab eo impetraret.

146 Noſter Magnus Philippus IV. veſtigia Parentis eſt ſecutus. Statim ac inauguratus eſt Rex, litteras ad Gregorium XV. miſit, ſcriptas die 10. Nouēbris, anno *1621.* expoſcens, vt media cōgruētiora decerneret, quibus deuotio erga myſteriū Immaculatę Conceptionis propagaretur. Et in eumdem ſcopum epiſtolas etiā miſerunt Eliſabetha Regina Hiſpaniarum, & Sereniſſimus Cardinalis Infans. Videatur Armamentarium Seraphicum *in Regeſto column. 315.* Deinde alias litteras ad eumdem Pontificem conſcripſit die 14. Iulij, anno *1622.* ei gratificans, quòd præcepiſſet, in Diuinis Officijs nomen *Sanctificationis* expungi, & *Conceptionis* apponi; & nec publicè, nec priuatè cōtra opinionem piam quemquam ſermones intexere. Rurſùs anno *1635.* in Regio Diſcalceatarum Matritēſi Cœnobio dotauit Feſtiuitatem Immaculatæ Conceptionis cum Octaua, deſignatis Capellanis, ſub Aduocatione *Sacerdotum Immaculatæ Conceptionis*; & peculiari diplomate pijſſimum ſuum animum ſignificauit erga cultum huius myſterij. Hoc Feſtum, & Capellanos Pontifex Vrbanus *VIII.* ſua Bulla confirmauit; cui in Pontificatum aſſūpto per ſuos Legatos Rex noſter preces obtulit pro Definitione huius Myſterij. Notios demum ipſe parat ad Apoſtolicā Sedem Legatos, qui de hac re coram illa agant, & Definitionem impetrent, id non ſemel verbo, & ſcripto pronuntians, ſe libentiſſimè ad id fore profecturum, ſi ſuorum Regnorum grauiſſima momēta permitterent.

147 Reges etiam Galliæ pio valdè affectu erga myſterium Immaculatæ Conceptionis exarſerunt. Carolus *VI.* ſtatuit, numquam Confeſſarium ſibi aſſumere ex illis, qui opinionem piam non ſequerentur ex animo, & à ſe repulit Guillielmum de Valone, ex inſigni Dominicana Familia, Epiſcopum Ebreicenſem, eo quòd opinioni piæ non aſſentiretur. Refert id Henricus Spondanus *in Annalibus ad annum 1397. num. 7.* Plura his ſimilia de deuotione erga myſterium Immaculatæ Conceptionis poteram congerere, plurimos alios Reges, & Principes recēſens; ſed rem tetigi fortaſſe longiùs, quàm Epilogus patitur. At quis in *hoc* §. libata perlegat, qui non fateatur, vocem populi, quæ eſt vox Dei, ſtare pro Immaculata Conceptione, & quidem non populi ignari, & ignobilis, ſed omnium ferè Sapientum, & Nobilium, Religionum, Communitatum Authhorum, & Academiarum.

§. X. *Diuum Thomam non eſſe contrarium opinioni piæ de Immaculata Conceptione Deiparæ, in ipſius Angelici Præceptoris obſequium, probatur.*

148 ECCLESIAE, & Theologiæ Sol ſplēdidiſſimus D. Thomas affulget omnibus; Nulli ergo ſit ingratum, quòd eius radios ad piam opinionem illuſtrandam haurire contendimus, cum pacatiſſimo, & modeſto ſtylo, ac animo id ſuſcipiamus. Ergo Diuum Thomā ſenſiſſe, ac docuiſſe, Deiparam fuiſſe abſq; originaria labe cōceptam, conſtat primò ex Reuelatione ſuperiùs tradita, qua ſuam mentem ipſe declarauit. Conſtat ſecundò ex eius doctrina, *in 1. diſt. 17. quæſt. 2. art. 4. & in 3. diſt. 44. quæſt. 1. art. 3. ad 3.* Vbi enuntians, eam eſſe maiorem puritatem, quæ longiùs diſtat à culpa, addit; *Talis fuit puritas Beatæ Mariæ, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.* Conſtat tertiò *ex eius Commentarijs in Epiſtol. ad Galatas, lectione 6.* vbi ſic ait *Virum de mille vnā reperi, ſcilicèt Chriſtum, qui eſſet ſine omni peccato. Mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ à peccato omnino immunis eſſet, adminùs originali, vel veniali. Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Virgo Maria.* Reperientur hæc verba in Commentarijs prælo excuſſis, Pariſijs anno *1529.* & anno *1532.* ac Venetijs anno *1555.* Poſtmodùm in editionibus ab anno *1590.* expuncta fuerunt à Remigio Florentino ea verba; *Excipitur puriſſima, & omni laude digniſſima Maria.* Conſtat quartò ex Opuſcu-

lo

lo ipſius D. Thomæ ſuper Salutationem Angelicam, ibi; *Ipſa ſcilicèt Sancta MARIA puriſſima fuit, quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Aſſerit Petrus Bergomenſis, hunc fuiſſe pręli errorem; Sed hoc manifeſtum eſt effugium. Conſtat quintò, & vltimò, quia D. Thomas *1. part. quæſt. 27. artic. 2. & in 3. quæſt. vnic. art. 1.* vt probet, Natiuitatem Virginis gratia fuiſſe præditam, hac vtitur ratione; *Eccleſia non ſolemnizat, niſi pro aliquo Sancto; ſolemnizat autem Natiuitatem Beatæ Virginis; ergo ſancta nata eſt.* Quæ quidem arguendi forma vt vim habeat, pariter in quauis materia verificari debet; vnde hæc ratiocinatio ex doctrina, & mente conſpicua D. Thomæ erit veriſſima; *Eccleſia non ſolemnizat niſi pro aliquo Sancto; ſolemnizat autem Conceptionem Beatæ Virginis; ergo ſancta concepta eſt.* Inter vtrumque diſcurſum nulla prorſùs diſparitas intercedit.

194 Inficiatur nullus, vt credo, Diu. Thomam docuiſſe ſententiam de Immunitate Deiparæ à peccato originali; Sed aſſerunt contrariæ ſententiæ aſſeclæ, eum poſteà *3. part. quæſt. 27.* mutaſſe ſententiam, quam defenderat in Cõmentarijs *ad libros Sententiarum.*

150 Hæc reſponſio refellitur primò. Quia, ſi D. Thomas pro opinione minùs pia affertur, eo quòd Theologiæ Partes poſt libros ſententiarũ ſcripſerit, ſanè Commentaria *in Epiſtolam ad Galatas* ſcripſit poſt ipſas Theologiæ Partes, atque adeò eodem fundamento aſſeremus, mutaſſe iterùm ſententiam, & ad primam redijſſe; & pro opinione pia afferri debebit, cum hæc eius fuerit poſtrema ſententia; & iuxta prædictos Authores poſtremæ eius ſententiæ debeat ſtari.

151 Refellitur ſecundò ex Reuelatione ſatis Authentica in ſuperioribus relata, in qua ipſe Præceptor Angelicus ſuam mentem expoſuit, & affirmauit, *in eo loco relato 3. partis*, ſolummodò intendiſſe, Deiparam contraxiſſe debitum peccati originalis, quod debitum ſanè ſoluiſſet, ſi non fuiſſet à Deo præſeruata.

152 Refellitur tertiò à Ioanne de Sancto Thoma, Sacri Ordinis Prędicatorum, *in 1. part. diſp. 2. proæmiali art. 2.* docente, eſſe euidens, D. Thomam nullo in loco docuiſſe, Deiparam contraxiſſe peccatum originale, nec negaſſe, fuiſſe à Deo præſeruatam; ſed ſolum nodò ſtatuiſſe communia principia, ex quibus, ſi non eſſet præſeruationis priuilegiũ, deduceretur, patres naturales Virginis fore transfuſuros in ipſam peccatum originis; quin reſoluerit, an de facto priuilegium extiterit, aut peccatũ fuerit tranſfuſum. Idem affirmant Seraphinus Porrecta *in 3. part. quæſt. 27.* Et Illuſtriſſimus Fr. Franciſus de Araujo Epiſcopus Segouienſis, *in 1. 2. quæſt. 81. artic. 3.* Et quamuis poſtmodũ n referat aliqua loca ex Quodlibetis D. Thomæ, & ex Commentarijs in Pſalmos, quæ opinioni minùs piæ fauere videntur, attamen eamdem expoſitionem ſubeunt, ac cætera, quæ ex Partibus Theologię deducuntur, & ita id affirmat Ioannes de Sancto Thoma.

153 Refellitur quartò ab Ambroſio Catherino eiuſdem Illuſtris Dominicanæ Familiæ *in tractat. de Conceptione.* Qui docet, D. Thomam ſemper ſenſiſſe, Deiparam immunem fuiſſe à peccato originali; ſed, quia tunc temporis in Eccleſia vniuerſali adhuc non erat inſtitutum Feſtum Conceptionis, & tamen celebrabatur à pluribus Eccleſijs, pietatis ſpecialis zelum generali Eccleſiæ cõſuetudini eſſe poſtponendum, iudicaſſe; quare, ne promoueret ſua doctrina de Immaculata Conceptione illam ſpecialem pietatem, ab ea edocenda deſtitiſſe. Hiñ infert Fr. Franciſcus de Soſa Epiſcopus Oxomenſis, *in Reſponſione adorat. Doctor. Mexia fol. 17.* D. Thomam, *fuera dora acerrimo defenſor, de lo que la Santa Igleſia Romana celebra, honra, y feſteja, como lo han ſido tantos Varones doctiſſimos de ſu Orden, y grandes defenſores de ſu doctrina*; id eſt, nunc, ſi ſuperſtes inter nos eſſet, fore acerrimum defenſorem Conceptionis, quam Sancta Eccleſia Romana celebrat, veneratur, & colit; ſicut etiam hanc defenſionem ſuſceperunt Viri doctiſſimi eiuſdem Sacri Ordinis & aliundè doctrinæ D. Thomę penitùs inhærentes.

154 Refellitur demùm, ſupponendo id, quod Pariſijs accidit, ac graues, pluresq; Authores referũt, ſcilicèt Mauritiũ Epiſcopum Pariſienſem, Opinioni piæ aduerſantem, promulgaſſe Decretũ anno *1175.* quo præcipiebat, vt in Pariſienſi Academia non defenderetur opinio pia.

Aliquo tempore Decretum hoc viguit, atque vt ei mos gereretur, etiam hi, qui ab opinione pia acriter ſtabant, ſuum ſenſum, ac iudicium non promebãt, ſed ſe tẽpori, & Statuto, per indulgentiam quamdam, aptabãt. Id apertè conſtitit, nam vbi primùm Decretum illud derogatum fuit, vel vbi primum, etiam eo vigente, Doctores, & Magiſtri Academiam Pariſienſem deſerebant, opinionem piam valdè propugnabant. Hinc authoritas Doctorum Pariſienſium illius ævi pro opinione minùs pia exiguum ponderis retinet, cùm non tam ex animi ſenſu, quàm gerendo morem Decreto fuerint locuti. Hoc ſuppoſito, & caſu ngato, quòd D. Thomas in Theologiæ Partibus docuiſſet opinionẽ minùs piam, ſanè cum tunc in Academia Pariſienſi doctrinam Theologicam traderet, & indidem adhuc vigeret Mauritij Decretum, aſſerendum eſt, Angelicum Præceptorem id docuiſſe, vt morem gereret, & indulgeret Decreto, & non ex animi ſenſu, proprioque iudicio; nam vbi eius Decreti obſeruantia eum non vrgebat, ſuam mentem manifeſtè deprompſit, & Immaculatam Deiparæ Conceptionẽ propalauit. Qui velit alias expoſitiones doctrinæ D. Thomæ, adeat Authores huius Appendicis decurſu relatos, & P. Andream Pinto *de Conceptione, in expoſitione textus D. Thomæ*, quam ante omnes Anthologias præmittit. Hæc pro tanto Eccleſiæ Doctore ſyncera ipſius doctrinæ veneratione libaſſe ſufficiat.

§. XI. *Nec Patres, aut Eccleſiæ Doctores aduerſantur piæ Opinioni de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis.*

155 DEDIMVS *ſuperiùs* §. 6. plures Patres Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ, Immaculatæ Virginis Conceptionis ſuum calculum ferentes, quibus addi adhuc plures poſſent. Hugo *tomo 3. in erudit. Theolog. tract. de Verbo Incarnato, collat. 3.* ſic fatur; *Mater virgo electa eſt, vt de munda immaculatus naſceretur; vt, ſicut in cœlo Deus habuit Patrem immortalem æternus, ſic in terra haberet Matrem Virginem incorruptus. Igitur in cœlo qualis Pater, talis Filius; & in terra qualis Mater, talis Filius. In cœlo cum Patre æternus, & immenſus: in terra cum Matre immaculatus, & manſuetus. In cœlo cum Patre incorruptus, & ſublimis: in terra cum Matre virgo, & humilis. In cœlo imago Patris; in terra imitator Matris. Mater virgo erat, & in humilitate exultabat; Filius Virginis virgo humilitatem commendabat. Talis ergo Agnus, qualis mater Agni, ex munda mundus, ex Virgine incorruptus.* Expende vim comparationis, munditiem Matris ſimilem munditiei Filij, vt ex munda immaculatus naſceretur; Quæ profectò non ſtant, ſi Mater aliquando fuiſſet immunda, & maculata, cum Filius in nullo inſtanti maculatus, & immundus extiterit. S. Gregorius Epiſcopus Nicomedienſis *oration. de Præſent. Virg.* quæ habetur apud Metaphraſtem, & Lipomanum, ait de MARIA; *Fontem re vera ſignatam, ex qua manant fluenta puriſſima, & irrigant Orbem terræ, in quo limi, qui conturbabat, non ſunt deprehenſæ reliquiæ; ex quo procedens fluuius gratiarum circuit vniuerſum.* Quis eſt limus iſte fontẽ conturbans, cuius nec etiam reliquiæ in MARIA deprehendun tur? Certè, niſi origo immaculata intelligatur, locus contorquebitur; nam limoſa origo opponitur gratiarum origini; et reliquiæ limi vocatur ab Eccleſiæ Patribus originalis culpa in nos deducta ex limo actualis culpæ Adami. S. Ildefonſus *ſerm. 2. de Partu, & Purification. Virgin.* qui extat *in tom. 4. Bib. Homil.* inquit; *Ergo in qua clauſtrum pudoris integrum permanſit, nulla diſruptio interuenit, nulla vexatio carnis, nulla fœditas diræ conditionis, ei, in qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primæ originis, vt cruciaretur, viguit.* In margine adnotat Gerardus Moſanus ex illuſtri Prædicatorum Ordine; *Nullum peccatum primæ originis viguit in MARIA.* Et in Indice huius ſententiæ; *MARIA Virgo immunis originali peccato.* Breuitati conſulens omitto alios Patres pro pia Opinione militantes. Sed tamen Cardinalis Caietanus *in Opuſculo de Concept. ad Concilium Lateranenſe*, non paucos refert pro opinione cõtraria. Adhæſit in adducendis his authoritatibus Bandello, nec adhærere debuiſſet. Etenim Bandellus librum edidit contra Immacu-

maculatam Conceptionem, quem nuncupauit *Gladius sanctus*, & in eo (vt satis cõ probat, facta collatione authoritatum, Ioannes à Fonte *in allegatione pro Conceptione, fol. 12.*) deprauat, truncat, & supponit testimonia Patrum, vt illicò libabimus. Videantur, quæ de Bandelli opera asseruntur ab Episcopo Sosa *vbi suprà à fol. 33.*

156 Affertur ergo ab his Authoribus pro opinione minùs pia Sãctus Gerardus. Sed præterquã quòd ignoratur, quis sit hic Pater Ecclesiæ, nullum reperitur opus sub eius nomine; atque adeò euanet hoc testimonium.

157 Refertur S. Maximus Taurinensis *in sermone de Assumptione Virginis.* Sed sanè in cunctis suis operibus nullum ille habet de Assumptione sermonẽ. Imò nec Festum Assumptionis in Ecclesia celebrabatur tempore S. Maximi, nec celebratum fuit ferè ducentis annis post ipsum.

158 Adducitur Eusebius Emissenus. At in primis hic fuit Arrianus. Deinde in Bibliotheca Patrum edita Coloniæ anno *1618.* in qua Eusebij opera extant, non inuenietur clausula verborum, quæ afferuntur in probationem oppositæ opinionis.

159 Ex Venerabili Beda aliqua loca exprimuntur. Sed nullus, qui ipsum Bedam perlegat, non animaduertet, ea esse truncata, & vitiata; quare nihil ex illo fideliter obseruatũ contra piam opinionẽ poterit decerpi.

160 A Diuo Augustino tria diuersa testimonia extrahuntur. Attamen in editionibus Operum tãti Ecclesiæ Doctoris, quæ fuerunt excussa Antuerpiæ, Louanij, & Parisijs, nullum ex illis tribus testimonijs extat.

161 S. Ambrosius etiam cumulatur. At legantur omnia eius opera typis Romæ mandata anno *1585.* & nullum prorsùs verbũ inuenietur ex his, quæ proponuntur.

162 S. Remigius *in Psalmũ 21.* pro sententia minùs pia stare affirmatur, & eius verba repetuntur. Videatur tamen integer eius Commentarius in eum Psalmum, non enim ea verba ibi inuenientur.

163 Diui Anselmi authoritas superadditur. Ecce tamen, vt modestè agamus, æquiuocationem. Etenim extat colloquium inter Diuum Anselmum, & eius discipulum Bossum; Hic autem Bossus dubitationis specie proponit verba, quæ vt contraria opinioni piæ, referũtur. Quæ sanè D. Anselmus ex suo sensu non promit, cum manifestè constet ex locis superiùs libatis, eum validum fuisse propugnatorem Immaculatæ Conceptionis.

164 D. Thomas quasi indubitatus sentẽtiæ cõtrariæ vindex proclamatur. At §. *præcedente*, cum esse opinionis piæ asseclam, probauimus, in ipsius obsequium, & venerationem. Idq; censuerunt plures, & graues eiusdem Sacri Ordinis Authores, quorum aliquos §. *sequenti* referemus.

165 S. Bonauentura itidem pro opinione minùs pia refertur. At in memoriam est reuocandum illud Decretum Mauritij Episcopi Parisiensis, de quo *suprà num. 154.* eo enim vigente, non poterant Magistri Academię Parisiensis suũ iudicium publicè proferre circa Immaculatam Conceptionem; vigebat autem, cum D. Bonauẽtura in ea Academia versabatur, atque adeò, vt tunc morem gereret ei, nequiuit opinionem oppositam impugnare, & piam defendere. At vbi liberè potuit, viuidè præstitit, vt, videre est *in sermone 2. de Beata Virgine; & in 3. dist. 3.* Eius aliqua verba superiùs transcripsimus.

166 Annectitur prædictis S. Antonius de Padua *in sermone de Natiuitate Virginis;* qui sanè inter eius Opera non extat. Referuntur præterea *S. Vincentius Ferrer*, & S. Bernardinus de Sena. Hi nõ sunt ex antiquis Ecclesiæ Patribus, cum effloruerint nondum ab hinc retrò trecentis annis; & adhuc fido calamo non referuntur, cum piam opinionem fuerint tutati, vt ostendit Oxeda *de Concept.*

167 S. Bernardus adducitur *in Epistola ad Canonicos Lugdunenses.* Verùm D. Bernardus in ea dumtaxàt illos obiurgat, eo quòd Festum Conceptionis celebrarent eo tẽpore, quo adhuc Ecclesia Vniuersalis id Festum non peragebat; Sicuti, si ante celebrationem Festi Assumptionis in vniuersa Ecclesia, celebraretur ab aliquibus in speciali, & quis pio zelo excitatus eos increparet, non indè sequeretur, hunc ab Assumptione Virginis dissentire; quare nec infertur, Sanctum Bernardum dissensisse ab Immunitate Deiparæ. Et quidem, prẽter expositionem ferè cũctorum, sic eum exponũt omnes Authores, ac Magistri suę Illustris Religionis, quod magnam vim ingerit;

maximè cum Authoribus contrarijs valde commune ſit, aſſerere, domeſticos veriùs interpretari ſuum Præceptorem; indeque ſi eumdem locum D. Thomæ domeſtici in vno ſenſu exponant, & in alio ſenſu externi, quantumuis celebres, & eruditi, iudicant verum ſenſum à domeſticis traditum, & falſum eum, qui traditur ab externis. Indè ergo ſenſus verus D. Bernardi ille erit cenſendus, qui à domeſticis edocetur. Ac ſanè melliſluus Doctor ſuũ ſenſum, ac iudicium ſatis exprimit *ſermone 4. ſuper Salue Regina*, & alijs in locis, vbi Immaculatam Virginis Conceptionem propugnat.

168 Bandellus *cap. 17.* refert verba quædam Sancti Ildephonſi; ſed ſequentia verba ad ipſa prætermittit, in quibus Immaculatam Conceptionem ille tutatur. Prætereà *cap. 20.* adducit S. Damaſcenum *orat. 1. de Natiuitate Virginis*; Sed legat quiſque eam Orationem, & piam opinionem propugnatam reperiet. Refert etiam pro ſe *capit. 14.* Sanctũ Cyrillum Alexandrinum. Qui ſanè tum *ſuper Ioannem*, tum contra Neſtorium apertè docet Immunitatẽ Deiparæ. Rurſus adnectit Sanctũ Gregorium Nazianzenum. At hic *in epiſtola ad Nemeſium* expreſsè ſtat pro opinione pia. Deinde ſubiungit Sanctum Fulgentium. Hic verò *in ſermone de Laudibus Virginis*, Immaculatam Conceptionem prædicat. Demum affert Sãctũ Petrum Damianum. Qui profectò pro Immunitate Deiparæ militat, *ſerm. 13. de Natiuit. Virgin. & ſerm. de Aſſumpt.*

169 Iam ergo liquet, opinionem minùs piam non habere Patronos Eccleſiæ Patres, ac Doctores; cum hi qui pro illa aggregantur, neutiquam faueant, quinpotiùs eam impugnent, & opinionem piam doceant, aut ſequantur. Videantur Authores ſuperiùs pro nobis relati, qui plura ex his latiùs expendunt.

170 Pro opinione oppoſita ſolet afferri Reuelatio quædam Sanctæ Catharinæ Senenſis. Cui reſpondetur primò ex Ambroſio Catharino, Ordinis Sacri Prædicatorum, qui *libro 3. pro Immaculata Conceptione circa initium*, ait, poſt obitum Sanctæ Catharinæ, confictam fuiſſe eam Reuelationem prepoſtero quodam zelo à defenſoribus opinionis minùs piæ, vt infirmarent vim Reuelationum, quæ extant pro Conceptione Immaculata. Deinde reſpondetur ex P. Nicolao Lancicio, *tom. 2. opuſc. 11. de praxi diuinæ præſentiæ, cap. 13.* vbi affirmat, tum à cunctis bonæ notæ Authoribus veram eſſe negari; tum eam Reuelationem non inueniri inter Reuelationes S. Catharinæ editas anno *1504.* Venetijs per Lazarum de Soardi; tum demum, ſi ea oratio S. Catharinæ, quę affertur, non ſit conficta, ſed ab ipſa pronuntiata, eam, non Deo reuelante, ſed ex proprio ſpiritu, & ſenſu elicitam, cum fuerit filia ſpiritualis eorum, à quibus eam opinionem fuerat edocta. Demum reſpondetur ex doctrina P. Martini del Rio *lib. 4. diſquiſit. Magicar. cap. 1. quæſt. 3. ſec. 5.* vbi tradit, attendendum eſſe circunſtantijs, cum duę Reuelationes inuicem contrariæ obtenduntur, vt diſcernatur, quænam ex illis ſit vera; Et apponit exemplum in ipſo noſtro caſu, in quo afferuntur Reuelationes S. Brigittæ, & S. Catharinæ inuicem contrariæ, docetque, præponderare Reuelationem S. Brigittæ, cum hæc ab affectu liberior ſit cenſenda, ſi quidem nec profeſſa eſt Inſtitutum Ordinis Sacri Prædicatorum, nec Minorũ, nec ſub eorum diſciplina, & magiſterio fuerit educata; indeque non ſuperſit anſa exiſtimandi, aut confictam fuiſſe Reuelationem; aut fuiſſe propoſitionem, non ex reuelatione, ſed ex proprio ſenſu prolatã.

§. XII. *Nec omnes è Sacro Ordine Prædicatorum diſſentiũt Opinioni piæ de Immaculata Conceptione Deiparæ. Nec id definitioni huius veritatis obſtare videtur.*

171 OPINIONEM piam omnes verbo, & ſcripto docere, & ſequi, fecimus planum. Magna tamen authoritas opinioni contrariæ conciliari intenditur ex eo, quòd Sacer Ordo Prædicatorum pro illa ſtet; cum in hac illuſtri, ac ſanctiſſima Familia ea vigeat ſapientia, qua Eccleſia, & orbis illuſtretur. Sed in primis oſtendemus, non omnes ex illa pro contraria opinione militare, quin potiùs innumeros, & ſapientiſſimos à nobis eſſe; deinde attingemus, id non videri obſta-

obſtare definitioni huius Myſterij.

172 S. Dominicus, Religionis Prædicatorum Fundator, acerrimè tutatus fuit, Deiparam ab originali peccato fuiſſe præſeruatam: vt conſtat *ex lib. de Sacramento Corporis Chriſti*, quē ab ipſo fuiſſe compoſitum, multis probat Marcus Antonius Palau *in Defenſione Dominicana c. 2.* Præterea S. Dominicus errores Albigenſium confutauit; Ex his autem vnus erat error, Redemptorem humani generis debere naſci de Virgine non maculata, atque adeò non potuiſſe eſſe eum, qui natus fuit ex Maria, eo quòd maculā originalem contraxerit. Econtrà S. Dominicus oſtendebat, Mariam fuiſſe Immaculatam & aduerſus hunc, & alios errores libellum *de Corpore Chriſti* compoſuit; *Et prædicti Albigenſes furiosè inſurgẽdo contra ipſum B. Dominicum, dicebant, quòd illa Virgo fuit concepta in peccato originali; Et B. Dominicus, prout in ſuo libello continetur, reſpondit, quòd non erat verum, quod dicebant, quoniam Virgo Maria eſt illa, de qua Spiritus Sanctus per Salomonem ait,* Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te; *Finaliter exiſtentes hæretici in eorum erronea intentione venerunt ad miraculi experientiam, videlicèt quòd B. Dominicus proijceret, libellum ſuum in quodam furno ardente, & ſi ibi non combureretur, crederent dictis ſuis; Et B. Dominicus proiecit ipſum in furno ardente, & libellus inuſtus exiuit.* Verba hæc ſcripta ſunt in tabula quadam antiquiſſima, in qua miraculum eſt effigiatum, & extat in Archiuis Vrbis Barcinonenſis in Catalaunia, de cuius authoritate videatur Armamentarium Virginis *in Regeſto fol. 283.* Prædicti autem miraculi mentionem faciunt Pelbartus *lib. 4. Stellarij, par. 1. art. vlt.* Tartaretus *in 3. diſt. 3. quæſt. 1. in fin.* Bernardinus de Buſtos *in Officio de Immaculata Concept. ſecunda die Octauæ, lect. 4.* Alanus Pariſienſis *in prologo Defenſorij de Concept.* Coccius *libro 3. theſauri artic. 1. in fin.* P. Caniſius *lib. 1. de Deipara, c. 1.* P. Salmeron *in cap. 5. epiſt. ad Rom. diſp. 52.* P. Petrus de Oxeda *in informatione Eccleſiaſtica pro Concept.* Et obſeruatione eſt dignum, in libello, qui ab igne inuſtus euaſit, contineri ea verba ab Apoſtolo Andrea iuxta traditionem decerpta; *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & numquam maledicta formatus, ita decuit in ſecundo Adam fieri, id eſt, Chriſto, cuius terra, id eſt, Mater numquam fuit maledicta.*

173 De Angelico Præceptore D. Thoma egimus latè §. *10.* Et profecto id fuerit tribuēdum noſtræ ſummæ veneration Magiſtri cōmunis, quòd ægrè feratur, eum ab opinione pia dimoueri, cum valida ſint fundamenta, quibus videtur ſuaderi, illam fuiſſe ſecutum.

174 Deindè ex eadem Sacra Prædicatorum Familia Immaculatam Conceptionem Virginis defenderunt S. Vincentius Ferrer, B. Ludouicus Beltran, S. Ramon de Peñafort, Sanctus Antoninus, Hugo de S. Caro Cardinalis, Ioannes Taulerus Viguerius, Heruæus, Natalis, Ioannes de Fenario, quorum tres poſtremi totius Ordinis Generales fuerūt. Ioannes à S. Geminiano, Holcot, Hugo de Prato Florido, Sanctius Porta, Ambroſius Catharinus Archiepiſcopus Complenſis, Guillelmus Pipinus, Vincentius Iuſtinianus Antiſtes, Raymundus Paſcelius, Bartholomæus Piſanus, Petrus Doze, Dominicus Soto, Iacobus de *Vo*ragine Epiſcopus Ianuenſis, Ioannes Baptiſta Lanuza Epiſcopus Aluarracinenſis, Laurentius Gutierrez, Hieronymus *Al*monacir, Illuſtriſſimus D. Fr. Ioſephus Gonzalez *Archiepiſcopus* Compoſtellanus, Ioannes à Sancto Thoma Regis à Cō feſsionibus, Vincentius Veluacenſis, Leonardus Vtinus, Ludouicus de Granada, Ioannes de la Peña, Ioannes Lopez Epiſcopus Monopolenſis, *Alfonſus* de Cabrera, *Abraham* Zobius, Mauricius de Villaprobata, Mancius, Baltaſar Sorio Ordinis Generalis, Petrus de Tarantaſia, qui poſtea fuit Pontifex Innocentius *V.* Claudius de Rota, Pontifex Pius *V.* *Alfonſus* Nauarro, Medina, Mendez, Herrera, Gutierrez, Dominicus Florentinus, Reguſes, Egidius Fuſcarius, Philippus Diaz, Franciſcus Foreſius, Ioannes Herol Ordinis Generalis, Leonardus Marinus, Paulus Condeſtable Magiſter Sacri Palatij, *Albertus Aguayo* Epiſcopus *Aſtoricenſis*, Melchior Canus, Ferdinandus Oxea, Didacus Mas, primarius Valentiæ Theologiæ anteceſſor, & plurimi alij, quos relatos inuenies à Marco *Antonio* Palau *in Defenſione Dominicana*; à Vincentio Iuſtiniano eiuſdem Ordinis, *tractatu de Conceptione. A* Fr. *Alfonſo* Sobrino, *eodem tractat. de Conceptione* à P. Salazar *tom. de Concept. cap. 42. ſæculo 13. pagina 434.* ab Enriquez *tomo 1. de Sacrament. libro 3. cap. 11.* à P.

Ioanne Antonio Velazquez *de Maria Immaculatè concepta, libr. 4. dissertat. 2. numero 12.*

175 Hinc loquens de opinione pia Ioannes Fenarius Sacri Ordinis Prædicatorum Generalis, *Dicere solebat, antiquiores Magistros, quantò magis docti, & quantò magis sancti essent, tantò magis eam sententiam vltrò amplexaturos, non quidem sectantes alios, sed cunctos ipsi anteuertentes, animo multò promptiore, ac propensiore pro gloria Matris.* Verba sunt Ambrosij Catharini *in disputat. ad Concil. Tridentin. part. 1. col. 66.*

176 Martyrologium Ordinis Prædicatorum editum Salmanticæ anno *1579.* & dispositum ex mandato Seraphini Caualli, eiusdem Ordinis Generalis, necnon Manuale ipsius Religionis excussum Hispali anno *1524.* habent Festũ Conceptionis Virginis. In quo Manuali, extat illud celebre Decretum de opinione pia tuenda; nam, cum præmissum fuisset, in eo Sacro Ordine defendi solitum fuisse, Deiparam esse in originali culpa conceptam, additur; *Sed iam de hoc non est curandum, cum sit materia nullius vtilitatis, & valdè scandalosa; præsertim, cum tota ferè Ecclesia (cuius vsus, & authoritas secundùm B. Thomam 2. 2. quæst. 10. art. 12. præualeat dictis Hieronymi, & cuiuscumq; Doctoris) iam asserat, quòd sit præseruata.*

177 Anno *1602.* sub Hieronymo Xauierre Ordinis Prædicatorum Generali, pro toto Ordine id fuit stabilitum; *Strictè prohibemus, ne quis audeat in publico prædicare, vel docere, quòd B. Virgo fuit concepta in originali propter scandalum fidelium.* Refert id D. Ioannes Serranus Episcopus Acernensis, & ex eo P. Velazquez *vbi suprà num. 14.*

178 Vincentius Iustinianus eiusdem Ordinis, *tract. de Concep. §. 18.* affirmat, in plurimis suæ Religionis Cœnobijs solemnissimè celebrari Festũ Cõceptionis, & in Prouincia Bætica, nõ obstante tempore Aduentus, hanc Festiuitatem cum Octaua peragi; Ac in Cœnobio Vrbis Valentiæ in extremo circulo cymbali grandioris hæc verba esse insculpta; *Maria Virgo ab omni peccato originali immunis fuit*; Quasi in hoc Sacro Ordine non solùm plurimorum Sapientum, sed Cymbalorum voces Immunitatem Deiparæ personent, in eoque illam absque peccato originali fuisse cõceptam inclametur; (Hispanè diceres) *à campana tañida.* Illustrissimus Fr. Iosephus Gõzalez ex eodem Sacro Ordine Festum Conceptionis in Alma sua Ecclesia Cõpostellana in perpetuum dotatum reliquit.

179 Constat ex his omnibus, Sapientissimos, ac innumeros ex insigni Prædicatorum Religione pro Immaculata Conceptione Virginis militare, ipsũque Sacrum Ordinem hanc pietatem fouere; vt iam non mireris, Marcum Antonium Palao Decanum Almæ Ecclesiæ de Origuela, librum edidisse, cui titulus est, *Defensa Dominicana*; ad eumq; scopum collimare, vt vindicet hunc Sacrum Ordinem ab existimatione, qua creditur, vndique, & omnino contrarium esse opinioni piæ; Nec adhuc videatur odiosus titulus *adnotationis 2. lib. 4. dissertat. 9.* à P. Velazquez præfixus, nempè; *Sacram Sancti Patris Dominici Religionem cum Sanctissima Minorum Familia de obsequio erga Deiparæ immunitatem piè contendere.*

180 Sed, casu negato, quòd totus Sacer Ordo Prædicatorum opinioni piæ de Immaculata Deiparę Conceptione contradiceret, quamuis eius authoritas maximi semper est facienda, tamen obstare non videtur, quominùs id mysterium à Sede Apostolica definiatur. Primò, quia vsus, & authoritas Ecclesiæ præponderat authoritati cuiuscumq; Doctoris, iuxta doctrinam Diui Thomę; authoritas autem, ac vsus Ecclesiæ stat pro Immunitate Deiparæ, vt satis superiùs stabiliuimus, & fatetur ipse Sacer Ordo Prædicatorum in verbis allatis *num. 176.* vnde, quòd obsistat opinioni piæ ipsemet illustris Ordo, non tollit definitionem mysterij, pro quo militat præponderans authoritas. Secundò, quia non solùm authoritas Ecclesiæ, sed omnia fundamenta allata, & adducenda in hoc Appendice conuincunt veritatem huius mysterij, ac proximam eius definibilitatem; Dubitari autem nequit, etiam si altissimè, vt par est, de authoritate Sacri Ordinis Prædicatorum sentiamus, hanc non præponderare, nec æquiualere, aut ponderis momentum æquale præferre omnibus fundamẽtis iam allatis, saltem simul sumptis; Memoria repetantur, & in epilogum reuocentur, vt de distantia constet vnius authoritatis ab alia. Tertiò, quia in Conciliis Generalibus plures veritates definitæ fuerunt, quæ antecedenter ventilabantur, & aliquæ ex illis contrarios habuerunt Viros insignes, doctissimos, imò

imò & Patres Eccleſiæ, plurimoſque eorum aſſeclas. Poſſem non pauca exempla in medium proferre, quæ tamen omitto, & quia ſatis omnibus doctis conſtant, & ne extra quæſtionem longior diuagari cenſear. Videatur Ioannes à Fonte *in allegation. pro Concept.* Igitur, quòd Opinionē piam nō ſequatur Religio quædam ſacra, eſtò illuſtriſſima, nō obeſt, quominùs à Sede Apoſtolica definiatur, cum præter illā cuncta Eccleſia, Religiones, Academiæ, Authores, antiquitas, traditio, Reuelationes, Miracula, Pontifices, Tribunalia Fidei, Communitates, vox populi, aliaque fundamenta pro præfata opinione pia apertè ſtent, vt in ſuperioribus ſtabiliuimus, & dhuc erit firmandum.

§. XIII. *Nec eneruatur Opinio pia de Immaculata Conceptione ex eo, quòd alijs retrò ſæculis illam aliqui Authores impugnauerint, cum ſemper fuerint reiecti.*

181 PRO ſententia oppoſita referuntur plures Doctores Pariſienſes; Quorum authoritas parùm vrget ex eo, quod iam ſuperiùs obſeruauimus; Nempè Mauricium Epiſcopum Pariſienſem promulgaſſe Decretū anno 1175. quo præcipiebat, vt in ea Academia non defenderetur Opinio pia; Viguit hoc decretum centum ſeptuaginta vno annis vſque ad annum 1346, in quo ab Epiſcopo tunc exiſtente, ab ipſaque Academia fuit reuocatum, & contrarium decretum editum fuit, omneſque iureiurando ſe obſtrinxerūt defendendi Immaculatam Conceptionem. De hoc decreto, & de antecedenti, eiuſq; reuocatione videantur Altiſiodorenſis *in ſum. tract. 1. cap. 5.* Bochon *in 3. diſt. 3. q. 4.* Ioannes à Fonte *in allegat. pro Concept.* Iacobus Bordan *tom 2. Chronolog.*

182 Hinc Doctores, qui, eo Decreto vigente, opinionem contrariam tenuerant, iam per Decretum ſubſequens, ac Iuramentū emiſſum, fuere reiecti. Quin & illi, ſaltem plurimi, vt ſuprà attigimus, non ex animi ſenſu loquebātur, ſed, vt morem gererent Decreto; quare, cum primū extra Academiam Pariſiēſem eius ſtatutis exonerabantur, Opinionem piam acerrimè defendebant. Indè Heruæus docuit in Academia Pariſienſi Opinionem minùs piam, *in 3. diſt. 3.* Et poſtmodùm Opinionē piam tutatus fuit *ſuper cap. 2. ad Corinth. c. 5.* Paludanus etiam Patriarcha Hyeroſolimitanus tenuit Pariſijs Opinionem contrariam *in 3. diſt. 3.* Et deindè Immaculatā Conceptionem propugnauit *triplici ſermone de Conceptione.* Alexander de Ales, dum eſſet Pariſijs, Decreto Mauritij morē geſſit; poſteà tamen ſex libros in fauorem piæ Opinionis ſcripſit. Plura ſimilia poſſem afferre, quibus conuincitur, Doctores Pariſienſes vi, & non ſpontè, in oppoſitam opinionem deflexiſſe; & quidquid de eis ſit, ſi aliqui ex animi ſenſu fuere locuti, conſtat, fuiſſe reiectos.

183 Quingentis ab hinc annis, & ampliùs, aliqui in Anglia Opinionem piam impugnarunt; Militauit ſtrenuè aduerſus illos S. Anſelmus, obtinuitq; nobilem triumphum, ac Feſtum Conceptionis in eo Regno firmiter ſtabiliuit, & ad Epiſcopos ſuper eo eruditas litteras, necnon piiſſimas conſcripſit. Legatur Ioannes Bochon *in 4. diſtinct. 2. quæſtion. 4. articul. 2.*

183 In Academia Colonienſi extitere nonnulli opinionis contrariæ defenſores; Scotus verò, ſubtiliſſimus Doctor, circa annum 1300. eos impugnauit, & omnino conuicit, communi adeò cunctorum plauſu, vt cognomen *Subtilis* tunc ei fuerit adaptatū. Conſulatur Rodulphus *in Hiſtoria Seraphica, lib. 3.*

185 Aliquot deindè poſt annos Ioannes de Monteſono propugnauit opinionem minùs piam, & alias ſimul opiniones; Quas cum attētè examinaſſent Epiſcopus, & Academia Pariſiēſis, eas reprobarunt; Et inter illas à decima vſq; ad decimam tertiam extat illius opinatio de Conceptione, inueniēturq; in textu Magiſtri Sententiarum in editione anni 1540. Indè Paulus Venetus *tract. de Concept.* aſſerit; *Manifeſtè liquet in Vniuerſitate Pariſienſi, vbi hæc opinio eſt adprobata, quia offendebat pias aures.*

186 In Hiſpania ab anno 1390. vſque ad annum 1437. nonnulli opinionē contrariam docuerunt; ſed contra ſe commune iudicium, & odium concitarunt; adeò vt aduersùs illos reſcripta graues pœnas continentia expediuerint Rex Ioannes Primus anno 1394. Rex Martinus anno 1408. Regina Maria in Comitijs Gene-

ra-

neralibus anno *1437*. De quibus aliqua iã ſuperiùs attigimus, & videndi ſunt Author es ibi relati, & Epiſcopus Soſa, *fol. 27*.

187 Cæterùm, cum aliqui perſiſterẽt in defenſanda oppoſita opinione, ante Pontificem Sixtum IV. cõtrouerſia fuit ex vtraque parte agitata, & victoriam retulit Opinionis piæ propugnator Fr. Franciſcus Lombardus, ex Sacro Minorum Ordine, quem, vt victorem, Pontifex laudauit aſſerens, *Tu es verus Sanſon*; exindeq; cognomine mutato, vocatus eſt F. Franciſcus Sanſon. Videatur Chronica Ordinis S. Franciſci *2. part. cap. 60*. Adhuc tamen in ſuo propoſito perſtitere aliqui ex aduerſantibus, & Opinionem piam damnare ſunt auſi, atque aſſerere, Conceptionem, cui Feſtum in Eccleſia dicatur, non eſſe Conceptionem naturalem Deiparæ, ſed ſpiritualem. Id Pontifex Sixtus moleſtiſſimè tulit, & anno *1482*. expediuit Extrauagantem *Graue nimis*, anno vndecimo ſui Põtificatus, in qua damnauit opinionẽ eorum, qui cenſuram ſententiæ piæ infligebant, ſeu eorum cenſuram, & ſimul opinionem *Aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eam dem Sanctam Romanam Eccleſiam de ſpirituali dumtaxàt Conceptione, & Sãctificatione eiuſdem Virginis glorioſæ Feſtũ celebrare*. Explicatque, quam ægrè tulerit inſiſtentiam Authorum aduerſantium his verbis *Eò grauiùs prouocati, quò illi periculoſiùs remanent incorrecti*. Hãc Extrauagantẽ innouauit Concilium Tridentinum *Decreto de peccato originali, in fine*.

188 Anno *1501*. referente Laurentio, Surio in Academia Moguntina aliqui contra Opinionem piam inſurrexerunt; quos vt omnino repelleret Academia, condidit ſtatutum, quo prohibuit, Gradum in Theologia ab vllo aſſumi, qui primùm iureiurando non ſe obſtringeret defendendi Immaculatam Conceptionem.

189 Anno *1512*. ex ſolo Sacro Ordine Minorum octo mille alumni Religioſi doctiſſimi Ferrariæ conuenerunt, vt piam opinionem contra aliquos impugnatores tuerẽtur; Reportauere triumphum, qui pluribus elogijs commendatur ab omnibus illius tẽporis Hiſtoriographis. Anno *1520*. vt aſſeruimus *num. 176*. Defenſoribus Opinionis contrariæ ſeuerè iniunctum eſt, ne ei defendendæ inſiſterent, cũ ea eſſet materia nullius vtilitatis, & valdè ſcandaloſa; prout in prohibitione aſſeritur.

190 Anno *1375*. Pariſijs quidã publicè Opinionem piam refutabat; Conuicit illum Feuardentius, teſtimonia plurimorum Patrum Eccleſiæ in mediũ producens. Hinc pio zelo excitati Doctores Pariſienſes, quibus tunc Gloſſa Ordinaria edenda in lucem erat commiſſa, in ea apſuerunt plures Patrum Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ authoritates Opinionem piam comprobantes, vt videre eſt in ipſa, quæ typis fuit mandata Pariſijs anno *1589*.

191 Adhuc noſtro æuo non defuerunt, qui opinioni piæ reluctarentur, ſed Pontifex Gregorius XV. ſilentio indicto eos compreſſit, vt ſuperiùs retulimus. Imò opinio contraria, (antequàm à Sede Apoſtolica præciperetur, ne ei nota infligeretur cenſuræ) fuit notata vt ſcandaloſa, malè ſonans, & piarum aurium offenſiua, ac temeraria; &, cum id libris, & ſcriptis circumferretur, nec Pontifices Summi, nec Sanctæ Fidei Tribunalia quidquam ex eo prohibuerunt. Et quidem Academia Pariſienſis cenſura notauit oppoſitam opinionem; atque, vt affirmat Miranda *de Cõcept. cap. 99*. qui eam defendebant, puniti fuerunt, ducentorum annorum ſpatio, vt impij, ſcandaloſi, & contumaces, & cogebantur, vt pallinodiam canerent. De his omnibus videantur Albertinus relatus ab Ægidio de Præſentatione *lib. 3. de præſeruat. quæſt. 2*. Ioannes à Fonte *in allegatione pro Conceptione fol. 14*. Recolantur etiam, quæ in ſuperioribus attulimus de his, qui apud Fidei Tribunalia delati pro acriori defenſione Opinionis piæ incolumes euaſerunt. Sanè anno *1530*. vir doctus apud Supremum Fidei Tribunal fuit accuſatus, quòd opinionem contrariam incũctãter aſſereret eſſe temerariam, ſcãdaloſam, & malè ſonãtem; Interrogatus ille in ſuo dicto perſtitit, & ratum habuit, ac nihilominùs Tribunal illud Sacrum eum indẽnem, ac liberum abire iuſſit.

192 P. Ioannes Antonius Velazquez *tom. de Maria Immaculatè concepta, lib. 3. diſſertat. 3 adnotat. 1. & 2*. recenſet aliquas illuſtres victorias ab impugnatoribus Opinionis piæ reportatas, quarum vnam vel aliam breuiter præſtringam. Petrus Cellenſis reſtitit aliquãdo noſtræ ſententiæ; impugnauit illum Nicolaus Monachus S. Albani, & poſt exactam diſceptationem Cellenſis conuictus aſſeruit; *Credo, dico, aſſero, & iuro, Beatiſſimam Virginem noſtram in æterna prædeſtinatione ſingulari priuilegio munitam, nec à ſua Conceptione in ali-*

aliquo violatam, ſed ſemper manſiſſe, & permanſiſſe illibatam. Videantur epiſtolę vtriuſque diſceptatoris *tom.* 12. *Bibliothecæ Veterum Patrum, lib.* 9.

193 Non ſolùm in Academia Colonienſi, vt retulimus *numer.* 184. triumphum inſignem Scotus ab impugnatoribus fuit adeptus, ſed accerſitus ab Vniuerſitate Pariſienſi, cum ducenta argumenta contra Opinionem piam ei fuiſſent obiecta, omnia memoria tenuit, & ſingulis manifeſtè adeò reſpondit, vt omnes in ſuam ſententiam facilè traxerit, & *Victor* ab omnibus proclamatus exindè *Victoris* nomen obtinuerit. Ita enarrant Pelbartus *lib.* 2. *Stellarÿ, part.* 1. *art.* 3. P. Ferdinandus de Salazar *de Concept. ſæculo* 14. *initio.*

194 In Concilio Baſilienſi (quod, ſcio, non fuiſſe ab Eccleſia receptũ, ſed quanti debeat haberi, quod omnes Patres in eo ſenſerunt, ſuperiùs libauimus) Fr. Ioannes de Montenegro vir doctiſſimus ex illuſtri Prædicatorum Familia per octo dies argumenta contra Opinionem piam propoſuit; Satisfecit per eoſdẽ dies illis Doctor Ioannes de Contreras Segouienſis; & re matùrè conſiderata, Concilium ſtabiliuit, Deiparam abſque originali culpa fuiſſe cõceptam; eiuſque verba in ſuperioribus tranſcripſimus.

195 Ioannes Tritemius anno *1495. in libro de laudibus Sanctæ Annæ* Immaculatam Conceptionem propugnauit; Inſurrexit in illum Vuigandus Caupo nis; duellum indè litterarium fuit exortũ, quod biennio durauit; Sed pro Tritemio plures tunc ſcripſere, & demùm Vniuerſitas Colonienſis pro illo ſtetit, atque Vuidangus opinionem ſuam abiurauit. Poſtmodùm contra Tritemium in Curia Romana ſub Alexãdro VI. actum fuit, ſed nihil peractum; ille enim pro ſe, & pro Opinione pia habebat Academias Pariſienſem, Colonienſem, & Tubingenſem, Ordineſque Sacros Minorum, & Carmelitarum, & maiorem cætum Eminentiſſimorum Cardinalium, Archiepiſcopos, Epiſcopos, ac plures Principes, & ferè omnem in Germania Clerum, ac viros doctos, & eruditos innumerabiles.

196 Ex dictis, & ex pluribus alijs, quæ prætermitto, manifeſtè conſtat, omnibus ſæculis Authores opinionis contrariæ paſſos fuiſſe repulſam, & numero pauciſſimos extitiſſe, ſi eos compares his, qui ſemper Opinioni piæ conſtantiſſimè adhæſerunt, & ſanè ſaltem nec virtute, nec dignitate, nec ſapientia impares. Quare hinc non infirmatur, ſed potius roboratur Opinio pia.

§. XIIII. Nec Summi Pontifices opinioni impugnanti Conceptionem Immaculatam Virginis vnquam fauerunt, nec pro illa Decreta expedierunt.

197 RECENSVIMVS *ſuprà, à numer.* 31. plurimos Pontifices Summos pro Immaculata Cõceptione ſuffragium, & approbationem ferentes. Attamen pro contraria opinione aliquos ſtetiſſe contenditur. Affertur pro ea Innocentius II. Sed vbi illam probauerit, non inuenies, cum nec Bulla, nec Decretum ab eo expeditum reperiatur, niſi in Decretalibus, vbi hanc materiam neutiquam attigit. Et ſanè illum nullus huc adducit, niſi Bandellus, cuius authoritatem eſſe lubricã, iam ſuperiùs obſeruauimus.

198 Affertur etiam Innocentius III. Attamen ipſe fuit Magiſter Pariſiẽſis, vt annotatur in prologo Operum eiuſdem, quæ excuſſa ſunt Venetijs anno *1578.* Et quidem tunc Pariſijs docuit, cum Decretum Mauritij vigebat; hoc enim promulgatum fuit anno *1175.* Innocentius autem in Pontificatum fuit aſſumptus anno *1198.* Vnde cernitur, caſu quo ibi docuerit opinionem contrariam, morem geſſiſſe Decreto, ſicut de alijs Doctoribus Pariſienſibus apertè demonſtrauimus, qui non ex animi ſenſu loquebantur. Quin locus, qui affertur ex eius Operibus, obſcurus eſt, & illum exponunt Authores noſtræ ſententiæ, ita vt non obſtet. Id ſaltem eſt certum, nihil contra opinionem piam ſcripſiſſe, aut ſtatuiſſe, dum eſſet Pontifex; quare ſolùm, vt Author vnus peculiaris, poſſet ad ſummum contra ſententiam piam afferri.

199 Adhuc Innocentius V. vt contrarius, allegatur. Sed ille ex Ordine Sacro Prædicatorum fuit, appellatus Petrus de Tarantaſia, & ſcripſit ſuper libros Sententiarum Pariſijs tempore, quo florebat Mauritij Decretum; hoc namque editum fuit, vt nuper dicebam,

anno

anno *1175.* & reuocatum anno *1346.* Medio autem tempore ſcripſit ille, ſi quidem Pontifex fuit creatus anno *1276.* In Pontificatu ſaltem nihil eorum ſcripſit, quippè abſens fuit electus, & quinque dumtaxàt menſibus poſt electionem vixit. Cęterùm Pariſijs, vt morem gereret ei Decreto Mauritij, opinioni piæ non aſſenſit; poſteà verò eam firmiter defendit, atq; adeò pro ea affertur à Marco Antonio Palau *in Defenſione Dominicana, fol. 19.* & ab alijs Authoribus.

200 Opponitur rursùs, Sedem Apoſtolicam prohibuiſſe Confraternitatem Stellarij, erectam ſub titulo Immaculatæ Conceptionis, ergo hic titulus *Immaculatæ Cõceptionis* ab ea Sede eſt prohibitus. Non video conſequentiæ vim, nec formalis eſt illatio. Sicut, ſi quis argueret; Sedes Apoſtolica prohibuit Religionem Templariorum, ſeu Militum Templi Sancti; ergo hic titulus *Militum Templi Sancti* ab ea Sede eſt prohibitus; Sanè nec verè, nec formaliter conſequentiam inferret; Etenim prohibita eſt ea Religio ob exceſſus; non verò titulus. Sic etiam in præſenti prohibita eſt illa Confraternitas ob abuſus, non verò titulus Immaculatæ Conceptionis, qui adeò à Sede Apoſtolica laudatus, & commendatus eſt, *vt ſuprà, à numer. 31.* oſtendimus; Et quidem ea Confraternitas, extantibus eiſdem cauſis, eodem modo fuiſſet prohibita, quamuis erecta eſſet ſub titulo Saluatoris, aut Aſſumptionis Deiparæ, aut Sanctiſſimæ Virginis, quin propterea ab vllo dici poſſet, hos titulos prohiberi.

201 Opponitur præterea, Piũ V. in Bulla, quæ incipit *Quod à nobis*, & initio Breuiarij Romani eſt affixa, prohibere cætera Officia Diuina, niſi quæ in eo continentur, & conſequenter Officium Conceptionis compoſitum à Leandro Nogarolis, in quo titulus *Immaculatæ* tribuitur Conceptioni, vnde hunc titulum cernitur prohibuiſſe. Et prętereà Gregorius XV. præcepit, ne in Officio Eccleſiaſtico eſſet alius titulus, quàm *Conceptionis*, quare & vox *Immaculata*, & vox *Præſeruatio*, quæ in Officio Leandri extãt, prohibitæ ſunt reputandæ. Reſpondeo, in ea Bulla prohiberi cætera Officia Eccleſiaſtica, *Illis tamen exceptis, quæ ab ipſa prima inſtitutione à Sede Apoſtolica approbata, &c.* Officium autem Leandri Nogarolis à ſua prima inſtitutione approbatum fuit à Sixto IIII. in Extrauaganti *Præexcelſa* expedita anno *1476.* quare minimè fuit ibi prohibitum à Pio V. Quod manifeſtè liquet, nam poſt eam Bullam vtũtur eo Officio aliquæ Eccleſiæ, & totus Sacer Ordo Minorũ. Hinc etiam reſpondetur ad obiectionem ex Decreto Gregorij XV. qui neutiquam prohibuit titulum *Immaculata*, ſed potiùs in fauorem noſtræ ſententiæ præcepit, ſolummodò ſub nomine Conceptionis Feſtum celebrari, & non ſub titulo Sanctificationis, aut alio, qui opinionis contrariæ eſſet proteſtatiuus.

202 Indèque confirmatur, nunquam fuiſſe prohibitum titulum *Immaculatæ Conceptionis*, nam prohibitus non eſt titulus *Sanctæ Conceptionis*, imò per Sedem Apoſtolicam præfixũ in Octauo Reſponſorio lectionum ad Matutinum in Officio Conceptionis, quod tenentur omnes Eccleſiaſtici perſoluere, ibi, *Quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem.* Vox autem *Sancta* ſaltem ſignificat id, quod *Immaculata*; cum ſanctum formaliter dicat ſanctitatem, & gratiam, ac peccati carentiam. Imò in opinione probabili aſſerentium, poſſe de potentia Dei abſoluta, ſeclusa prouidentia de facto data, reperiri carẽ etiam peccati abſque gratia ſanctificante, plus importat in ſui ſignificatione vox *Sancta*, quàm vox *Immaculata*; nam illa dicit formaliter gratiam, hæc ſolùm formaliſſimè præſefert carentiam peccati; Quare, ſi infans in puris naturalibus crearetur abſq; gratia habituali, eſſet immaculatus, cum careret macula peccati, & non eſſet ſanctus, cum gratia non eſſet ornatus. Si igitur *Conceptio Sancta* à Sede Apoſtolica nũcupatur, & in Officio Eccleſiaſtico præfigitur, ſanè Conceptio Deiparæ ornata gratia, ac ſanctitate prędicatur, & non prohibetur, eam dici Immaculatam, cum vox *Immaculata* non ſignificet amplius, quàm vox *Sancta*. Vel dicant mihi, quid ſignificet *Conceptio Sancta*, cum aliundè ſtabilitũ ſit à Sede Apoſtolica, Conceptionem, quæ celebratur, eſſe Cõceptionem naturalem, quæ fit in inſtanti, & non Cõceptionem ſpiritualem? Ego ſanè non inuenio alium ſenſum, quo poſſit exponi.

203 Obijcitur deindè, Vrbanum VIII. cum ab eo efflagitaretur, vt in Officio Cõceptionis adderetur vox *Immaculata* ſupra vocem *Conceptionis*, noluiſſe precibus poſcentium acquieſcere. Sed in primis hoc argumẽtum eſt negatiuum, nec ex eo probatur, illum prohibuiſſe vocem *Immaculata*; & conſtat non fuiſſe ab

ipſo

ipſo prohibitam eam vocem in Officio Leandri Nogarolis. Itaque Vrbanus noluit innouare aliquid in Officio Eccleſiaſtico, cum, exceptis lectionibus ad Matutinum, idem Officium recitetur in Feſto Natiuitatis Deiparæ, ac in Feſto Conceptionis, mutata ſolùm voce *Natiuitas* in vocem *Conceptio;* quare in id reſpexit, vt vtrumque Feſtum eodem Officio, abſque immutatione, celebraretur, ſicut hucuſq; fuit celebratum. Et ſanè, qui ab eo non ſuſtulit titulum *Sanctæ Conceptionis*, non dubitaret addere titulum *Immaculatæ*, niſi eo fine eſſet ductus. Quod confirmatur, quia, ſi nunc myſterium Immaculatæ Conceptionis à Sede Apoſtolica definiretur, non eſſet opus innouari aliquid in præfato Officio, nec addere titulum *Immaculata Conceptio*. Et quamuis hoc caſu poſceretur à Summo Pontifice, vt eum titulum adderet, & id negaret, non poſſet indè argumẽtum ſumi contra Immaculatam Conceptionem, ſi quidem eſſet iam definita; ſolumque probaretur, noluiſſe Pontificẽ innouare in Officio Eccleſiaſtico quidquã; Id ipſum ergo in præſenti probatur.

204 Vrgent adhuc ex eo, quòd ipſe Vrbanus VIII. in ſuis litteris Apoſtolicis confirmantibus nouum Ordinem Militarem ſub titulo Conceptionis erectum noluerit apponere vocem *Immaculata;* quin, cum ea fuiſſet addita ab aliquibus authoritate propria in illis litteris, iuſſit, eam indè deleri. Sed reſpondeo ad primum, eſſe dumtaxàt argumentum negatiuum, quod nihil euincit. Sicut, quod Pontifices titulum *Immaculatæ* non tribuerint Natiuitati Virginis, non probat, eum eſſe prohibitum, aut Natiuitatem non fuiſſe Immaculatam. Quid? quòd, vt iam aſſeruimus, Sixtus IV. & alij Pontifices eam vocem *Immaculatæ Conceptionis* in Officio Leandri Nogarolis approbarũt, quod fuit perindè, ac ſi ipſi eum titulum tribuiſſent? Ad ſecundum aſſero, non fuiſſe deletum eum titulum iuſſu Pontificis, eo quòd eſſet falſus, aut ab eo prohiberetur, ſed quia ſuperadditus fuit abſque eius authoritate litteris Põtificijs, quibus addi quidquam ab aliquo authoritate propria non licet. Sicut, ſi in Bulla Pontificia extaret hæc vox *Chriſtus*, & aliquis ſua authoritate adderet hunc titulum, *Iudex viuorum, & mortuorũ*, præciperetur, hanc additionem deleri, non quia ea verba prohiberẽtur, aut eſſent falſa, ſed quia illicitum eſt, litteris Pontificũ quidquam, quamuis in ſe verum, ſuperaddere.

205 Oponitur etiam Bulla Pij V. quæ incipit *Super ſpeculam*. Sed immerito. Etenim in ea Põtifex ſolùm prohibet cõtrouerſias, ac diſputationes in lingua vulgari circa Virginis Conceptionẽ; eo fine motus, ne indocti, & ignari tumultuarentur, diſcordiaſque excitarent, ſi ſibi inuicem repugnarent, zelo imprudenti ducti. Imò iam ipſa Sedes Apoſtolica nõ pauca immutauit ex his, quæ in illa Bulla fuerunt conſtituta, exigente id temporum, & circunſtantiarum varietate.

206 Demùm opponitur quoddã Decretum expeditum anno *1644.* in quo prohibitum fuit, ne titulus *Immaculatæ* tribueretur Conceptioni. Sed in primis in Hiſpania noſtra nec illud fuit promulgatum, nec in vſu eſt. Deindè id Decretum non emanauit à Pontifice, ſed à quadam Congregatione Eminentiſſimorum Cardinalium, quæ ſanè inferior eſt Pontifice; inferior autem nequit reuocare Decreta Superioris; Vnde, cum Pontifices, vt ſatis oſtendimus in ſuperioribus, toties approbauerint titulum *Immaculatæ*, & vocẽ *Præſeruationis*, nequeunt hi tituli prohiberi niſi à Sede Apoſtolica. Et quidem Illuſtriſſimi Nuntij Pontificis in Hiſpania, & Sacræ Fidei Quæſitores, qui exactiſſimè curant, vt Decreta Põtificia ad vſum perducantur, & obſeruentur, nihil circa eius tituli prohibitionem ſtatuerunt, vnde omnes eo, voce, & ſcripto, vtuntur. Nec pro meo imbecilli captu video, quid referat, tolli titulum *Immaculatæ*, ſi in Officio Eccleſiaſtico manet præfixus titulus *Sanctæ Conceptionis*, quin tollatur.

207 Nec poſſum non obiter libare, hoc Decretum (cum primùm fuit obtentum) in Hiſpania, fortè plus quã par erat, ab aduerſantibus fuiſſe inclamatum; &, cum Comitia Generalia Regni Caſtellæ, & Legionis tunc in Curia Madritenſi fuiſſent congregata, à Rege noſtro Philippo IV. exorauerunt, vt conaretur, impetrari eiuſmodi Decreti reuocationẽ; quibus precibus ſic pijſſimus Rex reſpondit; *Nullum obſequium ex omnibus, quæ Regnum mihi hactenùs præſtitit, gratius mihi eſſe poterat, quàm id, quod in hac cõſultatione præſtitum video, propter intimum affectum, quem myſterio puriſſimæ Conceptionis Deiparæ vnicè deuotum gero, cuius interuentu, laborũ, quos hæc Monarchia patitur, leuamen nos impetraturos cõfido; cumq; ad peculiare Regni debitum ſpectet, huic fini aſſequendo expedientiſſima quæque inquirere, primum abſque dubio, & vnicum*

nicum illud eſt, de quo hic ad me reſcert; cui idcirco libens aſſentio; & vt Romã in eamẽ ſententiam litteræ deſtinarentur, iuſſi. Siquidem, licèt per Conſilia Status, & Cubiculi, idem negotium expediendum curaueram, vt Decretũ, de quo hic eſt ſermo, reuocetur, de integro ei mò dò incũbam. Et, ſi cauſæ huius definitio in mei ipſius Romam profecti, & ſollicitatoris officio fungentis induſtria voluereturconfeſtim ſumma alacritate iter ingrederer, meque fœliciſſimum iudicarem, ſi hac ratione tale Dominæ noſtræ obſequium exhiberetur. Hæc ſunt piiſſima verba noſtri Catholici Monarchæ fideliter ab Hiſpano in Latinum ſermonẽ conuerſa; Indeque cernitur, quantùm Regnum Hiſpanię, ſimul cum ſuo Iuſtiſſimo, ac Potentiſſimo Rege erga Conceptionẽ Immaculatam ſit ex corde affectum, & ex animo ſacratum.

208 Ex eo autem, quòd id Decretum reuocetur, nullum profluit incommodum. Etenim ob circunſtãtias occurrentes ipſa Decreta Pontificum ſolent à Succeſſoribus reuocari; illud autem nõ eſt Pontificium, & vrgent circunſtantiæ, quare facilius reuocari valet. Deindè, ſi aduerſantes non reperiunt inconueniens in eo, quòd hoc Decretũ reuocet alia Decreta Pontificum, eum titulum *Immaculatæ Conceptionis* approbantia, cur inconueniens iudicetur, vt idipſum reuocetur, cũ inſtent tot, tamque ſolidæ rationes? quippè inſtant eę omnes, quas pro opinione in toto hoc Appendice in Epilogum redegimus.

§. XV. *Nec Diuus Paulus vllo modo contrariatur Opinioni piæ de Immaculata Deiparæ Conceptione.*

209 CONSVLTO abſtineo ab argumentis Scholaſticis pro opinione contraria efformari ſolitis, tũ quia ſatis manifeſtè refelluntur ab Authoribus noſtræ ſententiæ toto decurſu relatis; tum quia nimiùm hic Epilogus excreſceret; tum demùm, quia hæc materia plùs deſiderat alia fundamenta, & teſtimonia ſolida, quàm rationes metaphyſicas; non quia hæ plurimùm ad quamlibet veritatẽ firmandam non valeant, ſed quia mentes clariùs fundamentis aliis in hac quæſtione conuincuntur, maximè eorum, qui Theologicas, ſubtileſque argumentationes non capiunt; & tum doctos, tum indoctos, vel Theologię gnaros, vel ignaros, perfecta, & clara huius rei notitia inſtruere appetimus. Sed omittendum non fuit argumentum ex D. Paulo deſumptum, quod eſt validius opinionis contrariæ fundamentum.

210 Igitur Apoſtolus *ad Romanos cap. 5. verſ. 12.* ait; *Propterea, ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Vbi contenditur, à culpa originali primi hominis nullum ab Apoſtolo excipi, atque adeò nec Deiparam. Sed tamen ex his Pauli verbis nihil inferri contra Immaculatam Virginis Conceptionem, ex ſequentibus fit manifeſtum.

211 In Scriptura Sacra plures ſunt locutiones vniuerſales, quæ, niſi cum aliqua reſtrictione intelligantur, nequeunt exactè exponi. Sic *in Pſalm. 13.* aſſeritur; *Non eſt intelligens: non eſt requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum;* Alięque ſimiles propoſitioner ſæpè reperientur, quæ tamẽ veræ ſunt, quamuis ſint multi, qui intelligant, qui requirant Deum, & qui bonum faciant, & quamuis fuerit aliquis, qui non declinauerit. Etenim, iuxta doctrinam, & expoſitionem S. Thomæ, his locutionibus ſignificatur dumtaxàt, nullum *ex ſe* eſſe rectum, iuſtum, bonum, aut benè operãtem, cum ſit attributum proprium Dei, habere *à ſe* bonitatem, & iuſtitiam, ac benè operari, ſimulque omnibus perfectionibus eſſe præditum; homines autem nec *à ſe*, nec *ex ſe* quidquam horum habent, ſed cum gratiæ diuinæ auxilio, ſine qua omnes eſſent iniuſti, malè operantes, ac pleni miſerijs; ſed cum eo auxilio prę ſeruantur à culpis. Itaque eodem modo, ſi gratia aliquem non præſeruaſſet, omnes in Adam peccauiſsẽt; at, ſi gratia præſeruet, peccatum Adami non contrahitur. Audi D. Hieronymum *epiſt. 146. ad Damaſ.* aientem; *Secundùm illum canonẽ, quẽm ſæpè expoſuimus, Scripturarum, omnia, non ad totum referenda eſſe, ſed ad partem maximam; Vt, omnes declinauerũt; Et, omnes, qui venerunt ante me, fures fuerũt; Et, omnes, quæ ſua ſunt, quærunt.* Conſonant huic expoſitioni vocis *Omnes* plures Eccleſiæ Patres. Quare verba D. Pauli non ſignificant, nullum ab Adamo prouenientem fuiſſe à gratia præſeruatũ; ſicut verba adducta *ex Pſalm. 13.* non ſignificant, nullum fuiſſe, qui eis defectibus caruerit, ſi ei diuina

na gratia fauerit. Solùm ergo intēdit Apostolus, non præseruante gratia, peccato Adami omnes eius posteros fore maculādos

212 Nec hæc vox vniuersalis *omnes*, qua vtitur Apostolus eo rigore omnes comprehendit, vt indè Maria non excipiatur; nam in sacra pagina in proprio, & stricto sensu apponitur, & tamē aliqua exclusio, seu exceptio permittitur, quamuis ibidem non exprimatur. Exemplum sit. *Esther is 15.* Promulgauit legem Assuerus, ne quis non vocatus ad eum alloquendum ingrederetur, mortis pœna imposita legem non obseruantibus. Periclitabatur Hebræi populi salus, cui vt consuleret Esther, pœnæ timida, ingressa tamē est ad Regem, qui erga illam placidus asseruit; *Non morieris; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Itaque, cum lex pro omnibus lata fuisset, inter omnes non erat Esther annumeranda; ergo similiter vox *omnes*, qua pariter, & eodem modo vtitur Paulus, in phrasi Scripturæ locū reliquit exclusioni alicuius; vnde, quamuis pronūtiet, omnes in Adam peccauisse, rectè potest Mariæ aptari, quòd ea lex *Non pro te, sed pro omnibus constituta est.* Quod quidem eò cōgruētiùs asseritur, quòd iuxta expositionem communem Patrum Ecclesiæ in Assuero Christus, in Esthere Maria figuratur, indeq; Christus à lege cōmuni mortis peccati pro omnibus lata Mariam fecit immunem. Itaque ea vox *omnes* prefatam expositionem admittit iuxta ipsius Scripturæ expositionem. Nūc etiam audiendus est D. Anselmus alibi iam datus. *Paulus dixit, omnes in Adam peccasse. Vera vtique sententia. Sed cum eminētiam in te, Maria, considero, sicut te non intra, sed supra omnia contueor, ita & te non lege aliorum in tua Conceptione fuisse deuinctam opinor.* Videatur officium Leandri Nogarolis, & Guerrero *in concordantia, discursu 14. §. 1.* Itaque Maria in omnibus non includitur, quia supra omnes fastigiatur.

213 Confirmatur manifestè. Scripturę sacræ loca intelligi debent, sicut exponūtur à Patribus, & Doctoribus Ecclesiæ, & ab ipsa Ecclesia accipiuntur, ac Pontifices probant, simulque à cōmuni Authorum consensu explicantur, fideliumque suasione percipiuntur. Quippè, si hæc fundamenta deessent, vnusquisq; pro suo arbitrio posset illa interpretari, plurimique indè pullularent errores; Ac sanè par non est, vt liberè cuilibet liceat, Scripturæ testimonia iuxta suum sensum declarare, cum in ea mysteria, & doctrinæ ad Fidem, & Catholicam Religionem pertinentes includantur; ex ea enim libertate exponendi pro arbitrio Sacræ paginæ authoritates plurimi errores, ac hæreses dimanarunt, sæculis elapsis, cum gravi Fidei verę, ac Ecclesiæ detrimento. Hoc ergo, vt certissimo principio, suppositio, fit planum, Deiparam non comprehendi in verbis relatis D. Pauli, aliisque similibus, de peccato originali loquentibus. Etenim ea verba intelligenda sunt, vt ea intelligunt Patres Ecclesiæ, & ipsa Ecclesia, ac Pontifices probant, ac vt cōmune Authorum iudicium, & communis fidelium consensus confirmant; at hi omnes, vtpotè Immaculatam Cōceptionem propugnantes, iuxta dicta toto hoc Appendice, sentiunt, Deiparam non fuisse inclusam in ea lege posteros Adami damnante; ergo exponunt verba Pauli, ita vt ab eis Deipara excludatur. Igitur hic est verus sensus verborum Pauli. Accedit, quòd huic expositioni Apostoli apertè fauet Concilium Tridentinum, vt expendimus *suprà à numer. 51.* Paulus itaque Immaculatæ Conceptioni iuxta veram, & genuinam, ac tenendam expositionem, non repugnat.

§. XVI. Opinio pia de Immaculata Virginis Conceptione habet omnem certitudinem necessariam, vt ab Apostolica Sede definiatur.

214 MYSTERIVM Immaculatæ Cōceptionis Deiparæ est proximè definibile. Quæ conclusio infertur ex adhuc dictis. Etenim in hac veritate reperiuntur omnia requisita, quæ opus sunt, vt Sedes Apostolica aliquam veritatem definiat, nempè esse certam, & manifestam; concernere materias Fidei; & adesse necessitatem, aut congruentiam ingentem, vt definiatur: quæ ideò requiruntur, vt absit procul periculum errandi; semel enim veritate definita, cum Sedes Apostolica in his errare nequeat, illud periculum amandatur; deinde vt ea veritas, quæ est definienda, non sit inutilis Fidei, ac Ecclesiæ; demùm,

vt in definitione prudenter procedatur, & non absque commodo, vtilitateque ingentibus. Cæterùm in præsenti hæc omnia requisita dari, breuiter libabimus, nam integri de hoc extant libri. In hoc autem §. de certitudine huius veritatis agemus.

215 Et quidem, si certitudinem Fidei excipias, qua maiori certitudine potest aliqua veritas innotescere, quã hæc de Immaculata Virginis Conceptione? Quid aliud suadent solida fundamenta in superioribus adducta? Etenim hanc veritatem rationis instructæ fidei dictamina manifestant; loca ex Sacra Scriptura comprobant; approbatio Ecclesiæ, ac Sũmorum Pontificum euincit; Conciliorum authoritas munit; Sancti Ecclesiæ Patres, & Doctores firmant; & tandem eam stabiliunt traditio, antiquitas, commune Authorum iudicium: iuramentum defendendi ipsam emissum ab Almis Ecclesijs, ab Academijs, Vrbibus, Oppidis, Religionibus Militaribus, Congregationibus, & Confraternitatibus; item suffragium Tribunalium Sanctæ Fidei; vox populi, quæ est vox Dei; consensus cũctorum Sacrorum Ordinum, si vnicum demas; reuelationes, & miracula. Inspice retroactis sæculis veritates aliquas, quæ opinionibus fuerunt obnoxiæ, & postmodùm à Summis Pontificibus, aut Concilijs Generalibus sunt definitæ, & ante ipsarum definitionẽ nõ reperies in eis maiorem certitudinem, imò nec eam certitudinem, quæ tot simul fundamentis, ac circunstantijs esset comprobata, & fulcita, ac est hæc veritas de Conceptione Immaculata.

216 Adeò certa est hæc veritas, vt Franciscus de Sancto Iosepho *in libello supplici ad Pium V.* Ægidius de Præsentatione *libr. 3. de præseruation. quæstion. 3.* (quem Sacrum Fidei Tribunal Lusitaniæ approbauit) Ioannes à Fonte *in allegation. pro Conception. fol. 14.* & alij dixerint, Conceptionem Immaculatam Virginis iam esse à Sede Apostolica canonizatam. Etenim Canonizatio, iuxta stylum nũc obseruatum, consistit in eo, quòd Summus Pontifex aliquem nuncupet, & nuncupari assertiuè præcipiat *Sanctum*, simulque concedit, vt in eius honorem Templa construi, & publicæ inuocationes, ac Processiones à Fidelibus fieri valeant. At Summi Pontifices præcipiunt, vt Deiparæ Conceptio vocetur *Sancta*; Si quidem Pius V. ex illustri Prædicatorum Ordine, iussit, vt in eius Festo persolueretur Officium Ecclesiasticum Natiuitatis ipsius Deiparæ, mutata voce *Natiuitatis*, in vocem *Conceptionis*; In eo autẽ in Responsorio Octauæ Lectionis ad Matutinum asseritur; *Quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem*; quod idem Officium approbarunt Summi Pontifices post Pium V. ergo Sedes Apostolica canonizauit Deiparę Conceptionem, nuncupans eam *Sanctam*, & consequenter absque peccato, & cum gratia peractam; aliàs Sancta non esset Conceptio, si gratia abfuisset, & peccatum originale, quod cum gratia non coniungitur, eam fœdasset. Deindè Templa in honorem Conceptionis sunt constructa, & publicæ inuocationes ad eam à Fidelibus diriguntur, ita vt in his animus sit, colere, & venerari Immaculatam Conceptionem, vt superiùs ostendimus.

217 Occurrunt autem statim Authores præfati sequelæ, quæ posset opponi, & affirmant, non sequi ex hac doctrina, obligationem ex præcepto iam dari assentiendi Opinioni piæ de Immaculata Conceptione, tanquam veritati Fidei. Distinguũt enim duplicem modum, quo veritas aliqua potest esse infallibilis; alterum cum præcepto assentiendi, alterum absque illo. Primo modo se habent articuli, & definitiones, quibus assentire ex præcepto omnes tenentur. Aliæ veritates sunt infallibiles absque præcepto assentiendi imposito omni vniuersali Ecclesię; Ita Ecclesia Latina, vt veritatem infallibilem, sentit, Christum Dominum in pane azymo consecrasse; & non extat præceptum obligans vniuersam Ecclesiam ad assentiendum huic veritati, cum permittatur Ecclesiæ Græcæ assensus ad veritatem oppositam, nempè Christum in pane fermentato consecrasse, atque adeò ea Ecclesia in huiusmodi pane consecrat. Ita ergo aiunt, veritatem Conceptionis Immaculatæ esse infallibilem, sed absque præcepto assentiendi illi, quamuis detur præceptum non inurendi censura eos, qui assentiuntur. Quarè instantiæ, quæ fiunt, vt hæc veritas definiatur, eò tendit, vt Apostolica Sedes illam maiori solemnitate declaret, præceptum assentiendi iniungens, & omnem dubitationis ansam, & speciem è medio tollens.

218 Quæ duobus numeris præ-

precedentibus aſſerui, non è meo ſenſu protuli, ſed ex Authorum, quos retuli, iudicio; alijs enim relinquo, vt ſuam ſententiam proferant de præfato loquendi modo, & de eo, quo vtitur Guerrero *in Concordant. diſcurſ. 22. fol. 191.* vbi ita ait; *Para la mayor fuerza de la verdad deſte myſterio (en la manera, que ſe puede dezir, no dandolo por definido, ni cenſurando lo contrario) prueuo, que ay ſobre ello coſa juzgada, y ſentencia de viſta, y reuiſta.* Hoc eſt. Vt ingētiori vi veritas huius Myſterij muniatur (eo modo, quo poſſumus loqui, quin illud vt iam definitum præfigamus, nec oppoſitam opinionem inuramus cenſura) probo, iam ſuper hoc eſſe rem iudicatam, & in eius fauorem primam, & vltimam ſententiam eſſe prolatam. His verbis ſuam probationem hic Author exorditur. Sed ab his aſſumptum propoſitum non dependet, cū ſatis ex dictis, & ex libandis §. *vltimo*, fiat planum, veritatem Immaculatæ Conceptionis Deiparę habere omnem certitudinem neceſſariam, vt ab Apoſtolica Sede definiatur.

§. XVII. *Pia Opinio de Immaculata Conceptione Deiparæ habet cætera omnia requiſita neceſſaria, vt à Sede Apoſtolica definiatur.*

(?)

219 MYSTERIVM hoc Conceptionis Immaculatæ Fidem concernit, indeque de eius definitionis congruentia non debet dubitari. Etenim cæteros homines in peccato originali fuiſſe conceptos, docet Fides, & D. Paulus promulgat; quare exceptionem dari ab hac communi lege, ſpectat ad hoc, vt perfectè intelligatur, quod Fides, & D. Paulus docent. Prætereà Deiparam immunē fuiſſe à peccati originalis labe, opus quidem eſt gratiæ, quæ eam præſeruauit à culpa, & eſt ſpecialis, ac perfectiſſima Chriſti Redemptio, vt latè oſtendunt Authores noſtræ ſententiæ. Deindè de Conceptione in Eccleſia Feſtum celebratur; de ea etiā in Concilijs nō ſemel fuit agitatū; Igitur veritas hæc Fidei materias concernit.

220 Confirmatur. Quippè fuiſſe ſanctificatum in vtero Matris Ioannem Baptiſtam, eiuſque Natiuitatem eſſe ſanctam, ac ornatam gratia, quid eſt ad Fidem pertinens, ac Feſtum, quod ab Eccleſia celebratur; ergo ſimiliter eſt materia concernens Fidem, quòd Conceptio Deiparæ fuerit Immaculata, Sancta, ac prædita gratia ſine labe culpæ. Hinc Pontifices Summi arbitrati ſunt, id eſſe aptum, vt definitioni à Sede Apoſtolica tradendæ ſubijciatur; Et Paulus V. in Bulla, quam expediuit præcipiens, ne opinio oppoſita publicè defenderetur, aut doceretur, addit; *Donec articulus huiuſmodi à Sancta Sede Apoſtolica fuerit definitus.* Eam Bullam affert Marcus Antonius Palau *in Defenſione Dominicana, fol. 70.*

221 Iam verò neceſſitas, vtilitas, & congruentiæ, vt hæc veritas à Sede Apoſtolica definiatur, multiplices ſunt. Prima eſt, id ad gloriam, veneration-nem, & cultum Virginis tēdere, cuius excellentias, & prærogatiuas, par eſt, populo Chriſtiano infallibiliter credendas proponi, vt Fidelium deuotio, affectus, et obſequia adaugeantur, quin ex vllo retrahantur obſtaculo.

222 Secunda eſt, Decretō Definitionis infallibili approbari Feſtum Conceptionis naturalis Sanctæ, quod Eccleſia ab Spiritu Sancto gubernata celebrauit, ac celebrat, vt conſtet de certitudine, quā ipſa Eccleſia ſequitur, & qua adhuc fuit operata, ac de medio tollātur interpretationes à veritate alienæ circa ſpiritum, & mentem, quæ in hoc Feſto celebrando altè inſidet Eccleſiæ.

223 Tertia eſt, explere ardentia vota, & deſideria, quibus flagrant Fideles, vt hoc myſterium definiatur; et indulgere inſtantiſſimis precibus Regum, Principum, Prælatorum, Eccleſiarum, Sacrorum Ordinum, et Militarium, Regnorum, Academiarum, ac Oppidorum, omnibus vijs hanc Definitionem poſcentiū, et ſollicitantium.

224 Neſcio quis relatus à Ioanne à Fonte *in allegatione pro Concept. fol. 11.* aſſeruit, non eſſe expediens, vt Principes ſæculares quidquam in huiuſmodi materijs proponant, aut reclament. Parùm in hiſtoria Eccleſiaſtica, et notitia ſyli, et vſus Eccleſiæ, & *Canon. 12.* Octauæ Synodi Vniuerſalis ille fuit verſatus; Si quidem ſemper hic mos fuit, vt in Concilijs Generalibus Oratores Principum ſæculariū aſſiſterent. In Concilio Epheſino, et in

Synodo Chalcedonenſi ſexta, ſeptima, & octaua adſtiterunt Iudices Imperiales, vt eſſent Executores, & noſcerent, in omnibus examen debitum fuiſſe appoſitum, ſedarent tumultus, & impedirent, ne obſtacula opponerentur legitimis conſultationibus, ac loca tuta redderent, per quæ ad Concilium eſſet deueniendum. Et Imperator Theodoſius duos à ſuis Conſilijs miſit ad Concilium Epheſinum, vt noſcerent, an eſſet verum, quod ad ipſum fuerat delatum, nempè aliquas materias abſque ordine iudiciali fuiſſe deciſas, cum deberet ille ordo ſeruari; & caſu, quo ſeruatus non fuiſſet, iniungerent, quòd iterùm illæ materiæ diſcuterentur. Videatur *tomus 1. Conciliorum, pagin. 100. in Editione Veneta, anno 1589.* In Concilio etiam Tridentino præſentes extitere Principum ſæcularium Oratores; Ergo, licèt ad illos non ſpectet iudicium, declaratio, & deciſio, non incongruit, ſed omnino expedit, vt materijs huiuſmodi ſe immiſceant in ordine ad illa, quæ ipſis licent. Præterquàm quòd hæc veritas Immaculatæ Conceptionis ad omnem ſpectat Eccleſiam, cuius Prælati poſſunt confluere ad Principem, (vt de facto confluunt, ad hoc vt ſuam authoritatem, & maieſtatem impendat in preces, & inſtantias ad definitionem huius veritatis obtinendam) repræſentantes, ab ipſis hanc veritatem fuiſſe ſedulò examinatam, & approbatam, atque ad Eccleſiæ vtilitatem valdè conducere Definitionem.

225 Quarta eſt, placari tumultus, qui excitari ſolent, & ſcandala pariunt. Etenim, eſtò non diſputetur de hac quæſtione, & ſilentium impoſuerit Pontifex opinioni contrariæ, attamen aliqui contingunt euentus, ex quibus diſſenſiones, ſcandala, & conſcientiarum diſpendia ſequuntur, vt facilè conſtabit, ſi in memoriam reuocentur, quæ in varijs Hiſpaniæ locis acciderunt annis elapſis; Ea conſultò prętermiſſa volo, nam hæc animo pacatiſſimo ſcribo, & longè ab illo eſt, hiſtorias referre, quæ aliquibus minùs gratæ ſint futuræ.

(?)

* * *

§. XVIII. & vltimus. *Authoritate roboratur, Opinionem piã de Immaculata Virginis Conceptione eſſe proximè definibilem ab Apoſtolica Sede. Et diluitur, quidquid contra id poteſt opponi.*

226 OMNES Hiſpaniæ Academiæ ſentiunt, veritatem de Immaculata Deiparæ Conceptione eſſe proximè à Sede Apoſtolica definibilem; ſiquidem iam diù ſupplices litteras ad Pontificem Summum ſcripſerunt, vt hoc Myſterium definiret. Ab eodem iudicio ſunt omnes ferè Hiſpaniæ Antiſtites, & Almæ Eccleſiæ, pro eadem definitione inſtanter cõclamantes. Idipſum ſentiunt communiter Viri doctiſſimi, quorum ductu, & conſilio Hiſpaniarum Reges, & Regna omnia media tentant, vt Põtificem ad definitionem alliciant. Plures ſuper hoc doctiſſimè ſcripſerunt, proximam definibilitatẽ probantes, inter quos videantur Illuſtriſſimus F. Ioann. Merinero Epiſcopus Valliſoletanus; Illuſtriſſimus Epiſcopus de Origuela; Marcus Antonius Palau, Ioannes à Fonte, P. Ambroſius de Peñaloſa, P. Guarnizo, P. Ioann. Antonius Velazquez, & alij, quos decurſu ſuperiori recẽſuimus. Id etiam inoffenſo calamo pro concluſione ſæpè fuit præfixum in Aſſertionibus publicis in Academia Salmantina, & pluribus alijs in locis.

227 Id etiam poſt prudens, & accuratum examen in Conſeſſu quodam annis præteritis habito in Curia, ex Regis noſtri præſcripto ſenſerũt vnanimi iudicio, quot quot in eo adſtiterunt; nẽpè Illuſtriſſimus F. Angelus Manrique, olim in Salmanticenſi Lycæo Primarius Theologiæ Anteceſſor, poſtmodùm Epiſcopus Pacẽſis; Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus F. Petrus de Vrbina, Archiepiſcopus nunc Valentinus, & Pro Regis munere functus; F. Ioannes de S. Auguſtino; Fr. Franciſcus Andreas de la Torre; & P. Lucas Vuadingus celebres, & emeriti Theologiæ Profeſſores. Quare proxima definibilitas huius veritatis ingenti vndique, & valida authoritate firmatur.

228 Et hanc quidem veritatem eſſe in ſtatu proximè definibilitatis,

tis, latè, doctè, & acutè suadet, & persuadet P. Velazquez *tom. de Maria Immaculatè concepta, tota dissertatione 3. per nouem adnotationes, & dissert. 4. ac 5. lib. 5.* quarum probationum hæc sunt summa capita. Scilicèt quòd veritas Immaculatæ Cõceptionis ex Sacra Scriptura, & Patribus Ecclesiæ euincitur; Ecclesiæ Catholicæ sensus eam certam facit, & in statu proximæ definibilitatis constituit; in eodem statu Concilium Tridentinum eam collocauit; Episcoporũ, Academiarũ, & Authorum cõsensio, & communis totius populi Christiani vox eam proximè definibilem reddit, & suo quasi iure definitionem postulat, dum totus est in hoc mysterio celebrando, & vsque ad sanguinis effusionem, si necessum sit, defendẽdo. Præterea quod præ authoritate, & põdere piæ opinionis momẽtum opinionis contrariæ sit valdè inferiùs, nec eius Authores præiudicium faciãt communi Ecclesiæ, Academiarum, Regnorum, Religionum, & Doctorum sensui pro Opinione pia stantibus. Rursus quòd opinio cõtraria non est definibilis, quod à silentio ei imposito validè infertur. Demùm, quòd Sũmus Pontifex absque Cõcilio Generali, validè, piè, sapienter, atque prudẽter, post tam diuturnum, accuratumq; examen iam adhibitum, potest nunc hanc veritatẽ definire.

229 Nec in Hispania dumtaxàt cõsensus communis in veritatem Immaculatæ Conceptionis conspirat, sed etiam extra illam, vt hinc constet authoritas, qua stabilitur, & proximè definibilis redditur. Vincentius Iustinianus Antistes ex illustri Prædicatorum Ordine *in additionibus ad historiam B. Ludouici Beltran*, id confirmat, dum *cap. 5. §. 14.* asserit; *Iam in Hispania, & in Indijs, & in Gallia, & in tota fermè Europa aliquid contra piam opinionem siuè scribere, siuè cõcionari, siuè docere, perindè est, ac oleum, & operam perdere, & fastidium auditoribus afferre.* P. Benedict. Iustinianus Concionator Pauli V. *in cap. 1. epist. 1. Ioannis*, hæc habet; *Denique fidelium omnium consensus, & pia animorum in Beatissimam Virginem propensio, non leuiter huic sententiæ adstipulantur. Constat enim, olim eiusmodi populi consensum Antistitum authoritate firmatum viros pietate insignes in Sanctorum numerum retulisse. In hac verò re ita ferè fideles afficiuntur, vt si quis aliter sentiat, & loquatur, nõ leues excitet inter fideles perturbationes, offensiones, & scandala.* Ecce, quæ olim sufficiebant, vt viri virtute insignes infallibiliter proponerentur venerandi ab Ecclesia, reperiuntur nunc circa Opinionem piam Mysterii Immaculatæ Conceptionis; vnde nihil videtur iam desiderari, vt Ecclesiæ proponatur infallibiliter credẽdum, nisi solemnitas definitionis Pontificiæ.

230 Adest itaque, quod primæuis Ecclesiæ temporibus sufficiebat, vt in numerũ Sanctorum aliquis referretur; atque adeò, quamuis nunc illud non sufficiat, vt credatur huic mysterio, tanquam de Fide infallibili, tamẽ sufficere cernitur, vt ipsum authoritas Pontificia definiat. De cõsensu autem totius populi Christiani erga hanc veritatẽ, recensitis specialiter omnibus Regnis, & Prouincijs, nempè Italia, Hispania, Germania, Gallia, Bohemia, Anglia, Dacia, Hybernia, Græcia, Illyrico, & alijs, videatur Author antiquus Petrus Burrus, qui ante centum, quinquaginta annos floruit *in Hymnis in laudem Conceptionis illibatæ Virginis.* Ludouicus Blosius *in dictis Patrum c. 5.* P. Lorinus *in Psalm. 98. vers. 4.* P. Granado *tract. de Concept, disp. 3. quæst. 29.* Qui asserit, hunc populi consensum, & Ecclesiæ celebritatem clamare, & suo quasi iure definitionem postulare. Indè P. Gregorius de Valentia *in Analysi fidei, lib. 8. cap. 9.* docuit; *Si quando de re aliqua in materia Religionis controuersa constaret, fidelium omnium concordem esse sententiã (solet autẽ id constare vel ex ipsa praxi alicuius cultus communiter apud Christianos populos recepta, vel ex scandalo, & offensione cõmuni, quæ ex opinione aliqua oritur) meritò posse, ac debere Pontificè illa inniti, quæ esset Ecclesiæ sententia infallibilis.* Idemque traditur à Thoma Vualdensi *lib. 2. doctrinæ Fidei, c. 20.* Expẽdere, quæ asserantur satis esse, vt Pontifex proponat aliquam veritatem Ecclesiæ infallibiliter credendã, & ea reperiri in veritate Conceptionis Immaculatæ animaduertes.

231 Iam verò definitioni huius Mysterij nullum fundamentum refragatur, cũ ea, quæ pro opinione cõtraria afferri valẽt, clarè videantur diluta in superioribus; illud præcipuè, quòd Illustris Prædicatorum Ordo repugnet. Etenim ex eo plurimos pro Opinione pia stare, satis ostendimus; & præterea in Ecclesia aliqui fuerunt articuli definiti, quibus ante definitionem plurimi Viri doctissimi resistebant. Exempli ergo nonnullos libabo.

232 Aliqui Ecclesiæ Græcæ Patres ducti illis verbis *Ioann. c. 15. v. 26. Spiritus, qui à Patre procedit*, senserunt, Spiritum Sanctũ à solo Patre, & non à Filio procedere. Nihilominùs processio Spiritus Sancti à Patre, & Filio definita fuit in Concilio Ephesino, & in Concilio Lateranensi sub Innocẽtio III. atque in Symbolo, quo in Missæ Sacrificio vtitur Ecclesia, apposita sunt ea verba; *Qui ex Patre, Filioque procedit.*

233 Temporibus elapſis, ſolùm erat opinio probabilis, quòd cum gratia Baptiſmi ſimul infunderentur infantibus habitus fidei, ſpei, & charitatis, vt conſtat *ex Clementina vnica, de Summa Trinitate, & fide Catholica*. Id autem definitum poſteà fuit in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. c. 7*. Feſtum Paſchatis ab Eccleſia debere celebrari eadem Luna, & die, qua ab Hebræis celebrabatur, docuerunt S. Philippus, vnus ex ſeptē primis Diaconis, S. Polycarpus, S. Sagaris, & Traſea diſcipuli Apoſtolorum, & innumeri Martyres, ac Confeſſores per plurimum annorum ſpatium, necnon tota Eccleſia Aſiæ cū omnibus ſuis Epiſcopis, idque per centum, ac ſeptuaginta annos ea Eccleſia tenuit. Et tamen hæc opinio, ſuccedente tempore, damnata fuit à S. Victore Summo Pontifice, & à Concilio Nicæno.

234 Plures Authores, & Eccleſiæ Patres, quos referunt Sixtus Senenſis *lib. 6. Bibliothecæ, annotation. 343*. & Cardinalis Bellarminus *lib. de beatitudin. Sanctorum*; defenderunt, animas iuſtorum è viuis decedentiū non eſſe viſuras clarè Deum, vſque dū dies Iudicij extremi, ac vniuerſalis peruenirer. Quæ propoſitio iam à Sede Apoſtolica eſt damnata. Non pauca poſſem ſimilia exempla referre; Hæc tamen ſufficiunt, vt liqueat, non obſtare definitioni veritatis de Immaculata Conceptione, quòd pro opinione contraria Authores graues militent, quandoquidem ei veritati aſſiſtunt, & adſauent omnia requiſita, fundamenta, & circunſtantiæ, vt poſſit quamprimùm à Sede Apoſtolica definiri.

Academiarum, & Studioſorum proclamatio ad Summum Pontificem pro definiendo Myſterio Immaculatæ Conceptionis Deiparæ.

RESTAT, Beatiſsime Pater, vt Sanctitas veſtra efficacibus adeò rationibus mota, & Spiritus Sancti illuſtratione ducta, tanquam dogma Fidei, id Myſterium Eccleſiæ proponat, vt ardentibus populi Chriſtiani votis ſatisfiat, & Eccleſia maiori adhuc ſolemnitate id Feſtum concelebret, vitenturq; diſcordiæ, & diſſenſiones, ac deuotio Fidelium erga Deiparam in dies augeatur, eiuſque laudes, ac gloriæ faſtigientur, omniumque Academiarum, & Studioſorum idipſum humiliter, ac enixè à Veſtra Sanctitate exorantium pijſsimis, & feruentiſsimis deſiderijs indulgeatur.

Iam verò, vt illuc, vndè incepit noſter redeat diſcurſus, conſtat, quàm vera ſit ſententia, ad quam defendendam Academiæ, & Academici iureiurando obſtringuntur, quod manifeſtare in animo fuit, & ſimul obſequium hoc qualecumque Sanctiſſimæ Virgini corde affectiſſimo offerre. Cum aliundè autem initio huius Appendicis oſtenderimus, iuſtitiam, & iudicium, ſeu neceſſitatem in præfato iuramento adeſſe, fit, illud vndique eſſe pium, rectum, religioſum, & meritorium, nullo ei comite deficiente. Quare æquiſſimum eſt, vt ea conſuetudo iuramenti huiuſmodi emittendi ab his, qui vel in albo Academiarum inſcribūtur, vel Gradus litterarios ſuſcipiunt, ſarta tecta ſeruetur, donec Opinio pia de Immaculata Deiparæ Conceptione ab Apoſtolica Sede definiatur. Gratà clauſulà totum hoc Opus perfeci; Quod vtinam cedat in Dei honorem, & ipſius Beatiſſimæ Virginis gloriam, necnon & Sancti Parentis Ignatij.

(?)

Omnia ſub correctione Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubiecta ſunto.

FINIS.

ANAERESIS EPISTOLARIS DOMESTICO IVRIDICA.

DE IVRE ECCLESIASTICO SALMANTINI COLLEGII MAIORIS SANCTI SALVATORIS OVETENSIS.

AD PATREM ANDREAM MENDO HVIVS OPERIS DE IVRE ACADEMICO AVTHOREM

PER D. ILDEPHONSVM VAZQVEZ DE PRADA COLLEGII ALVMNVM, ET RECTOREM.

DISSERERENE in opus tuum iubes, anſerere laudes, Andrea diſertiſſime? nam pro criſi panegyrim expreſſeris. Hæc enim, magis ad votũ, ſed vt altior, *& quæ non iuribus iſtis*, denegata eſt. Vereri quippè te in hoc libro, cuiuis iure ſuo liceat; aut illum decorè lineare nemo, niſi tuis coloribus, non vereatur. Quis namque, vel ſoli ſtylo, ſtylum non humilem admoueat? nitidus ille, ſine ſalebris fuſus, emaculatus, inſtar ſedati amnis fluens, aut floridioris calami fuco carẽs, ſic ſucco plenus ad inuidiam vſque diffunditur. *In cæteris nouitas ipſa lectorem intentum habet;* in hoc nouiora miraculum extorſerint, ſic per frequentiam rara miteſcunt; ſic vulgaria perenni concinnitate nouantur *Atq; vtinam ordo ſaltem, & tranſitus, & rerum figuræ ſimul ſpectarentur: nam inuenire præclarè, enuntiare magnificè interdum etiã barbari ſolent: diſponere aptè, figurare variè, niſi eruditis, negatum eſt.* Rerum verò maturam, & opulentam meſſem, facundos ingenij fœtus nec liuor ſine ſupercilio ſuſpiciat, nec falce immiſſa fraudauerit hæreditate gloriæ viuenti diuturnæ, & poſtmodùm immortalis. Quid multis? libentiùs, & diutiùs laudibus tuis, queis nemo Salmanticæ non aſſurgit, nullus in Hiſpania non beatur, exultarem; ſed nec cum illis parem, aut decorum calculum ponere, nec impoſito muneri ſubtrahi queo. Differere nempè iubeor; *pareo libens: & quia me vis ſubitò, & ex tempore pauca ſcribere, pauca certè erunt, & ideò excuſata, quia ſubita, & ex tempore.*

Diu Collegarum meorum (etiam quos præteritæ tulit honor ætatis) ingenia percellit, id ipſum, quod ab eorum minimo dudùm exegiſti. Ex quo enim D. Alfonſus Eſcobarius, expoliti vir ingenij, defœcatæ dictionis, & vtriuſque iuris Conſultiſſimus *in tractatu de Pontificia, & Regia iuriſdictione*, Collegijs ſæcularibus hoc noſtrum Ouetenſe commiſcuit; cæpit ab eius Alumnis in eruditorũ tribunal poſci, & læſæ veritatis reus poſtulari. Haud tãti tamen habita eſt imbecillis hæc, viribus caſſa, nec ſatis ſibi conſtans opinatio, vt vel ſtylo dignam, vel fide putarent. Sic, intio derelicta, ſeu neglecta, ſubindè noſtrorum patientia coaleſcere videbatur. Quippè

Eximit ipſa dies omnes de corpore mendas,
Quodq; fuit vitium, deſinit eſſe mora.

Robuſtior in dies, & vel ipſa diuturnitate commendatior viris doctis, noſtri tamen domeſtici iuris expertibus, cœpit de mùm aut arridere, aut non improbari. Nunc autem calamo tuo ſacrari, & in ſarta tecta; eruditionis tuæ authoritate, tãquam in ara tutelari, diſertorum periculo ſubduci, non ſegniter ambiebat. Sed hæſit in ſuſpecta, ſuæque propriæ falſitatis indice doctrina, conſilioſiſſimum tuũ acumen, cui oppidò imponere, nec par eſſet profanis, nec peruium ſagaciotibus; etenim de eius veritate ſollicitus, à priuatiſque illam Statutorum, ac Pontificaliũ Bullarum monumentis fore deſiderandã auſpicatus, mihi ſumma ſuadendi authoritate, quam magno reuerentiæ pretio à cunabulis habui, eorum examen, ſimul & Canonici dogmatis collationem imperaſti. Mihi, inquam, & veteri diſciplina tibi noto, & varijs exindè titulis deuincto. Ergo, cui communes litteras debeo, domeſticarum modò penſum exſoluam. *Erexi ſpectationem tuam? vereor, ne illam deſtituat oratio in manus ſumpta, interim tamen tanquam placituram ſpecta. Non eſt tamen* (ex Plinio loquor) *quod ab homine de ſidioſo aliquid noui operis ſpectes: ideò nunc rogo, vt non tantùm vniuerſitati eius attendas, verùm etiam particulas, qua ſoles lima, perſequaris.* Sic purgatior ex manu tua prodiet mea diſſertio, nunquam emendatior, quàm ſub hoc *MENDO*. Preſſa, & velut condicta

omnia

omnia erunt, *ideò fortè placebunt* (si fides Lypsio) *quia inclusa prudentia, non ostensa.*

Excursus Primus.

1 OBTENDIT Escobarius *in superiori tractatu, cap. 25. num. 22.* Salmanticensem nostram Academiã corpus esse merè sæculare, cæterarum instar Vniuersitatum Studijs exercẽdis erectarum, perpenso scilicèt ipso mystico totius Academiæ corpore; Maiora vero Collegia mixti fori censeri debere. In hãc sententiam nonnullorũ authoritates, pleraſque, ni fallimur, inuitas cogit. *At mihi prisca placita* (Lypsius fatur) *& vt ille apud Comicum, qui vtuntur vino vetere, sapientes putat, sic nos qui doctrina.* Conspirat in contrariam sentẽtiam, vel eo solo potiorem, Interpretum tum electa, tum vulgaris manus. Nec *in aceruum mittere*, vt aiunt, esset, aut desperati laboris, ipsum Escobarium ex eius assertis conuenire: Sed non vacat tandiù distineri: nec mente pugnaci prodeam in arenam, cum *nemo sit tam arrogans sui æstimator*, (clamat Quintilianus) *vt accessurus ad publicam lucem, ac periculum sortiturus humanitatis nõ malit sine aduersione esse.* Id vnicè in animum induxi, Collegium hoc Maius Ouetẽse merè Ecclesiasticum corpus esse cõprobare, proindèque foro, immunitatibus, exemptionibus, & priuilegijs Ecclesiasticis omnino gaudere, quod ex ipsius doctrina, Deo duce, præstare satagemus. Nec inauspicatus incedo; adiui enim confestim, ac mihi hæc cura demandata est, domesticũ meum, communẽ nuper Academiæ, nũc Regium, & verè Apollineum oraculum D. D. Laurentium Sanctos de San Pedro, nostræ Togæ, Digesti Veteris, & dudùm Hispalensis Senatus honorem, Iurisprudentiæ, & Iustitiæ sacram laurum. Annuit ille (prout epistolaris fert breuitas) sententiæ nostræ: cumque *sit vir prudens, grauis* (vt de Maurico Plinius) *multis experimentis eruditus, & qui futura possit ex præteritis prouidere, mihi & tentãdi aliquid, & quiescendi, illo Authore, ratio constabit.*

2 Possem in primis sententiam nostram non segniter euincere ex qualitate Ecclesiastica Fundatoris, quam comunicari corpori per ipsum efformato, necesse est, si quidem aliquam naturam ab ipso participaturum, nullam aliam potuit ab Ecclesiastico erectore sortiri, nisi Ecclesiasticam, præsertim, cum ex eius voluntate sæpiùs ostẽsa in requisitis *Clericatus, paupertatis, & sacræ professionis* (quæ sigillatim inferiùs apparebunt) manifestè deducatur. Nam, si Salmanticensis Academiæ sæcularem naturam ex eo conijcit Escobarius *num. 4.* quoniam à sęculari Fũdatore, scilicèt ab Hispano Principe Alfonso IX. constituta, & perfecta est, ducto argumento ab Ecclesiastica fundatione; apertè fatetur in hac contrarium omnino procedere, id est, ex Ecclesiastico Fundatore Communitatem Ecclesiasticam absolutè futuram, vt ex his quæ Filesacus *de Sacra Episcoporũ authoritate, cap. 15. §. 2. & 3.* post Antonium Augustinum *in epitom. iuris canonici lib. 14. 9. per totum;* & veteres aggestos ab Augustino Barbosa *in remission. ad Concilium Trident. session. 23. cap. 18.* licebit agnoscere.

3 Ecclesiasticum Fundatorem dixi? parciùs egi: Molita enim, & absoluta est Ouetensis domus per Illustrissimum, & fama sua maiorem Principem Dominum D. Didacum de Muros, cælestem oppidò virum, & dignum Ioue: qui statim ac è splendidissimis patrię domus (cuius honore latè nitet Marchio de Villagarcia in tractu Compostellano) natalibus emersit, totus Deo, totus Ecclesiæ sacratus, insolitis virtutum experimentis, doctrinæ radijs, Ecclesiarum honoribus cæpit illucere. Romanis Pontificibus charus, Hispalensis, Siguntinæ, & Ouetensis Ecclesiæ Canonicus, simul Vuedẽsis Dignitas Giennensis, & Compostellanæ Decanus, ibiqne Sancti Martini primùm, deinde Regij Xenodochij generalis administrator; Canariensis, Migdonensis, Ouetensisq; Pontifex, Comes à Noreña creatus est. Catholicorum Regum probatissimus, arcanusque Consiliarius, & perpetuus comes, nõ solùm politicarum rerum particeps, plerumque author, vt Regalis Compostellani Xenodochij, verùm & militarium habebatur, nam ad expugnationem Granatensem Hispali Regiarum illi classium fabrica, apparatus, & expeditio commissa est. Pijs, & verè Cæsareis operibus Catholicam ditauit religionem, nam præter hoc Maius Ouetense Collegium (Maius ex tunc, sic enim indicitur in Regijs schedis pro cõcessione reddituum eo tempore imperatis) Ecclesiam erexit Collegialem in patrio solo, Cœnobium Dominicanum in Ouetensi; Xenodochiũ egregium in Guadalupensi; Cathedram

Decre-

Decretorum in Compoſtellana. Sed quid his producor, cum paſſim per eos tractus in eius pietatem incidamus, ex qua viarũ aſperitas ipſa complanata eſt. Nec minùs quàm in factis manus, in ſcriptis operibus religioſiſſimũ acumen ſpendeſcit; Catholicum Granatenſe bellum prælo latino, elegantiſſimè commiſit; deindè conquiſitus à Leone X. in Lutherum altiſſimo doctrinarum gurgite diſſeruit, ſcripſitque. Sed qualiter? ſponſorem veritatis do Leonem ipſum ſic Didaco meo gratulantem; *Te autem intuentes, atque zelum iſtum tuum Religionis, & fidei apud animum noſtrum proponentes, maximas Omnipotenti Deo gratias agimus, qui Eccleſiam ſponſam ſuam his præſidijs, his defenſoribus voluerit eſſe munitam, quibus ſtantibus, diuexari quidem & agitari poteſt, diſperdi autẽ, & cadere nullo modo poteſt.* Et paulò inferiùs, *Feciſti rem dignam Hiſpana virtute, dignam honore, quẽ geris, dignam progenitoribus tuis, quorum exempla ſi fraternitati tuæ defuiſſent, tamen habebas te ipſum, quem tibi proponeres imitãdum, id eſt, virtutem tuum, vel in propaganda, vel in defendẽda Chriſtiana Religione verſatum.* Licuerit tantillum iucũdiſſimi Domini Manibus parentaſſe, vt Eccleſiaſticum, vt religioſum, vt ſacrum illum oſtenderim.

Excurſus II.

4 POSSEM etiam ex Apoſtolica authoritate voti compos euaſiſſe, eodem Eſcobario ſuadente: quandoquidem cõmunior, & electiorum Doctorum ſchola in eam ſententiam cõcors iuraſſe videtur, vt corpus ſtudiorum cauſa, vel alia pietatis inſtitutum ex ipſa Põtificia confirmatione Eccleſiaſticum efficiatur; Abbas *in cap. ex litteris de conſtit. num. 4.* Pariſius, qui plures congerit *conſil. 34. num. 8. 43. & 46.* Bald. *in auth. habita, Cod. ne filius pro patre*, Lambertinus *de iur. patron. 1. part. q. 1. lib. 1. art. 10.* Ancharran. Gironda, Lenanderi. Anton. Gabriel, & alij adducti, & admiſſi à Ioanne Gutierr. *Canonic. quæſt. cap. 35.* Acebedo *in leg. 10. tit. 1. lib. 4. recopil. à num. 25. & in leg. 1. tit. 18. lib. 9. num. 2. & 3.* P. Franciſc. Suarez *tomo contra Regem Angliæ, lib. 4. cap. 30. num. 6.* Balboa *in allegat. pro Vniuerſit. & ſtudioſ. Salmantic. n. 60.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop. allegat. 75. n. 11.* Et Conſultiſſimus Don Ioannes de Solorzano in diuite Indice, omnigenæque litteraturæ theſauro, Politica, ſcilicèt, Indiana *lib. 4. cap. 3.* Et alij plurimi. Id etiã in noſtro Collegio euidentiùs apparebit ex Eſcobarij limitatione.

5 Ait is *num. 105.* eatenùs hanc ſentẽtiam veram eſſe in corporibus etiam per ſæcularem Principẽ inſtitutis, ſi religionis, aut ſalutis animarum expreſſa cauſa vertatur, cum ob eam liceat Põtifici laicos eximere à ſæculari poteſtate, & Eccleſiaſticæ ſubdere. Omitto nunc, ſufficere ad eum effectum piam cauſam, & exprimo ſuperiorem ex Bullis Apoſtolicis pro Collegij fundatione conceſſis, quibus impulſiua erectionis cauſa ſic expenditur. *Didacus Epiſcopus conſiderans, quantum Chriſtianæ Religioni, & animarum ſalutis viri litterarum ſcientia in Iure Canonico, atque Theologia eruditi vtilitati conducerent; & quòd partes Galleciæ, & Aſturiarum Ouetenſium nuncupatæ ob illarum Communitatum paupertatem, & pecuniarum penuriam viris doctis, qui Catholica decernere, ac doctos ſermones habere, ac alia, vnde animarum ſalus valeret procurari, facere poſſent, caruerant, prout carebant; non ſine detrimento ſalutis animarum incolarum partium earumdem: cupiens quidem Didacus Epiſcopus his pro viribus prouidere, &c.* Nequit pleniùs Eſcobario fieri ſatis, aut Religionis, & ſalutis animarum cauſa luculentiùs explanari. Illud hìc pro eo pleniùs inſtruendo notandum eſt, adeò Collegiũ hoc ex Eccleſiaſtica authoritate, & Apoſtolicis confirmationibus vnicè productũ eſſe, vt nulla Regia, vel ſæcularis aſſa deſiderata, impetrataue fuerit hactenùs ad illud comprobãdũ, vt ex archiuo mihi iuſſu Collegij non ſemel euoluto affatim licuit; & apprimè conſtat in exordio noſtrarum Conſtitutionum, vbi hæc pijſſimi Fũdatoris domini mei verba. *Sãctionibus infrà ſcriptis authoritate Apoſtolica munitis formaliter fulcire decreuimus.* Quę ſententia & in alijs Pontificum litteris pro Collegio fouẽdo paſſim inuenitur: nulla prorſus Regię facultatis habita mentione.

6 Pontificiæ verò authoritatis adeò magnifica, refertaque priuilegijs monumenta ab ipſis Collegij primordijs, in eius ſcrinio, vero largitatis Apoſtolicæ theſauro, reperiũtur, vt Eccleſiaſticum illud, vel ex Bullarum amplitudine poſſet exhiberi; quippè ſtatim, ac dominus Fundator ſanctiſſimo Leoni X. Collegij erigendi cõſilium expoſuit, ab ipſo admiſsũ, & litteris conceſſis adprobatum eſt, XI. Kal.

Kal. Octob. Pontificatus sui anno, 8. Salutis 1520. Subindè Adrianus VI. eadem confirmauit, expediuitq; pridie Kal. Sept. anno Pontificatus I. Salutis 1522. Sed & Clementis VIII. sacra authoritate roboratum est Fundationis institutum postridie Nonas Februarij, anno Salutis 1524. & 1530. Deinde Pauli III. an. 1535. & 1546. Gregorij XIII. anno 1580 & 1581. Pauli V. anno 1607. & 1608. Gregorij XV. anno 1622. 4. Kal. Octob. & eodem anno, Nonis April. Vrbani VIII. anno 1632. tàm in litteris annexionum Beneficialiũ quàm in alijs exponendarum Constitutionum gratia decretis, in quibus singulis mirum est, quàm vnanimiter omnes Ecclesiasticum Collegium supponere videantur.

7 Vlteriùs, & ex fine, seu finali causa erigendi Collegij sententiam eãdem nõ ignobiliùs adstruere liceret: Quippè communiter placuit, omnem Communitatẽ causa pietatis institutam, saltim accedente Episcopali authoritate (plures illam insuper habẽt) Ecclesiasticam esse; vt deducunt Authores, *ex cap. in qualibet §. sancimus 23. q. 7. leg. illud 19. C. de Sacr. Eccl. auth. de alien. & Emph. collat 9. §. fin.* & ex Concil. Trident. *sess. 12. cap. 8. & 9. de reformat. leg. 1. in fin. tit. 11. leg. 1. tit. 12. part. 1.* Subscribũt Bartol. *in leg. quod constitutum, de testam. milit. suprà.* Tiberius Decian. *in tract. crimin. tom. 1. lib. 4. cap. 9. n. 37. & seqq.* Castillo *de vsufruct. cap. 54. n. 24.* Innumeros cumulat Tiraquel. *de priuileg. piæ causæ, in præfatione à num. 4. vsque ad 7.* Dom. Couarrubias, auspicata Collegij Ouetensis, & fausta proles, Hispaniæ decus, & Ecclesiasticæ, & Canonicæ disciplinæ sacratior Aruspex *lib. 2. variar. c. 20. num. 4.* Aceuedo *in leg. 1. tit. 1. lib. 4. Recopil. à num. 26. & leg. 1. tit. 18. lib. 9. num. 2. & 3.* Gutierrez *vbi suprà, num. 25. & 29.* qui tantùm in corporibus ab Episcopo non adprobatis dissentit, quo sensu capiendus est *in tract. de gabell. quæst. 45. n. 18. versic. Ego verò*, (quem locum malè suæ sententię adscribit Escobarius) Gregor. Lopez *in gloss. 2. ad legem 1. tit. 12. part. 1.* Anton. Augustin. *dicto lib. 14. epit. iur. Canon. tit. 8. & 9.* Latè & lautè, Sebastian Cæsar *in Eccles. Hierarch. quæst. 2. proem. §. 5. à num. 30.* Congruit Ioannes Filesacus *de sacra Episcopvli authorit. capit. 18. §. 3.* nec omittendus Fulgosius *in leg. qui sub prætextu, Cod. de Sacros. Eccles.* qui asserit, Scholares Ecclesiæ seruire, & Academias Sacras, & pias esse; ita & Scipio Gentil. *de iurisdict. lib. 3. cap. 18.*

8 Si verò pię causæ corporibus, Collegijsvè accesserit Apostolica confirmatio, omnes penè fatentur, Ecclesiastica illa fore, cum ob finem religiosum (quem pietas causæ præsefert) liceat Pontifici, sæculares in forum Ecclesiasticum excipere, & exemptione donare; ita liquet *ex cap. ad hæc 3. de religios. domib. Clementina 2. de præbend.* & post eos, quos modò congessimus, & Socinum, Rochum, Barbatiam & alios apud Cardin. Alban. *in lucubration. ad Bartol. in leg. fin. ff. de Colleg. & Corp.* Salicet. *in Auth. habita n. 39. art. 10.* Gironda *de gabell. 7. p. n. 42.* Narbona *in leg. 31. glos. 1. tit. 7. lib. 1. recop.* P. Suarius *vbi supra, lib. 4. cap. 29. num. 1. & seqq. & cap. 30. num. 6.* Doct. Nauarrus (qui primæuum huius domus honorem delibauit) Bellamera *in dicto cap. ex litteris, de Const. num. 5.* Crespetius *in summa Iuris Pontif. verbo, religio.* Solorzano *tom. 2. de Iure Indiar. lib. 3. cap. 3. num. 62. & dicto lib. 4. politicæ cap. 3. ad finem*; Pleriq; ex illis loquuntur specificè de Communitatibus studiosis; sed expressùs ad aures nostras cymbalum Ioannis Gutierrez *dicta q. 95. de gabellis num. 20.*

9 Harum authoritatum ponderè depressus Escobarius fatetur quidẽ irrefragabilem eam doctrinam, negat tamen Vniuersitatem, eiusq; Collegia pio fini erecta esse; quasi studiorum professio, in quam potissimùm eorum fundationes dirigantur (vt ipse credit) nullam omninò pietatem sapiat; cum sit diuitibus, & pauperibus communis: hoc sensu præfatam Doctorum (quorum quinque adducit) assertionem interpretatur his verbis *num. 283. Sententia Doctorum tùnc procedit, cùm finis supernaturalis, vt potè cultus diuini causa, vel saltim pius cum authoritate Apostolica concurrit;* & inferiùs; *deniq; in Collegijs studiorum non absolutè loquuntur prædicti Interpretes, sed ita, si ad sustentationem studentium pauperum, vel alia pia opera principaliter exercenda, erecta fuerint, siuè pauperibus erigitur, &c.* Proindè confitetur, Ecclesiasticum fore Collegium, piæ causæ, videlicèt alendis studentibus pauperibus, institutum.

10 Delicatioris stomachi Interpretes, finem ita merè religiosum ad hanc exemptionem decernendam exposcunt, vt nullam humanitatem redoleat, nihilque politicæ inspectionis admixtum habeat.

habeat. Nam abſolutè litterarum ſtudia putant ideò profana cenſeri, quòd vtilitatem temporalem inſectentur, & terrenis vanitatibus pretium faciant. Conuinci non ægrè, reuincique poterant ex *cap. de quibuſdam 12. 37. diſtinct.* Auguſtino *lib. 22. de ciuitate Dei cap. 22.* Ennodio *lib. 5. epiſt. 10. ex leg. 1. §. an & Philoſophi, ff. de varijs, & extraordinar. cognition.* ex Tertulliano *lib. aduerſ. Hermog.* ex Concilijs Valenti. ſub Lothar. *cap. 18.* Pariſienſ. ſub Ludou. & Loth *lib. 3. cap. 12.* Scipio Gentil. *de iuriſdict. dicto lib. 3. cap. 18.* Adeundus Anton. Auguſtin. *vbi ſuprà dicto lib. 14. tit. 9. cap 5. & Seqq.* Caſſaneus *in Cathalog. gloriæ mundi part. 10. conſid. 26.* Ludouicus Gomez *in regul. Cancellar. de Idiomate*, & alij.

11 Verùm id illis libenter indulgeo, & litterarum ſtudium mixtũ finẽ inuoluere, vt *ex leg. 6. tit. 31. part. 2.* Petr. Greg. *lib. de republica cap. 2.* tenet Eſcobarius *vbi ſuprà num. 55.* Baſilio adducto, (qui tamen nec verbum impendit in hanc rem) Tamen nemo illorum inficias ibit, Theologicam, & Canonicam diſciplinã, velut Sacrã, & Diuinam, ipſi Deo cognoſcendo deſeruire, & in finem ſupernaturalem penitùs ordinari. Quippè Theologia, vel in nomine diuinitatem expendit. Diuinam, ſacram, cœleſtem, & ſpiritualem, cui propterea cæteræ humanæ ſcientiæ palàm ancillentur, varia ſententiarũ concinnitate appellauere omnes Eccleſiæ Patres. Plureſque Authores vernanti, feracique ſtylo diſpenſatos *in ſchediaſmate illo epiſtolari*, verè roſeo liberalium ſtudiorum faſciculo, per Muſarũ Charim Dominum D. Laurentium Ramireſium de Prado licebit eflorare. Canonicum autem dogma partim à Deo in præceptis Decalogi, partim à ſalute noſtra Chriſto in Sacramentis, & inſtitutis nouæ legis, partim ab Almo Spiritu in Concilijs, & Scripturis, reliquum denique à Sanctiſſimis Chriſti Domini Vicarijs, ſacrum, & diuinũ re, & nomine dimanauit; ſic enim appellatur *in cap. non debet, de conſang. & affinit. cap. violatores 25. q. 1. cap. parochianos 14. cum alijs, de decimis. cap. omnes 16. q. 7.* iuncta expoſitione Domini Couarrub. *lib. 1. variar. cap. 17. n. 2.* Diuus Bernardus *lib. 1. de conſiderat.* appellat *leges domini*, leges canonicas. Plura Iura, quibus *diuinum* dicitur Pontificium ius, electa manu diſtribuit Supremi Senatus Myſticus, ſupremus Iuriſprudentiæ Myſta, & verus erudi-

tionis Myſtagogus Dominus D. Franciſcus Ramos del Manzano *in allegat. pro Comite de Gruxal ad ſolution. argumentor.* vide Clerici, qui ab omni profanę diſciplinæ profeſſione procùl arcentur *in cap. ſuper ſpecula. Ne Clerici, vel Monachi. Nouell. Leonis 86. leg. 36. Cod. de Epiſcop. & Clericis.* Canonico tamen iuri, vt potè diuino, vacare conceſſum eſt, vt pulchrè, & fusè proſequitur P. Ludou. Creſoli. *lib. 2. myſtago. cap. 19.* ſicùt & illud in Eccleſijs publicè docere, Anton. Auguſtin. & Fileſacus *vbi ſuprà* pluresq; *in remiſſion.* Auguſtin. Barboſſa *ad ſeſſ. 5. cap. 1. Concil. Trident.* Nec Eſcobarius in ſolis Theologiæ, & Canonum facultatibus religioſum, & ſupernaturalem finem audet inficiari, *num. 150.* quem diſertis verbis proferunt plures Canones digeſti *in proemio Decretalium, & per gloſſam in cap. cum contingat, de iureiurando* Petr. Greg. *lib. 1. partition. iur. iur. canon. tit. 1. cap. 18. per totum* Scipio. Gentil. *vbi ſuprà*, & alij plures.

12 Denique apud omnes etiã diuerſæ, auerſæ q; mentis Authores in cõfeſſo eſt, finem illum, quo vel animarum ſalus, vel periculum vertatur, in Eccleſiaſticam iuriſdictionem, etiam inuito ſæculari Principe, traducere poſſe. Ita poſt D. Thom. 2. 2. *q. 10. artic. 10.* Bellarm. *controuerſ. 3. de poteſtate Pontif. lib. 5. cap. 6. 7. & 8. & in libello de poteſt. Papæ contra Barclai. in prologo.* Suarius *vbi ſuprà, lib. 3. cap. 6. n. 3. & cap. 21. 22. & 23.* Dom. Couarrubias *de ſponſal. & matr. §. 8. num. 45.* Nauarrus *lib. 4. Conſ. in 1. edit. tit. de Sponſal. conſil. 3.* cum alijs relatis à Caſtro Palao *tom. 2. tract. 3. diſput. 4. punct. 1. §. 5. n. 4.* Baſilius de Matrim. *lib. 5. c. 12. §. vnic. num. 10.* Eſcobar paſſim *dicto cap. 21.* quibus addere licebit omnes Repetentes *ad c. nouit, de iudicijs* & plures apud Parlador. *differen. 9. §. 1. n. 12. & 13.*

Excurſus III.

13 PRAEMISSA hæc pertinent ad ius, quod non Eſcobario tantùm, ſed cuiuis docto potuit innoteſcere. Succedanea dudùm eſt alia veſtigatio in hoc Finis puncto; Num in erectione Collegij Ouetenſis alter ex his finibus interfuerit, qui Eccleſiaſticæ inducẽdæ qualitati ſuffeciſſet? Hæc potiùs attinet ad factum, nec extraneorum fidei (quamuis in vtroque Iure probatiſſimæ) ſed domeſticorum

corum assertis credenda est. Parta sibi fide vtatur Escobarius in aliarum Communitatum Statutis, quæ vel ideò sedulitatem eius non eluisissent, quia typis mandata vulgò circumferũtur. Nostrarum verò Constitutionum instrumenta, velut Domui vnicè adscripta, & quasi in domestico carcerem damnata, nec hactenùs publicam typorũ lucẽ emeruere, nec possũt emereri; ideò extraneis illa ignorare, iure suo licet. Operæ igitur nostræ pretium erit (vt voto plenissimè succedat euentus) non vnum, aut alterum modò, sed omnes præfatos Fines, pium scilicèt, religiosum, & spiritualem, ex priuata domestici Iuris penu ob oculos ponere.

14 Pius finis, seu pia causa in pauperum alimonia præcipuè discernitur, vt innumeris aggestis tradit Tiraquel. *de priuileg. piæ causæ, in proœm. à num. 7.* Ant. Augustin *dicto tit. 8.* Sebastian. Cæsar, *dicto §. 5. à n. 20.* post omnes Escobarius *n. 283.* Quippè Ecclesiasticæ immunitates pauperibus reseruantur, vt docet Constant. *in leg. 6. Cod. Theodos. de Episcop. & Cleric.* Ideò *in leg. nulla 27. eodem tit.* Clericis pauperes exæquantur, sicut *in cap. 4. de Magistr. cap. ad hæc, 3. de religios. domib.* Paupertatis præstantiam pulchrè descripsit Apuleius *in apologia 1. pro se*, vbi videndus Scipio Gentilis. Is autem finis non modò coniectaneus est, sed expressus, & iuridicus tàm in litteris Apostolicis, quàm in subiectis Constitutionibus. In primis Sanctissimi Leonis X. Adriani VI. & Clementis VIII. Bullæ inter alia exhibent hæc verba continenter post ea, quæ *suprà n. 5.* transcripsimus; *Cupiens Didacus Episcopus his prouidere, Salmanticæ, in qua generale Studium cunctarum Scientiarum, & Artium, vigebat, & quæ vltra duas, aut plures diætas à dictis Partibus non distabat, vnum Collegiũ Pauperum Scholarium sub inuocatione S. Saluatoris pro Pauperibus Scholaribus de dictis oriũdis, qui in numero, & per tempus, de quibus eidem Didaco Episcopo videretur, inibi Iuri Canonico, & Theologiæ huiusmodi operã dare deberent, cum altari, Capella nuncupato, campanili, humili campana, refectorio, & cameris, & alijs officijs necessarijs, opere satis decenti &c.* Et inferiùs; *Quòd si Beneficia prædicta eidem Collegio vnirentur, annecterentur, & incorporarentur, aliquos pauperes Scholares de dictis Partibus oriundos, qui in eodem Collegio Iuri Canonico, vel Theologiæ huiusmodi operam dare deberent, &c.* Et subindè; *Necnon dicto Didaco Episcopo, vt tot, quot eidem Didaco Episcopo, vt præmittitur, videretur, Scholares pauperes de dictis Partibus oriundos, qui in eodem Collegio Iuri Canonico, vel Sacræ Theologiæ operam darent, introducere.*

15 Id etiam apertè sensisse videtur Gregorius XV. in litteris, quibus Hispalense Beneficium huic Domui annexuit, dum ait; *Collegia, aliaque pia loca, præsertim ad iuuentutis litterarum studijs instructionem, & educationem instituta, &c.* Et absolutè in singulis harum Bullarum vtuntur Pontifices verbo *Administratores Collegiales*; quo vno Ecclesiasticos illos agnoscere, satis apparet: quandoquidem administratio piorum operum fori priuilegium inducit, adnotante, & comprobante Sebastiano Cæsar. *de Eccles. iast. hierarch. q. 2. proœm. §. 5. num. 20. & 30.*

16 Nec obscurior est hic Finis in Constitutionibus à nostro Fundatore authoritate Pontificia latis, quarum exordium hæc verba præfert; * Christianissimum consilium in Pauperum alimonia, & in eorum penuria sublenãda, haud dubiè adimpleri certò scimus, ipso Domino insinuante; quod vni ex istis minimis feceritis, mihi feceritis; verùm inter ipsos Pauperes, illos potiores existimauimus, qui litteris operam dare cupientes, pro nimia rei familiaris inopia, qua maximè laborant, id exequi, aut prosequi nequeunt. His igitur maturè pẽsatis, Pauperes Scholares Sacræ Theologiæ, ac Iuri Pontificio deditos cæteris præferendos destinauimus. Vtrique enim huiusmodi scientijs imbuti Deo Opt. Max. plurimùm obsequuntur. Quippè tum vitæ integritate, tũ suis concionibus vitia eliminare, virtutes plantare, fidelem populum erudire, hæreses exterminare, Orthodoxam Fidem asserere, iusta dogmata ædificare, lites sopire, dissentientes ad pacem reuocare, ius suum vnicuique tribuere, efficacissimè cõtendent; Propheta sapientiæ præstantiam differente; Qui me elucidant, vitam æternam habebunt, & qui erudiunt pauperes nostros ad iustitiam, erunt, velut stellæ in perpetuas æternitates: His ergo rationibus persuasi Collegium Pauperum Scholarium Sancto Saluatori dedicare instituimus, &c. *

17 Hoc Pauperum solùmodò excipiendorum cõsiliũ euasit in legẽ *in 3. Constitutione nostra*, vbi ita statuitur; * Item cum nostræ intentionis fuerit, Paupertati Scholarium consulere, volumus, & ordinamus, quòd futuri Scholares in dicto Colle-

» Collegio tãt à paupertate laborent, quòp
» de Patrimonio, aut Eccleſiaſtico Beneſi-
» cio, aut ſimul vtroq; &c. *Et in fine;* Quòd
» ſi Scholares, aut eorum parentes tantis
» opibus abundent, vt veroſimiliter cõside
» rari poſſit, ipſos ex paternis redditibus ſuf
» ficienter in Studio ſuſtentari poſſe, ipſum
» noſtrum Collegium talibus non pateat;
» ſuper quo iuramento, & conſcientiæ om-
» nium Collegialium de præmiſſis infor-
» mationem habentium ſtare, cenſemus.
» *Deinde in 4. Conſtitutione.* Item ſtatui-
» mus, & ordinamus; quòd quando aliquis
» Collegialis electus ſit, antequam admit-
» tatur, iuramentum præſtet, ſe non habere
» in redditibus Eccleſiæ, vel patrimonij
prædictam ſummam, &c. * *In Conſtitu-
tione 44.* producto eodem Paupertatis te-
nore, diſpoſitum eſt, vt Collegialis, vel Fa
miliaris in Collegio vita functus expen-
ſis Collegij ſepeliatur, ſi tanta paupertã-
ta laborauerint; quòd relicta eorum bona
funeri non ſufficiant. *In Conſtitut. 91. Cæ-
terùm auxilio diuino humiliter implorato, Do
mum hanc, & omnes habitatores in ea, vtpotè
Pauperes Chriſti, eorum libertates, priuile-
gia, immunitates, &c.* Et paulò poſt. *Eoſ-
q; precamur, vt pauperes Collegiales ſub pro-
tectione, & patrocinio ſuo ſuſcipiant.* Et rur-
ſus; *Omnium malignorum incurſibus pro ip-
ſis Chriſti Pauperibus ſe opponant.* Et in fine.
*Deo Optimo Max. non mediocre obſequiũ præ-
ſtatur, Verbi Dominici non immemores; Quod
vni ex iſtis minimis feciſtis, mihi feciſtis. De-
mùm, ne ipſi pauperes Collegiales erga benefa-
ctores, tanquam ingrati, offendantur; vt, quẽ-
admodùm ipſi patrocinium ſuum Pauperi-
bus impendunt, ſic etiam ipſi Pauperes Salua-
torem noſtrum, certiſſimum omnium præſidiũ
pro ſuis Benefactoribus interpellent.* In Con-
ſtitut. 94. *Item cum hæc Domus Pauperum
ſit, iuſtum, & æquum eſt, Collegiales in ea
degentes, cum ad pinguiorem ſtatum deue-
nerint, ei de bonis ſibi à Deo collatis ſubue-
nire.*

18 Prætereà litteræ, quibus Dom. Fundator commonitus à Clemente VII. recèns in Apoſtolicum faſtigium euc-
cto, & amicè ſalutatus, ipſi grates reſcri-
bit, & gaudium electionis expendit, ſic
clauduntur; *Salmanticæ, quò paulò ante
ad perficiendum quoddam Collegium Pauper-
rum Scholarium me contuleram.* Tandem
in publico donationis inſtrumento, quo
idem Dominus Fundator Collegio nu-
per erecto plurima largiebatur anno
1518. hanc adducit ſententiam; *Porque
tan ſantà, è pia obra no deſcaya, antes vaya
adelante, &c.*

19 Longiſſimi operis eſſet, quæ ſu-
perſunt veritatis huius teſtimonia, recen-
ſere. Satis, ſuperque de illa vindicanda, &
indicanda. Hic tamen te ritè prænioni-
tum velim, nondum, ſeueriſſimo huic
Paupertatis Statuto derogatũ eſſe; quip-
pè adhuc hodie paupertas exactiſſimè cõ-
quiritur, & adhibita iurisiurandi religione
comprobatur Verùm, quia per litteras
Apoſtolicas, anno 1622. impetratas licet
quindecim mille marapetinos annuatim
cenſuatos admittere, ſuperindicto tamen
impoſito, (vt Paupertatis Conſtitutio ſal-
ua maneat) ideò per hanc pecuniariam
mulctam exceſſus ille temperatur, ne pe-
rindè admiſſio cenſuatorum vim inferat
Statuto noſtro, ex Pontificia interpreta-
tione.

20 Imò verò & de altero Religionis Fine ſatis patet ex præſcriptis Bullarum clauſulis, quibus ſacra Theologiæ, ſacrataq; Canonum profeſſio, cui priua-
tiuè Collegium hoc inſtitutum eſt, ſpecifica, & diuerſa verborum iteratione pro-
fertur, ibi; *Iuri Canonico, & Theologiæ operam dare deberent, cum Capella, &c.* prout *ſuprà num. 5. & 14.* Tum etiam ex præfatione Conſtitutionum *ſuprà n. 16.* Ex ex Conſtitut. 1. ibi; *Primò ſtatuimus, quòd in dicto noſtro Collegio habitent duode-
viginti Studentes, Clerici ſaltem primæ ton-
ſuræ, quorum nouem dent operam ſacræ Theo-
logiæ; totidem verò Iuri Pontificio.* Et id ip-
ſum repetitum eſt *in Conſtitut. 11.* Sed & *in Conſt. 15.* exhibetur forma examinis, & inter alia dicitur; *Pro Iuriſta liber De-
cretalium, pro Theologo verò Magiſter ſen-
tentiarum ter publicè aperiatur.* Et *in Con-
ſtit. 59.* interdicitur Collegialibus matu-
ra legum profeſſio. *In Conſt. 80.* iubentur publicas lectiones in Theologia, & Iure Canonico ſtatim inſtituere, quod fuit ita præſtitum.

21 Suadetur, & depromi-
tur is religioſus Finis ex munere, in quod obeundum educari, & inſtrui cupit Do-
minus Fũdator Collegiales, vt tranſcrip-
ſimus *ſuprà num. 5. & 16.* Prætereà & in-
ſtitutio vitæ, Statutaque omnia, quibus nihil non ſanctum, nihil non religionis plenum, & regularis obſeruantiæ (vt te-
ſtatur Philippus III. Hiſpaniarum Mo-
narcha in Epiſtola manu propria exara-
ta, cum Collegium Ouetenſe, exem-
plo Patris, & Aui, perſonaliter inuiſit)

pluraq; singularia in cæteris Collegijs desiderata, vt frequentior Sacramentorum necessitas: clausula strictior: professio saeratior, & cultus Sacerdotum.

22 Deniq; salus spiritualis, & periculum animarum (quod in tertio Fine *suprà n. 12.* continebatur) non solùm ex eisdem verbis elici potest, verùm & ex alijs, quibus Leo X. delatum sibi Fundatoris consilium excepit, & stabiliuit, facultatem erigendi Collegij faciens, ea ratione; *Quia partes Galleciæ, & Asturiarum ob paupertatem viris doctis, qui eos ad Fidem instruerent, & Sermones haberent, aliaq; vnde animarum salus valeret procurari, facere possent, carebant non sine detrimento salutis animarum incolarum Partium earumdem: Cupiens Didacus Episcopus his pro viribus prouidere, &c.* Sequētia verba relata sunt *supernum. 14.* In his omnibus & publici, & priuati Iuris monumentis, velut in folio Sybillæ, manet ex adyto cōprobatus pius, religiosus, & spiritualis Finis, authoritate Apostolica eleuatus, & in vim legis traductus.

Excursus IV.

23 INSVPER etiam ex annexione Beneficiorum Ecclesiasticorū sententia nostra vires ingentes capit. Nam, licèt hæc annexio ex plenitudine Pontificiæ potestatis laicis fieri queat, vt sentiunt Gama *decis. final.* Paulus Cristenus *decis. 235. à num. 6.* Garcia *de Beneficijs 1. p. cap. 2. num. 28. & 29.* Lassarte *de decim. cap. 19. n. 31.* Et proindè etiam Corpori laico; tuncq; destruitur ipso facto natura Ecclesiastica Beneficij, & degenerat in redditus sæculares, vt notat Garcia *dicto num. 29.* Couarr. *lib. 1. variar. c. 17. n. 9.* Felinus, & alij apud Solorzano *tom. 2. de Iure Indiar. c. 1. lib. 3. n. 12. & lib. 4. Polit. c. 1. & 3.* Id tamen nunquam euenit, (vt me cordatè monebat D. Don Laurentius Santos *in epistola* nuper insinuata) nam, cū Pontifex Ecclesiasticos redditus alicui sæculari concedit, pensionis, aut præstimoniorum nomine consignantur, vt, pluribus annuentibus, tradit Gonzalez *in reg. 8. Cancellar. gloss. 5. §. 2. num. 10.* Sebast. Cæsar *vbi suprà §. 4. num. 17. ad fin.* Nec Beneficia ipsa in incapaces cōferri, sed an nuæ pensiones intelliguntur. Si verò accideret (quod hactenus Interpretum memoria proditum nobis non est) vt Pontifex vellet Beneficia ipsa laicis, cuersa eorum natura, & Canonici Iuris regula, conferre; id quidem, expressis, & specialibus verbis fieri deberet, vt in laicali statu permanens Beneficijs illis fungeretur, iuxta communes priuilegiarum regulas.

24 Vnde, cum absolutè Beneficia laicis conferuntur, censendum non est, regulas Iuris in uersas esse, iuxta *textus in leg. 11. cum sequētib. leg. 23. 26. & duabus seqq. ff. de legib. leg. quoties 67. ff. de reg. iur.* vbi Rœuard. Gisan. & Gothofr. *Regul. priuilegium; reg. quæ à iure; reg. in obscuris; reg. cū quid; reg. inspicimus; reg. quod alicui: reg. in generali, de reg. iur. lib. 6.* Videndus in illis Dynus; sed supponere Pontificem, eos Sacris Ordinibus initiandos capaces fore, nisi aliud expressè protulerit. Quod in vnione Collegijs facta seueriùs obseruari, vt Ecclesiastico Collegio collata, & non sæculari, intelligantur, docet Petr. Gregor. *in nou. instit. rei Benefic. cap. 20. n. 12.* & plures apud Barbos. *in remiss. ad Concil. Trid. sess. 23. cap. 18.*

25 Hæc doctrina *extra fumum, & vndam* est in nostra decisione; nam cū Leo X. in ipsa erectione Collegij Beneficia Ecclesiastica illi vnierit, & incorporauerit, nec insuper verbū vllum addiderit speciale, sed omnia Fundationem Ecclesiasticam ostendant ad religiosam professionem, munia spiritualia, & salutem animarum ordinata, necessariò deducitur, Ecclesiasticum corpus ab illo reputatū, & effectiuè constitutum esse. Qui enim potuit tunc capacitatem Beneficiorum cū illis indulgere, credendus est in dubijs indulsisse, vt in terminis admonet, alijs aggestis, Garcia de *Benefic. 7. p. c. 15. num. 12.* Et suffragatur Escobar *num. 174.* dum ait, Ecclesiasticos redditus (scilicèt Collectas; nec enim fatur de ipsis Beneficijs) ideò qualitatem Ecclesiasticā Academiæ Salmanticensi nō communicasse, quia multò post Fundationem perfectam obuenere; quasi fateatur, obuenientes in ipsa Fundatione trahere debuisse Cōmunitatem in propriam naturam Ecclesiasticam. His accedit, annexiones Collegio factas deuersis subindè temporibus à Paulo III. Paulo V. Gregorio XV. & Vrbano VIII. non solùm generalibus verbis conceptas esse, sed per totam earum seriē constare, corpori Ecclesiastico æstimatione Pontificia factas esse.

26 Suppetias itidē fert huic vaticinio Vrb. VIII. in litteris expeditis ann. 1632. quibus arbitriū facit Collegio potestatis dis-

diſcernendarum cenſurarum his, quos ad habendam informationem Oppoſitorum mittit. Quippè hoc ipſo Collegium noſtrum Eccleſiaſticum æſtimat; nam licèt ſæculares miniſtros cenſurarum eius nomine præferendarum conſtituere ſoleat, *cap. præter, diſt. 32. cap. Adrianus, cap. in ſynodo, 63. diſt.* Decius *in cap. decernimus, de iudicijs; num. 6.* Ibi Felinus *num. 19.* Solorzano *de Iure Iudiar. tom. 2. cap. 2. l. 3. num. 47. & lib. 4. Polit. cap. 2.* Pater Suarez, *paſſim in tract. de Cenſur.* & P. Auila *in eodem tract.* arbitrium tamen, & priuilegiũ ſubdelegandi hanc poteſtatem nunquam niſi Eccleſiaſticis conferre ſolet. Ex Gradus conferendi priuilegio à Leone X. & Adriano VI. in erectione Collegij deriuato, & frequentet hactenùs ad effectum perducto, non leuiter etiam fulcitur eius Eccleſiaſticum ius, præiacta doctrina nimis ſtricta Eſcobarij docentis *in cap. 30. à num. 18.* Pontifici in aliena ditione ſolùm licere facultatem conferendorum Graduum Theologiæ, & Iuris Canonici Eccleſiaſticis, & inter Eccleſiaſticos impertiri; quoniam in eo caſu non in alienam meſſem inducere falcem; ſed in omnino propria Eccleſiaſtica iuriſdictione decernere videtur, vt elicitur ex Concilio Lateranenſi *ſub Alexandro III. ex cap. 1. cap. 2. 4. & 5. de Magiſtr. cap. 2. eodem tit. in 6. leg. 6. & 7. tit. 6. partit. 1. leg. 9. tit. 31. part. 2.* Et exornat poſt Balduin *in proem. Digeſt. §. hæc autem tria, in 1. & 2. lect.* Gregorius Lopez *in leg. 6. & 7. tit. 6. part. 1.* Pet. Gregorius *lib. 15. ſyntagm. c. 19.* P. Azor *2. part. lib. 3. cap. 23. inſtit. mor.* Proinde, cum ab Apoſtolica authoritate præciſè facultas hæc in Collegium efluxerit, Eccleſiaſticum illud conſtituit, & ſupponit, ſecundùm ipſius Eſcobarij præcepta.

27 Conſpectius, & verè Colophonium ſuffragium addere poſſet diſceptationi noſtræ iuriſdictio Eccleſiaſtica Scholaſtici Salmantini aduerſùs Collegas Ouetenſis Domus, ſemper Eccleſiaſticè, nunquam ſæculariter exercita. Nam, ſi ſæculares ſubditi ęſtim arentur, neque cenſuris ſubeſſent, neq; fulmina Eccleſiaſtica pati poſſent, prohibentibus Regni ſanctionibus, Eccleſiaſticam iuriſdictionem exerceri aduerſùs laicos, etiã ab eo, qui fungitur vtraq; *leg. 8. tit. 3. lib. 1. leg. 4. tit. 7. lib. 3. Recopil.* vbi Azeuedo, Auendaño, & Matienzo, aliis pluribus adiectis; prętereà Salicetus, Narbona, Belamera, Moneta, & Balboa *vbi ſuprà.*

28 Baſilius, & Eſcobarius, ſęcularem Scholaſtici iuriſdictionem in laicos ſubditos præferentes, hoc argumento altiſſimè cruciantur. Defecit in eius enodatione Baſilius *n. 18.* Carpit eũ Eſcobar, & *n. 17.* ex illa deducit Regalium legum prohibitione, contrarium ius anteà fuiſſe in obſeruãtia. Malè; nam ius anterius Eccleſiaſticum nulli ſęcularium Principum derogationi pateret, nec niſi alio Eccleſiaſtico iure reformari, aut innouari poſſet. Potiùs crederem, per illas leges Eccleſiaſticorum Iudicum exceſſibus in producẽda iuriſdictione modum, & locum impoſitum eſſe. Ait etiam Eſcobar *num. 176.* Scholaſtico ſpecialiter permiſſum eſſe à Catholicis Regibus, Conſeruatoria vti in laicos Scholares. Hoc autẽ, quid aliud eſt, niſi eos Eccleſiaſticæ iuriſdictioni ſubiecciſſe? Vt ab hoc dubio ſe expediat, Pauli Iureconſulti opem implorat, & ex omnino diſſimili ſeruituris vſucapiendæ farina, *puluerem ob oculos nobis* (cum Lypſio dixerim) *ſpargit*; oculatior Interpres. Enimverò, ſi, vt ipſe vult, ſęcularis maneret iuriſdictio cum facultate cenſurarum expediendarum apud Scholaſticum, poſſet Princeps per eum, quod nequiuiſſet per ſe ipſum; quod, inoffenſis vtriuſq; Iuris elementis, aſſeri non poteſt. Nec Eſcobario militat textus *in cap. Romana, §. debet, de appellat. in 6.* nam loquitur de appellatione ad Archiepiſcopum deducenda, quoties ſubditus temporalis Eccleſiaſticè vexatur ab Epiſcopo, nec alius aut ex iure publico, vel priuato, aut ex conſuetudine ſupereſt iudex, qui vexationẽ poſſit coercere. Deniq; omnia fatetur, & ad conſuetudinem recurrit Eſcobar. Sed nec tutus in ea erit, ſi conſulis Bouadilla *lib. 2. c. 17. num. 170.* Nec eget conſuetudine Apoſtolicum ius toties expreſſum in litteris Cõſeruatorijs. Tandem fatetur Eſcobar, Eccleſiaſticam iuriſdictionem Scholaſtico Salmonticenſi ſaltim conſuetudine partam eſſe.

29 Eſtò tamen hæc Eſcobario cõdonẽtur, nullibi hactenùs ipſe negauit, Eccleſiaſticos eos eſſe, in quos nõ vtrãq; iurisdictionẽ, ſed ſolã Eccleſiaſticã exercuerit Scholaſticus Salmanticenſis, quales eſſe noſtræ Communitatis alumnos docet experientia. Miſſam hic facio quæſtionem plurimorum calculis vexatam de qualitate Eccleſiaſtica Academiæ Salmanticenſis. Nobis promptum eſt, alterutrum alie-

no periculo credere. Multa pro aſſertiua ſententia non minimam vim inferũt; quæ ad amuſſim diſcuſſa accurato hoc Patris ANDREAE MENDO calamo reperien tur.

Excurſus V.

30 IGITVR, quamuis horum ſingulis fundamẽtis ſeutentiã noſtrã ſtabilire poſsẽ, aliaq; inſuper addere, ex Saliceto, Bellamera, Narbona, Moneta, Barboſa, & Paramo (quem vellicat Baſilius dicto *libr. 5. §. vnico*) Gloſſa *in cap. ſciant cuncti 12. de elect. in 6. verbo, Eccleſiaſticas*, Nauarr. *com. 2. de regular. num. 63. & conſil. 6. de ſimon.* P. Suarez *contra Regem Angliæ lib. 4. à cap. 27.* Gutierrez *Canonicar. qq. cap. 35.* Carleualio *de iudicijs 1. tom. lib. 1. diſp. 2. q. 6. ſec. 1. à num. 402.* Et ex pluribus alijs.

31 Malui tamen omnia hæc fundamenta in vnam veluti baſim ſolidare, qua firmius erigi poſſit noſtræ aſſertionis ſtructura. Etenim qui alteri ex præfatis rationibus ægrè diſſentiebat, qua ratione poterit omnibus ſimul collectis non ex animo ſubſcribere, & profiteri Eccleſiaſticũ eſſe Collegium, in cuius erectione conuenerint Sacer Fundator: Authoritas Apoſtolica: Finis pius, religioſus, & ſpiritualis: Beneficiorum annexio, & incorporatio: Cenſurarum per alios diſcernendarum poteſtas, & Eccleſiaſticæ iuriſdictionis ſubordinatio? Imò verò præter Clericatus inſpectionem, ſub his circunſtantijs quemcumq; laicum in, Eccleſiaſticã exceptionẽ induci, & effectiuè Collegas Ouetenſis familiæ inductos eſſe, cuilibet erit perſpicuum. Et in hanc Eccleſiaſticæ portionis ſpeciem expendi poterunt textus *in Clement. 1. de Magiſtr. cap. Clericus, 3. de immunit. Eccleſ. in 6. cap. ſciant cuncti, 12. de elect. in 6. & lex 20. Cod. Theodoſ. de Epiſcop. & Cleric.*

32 Adhuc ſolidius aliud adeſt fundamentum. Notiſſimum enim eſt, Communitatem Clericis cuiuſuis Eccleſiaſtici Ordinis inſtitutam, vt merè ſpiritualẽ, pertinere ad Eccleſiaſticam iuriſdictionẽ, vt in ſpecie notat ex pluribus Bouadilla, *dicto lib. 2. cap. 18. num. 181.* Germonius *de Sacror. immun. lib. 2. à. c. 1.* Baſilius *de matrim. lib. 5. c. 12. §. vn. num. 9.* & obſeruat paſſim Eſcobar *dicto c. 21.* Nam, cum omnes Clerici Eccleſiaſticis etiam primæ tõſuræ Ordinibus initiati in Eccleſiaſticam exemptionem, & iuriſdictionem excepti ſint; *cap continua, & ferè per totam 11. q. 1. cap. ſi quis, & paſſim, de for. compet. leg. 1. & per totum tit. Cod. de Epiſcop. & Cler. & eodem tit. in Cod. Theod.* Balſam. *in cap. 15. Concilij Carthagin. cap. 9.* Dom. Couarrub. *practic. cap. 3. num. 3.* Lamether *de veter. Cleric. & Monach. victu.* & plures alij; Cõ ſequenter, & corpus Clericis deſtinatum Eccleſiaſticum erit ex ſolo Fundationis inſtituto, vt ſpecificè Petr. Gregor. *partit. iur. Can. lib 1. tit. 4. cap. 7.* Quod initio tantùm inſpicitur, vt ex Lambertino *de iure patronat. lib. 1. p. 1. quæſt. 1. art. 10.* ſentit Eſcobar. *num. 365.*

34 Proindè, cum in Conſtitutionibus Collegij Ouetenſis principem agat ea, quam *ſuprà* expreſſimus; *Primò ſtatuimus, quòd in dicto noſtro Collegio habitent duo de viginti ſtudentes, Clerici ſaltem primæ tonſuræ, quorum nouem dent operã ſacræ Theologiæ, totidem verò Iuriſtæ, quorũ vnus, prout ſorte euenerit, Miſsã quotidie in Capella Collegij celebret, & rerum Sacrarum curam gerat.* Nemo deinceps ambigere poterit, quin ex ſui natura Eccleſiaſticum ſit Ouetenſe Collegium, cuius Inſtitutum non admittit Ordinatos quoſcumq; ſed ex his illos, qui ſtatu Clericali funguntur. Ideò non *Collegas*, ſed *Clericos* appellauit. Ideò duos ſaltem Presbyteros exigit, qui ſacrificia peragant, diuinis vacent, ac Sacramenta miniſtrent. Ideò deniq; *in Conſt. 81.* primus honor Sacerdotibus decernitur, vt in vero Clericorum Seminario illi, tanquam præcipui, cæteris præferãtur.

34 Succubuit horum Statutorum veritati Eſcobar, & Collegiũ Ouetenſe ab erectione ſpirituale conſtitutum diu in Eccleſiaſtico foro permanſiſſe concedit, donec nouo Tridentini Cõcilij Decreto *in cap. 26. ſeſſ. 23.* Clericis primæ tõſuræ denegata eſt Eccleſiaſtica exemptio, niſi conditiones ibi appoſitas obſeruauerint, quas omnes deeſſe in Statutis Collegij profitetur; nec prodeſſe, ait, quòd interdum impletæ videantur, cũ hoc ex accidenti, non ex diſpoſitione Conſtitutionum proueniat. Hæc ille, *n. 160.*

35 Lõgè tamẽ, quàm vt aſſertioni noſtræ iacturã lucis, vel periculũ faciat. Imò ex eius doctrina cõſtabit, Collegiũ Ouetẽſe, & ante, & poſt Tridentinũ eſſe Eccleſiaſticũ. Primò, quia hoc ius nititur volũtate expreſſa, & intentione noſtri Fũdatoris, per Pontifices ſæpè admiſſa, & comprobata, quæ, cum initio vtiliter ſtatuta,

tuta,& ad effectum perducta legis virtutem obtinuerit,tali natura ex tunc Collegium informat,vt nulla deindè circunſtãtiarum varietate poſſit abrogari,*ex reg. factum legitimè 73. de reg.iur.in 6.* Decius *in leg.in ambiguis 85.leg.omnia 201. ff. de reg. iur.* Vbi Ræuardus, Gifan. Vueſembechius, Gothofredus,& alij.

36 Prętereà, quia hæc voluntas Domini Fũdatoris adeò circumſpectè, & canonicè expreſſa eſt,*vt Clericos*, exigat, qui perfecta Clericali exẽptione fungãtur ſal tẽ ex prima Tonſura. Vnde ex Clericis primæ Tonſuræ eos ſolos admittit Conſtitutionum vis, qui ſecundùm Iuris Canonici prȩcepta Clerici fuerint effectiuè. Ideò poſt Tridentinum hi ſoli Tonſurati, qui iuxtà illius moderationem Clerici æſtimantur,ad Statutum pertinent Cuetenſe. Id enim ſibi vult verbum *Clerici*,addita clauſula,*ſaltim primæ Tonſuræ*; quæ Cõcilij reformationem videtur præcauiſſe, *ex dicta leg. in ambiguis.*

37 Enimverò, quamuis Conſtitutionis tenor omnes primæ Tonſurę Clericos admiſiſſet, ſatis tamen eſt ad comprobandam Fundatoriæ voluntatis legem,eo tempore illos requiſitos eſſe, quo Tonſurati Clericali ſtatu,foro,& exemptionibus indiſtinctè gaudebant; ſi quidem indè planiùs euincitur animus erigendæ Communitatis Eccleſiaſticæ ſolis veris Clericis deſtinatæ, ex quo vno Eccleſiaſtica qualitas ſecurè deſcendit. Quinimò liquet,Dom. Fundatorem,qui exegit requiſitum ſufficiens ad effectum eiuſdem qualitatis,exacturum fuiſſe omnia conducentia,adhoc vt eius conſilium exitum haberet,prout exegit *in dicta Conſtit.* quæ tamẽ initio ſemper attendenda eſt, vt notat Eſcobar *num. 365.* quia corpus myſticum Collegij tũc natũ ſuam indelebilẽ ex tũc naturã ſortitum eſſe cenſetur inſtar corporis humani, vt prodit Sebaſt. Cæſar *vbi ſuprà q.1.proem. §.4.à num. 20.* Adeò, vt licèt temporis tractu ad vnum hominẽ Collegium reducatur, adhuc integra eius natura permaneat, de quo *infrà.*

38 Cæterùm, licèt hæc qualitas Eccleſiaſtica nec Statutis,nec volũtate Dom. Fundatoris niteretur, ſed ſola continuata receptione Tonſuratorum,adhuc nullam pateretur offenſam ex Tridentini reformatione, quæ ſolùm pertinet ad ſingulas perſonas, non autem ad corpora myſtica Comunitatum, *ex reg.dictum 76. de reg. iur.in 6.* His enim præiudicium fieri nequit ex verbis generalibus, præſertim quoad proprij iuris diminutionem, nec exemptionibus ſemel quæſitis denudari poſſunt, niſi per clauſulam ſpecialem derogatoriam, in qua nominatim citra ambiguitatem exprimantur; *ex reg. odia 15. reg.in obſcuris 30.cum alijs de reg. iur. in 6. leg.ſemper 9.leg.rapienda cum alijs,ff.de reg. iur.* Conſule earum Interpretes.

39 Propterea in eadem ſuppoſitione nequiret poteſtate iuris (vt placet Eſcobario) qualitate hac Eccleſiaſtica Collegium defraudari; quia priuilegia, ſeu iura ſpecialia poteſtate iuris nunquã abrogantur, vt in noſtra ſpecie ſtatutorũ reſoluitur *in cap.1.de conſtit.cap.dudum 14. de præbend.cap.1.de reſcript.* Vbi plura Expoſitores. Deinde,cum in corporibus myſticis deficiat ratio,quæ Tridentini reformationi cauſam præbuit, omnimodò excluditur extenſio eius ad Collegia, etiam ſi fateamur,ea potuiſſe videri reformata, iuxta *reg. decet. 16. reg. inſpiciamus 45. de reg.iur.in 6.* cum alijs.

40 Eſtò tamen Tridentini Decretum producendum eſſet ad Corpora myſtica, adhuc Collegium Cuetenſe,vtpotè Concilio vetuſtius,citra eius reformationem remaneret;nam hæc ad Communitates,& Corpora futura induceretur, non ad ea, quæ anteriùs erecta reperiuntur, maximè longiſſima præſcriptione temporis inueterata, quibus ſemel partum ſpeciale ius alio ſolo ſpeciali iure poteſt auferri; ſi enim Clericatus præſcribi poteſt in perſonis, vt reſoluit Pet. Gregor. *de re Benefic.c.36.num.23.* multò magis Eccleſiaſtica qualitas in Corpore myſtico. Cõſulatur Solorzano *de iur. Ind. lib.3. cap.2. & lib.4.Polit.cap.2.*

41 Vlteriùs,etiam ſi Tridentini reformatione derogatum eſſet Eccleſiaſticæ Collegij qualitati, ita vt Tonſurati eius alumni ex tunc laici efficerentur,nõdum tamen illa potuiſſèt amitti, ſed deberet cõſeruari in duobus Preſbyteris,quos exigit *Conſt.1.* adeo ſtrictè,vt etiam tempore peſtis, quo tres remanent in Collegio,vnus ex illis futurus ſit Preſbyter; vnde euincitur Eſcobar aſſerens, poſſe hoc Collegium integrè ſæcularibus conſtare. Quamuis enim ad adquirendam qualitatem Eccleſiaſticam, oportuerit, omnes Collegij præbendas,aut potiorem earum numerum Clericis deſtinari, ad retinendã tamen, duas Sacerdotibus, ſeu Clericis abſolutis,& omni reformatione maioribus

ribus ſufficit præſcriptas eſſe; vt in ipſiſſimo tenore exprimitur *in leg. 7. §. final. ff. Quod cuiuſque Vniuerſ.* Vbi iura Vniuerſitatis, quæ non niſi per tres adquiruntur, in vno retinentur; ſicut *& in leg. proponebatur 76. de iudic. in leg. 1. §. familiæ, ff. vnde vi.* Cuiacius *in leg. 40. ff. de verb. ſign.* Pet. Gregor. *lib. 15. ſyntag. c. 32.* & plures. Quin & Collegia Eccleſiaſtica in duobus conſiſtere, iactat Petr. Greg. *de re benef. c. 15. n. 3.* Quò facit regula, *Facilius retineri poſſe, quæ adquiri.* De qua Cuiacius, & Ant. Fab. *inl. 19. §. veniunt, de petit. hæred.* Plura Hiſpanę ſapientiæ Conſiliarius D. Franciſcus Salgado *de protect. Reg. 3. part. cap. 10.*

Excurſus VI.

42 DENIQVE, tametſi nec Fundationis initio, nec Dom. Fundatoris voluntati, nec corpori myſtico ſtandum foret, ſed aliqua exceptionum Tridẽtini in Statutis quæreretur, vt qualitatem Eccleſiaſticam retineat, omnes eas exceptiones exhibere licebit. Aderit enim prima, ſcilicèt *Beneficium Eccleſiaſticum*; quod ſolùm ſufficere Tonſuratis ad fori priuilegium, multis oſtẽdit Barboſa *in remiſ. ad Trident. ſeſſ. 23. c. 6. àn. 13.* Etenim Collegio vniuit Leo X. tria Beneficia in diœceſi Hiſpalenſi; tria in Cordubẽſi. Paulus III. vniuit eidem, anno 1535. & 1546. quatuor Beneficia in diœceſi Salmãtina. Paulus V. anno 1607. tria Beneficia in eadem diœceſi; Gregorius XV. anno 1622. vnum in Hiſpalenſi. Proindè totum ferè Collegij patrimonium Beneficijs Eccleſiaſticis abſumitur, quorum ſingulis idoneos Vicarios deſignare tenetur iuxta *præceptum 5. Statutor.* retento ſibi Parochiali iure. Vicariorum verò mores frequenter explorare, eoſque perſonaliter viſitatione ſedula recolere, & Theologos Collegas ad habendas Conciones, & iuuandos Vicarios in Quadrageſima, Aduentu, Paſchatibus, & Feſtis ſolemnibus ad Salmanticenſia Beneficia diſtribuere iubetur Rector *in dicto præcept. 5. & in Ceremonijs, de los q̃ van à predicar al Auiles, &c.* Hoc autẽ munus Clericale Parochorum ſapere, probat Petr. Gregor. *partit. Iur. Can. lib. 1. tit. 27. c. 2.*

43 Aderit ſecunda, nempè habitus, & tonſura Clericalis. Collegarũ enim Ouetenſium habitus, non quibuſvis Clericis modò, ſed ipſis Sacerdotibus religioſus, tum ex propria honeſtate, tum ex approbatione Pontificia omnino habetur; atque adeò ſæcularium Presbyterorũ formalior, & abſterior eſt ob neceſſarium pileorum vſum, & ſericarum, politiorumq; veſtium prohibitionem. Etenim hæc indumentorum interiorum, exteriorumq; Clericalis, & regularis honeſtas, tam in Salmanticenſi ambitu, quàm alibi, accuratiſſimè decernitur *in Conſt. 31. 53. 73. 80. & 85. ac in præcept. 35. & ſeqq. & in ceremon. del dia de Campo, n. 9. & De quando ſe ſale à caualło. & Del habito de los Familiares.* Tonſura verò non ſolùm in Collegialibus eleſtis, verùm & in Oppoſitoribus obſeruatur, & labri tonſura non nouacula, ſed forcipibus fieri debet; & velut ex perpendiculo congruit cum tonſura, quæ in Presbyteris exoptatur *in cap. ſi quis 4. cum ſeqq. de vit. & honeſt. Cleric. c. 21. cum ſeqq. de Cleric. coniug. Triden. ſeſſ. 23. c. 2.* Plura, & ſpecioſa poterunt deplumari ex Phœnice iuridica, rediuiua ſcilicèt abditiorum litterarũ philologia, qua Regij Patrimonialis Senatus Fiſcalis Dom. D. Antonius de Feloaga Veſpertinæ olim Salmanticenſis Cathedræ Anteceſſor, tunc meus Præceptor, nunc, & in poſterùm cultu duraturus, decoram exhibet Collegialis tonſuræ rationem *in prætermiſſis.*

44 Nec deerit *applicatio Eccleſiæ.* Nam primò Eccleſiæ Parœciali S. Bartholomæi nominatim deſtinatum eſt Collegium *in Conſt. 1. & 49.* cũ onere habendarum in ea Concionũm, Dominicis, & Feſtiuis Quadrageſimæ diebus, quod ad munus Clericale pertinere, innuit *Clem. dudum, §. verùm, de ſepult.* Deinde expreſſa Leonis, & Adriani ſententia, cultui Capellæ Collegium adſcribitur in illis Bullarũ verbis, *Cum Altari, Capella, & cãpanili, &c.* Quibus conſonat *Conſt. 69.* vbi ſaltẽ quater in anno iubentur Collegæ, & Familiares Sacramenta in Capella percipere, ibique Eccleſiæ præceptum adimplere. Conſonat *Conſt. 1.* de Miſſis in ea quotidie celebrandis *Conſt. 6.* De ornamentorum cura, & eorum per Feſtiuitates diſtributione. *Conſt. 70.* De commemorationibus in Miſſa faciendis. *Cõſt. 86.* De ſolemnibus Feſtis ſolemniori Miſſarum honore colendis. *Cõſtit. 91.* De vigilia, & translatione D. Iacobi cũ Veſperis, Miſſa, & Concione, & proceſſione in Capella Benefactorum gratia celebrãdis. Et *præcep. 1.* De ſalutatione B. Mariæ quotidie recitanda, & de Vigilijs, ac Anniuerſarijs frequentiſſimè repetendis. Hunc autem Capellarum cultum, Eccleſia-

cleſiaſtica authoritate comprobatum, ſufficere ad fori priuilegium in Oratorijs Cõmunitatum laicis inſtitutarum, aſſerit *Riccius in dec. Curiæ Neap. deciſ 111.* cum pluribus. Collegiumq; ſeu corpus Eccleſiaſticum reddere, adſtruunt cum multis Gutierrez *Canon. qq. c. 35. n. 18.* Solorzano *libr. 4. polit. c. 3.* præſertim accedente dotatione, prout in noſtra Capella, cui vnita ſunt quatuor Beneficia. Capellam autem à Pontifice comprobatam (qualis eſt noſtra) in Beneficium Eccleſiaſticum eleuari, conuincunt *c. Apoſtolica 8. q. 1.* Pet. Gregor. *lib. 1 partit. tit. 27. c. 6. n. 5.* & alij. Si quis autem adhuc Epiſcopi facultatem in hac Tridentini exceptione deſiderauerit, videat Summi Epiſcoporum Præſulis facultatem Bullis, & Cõſtitutionibus inſinuatam, & *inferiùs* adſtruendam.

45 Aderit & tertia exceptio excuſſa in verbis, *Vel in ſeminario Clericorum verſetur*; Siuè enim hoc vſurpatur pro domo Clericis inſtructa, extra aleam eſt, vel ipſo Eſcobario iudice, Collegium Ouetenſe Clericorum ſeminarium eſſe, cũ debeat Clericis omnium Ordinum conſtare. Siuè ſeminarium Clericorum cupias Collegium hominum promerendi, conſectandique Clericatus cauſa repoſitorum, *arg. text. in l. 9. §. ſeminarium, de vſufructu*, inſtar eorum, quæ ſtatuuntur in Trident. *ſeſſ. 23. c. 18.* de quibus Fileſacus *de ſacr. Epiſ. aut. c. 15. à §. 2.* & alij. Ecquis, quæſo, Collegium hoc feraciſſimũ inficietur Clericorum ſeminariũ? Hinc purgatioris doctrinę ſtipitibus Eccleſiæ cõferuntur. Hinc Senatus Inquiſitionum ſacrarum aſſeritur cedris Iuſtitiæ. Hinc culmen Epiſcopatuum laureis ſacris redimiri, & Cardinalium faſtigium purpurare crebrò conſpicitur. Hic primæuis radicibus coaluit diuina illa Mogrouei palma, quæ in Limanũ ſolum traducta ſurrexit in arborem procerrimam ſanctitatis, & extenſis Apoſtolicis ramis omnem penè Occidentalem plagam Euangelij ſapore refecit; quem breui Sanctorum cenſui adſcribendũ ſperamus.

46 Nec ex Citeria loquor. Liberabit meam fidem Gregorius XV. in litteris anno *1622.* pro annexione Beneficiorum indultis, aiens; *Collegium verò prædictum Reipublicæ Chriſtianæ nõ parùm vtile ab ipſius Fũdationis initio fuerit hactenùs, & in poſterum futurum eſſe ſperetur, cum tractu dictorum centum, & quatuordecim annorum ex eo quinquaginta S. R. E. Prælati, Cardinales videlicèt, ac Archiepiſcopi, & Epiſcopi, necnon ſeptuaginta ſex Præbendarum Magiſtralium, ac Doctoralium in Eccleſijs Cathedralibus Præbendati, ac triginta Conſiliorum Regiorum Caſtellæ, & Indiarum, ac Ordinũ Militarium, necnon Aragonum, & Cancellariarũ, ac Audientiarum Præſidentes, ac earum Auditores centum, vel circa; & inſuper duodecim, qui inſignia eorum opera ad publicam vtilitatem imprimi curauerunt, emanauerint, & alij in Conuentu Reuerendiſſimorum Patrum Concilij Tridentini ſexdecim eiuſdem Collegij filij adſtiterint, & in ipſa Vniuerſitate Salmanticenſi centum & viginti tres publicas Cathedras tam in Theologia, & Iuribus, quàm etiã in Artibus tenuerint*, &c. Sæcum calculũ duplicat Vrbanus VIII. in diplomate pro eadem annexione conceſſo anno 1624. Nec ab illo in noſtrum æuum Eccleſiaſticos Collegij proceſſus deducere in animo eſt; nec omnes latent; cœpit enim noſtra ætas ſeptem ſimul Epiſcopos, duos S. R. E. Cardinales, Sãdonaliũ ab ipſo Collegio (eatenus inſolita res) & Albornociũ, plures Inquiſitores, & ſingularum ferè Eccleſiarũ litterarios Canonicos: vt abſtineã à Prę ſidibus, & Conſiliarijs Regijs, quorũ dies fuit, & eſt quęſtus, An nõ hoc ſeminariũ Clericorum quaſi in via ad Ordines Maiores ſit omnino iudicandum? maximè cum ex trecentis quatuor Collegialibus hucuſque recenſitis ducẽtos & propè quinquaginta Eccleſiaſticum Ordinem conſtet obſeruaſſe.

47 Vltima adhuc exceptio Tridentini, *aut in aliqua Schola, vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi verſetur*, redditur expreſſior, & illuſtrior. Locatum eſt enim Ouetenſe Collegium in gremio Salmantiẽ cenſis Scholæ, potioris quidẽ ex quatuor generalibus Orbis Academijs. Sed & ſeparatim ipſum Collegium, ſicut quamuis Cõmunitatem, Vniuerſitatis nomine venire, patet *ex tit. ff. Quod cuiuſq; Vniu. nom. tit. ff. de manumiſſ. quæ ſeru. ad Vniu. pert.* et ex pluribus alijs. Collegiorũ autẽ corpora pro Vniuerſitate hominum in vnius Inſtituti ſacri, vel profani, aut artificij commutionem congeſta, fas erit obſeruare, *in tit. ff. de Colleg. illicit. & eod. tit. in Cod. Theod. l. vlt. ff. de excuſ. tut.* et ex innumeris alijs.

48 Ait Eſcobar, Collegio Ouetenſi deeſſe exceptionem eam Tridẽtini, *Epiſcopi facultas.* Sed ſanè, vt oſtendimus, hanc habet à Summo Eccleſiæ Præſule, nec vtiliter ab Epiſcopo poſceretur, nam Apoſtolica Sedes ligat manus inferioris,

rioris, nec potest Prælatus inferior mittere manum in rem priuatiuè à Pontifice præagnitam, & decisam; iuxta *Extrau. ad Roman. de præb.* Gonzalez *ad reg. Canc. reg. 8. Glos. 52.* cum pluribus. Collegium verò nostrum Pōtificiæ Facultatis iuribus gaudere *superiùs* satis euicimus, amplissimāq; potestatem Sedis Apostolicæ ad eius erectionem, & vt singulis Collegis liceat in Salmantina Schola residere, ibique foro, & immunitatibus fungi cum exemptione cūctarum diocæsanarum iurisdictionum. Hæc autem si non sit facultas, quid facultas erit? Innititur Escobar *in leg. 1. lib. 8. l. 9. tit. 4. lib. 1. Recop.* Vbi Episcopi facultas ita restringitur, vt in ea professio, origo, incolatus, ætas, qualitas, mensis, annus, & Notarius exprimātur; Quæ, ait, deesse Collegio nostro. Sed Cōcilij decisio nulla potest sæculari limitatione compesci; Ita Domin. Couarrub. *pract. à c. 3.* P. Suarez *contr. Reg. Angl. lib. 3. c. 27.* & plures. Quamuis autem ea limitatio esset obseruanda, reperiretur in Collegij Statutis; Professio in Bullis, & *Const. 13.* Origo, & incolatus, in Bullis, & *Cōst. 2.* Ætas *in Cōst. 6.* Qualitas in *1. Const. & seqq.* Mēsis, annus, & Notarius in Bullis Pontificijs.

49 Singulis etiam Collegijs præfatæ exceptiones cōgruunt, & singulari iure per matriculam quotannis Academię illi mancipantur. Insuper Escobar ipse docet, maiorem, vel æqualem Ecclesiasticorum portionem totum corpus reddere Ecclesiasticum. Nostra verò Domus ex Constitutionum directione adhuc pro maiori numero ab Ecclesiasticis incolitur; vt ex Præbendis Theologorum, (quamuis earum numerus Pontificia authoritate sit deintegratus) & Capellarum, liquet; Et prima electio solum vnum non Presbyterum cœpit, & exindè in nostrum æuum hæc series Ecclesiastica est prolata.

Excursus VII.

50 OBstare tandē Ecclesiasticæ qualitati videtur, quòd ad Collegiū Ouetense ex Regio, & sæculari Senatu Visitatores emanauerint. Sed rem elucido. In *Const. 82. & seqq.* Visitatores Ecclesiastici Collegio deputantur, & instructio confertur. His Visitationibus diu florentibus referta sunt Collegij Volumina. Postmodùm Visitatores ad Academiā delegati Ouetensi Collegio, tāquam eius portioni, leges reformatrices indicere cæperunt. Etenim ex protectione, & Patronatu Academiarum Hispanarum ad Regem pertinente iura Visitationum expediendarum emanauere, quæ etiam ad Sacerdotes, & Religiosos Vniuersitatū, qui sæculari iurisdictioni non subdūtur, in his, quæ ad Vniuersitatem pertinent, extendūtur; hincq; etiam ad Collegium Ouetēse eæ Visitationes, quatenùs publicum totius Vniuersitatis, cuius portio illud est, cōmodum cernunt, & politicum moderamē respiciunt. Ius autem Ecclesiasticum Collegij illibatum, & incolume relinquitur; nec nobis licet illud alteri condonare, iuxta *c. Cleric, de iud. c. significasti, de for. comp.* & Interpretes *in cap. 1. & c. ad nostram, de consuet.*

Hæc velut ad cribrum dicta, & ex limpidissimis vtriusq; Iurisperitiæ fontibus hausta, Orthodoxæ primùm matris, deindè cuiusvis eius prolis, legitima, & nō laruali sapientia initiatæ, iudicio sistimus. Exulet hinc liuor, & Crisis animi, non rationis tumore laborans. *Tu verò, probata cœlo mens,* doctissime MENDO, *hunc malè tornatum laborem, qui ad te vltrò decurrit, vt tuus sit, in tuam tutelam assere, & incudi redde; vniuersoq; Operi fœlicem, quem potes, Colophonem impone.*

Gloria tota Deo, qui nobis hæc otia fecit.

IN-

INDEX RERVM.

Littera L. Librum; N. numerum marginalem designat; A. Appendicem; Q. quæstionem.

A

Absolutio.

ABSOLVERE ab excommunicatione contracta propter lectionem librorū prohibitorum quis possit? *lib. 2. a numero 168.*

Absolui potest quis absq; priuilegio à casibus reseruatis in sua patria, si non sint reseruati in loco, in quo existit, *l. 3. n. 245.* Quid dicendum de reseruatis Religiosorum? *ibi num. 246.*

Absolui potest quis ab excommunicatione propter duellum contracta, virtute Bullę Cruciatæ, *l. 3. n. 309.* Et etiam à Cōfessarijs Ordinum Mendicantium, virtute suorum priuilegiorum, *ibi n. 310.* Absolutio ab excommunicatione potest præstari in foro conscientiæ extra forum pœnitentiæ, *ibi n. 311.*

Absolutio ab excommunicatione reseruata Magistratui Ecclesiastico Academiæ nequit absq; priuilegio præstari, nisi ab ipso; *l. 3. n. 391.* Si sit excommunicatio generalis, potest ab ea absolui toties quoties virtute Bullæ Cruciatæ, & à Regularibus virtute priuilegiorum, *ibi n. 392.*

Absolutio à censura lata in particulari à Magistratu Academiæ, aut ab alio Iudice, an possit præstari virtute Bullæ Cruciatæ, aut priuilegij Regularium, si satisfactū sit parti? *l. 3. à n. 395.* A quibus censuris, præter latas ab ipso, possit absoluere Magister Scholæ Salmantinus? *l. 1. n. 195.*

Academia.

Academia vnde dicta? *l. 1. n. 2.* Academiæ à quo possint institui? *ibi n. 4. & n. 230* Earum vtilitas, *ibi à n. 8.* A quo possint ab vno ad alium locum transferri? *ibi à num. 288.*

Academiæ an sint Ecclesiasticæ, vel sæculares? *l. 1. à n. 219.* Visitari possunt authoritate Principis, *ibi n. 246.*

Academia potest à litigantibus recusari, *l. 1. à n. 550,* Academia ad suas causas agendas quid præstare valeat? *l. 1. à n. 572.* Valet gerere munus Actoris, & Rei per procuratorē; & qua alia via? *ibi n. 573.* Corā proprio Iudice est cōueniēda, *ibi n. 578* Quomodo sit citāda ad iudiciū? *ibi n. 577* An admittēdi sint ad testificādū hi, qui sūt de Academia? *ibi n. 581.* Si sit indefensa, sentētia cōtra illā lata est nulla, *ibi n. 583*

Academia potest facere compromissū, *l. 1. n. 582.* Habere potest bona, & redditus *ibi à n. 584.* Valet facere contractus, & obligari, *ibi à n. 586.* An obligetur, si eius procurator accipiat mutuò pecuniam? *ibi n. 588.* Quomodo alienare queat? *ibi n. 589. & n. 599.* Vide *Donatio. Præscriptio.*

Academia an possit delinquere, & ex delicto, vel quasi delicto obligari, *l. 1. à n. 597.* Quomodo sit punienda? *ibi à n. 604.* An valeat imponere collectam soluendā ab Academicis? *ibi à n. 636.* Bonorum successio competere potest ei, *ibi à n. 606.* Vide *Bona.*

Academia an valeat inducere cōsuetudinē obligantem Academicos, & quantū temporis ad eam inducendam requiratur? *l. 1. n. 613.* An possit condere statuta? *ibi n. 614.* An teneatur soluere subsidium Ecclesiasticum, dictum *subsidio, y escusado, ibi à n. 617.* Et an id sit soluendū ex Tertijs, si hæ sint Academiæ perpetuò applicatæ? *ibi n. 622.* Vtrùm debeat soluere gabellas ex cō tractibus, quos celebrat? *ibi à n. 629*

Academiæ corpori competunt priuilegia Studiosis concessa, *l. 1. n. 631*

Academiæ, & Collegia, quæ habēt ius patronatus in Ecclesiastica Beneficia, an post primam præsentationem possint variare, & alium præsentare? *l. 1. à n. 640.* An accumulatiuè, vel priuatiuè? *ibi n. 645.* An toties quoties? *ibi n. 946*

Academia gaudet beneficio restitutionis in integrum, *l. 1. à n. 647,* Etiam si læsio sit ob negligētiam Procuratoris, *ibi n. 650.* Intra quod tempus debeat restitutionem petere? *ibi n. 651*

Academiæ in Actibus publicis quem

ordinem,& præcedentiam debeant præſcribere ſeruandam in ſedendo? *l.1.à num. 652.*

Academiæ Senatus an poſſit mulctas, & pœnas infligere,& Cathedra Moderatorem priuare,*l.1.à n.676.* Nequit dies Feſtos inſtituere,*l.3.n.264.*

Academiæ inſtitutæ à Principibus ſæcularibus ob plures fines,expedit, vt confirmentur à Pontificibus,*l.2.n.258.*

Academię Senatus an poſſit detinere, aut reuocare Magiſtrum Religioſum, qui per ſuum Prælatum à loco Academiæ remouetur?*l.2.à num.330.*

Academiæ ferè omnes iuramẽto ſe obſtringũt defendendi piã Opinionẽ de Immaculata Deiparæ Conceptione, *A.à n. 117.* Quàm iuſtum,piũ,& de veritate certiſſima ſit id iuramentum? *ibi à n.1.*

Academiæ Italiæ, & Siciliæ recenſentur,& aliqua de illis libantur; *l.1.à n.15.*

Academiæ Galliæ,*l.1.à n.47.*

Academiæ Germaniæ, Polonlæ, Bohemiæ,& Daniæ,*l.1.à n.60.*

Academiæ Angliæ,Scotiæ, & Hyberniæ,*l.1.à numero 88.*

Academiæ Hiſpaniæ,& Americę, *l.1. à num.92.*

Academiæ vniuerſi Orbis.

Aberdonenſis in Scotia,*l.1.n.91.*
Abulenſis,*l.1.n.120.*in Hiſpania.
Afrinenſis in Dania,*l.1.n.67.*
Anconitana in Italia, *l.1.n.37.*
Andegauenſis in Gallia,*l.1.n.49.*
Armachana in Hybernia,*ibi n.89.*
Argentoratenſis in Germania,*ibi n.83.*
Auinionenſis in Gallia, *ibi n.51.*
Aurelianenſis in Gallia *ibi n.51,*
Bangorienſis in Anglia,*ibi n.90.*
Baſilienſis in Germania,*ibi n.61.*
Barcinonenſis in Hiſpania,*ibi n.106.*
Beacienſis in Hiſpania,*ibi n.115.*
Bergamenſis in Italia,*ibi n.30.*
Biturigenſis in Gallia,*ibi n.52.*
Bononienſis in Italia,*ibi n.16.*
Burdegalenſis in Gallia,*ibi n.53.*
Cadomenſis in Gallia,*ibidem.*
Cęſarauguſtana in Hiſpania,*ibi n.105.*
Cantabrigenſis in Anglia,*ibi n.88.*
Carnotenſis in Italia,*ibi n.37.*
Caſſelenſis in Hybernia,*ibi n.89.*
Catinenſis in Sicilia,*ibi n.41.*
Caturcenſis in Gallia,*ibi n.58.*
Cliuenſis in Gallia Belgica,*ibi n. 86.*
Colonienſis in Germania,*ibi n.60.*
Complutenſis in Hiſpania,*ibi n.94.*
Compoſtellana in Hiſpania,*ibi n.114.*
Conimbricenſis in Hiſpania,*ibi n.108.*
Cracouienſis in Polonia,*ibi n.87.*
Dilingana in Germania,*ibi n.62.*
Dolana in Gallia,*ibi n.53.*
Duacenſis in Germania,*ibi n.92.*
Dublinenſis in Hybernia,*ibi n.89.*
Dunenſis in Hybernia,*ibi.*
Erphordienſis in Thuringia,*ibi num.63.*
Euorenſis in Hiſpania,*ibi n.114.*
Ferrarienſis in Italia,*ibi n.19.*
Florentina in Italia,*ibi n.20.*
Francfordenſis in Germania,*ibi n.64.*
Friſburgenſis in Briſgoia,*ibi n.65*
Fuldenſis in Germania,*ibi n.67.*
Gandienſis in Hiſpania,*ibi n.109.*
Glaſcouienſis in Scotia,*ibi n.91.*
Græcenſis in Germania,*ibi n.25.*
Granatenſis in Hiſpania,*ibi n.111.*
Gripſuualdenſis in Pomerania, *ibi n. 66.*
Hafnienſis in Dania,*ibi n.69.*
Helmſtadiana in Germania,*ibi n.85.*
Herbipolenſis in Germania,*ibi n. 69.*
Heydelbergenſis in Comitatu Palatino Rheni,*ibi n.68.*
Hirachenſis in Hiſpania,*ibi n.117.*
Hiſpalenſis in Hiſpania,*ibi n.89.*
Illerdenſis in Hiſpania,*ibi n.102.*
Ingolſtadienſis in Bauaria, *ibi n.70.*
Iuliana in Ducatu Brunſuicenſi, *ibi n.85.*
Koppenhagenſis in Dania,*ibi n.67.*
Limenſis in America,*ibi n.121.*
Lindisfarnenſis in Anglia,*ibi n.90*
Lipſenſis in Miſnia,*ibi n.71.*
Liſmorienſis in Hybernia,*ibi n.89.*
Louanienſis in Brauantia,*ibi n.72*
Lugdunenſis in Gallia,*ibi n.54.*
Lugduni Batauorum, *ibi n.86.*
Maceratenſis in Italia,*l.1,n,37,*
Maionenſis in Hybernia,*ibi n.89.*
Mantuana in Italia, *ibi n.31.*
Marpurgenſis in Haſſia,*ibi n.75.*
Maſilienſis in Gallia,*ibi n.59.*
Mechlinienſis in Haſſia,*ibi num.75.*
Mediolanenſis in Italia,*ibi n.21.*
Meſſanæ in Sicilia,*ibi n.39.*
Mexicana in America,*ibi n.123.*
Moguntina in Germania,*ibi n.76*
Montiſpeluſſana in Gallia,*ibi n.55.*
Montisregalis in Italia,*ibi n.36.*
Mutinenſis in Italia,*ibi n.32*
Nantes in Gallia,*l.1.n.56*
Neapolitana in Italia,*ibi n.22*
Nimecenſis in Gallia,*ibi n.56*
Oñatenſis in Hiſpania,*ibi n.105*
Oſcenſis in Hiſpania,*ibi n.99*
Oſſunenſis in Hiſpania, *ibi n.107*
Ouetenſis in Hiſpania,*ibi n.119*

Oxo-

Oxomenſis in Hiſpania, *ibi n.118.*
Oxonienſis in Anglia, *ibi n.89.*
Panormitana in Sicilia, *l.1.n.40*
Papienſis in Italia, *ibi num.23.*
Pariſienſis in Gallia, *ibi num.48.*
Parmenſis in Italia, *ibi n.33.*
Patauina in Italia, *ibi n.24.*
Perpiñanenſis in Hiſpania, *n.118.ibi.*
Peruſina in Italia. *ibi n.25.*
Pictauienſis in Gallia, *ibi n.56.*
Piſana in Italia, *ibi n.26.*
Placentina in Italia, *ibi n.34.*
Pragenſis in Bohemia, *ibi n.77.*
Regiomontana in Pruſſia, *ibi n.85.*
Rhemenſis in Gallia, *ibi n.56.*
Romana in Italia, *ibi n.42.*
Roſtochenſis in Ducatu Megapolitano, *ibi n.78.*
Salernitana in Italia, *ibi n.27.*
Salmanticenſis in Hiſpania, *lib.1. à num. 126.*
Sancti Andreæ in Scotia, *l.1.n.91*
Sangallenſis in Germania, *ibi n.67.*
Senenſis in Italia, *ibi n.28.*
Siguntina in Hiſpania, *l.1.n.116.*
Syracuſana in Sicilia, *ibi n.38.*
Tarraconenſis in Hiſpania, *ibi n.112.*
Taurinenſis in Italia, *ibi n.35.*
Tucinenſis in Italia, *ibi n.23.*
Toletana in Hiſpania, *ibi n.104.*
Toloſana in Gallia, *ibi n.57.*
Treuirenſis in Germania, *ibi n.79.*
Tubigenſis in Ducatu Vuitembergenſi, *ibi n.80.*
Valentina in Hiſpania, *ibi n.103.*
Valliſoletana in Hiſpania, *ibi n.97.*
Veneta in Italia, *ibi n.29.*
Viennenſis in Germania, *ibi n.81.*
Viſontina in Burgundia. *ibi n.83.*
Vlyſſiponenſis in Hiſpania, *ibi n.125.*
Vuittembergenſis in Saxonia, *ibi n.82.*

Acclamationes, ſeu vociferationes Scholarium

Acclamationibus nocturnis, aut diurnis, quæ dicuntur Hiſpanè, *Victor*, & *Corro*, aſſiſtere, peccatum mortale eſt. *l.3.à n.497.* Damna ex eis prouenientia expendũtur, *ibi.* Arma miniſtrare, quærere, aut ferre auxilium ad illas, peccatum lethale eſt. *ibi à n.505.* Cõtra has acclamationes peroratur, *ibi à n.509.*

Actor.

Actoris Clerici forum ex conſuetudine ſequuntur Rei in diœceſi Salmantina. *l.1 n.521.* Actoris ſtudioſi forũ ſequitur Reus in Academia Salmantina, dum ſit intra diœtas. *ibi n.518.* Vide *Forum.*

Adminiſtrator.

Adminiſtrator Academiæ, ſeu Collegij ad quid teneatur? *l.1.n.596.*

Aleæ ludus.

Aleæ ludus ſemper prohibitus fuit, *l.3. n.539.* Ludentes aleis in dedecore habiti. *ibi.* Aleæ ludi nomine comprehenduntur ludi, qui ſolùm à caſu, & fortuna abſque vlla induſtria pendent. *ibi num.530*

Alienare. Alienatio.

Alienare an poſſint pro libito Scholares, quæ ſibi ex alimentis ſubtrahunt? *lib. 3. à num.431.*

Alimenta.

Alimenta debẽt filijs habitis extra matrimonium prçſtari à parentibus, cum illi ad triennĩ peruenerint. *l.13.à n.539.* Et ante triennium, ſi mater nequeat eos enutrire. *ibi n.571.* Si non poſſint patres alimenta prçſtare, tenetur mater; ſi hæc nequeat, quid ſit exequendũ? *ibi n.572.* Quãdo debeat ſtudium incipere is, cui alimenta ad ſtudendum relinquuntur? *l.3.n.46.*

Alimentorum nomine quid veniat? *l.3. n.570.* Pater non tenetur ſubtrahere ex ſibi neceſſarijs, vt filium illegitimum alat. *ibi n.577.* Prohibitum nõ eſt Clericis, relinquere filijs ſpurijs alimenta. *ibi à n.573* Aui, & proaui in defectum parentum tenẽtur præſtare alimenta. *ibi num. 572.* Si nequeat filius familias præſtare alimenta filio habito extra matrimonium, tenetur per ſe, vel per alium monere patrem, vt præſtet. *ibi num. 577.*

Alimenta vt debeãtur illegitimo, quomodo conſtare debeat, eſſe filium propriũ & quid in caſu dubij prçſtandum ſit? *l.3.n. 576.* Alimenta Studioſi debitor ſuis expẽſis debet ferre ad locum Academiæ. *l.1.n. 46.*

Americæ Academiæ.

Americę Academiæ recenſentur. *l.1.à num.121.*

Angliæ Academiæ.

Angliæ Academiæ referuntur. *l.1.à n.88.*

Appellare. Appellatio.

Appellatio quid ſit, & quotuplex? *l.1.n. 557.* Intra quot dies debeat interponi? *ibi, à n.559.* Quem effectum ſortiatur? *ibi.* Vi de *Conſeruator. Iudex. Magiſtratus.*

Apoſtoli.

Apoſtolorum teſtimonia ab Authoribus allata pro Immaculata Deiparæ Cõceptione referuntur. *A.n.72.*

Approbatio Confeſſarij.

Approbatus nõ eſt ipſo Iure ad Cõfeſſiones audiendas Licentiatus, Doctor, aut Ma-

Magiſter in qualibet ſcientia, *l. 2. à n. 66.* Nec eligibilis eſt in Confeſſarium virtute Bullæ Cruciatæ, niſi approbetur ab Ordinario. *ibi n. 67.*

Ariolus. Artiſpex.

Vide *Aſtrologia iudiciaria.*

Arma.

Arma prohibita afferre, materia eſt capax excommunicationis, *l. 3. n. 380.* Scholaſtici ea afferentes contra cenſuræ prolationem, an illam incurrant? *ibi 383.* Arma miniſtrare, aut quærere, vt Scholares acclamationibus nocturnis, aut diurnis interſint, peccatum lethale eſt. *ibi à numer. 505.*

Artes liberales, ſeu Philoſophia.

Artium Studioſi quas lectiones debeant audire in Academia Salmantina, vt Curſus litterarios probent? *lib. 3. num. 165.*

Aſtrologia iudiciaria.

Aſtrologiam iudiciariam docere, & ea vti, quomodo ſit prohibitum? *l. 2. n. 368.* Circa vitam Summi Pontificis, & ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ quæuis prædictiones, & vaticinia prohibita ſunt ſub grauiſſimis pœnis, *ibi n. 369.*

Authentica.

Authentica *Habita, Cod. ne filius pro patre. &c.* tranſcribitur, & expenditur in gratiam Studioſorum. *l. 3. à n. 2.*

Authores.

Authores ferè omnes ſtant pro opinione pia Immaculatæ Conceptionis Deiparæ. *A. à n. 117.*

Authores, qui eam impugnauerunt, ſemper fuerunt reiecti. *ibi à n. 181.*

Authores, qui tractant diſperſim de his, quæ in hoc Opere continentur, referuntur. *l. 3. à n. 612.*

B

Bacchalaureatus. Bacchalaureus

BAcchalaureatus Gradus. Vide *Gradus*

Bacchalaurei poteſtas, & dignitas. *l. 1. n. 303.* Cum requiritur in generali Graduatus, ſufficit Bacchalaureus, *ibi n. 304.*

Bacchalaureatus Gradum falſum etiã ſi quis habeat, validè ad alios Gradus promouetur. *l. 2. à n. 257.* Quibus Curſibus, & lectionibus obtinetur in Salmantina Academia? *l. 3. n. 162.*

S. Benedicti Sacer Ordo.

Benedictinorum Ordo pluribus abhinc ſæculis celebrat Feſtum Conceptionis Immaculatæ. *A. num. 27.* Totus Ordo ſtat pro Opinione pia. *ibi num. 122.*

Beneficium Eccleſiaſticum.

Beneficia poſſunt ſub iure Patronatus Academiarum, & Collegiorum ſubeſſe. Et, an poſſint poſt primam præſentationẽ Academiæ variare, & alium præſentare? *l. 1. à n. 640.*

Beneficium habens, ſi ſit filiusfamilias, an poſſit redditus exponere ludo? *l. 3. n. 109.* Reſidẽtia in Beneficijs exponitur, *ibi n. 115.* An ad eam teneantur Studioſi? *ibi.* Vide *Reſidentia.*

Beneficia habentes quas teneãtur eleemoſynas erogare, & quando ad eas teneãtur ipſorum parentes, vel curatores? *l. 3. à n. 428.*

Beneficium habens non tenetur in pauperes erogare id, quod ſubtrahit ex ſibi neceſſarijs, *l. 3. n. 431.* Quæ alia non teneatur erogare? *ibi.* Qui affert Gradum falſum, aut inualidum Bacchalaureatus, & opponitur ad Beneficium, ad quod ille Gradus eſt neceſſarius, nequit illud obtinere, *l. 2. à num. 251.* Etiam ſi dignior ſit; & tenetur reſtituere, niſi bona fide proceſſerit, *ibi, & n. 252.* Cui ſit facienda reſtitutio? *ibi n. 260.* Poteſt impetrare reſcriptũ reualidationis à Pontifice. *ibi n. 252.*

Beneficium retinere poteſt, ſi ſit dignus, qui illud obtinuit per ſanctitatem fictam, vt rationem impulſiuam. *ibi n. 253.*

Bibliopola.

Bibliopolæ tenentur apud ſe habere Indicem expurgatoriũ librorũ prohibitorũ, *l. n. 171.* An in locis, vbi ſunt Academiæ, gaudeant priuilegio fori Studioſorum? *l. 3. n. 34.*

Bohemiæ Academiæ.

Bohemiæ Academiç recenſentur. *l. 1. à n. 60.*

Bona, & bonorum poſſeſſio.

Bonorum ſucceſſiones competunt Academijs, & Collegijs ex vltimis voluntatibus. *l. 1. n. 608.* Legatũ vſusfructus illis relictum extinguitur poſt centum annos. *ibi n. 607.* Legatũ ad vſum certum relictum an in alium vſum poſſit conuerti? *ibi. num. 608.* An Academiç, & Collegia ſuccedãt in hæreditatem, aut legatum relictũ omnibus de Communitate? *ibi n. 609.* Poſſunt capere fideicommiſſa generalia, & particularia. *ibi n. 610.* An ſuccedant ab inteſtato alicuius bona? *ibi n. 611.* Legatum incertũ ſtudij cauſa eſt præſtandum. *l. 3. n. 45.* De bonis aduentitijs an, & quomodo teſtari poſſit filius familias? *l. 3. n. 435. & n. 438.* Et an poſſit donare cauſa mortis? *ibi.*

S. Brigitta.

S. Brigittæ reuelationes commendantur. *A. n. 103.* Manifestæ sunt pro Immaculata Conceptione Deiparæ. *Ibi num. 101.*

Bulla Cœnæ.

Bulla Cœnæ continet censuram reseruatam Pontifici contra legentes, aut retinentes libros hæreticorum. *l. 2. num. 148.* Vide *Liber.*

Bulla Cruciatæ.

Bullæ Cruciatæ priuilegio non est eligibilis in confessarium Licentiatus, Doctor, aut Magister, si non sit approbatus ab Ordinario. *l. 2. à n. 67.* An irregularitas aliqua tollatur vi Bullæ? *lib. 3. numer. 304.*

Bullam Cruciatæ vt quis accipiat, & vtatur eius priuilegijs, potest pergere à loco, in quo ea non valet, ad locum, in quo viget. *l. 3. n. 377.*

Bullæ priuilegio potest quis absolui toties quoties ab excommunicatione generali reseruata Magistratui Academiæ. *l. 3. num. 392.* An possit absolui à censura particulari ab homine? *Ibi n. 395.* An ab excõmunicatione ob duellum? *Ibi n. 309.*

Bulla quæ priuilegia concedat tempore interdicti? *l. 3. n. 549.* Nullũ concedit tẽpore cessationis à diuinis. *ibi n. 555.* Qui eam habet, tenetur audire Missam diebus Festis tẽpore interdicti. *ibi n. 550.* Si quis sit moraliter certus, acceptam fuisse pro ipso Bullam in sua patria, potest eius vti priuilegijs. *l. 3. à n. 365.* Non sufficit intentio eam accipiendi, vt eis vtatur. *ibi num. 563.* Nec probabilitas moralis de eius acceptione sufficit, sed certitudo moralis. *ibi 565.* Qui possint virtute Bullæ ouis, & lacticinijs vesci in Quadragesima? *ibi n. 559*

C

Cæsaraugusta

Cæsaraugustana Academia. *l. 1. n. 105.* Cæsaraugustanum Templum dictum *del Pilar* in honorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ fuit extructum. *Append. num. 73.*

Cancellarius Academiæ.

Cancellarij Academiæ munus, & origo. *l. 1. à n. 168.* Vide *Magister Scholæ.*

Candidati. Vide *Oppositores.*

Canonicatus. Canonicus.

Canonicatus, qui per oppositionem obtinentur, an valeant obtineri ab his, qui accipiunt Gradus in Academijs externis, & in Hispanicis incorporantur? *lib. 2. à numer. 32.* Quid, si in Cæsarea Academia? *ibi numer. 37.* An sit habilis ad Canonicatum obtinendum, qui postquam Oppositioni subscripsit, ante electionem Gradũ suscipit? *lib. 2. à num. 38.* An suscipere illum post electionem sufficiat? *ibi n. 50.*

Canonicatum an valeat obtinere, qui in Oppositione non expleuit horam in concione, aut lectione; vel qui non concionatur, aut legit? *l. 2. n. 358.*

Canonici Regulares, independenter à tolerantia nequeũt assistere agitationi tau rorum. *l. 2. à n. 324.*

Canonis priuilegium.

Canonis priuilegio gaudent omnes Clerici, qui gaudent priuilegio fori. *lib. 3. num. 358.*

Cardinalis.

Cardinalem S. R. E. obuiàm factum Reo, qui ad supplicium ducitur, si ei suum pileum imponi iubeat, liberare ipsum à mortis pœna, aliqui affirmant *lib. 3. num. 332.*

Castitas.

Castitas commendatur. *lib. 3. à num. 578.* Eam amare debent Studiosi, vt Sapientes euadant. *ibi.* Fugere tenentur otium, vt castitatis aduersarium. *ibi numer. 579.*

Capitulum.

In Capitulis Generalibus Ordinum, ex præscripto Martini V. debet fieri specialis mentio de Monasterijs Vrbis Salmantinæ *lib. 1. num. 208.* Et in eis designandi sunt, qui Gradum Magisterij accipiant. *ibi.*

Cathedræ Academiarum.

Cathedras qui minùs digno conferunt, aut sunt in causa, vt conferantur, an & quomodo teneantur ad restitutionem? *l. 3. à n. 403.*

Cathedram nequit obtinere, qui Gradum falsum, aut inualidum affert, si Gradus sit requisitus. *lib. 2. à num. 251.* Et tenetur restituere. *ibi.* Cui facienda sit restitutio? *ibi n. 260.* Nisi bona fide Gradum acceperit. *ibi n. 257.*

Cathedrarum Moderatores quantum temporis debeant quotannis legere? *l. 2. à n. 293.* Qui vltrò legunt, possunt cessare pro libito. *ibi.* Statutis est standum. *ibi. n. 294.* Si Moderator Cathedræ vno, vel alio die non legat, non tenetur restituere, sed potest mulctari. *ibi.* Restituere tenetur, si pluribus diebus à legendo desistat. *ibi.* Quantum temporis sufficiat, si per se, aut per alium non legat, vt Cathedra priuetur? *ibi n. 295.*

Cathedrarum Moderatores quantum temporis in vnaquaque lectione insumere debeant? *l.2.à n.300.* An in scriptis debeant legere? *ibi n.301.* Vtrũ satisfaciant suo muneri, si tractatum ab alio elaboratum dictent? *ibi à n.302.* Quando possint per substitutum legere? *ibi n. 303.* Qualis debeat esse substitutus? *ibi n.304.* An, si sint Religiosi, & à loco Academiæ amoueantur iussu sui Prælati Regularis, possint à Senatu, seu à Magistratu Academiæ reuocari, vel detineri? *ibi à n.330.*

Cathedræ Moderator an teneatur assistere suo gymnasio, si nõ adsint auditores? *l.2.n.296.* Vide *Oppositores. Salmanticensis Academia.* Cathedrę priuatio ad quẽ spectet? *l.1.à n.677.*

Censura.

Censuras ferre possunt etiam in laicos Magistratus Ecclesiastici Academiarum. *l.1.à n.263.* Vide *Absolutio. Bulla Cruciatæ. Excommunicatio.*

Cessatio à diuinis.

Cessatio à diuinis exponitur. *l.3.n.554.* Tempore cessationis nemo tenetur audire Missam, nisi sit aliqua Ecclesia, in qua cessatio non detur. *ibi n.555.* Nec tenetur ministrare in Monasterijs Missæ, quæ ex priuilegio ianuis clausis celebratur. *ibi n. 556.*

Chirurgia.

Chirurgiæ artem an possit Religiosus audire, docere, exercere, & Cathedram illius moderari? *l.2.à n.395.*

Chorus.

Exemptio à Choro an competat Lectoribus, & Magistris? *l.2.n.390.* An his, qui libros edendos in lucem parant? *ibi.* An his, qui casus conscientiæ ex munere dirimunt? *ibi.*

Clandestinum matrimoninm.

Vide *Matrimonium.*

Clericus.

Clericus Studiosus, fori priuilegio gaudens, coram quo sit conueniendus, si Iudex Academiæ sit sæcularis? *l.3.à n. 346.* Ab illo est exemptus in causis criminalibus, nec potest à Iudice sæculari præscribi iurisdictio. *ibi n.849.* An possit is aduersus Clericos in aliquo casu procedere, si Iudex Ecclesiasticus eorum delicta non puniat? *ibi.*

Clericus in delicto comprehensus à Iudice sæculari debet absque violentia capi, & proprio Iudici tradi, & simul eius arma restituere. *ibi n.350.* Quid, si arma sint prohibita? *ibi.* Quãdo possit detineri Clericus à Iudice sæculari ad testificandum in causa cum iuramento? *l.3.n.352.* Iudex is nequit irruere in domos Clericorum, vt extrahat concubinas. *ibi.* An, qui ante Clericatum commisit delictum; possit postea à Iudice sæculari puniri? *ibi n.353.* An possit, si fiat Clericus in fraudem, vt vitet pœnam, & quando sit præsumenda fraus? *ibi n.354.*

Clericus in Minoribus constitutus delictum committens, & postea per matrimonium initum fori priuilegium amittens, à quo Iudice sit puniendus? *lib.3. num.355.*

Clericus Actor laicum Reum coram Iudice sæculari debet conuenire, nisi contraria sit consuetudo. *l.3.n.356.* Quando à Principe in feudum traduntur bona Ecclesię, causæ feudales coram illo tractandæ sunt. *ibi n. 357.* Si laicus donauit bona Ecclesiæ reseruans iurisdictionem Iudici laico, vt Conseruatori, causæ de illis bonis coram eo peragendæ sunt. *ibi.*

Clericus captus à Iudice sæculari, si excipiat, se Clericum esse, ad Iudicem Ecclesiasticum debet adstare, vt id noscat. *lib.3. n.358.*

Clericus habens Beneficium, & non afferens tonsuram, nec habitum Clericalẽ, non ideò amittit priuilegium fori, nisi ter admonitus à Prælato ostendat se incorrigibilem. *l.3.n.358.* Amittit illud, si non habeat Beneficium, & non afferat eum habitum. *ibi n.343.* Si vxorem ducat Clericus in Minoribus constitutus, quando amittat forum? *ibi n.358.*

Clerici percussorem non impediens an incurrat excommunicationem? *l.3.n.408.* Ad id expenditur textus *in c. Quantæ, de sent. excom.* ibi.

Clericis prohibitum est relinquere filijs spurijs hæreditatem, ac legata, & præstare donationes causa mortis, non verò alimenta. *l.3.à n.573.*

Clitellarius

Clitellarius Studiosorum an gaudeat priuilegio fori Academię? *l.3.n.37.*

Codicillis.

Codicillos potest facere, qui potest testamentum *l.3.n.437.* Vide *Testamentum.*

Collega. Vide *Togatus.*

Collegium.

Collegia Togatorum an sint Ecclesiastica, vel sæcularia? *l.1.à n.251. & lib.2. n. 409.* Quid de Collegio Maiori Ouetensi Salmãtino? *fol.443.à n.1.* Possunt à Principe visitari. *l.1.n.252.* An ab alio? *ibi n.262.* A quo possint approbari? *ibi n.253.*

Col-

Collegiorum Capellani Togati an ſint Eccleſiaſtici ? *ibi num. 257.* A quo poſſit commutari eorum electio? *ibi.* Ad quem pertineat diſpenſatio in conditionibus requiſitis ad ingreſſum in Collegia ? *l. 1. à num. 258.*

Collegia poſſunt à litigantibus recuſari, ſi penes ea ſit iuriſdictio *l. 1. à n. 550.*

Collegium quodcumque eſt reprobatum, ſi à Iure, vel à Principe non approbetur *l. 1. num. 562.*

Quæ Collegia ſint à Iure approbata? *ibi n. 563.*

Collegium ex quot perſonis cõſtet? *lib. 1. à num. 564.* Manet idem, quamuis perſonæ murentur *ibi. num 566.* Ius, & nomen illius conſeruatur, etiam mortuis omnibus, vel extincto Collegio ob aliquem caſum fortuitum. *ibi.* Collegium non cõprehenditur nomine perſonæ *lib. 1. n. 567.* Aliud eſt Collegiũ, aliud, ſinguli de Collegio. *ibi.*

Ea, quæ Collegij Communitas ſtatuit, debẽt à poſteris obſeruari *l. 1. n. 568.* Quæ ſtatuunrur ab aliquibus de mandato Collegij, vim habent obligandi cunctos. *ibi 569.* An electo ab aliquibus ex commiſſione Collegij inhabili ad officiũ, poſſint iidem eligere alium ? *ibi n. 570.*

Collegia quid præſtare queant ad ſuas cauſas agendas ? *l. 1. à num. 572.* Vide *Academia.*

Collegium quomodo ſit citandum ad iudicium ? *lib. 1. num. 577.* An admittendi ſint ad teſtificandum ipſi, qui ſunt de Collegio? *ibi num. 581.* Sententia lata contra illud indefenſum eſt nulla. *ibi num. 583.* Collegium poteſt facere compromiſſum. *ibi num. 582.* Quæ bona poſſit habere?. *ibi à num. 584.* Poteſt facere contractus, & obligari ex illis. *ibi à num. 586.*

An poſſit bona ſua alienare? *ibi n. 589. & 599.*

An poſſit in Collegium admitti, adhuc in Capellanum, excommunicatus? *l. 2. à num. 407.*

Collegium an poſſit delinquere, & ex delicto, vel quaſi delicto obligari ? *l. 1. à num. 597.* Quomodo ſit puniendum ? *ibi num. 604.*

Collegium an, & quomodo teneatur ex bonis Eccleſiaſticis ſoluere ſubſidium, & excuſatum? *l. 1 67.* & an illud debeat ex Tertijs decimarum, ſi ei ſint perpetuò applicatæ? *ibi num. 622.*

Collegiorum Togati quem ordinem, & præcedentiam obſeruare debeant in Actibus publicis? *l. 1. à num. 652.*

In Collegia admittendi quomodo debeant eſſe oriundi ex determinato Regno, diœceſi, aut loco? *l. 2. à num. 187.* Vt quis in Collegium ingrediatur, poteſt eius mater pergere ad alium locum, vt pariat, ſi id ad originem ſit opus. *ibi à num. 191. & l. 3. num. 378.*

Collegia quam iuriſdictionem in ſubditos habeant? *l. 2. n. 215.* Collegiorum Rector. Vide *Rectores Collegiorum.*

Collegium inſigne Hiſpanorum in Academia Bononienſi. *l. 1. num. 18.*

Collegium Maius Sanctæ Crucis Valliſoletanum *l. 1. num. 97.*

Collegium Maius Sancti Ildephonſi Complutenſe. *l. 1. num. 94.*

Collegium Maius Hiſpalenſe. *l. 1. n. 97. & l. 2. num. 220.*

Collegia Maiora Salmanticenſia. Vide *Salmanticenſia Collegia*

Collegium Regium Societatis IESV Salmantinum. Vide *Societas IESV.*

Colonienſis Academia.

Colonienſis Academia in Germania. *l. 1. num. 60.* Eius ſtatutum refertur circa aſſiſtentiam in Actibus litterarijs *l. 2. numero 284.*

Commendæ, & Commendatarij Equites.

Commendarum Equeſtrium redditus ſunt bona Caſtrenſia. *l. 3. num. 437.* Commendatarij filijfamilias poſſunt de illis redditibus teſtari. *ibi.* An eos poſſint exponere ludo? *ibi n. 210.*

Communio Paſchatis.

Communionis præceptum non potens adimplere in ſua patria, qui eo tempore iter facit, an teneatur anticipatè illud exequi? *l. 3. à num. 223.* Tenetur anticipare, ſi inceptum ſit tempus obligationis ante exitum à loco, ſi non ſit peruentutus ad patriam niſi poſt finitum tempus. *ibi num. 224.* Qui non accepit Communionem tẽpore Paſchatis, an poſtea accipere teneatur intra annum ? *ibi n. 233.* Vtrùm intra annum naturalẽ, vel Eccleſiaſticũ? *ibi num. 229.* An iter faciens tẽpore Paſchatis, teneatur ſumere Euchariſtiam in itinere? *ibi num. 235.*

Complutenſis Academia.

Complutenſis Academiæ erectio, & Collegij Maioris Sancti Ildephonſi. *l. 1. num. 74.* Rector Academiæ, & Collegij eſt idem. *ibi.* Viri inſignes indè prodierunt; & plures è Societate IESV. *ibi à num. 95.* In ea Academia litteris nauauit operam S. Ignatius de Loyola. *ibi.* Cõmen-

mendatur hęc Academia, & Collegium Maius. *ibi.* Necnon alia insignia Collegia Complutensia. *ibi.* Et Societatis IESV Collegium. *ibi num. 96.*

Conceptio Deiparæ VIRGINIS.

Conceptionis Immaculatæ defendendæ iuramentum ab Academijs prolatum, iustum, expediens, & de veritate certissima est. *A. à num. 1.* Ad quid teneantur id iurantes? *ibi num. 3.* Quos effectus habeat id iuramentum? *ibi num. 6.*

Conceptionem Virginis esse immunẽ à peccato originali, quid sit, exponitur. *A. num. 11.* Ea immunitas suadetur rationibus, quas intellectus fide illustratus elucidat. *ibi à num. 14.* Necnon celebritate, & approbatione totius Ecclesiæ. *ibi à n. 23.* Item authoritate, ac testimonijs Summorum Pontificum. *ibi à num. 32.* Præterea authoritate Conciliorum, maximè Tridentini. *ibi à num. 45.*

Conceptionem Immaculatam cõprobant Religiones sub eius titulo fundatæ. *A. num. 32. & 41.* Eam tuentur Doctores, & Patres Ecclesię Latinæ, & Græcæ, quorum testimonia referuntur. *ibi à n. 55.*

Conceptio Immaculata stabilitur antiquitate, traditione, necnon approbatione Tribunalium Sanctæ Fidei. *A. à num. 72.* Eius festum in Hispania, & alijs Prouincijs à tempore Apostolorum celebratur. *ibi num. 75.* Imagines antiquissimæ Conceptionis Immaculatæ idipsum ostẽdunt. *ibi num. 81.*

Conceptio Immaculata Virginis firmatur reuelationibus, & miraculis, *A. à n. 54.* Necnon voce populi, quæ est vox Dei; iuramento Communitatum, & consensu Authorum. *A. num. 117.*

Conceptionẽ Immaculatam defendere iurarunt Almæ Ecclesię, Ordines Militares, Vrbes, Oppida, Academiæ, Congregationes, & Confraternitates. *A. à n. 121.* Sacræ Religiones eam defendunt. *ibi à n. 122.* Vide *Religiones.*

Conceptionem Immaculatam defendunt, ac definiri à Sede Apostolica conantur Imperatores, Reges, & Principes. *A. à num. 139.*

Cõceptionis Immaculatæ opinioni piæ non est contrarius Angelicus Doctor D. Thomas. *A. à num. 148.* Nec ei Patres, & Doctores Ecclesiæ aduersantur. *ibi à num. 155.* Sanctus Dominicus eam defendit, & miraculo comprobauit. *ibi num. 172.* Plurimi, & grauissimi è Sacro Prædicatorũ Ordine eam validè defendũt. *ibi à n. 171.*

Conceptionis Immaculatæ impugnatores omnibus sæculis fuerunt reiecti. *A. à num. 181.* Opinioni minùs piæ nullus Pontifex Summus fauit. *ibi à n. 197.* Philippus IV. Rex Hispaniarum valdè erga hoc mysterium est affectus. *ibi §. 11 & numero 207.*

Conceptionis Immaculatæ veritas habet omnem certitudinem necessariam, vt à Sede Apostolica definiatur. *A. à num. 214.* Concernit materias fidei. *ibi à num. 219.* Dantur congruentię, & necessitas definitionis. *ibi à num. 221.* Esse in statu proximæ definibilitatis, authoritate, & ratione suadetur. *ibi à num. 226.* Diluuntur argumenta, quæ aduersus proximam definibilitatem opponi possunt. *ibi à numero 231.*

Concilia.

Concilia stant pro Immaculata Conceptione Deiparæ *A. à num. 45.* Præcipuè Tridentinum. *ibi à num. 51.* Etiam Concilium, quod dicitur fuisse congregatum ab Apostolis, esto non sit approbatum ab Ecclesia. *ibi n. 45.* Et Concilium Basilense, licèt non legitimum, est non leue fundamentum pro pia opinione. *ibi à. n. 46.* Fauent ei Concilium Oxoniense, Cantuariense, Tertia Synodus Ephesina, Sexta, & Septima generales, & Concilium Galliæ. *ibi à num. 48.*

Conseruator Iudex.

Conseruatorum Iudicum iurisdictio ad quæ extendatur? *l. 1. à n. 516. & l. 3. n. 9.* Ad quem ab illis appelletur? *l. 1. n. 524. & 557. & 684.* Conseruatoris Academiæ iurisdictio an sit Ecclesiastica, vel sæcularis? *ibi num. 522.* An ordinaria, vel delegata? *ibi num. 525.*

Conseruator Religionis nequit cognoscere de Reo studioso, qui inflixit iniuriam Religioso, sed ille in suo foro est conueniendus, nisi detur speciale priuilegium. *l. 4. num. 25.*

Consessus Academicus,

Consessui si non assistant Doctores, seu Magistri vocati, an peccent? *l. 2. num. 285.* An si sub pœna aliqua tẽporali, aut pręstiti iuramenti, vel excommunicationis vocentur, eam incurrant non assistendo? *ibi à num. 187.*

Consiliarij Academiæ Salmantinæ.

Consiliarij Academiæ Salmantinæ assistere debent, vt Cathedra declaretur vacans *l. 1. num. 680.*

Constitutiones. Vide *Statuta.*

Contractus. Vide *Academia. Collegium. Scholaris.* Con-

Conuerſi Religionum.

Conuerſi Religionum, independenter à tolerantia, nequeunt aſſiſtere agitationi Taurorum *l. 2. num. 328.*

Curſus Litterarius.

Curſum Litterariũ falſum afferens an licitè, & validè pro foro interno, & externo promoueatur ad Gradum Bacchalaureatus? *l. 3. à num. 93.* Vtrùm ius ſuffragij habeat ad Cathedras, vbi ſcholaſtici ſua ſuffragia præſtant? *ibi à n. 100.* An, & quid reſtituere teneãtur, ſi præſtet ſuffragiũ? *ibi à num. 103.*

Curſum an poſsit probare, qui morbo impeditus non audiuit lectiones? *l. 3. à numero 129.*

Curſum Litterarium nequit probare, qui non aſsiſtit lectionibus deſignatis in Statutis Academiæ. *l. 3. à num. 133.* An eum probare valeat, qui alias lectiones bona fide audiuit; *ibi à num. 139.* Non valet, qui mala fide. *ibi.* Curſus vt obtineatur in Academia Salmantina, quę lectiones ſingulis annis ſint audiendæ in vnaquaque ſcientia? *l. 3. à n. 159.*

Curſui litterario ſi deſint aliqui dies, vel menſes, poſſunt ante eius probationẽ ſuppleri anno ſequenti. *lib. 3. num. 166.* Duo curſus litterarij quomodo poſsint vno anno, paucis aditis diebus, obtineri? *ibi.* Vt obtineatur curſus, ſufficit, quouis anni die matriculæ inſcribi, dũmodo poſt inſcriptionem tempus aſsignatum in lectionibus inſumatur. *ibi.*

Curſum litterarium primum vt obtineant Salmantini Scholares tyrones, debent ſub vtroque Rectore Academiæ inſcribi matriculæ. *ibi.* Aliter nõ eis proſunt dies ante Feſtum Sancti Martini. *ibi.*

Curſum poteſt probare Scholaris, qui maiori parti lectionis aſsiſtit, etiam ſi eã non audiat per integram horam. *l. 2. à numero 245.*

D.

Daniæ Academiæ.

DAniæ Academiæ recenſentur. *lib. 1. à num. 60.*

Definibilitas Myſterij Immaculatæ Conceptionis.

Definibilis proximè eſt veritas Immaculatæ Conceptionis Deiparæ. *A. à num. 214.* Vide *Conceptio.* Definitæ fuerunt ab Eccleſia plures veritates, quibus Viri Sapientiſsimi antecedenter opponebantur. *ibi à num. 231.* Definibilitas huius veritatis probatur ratione, & authoritate. *ibi à num. 226.* Diluitur, quidquid opponi poteſt. *ibi à num. 231.* Omnia requiſita adſunt ad definibilitatem. *ibi à num. 214.*

Democritus.

Democriti exponitur emblema circa neceſsitatem ſtudij priuati. *l. 3. num. 538. & 544.*

Denuntiationes.

Denuntiationes ad matrimoniũ ſcholarium extra patriã vbi, & in qua Parochia ſunt faciendæ? *l. 3. à. num. 368.* Denuntiationum defectus non irritat matrimoniũ. *ibi num. 367.* Quis poſsit in eis diſpenſare? *ibi.* Si nõ fiant ante matrimonium ratum, an fieri debeant, antequam conſummetur? *ibi.*

Deputatus Academiæ.

Deputatorum Academiæ Salmantinæ munus, & quam ſedem habeant in Conſeſsibus? *l. 1. num. 669.*

Diætæ.

Diætæ, intra quas Actor ſtudioſus Reũ poteſt trahere ad ſuum forum in Academia Salmantina, quomodo ſint numerãdæ? *l. 3. à num. 13.*

Diſpenſare Diſpenſatio.

Diſpenſatio in conditionibus requiſitis ad ingreſſum in Collegia Togatorum ad quem pertineat? *l. 1. à num. 258.*

Diſpenſare quis poſsit in irregularitate ex homicidio, aut ex defectu lenitatis? *l. 3. num. 304.*

Diſtributiones.

Diſtributionem, vulgò *propina*, vt licitè adquirãt Doctores, & Magiſtri in Actibus publicis Academiæ, quantum temporis debeant intereſſe? *l. 2. à num. 278.* Si non interſint tempore debito, tenentur reſtituere. *ibi.* Abſentes nõ percipiunt diſtributionem. *ibi num. 283.* Si Actus ob aliquod accidens ceſſet, adhuc diſtributio eſt præſtãda aſsiſtentibus. *ibi.* Et quid de non aſsiſtẽtibus, ſi parati eſſent ad aſsiſtendum? *ibi.*

Diuinationes.

Diuinationes exercere, aut docere, omnibus eſt prohibitum. *l. 2. num. 368.* Sub pœnis grauiſsimis interdictum eſt, eis vti circa vitam Pontificis, & ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ. *ibi num. 369.* Sicut quæuis alia vaticinia, & prædictiones. *ibi.*

Doctor.

Doctoris nomẽclatura, poteſtas, & dignitas. *l. 1. num. 309. & à num. 365.* Ad quæ munera, & officia requiratur Doctoris Gradus? *ibi à num. 305.* Vide *Magiſter.* Doctor qualis eſſe debeat? & eius ætas. *ibi à num. 385.* Doctores Bullati, ſeu ex priuilegio qui

qui ſint? *l.1.num.314.* Quid circa illos ſtatutum? *ibi & l.2.num.5.* Poteſt eos Supremus Princeps creare, & quomodo? *ibi n. 380.* Vide *Priuilegium.*

Doctor, præciſè vt talis, an admittendus ſit ad munera, que requirunt nobilitatem? *l.1.à num.324.*

Doctores non legentes, & emeriti an gaudeant priuilegijs, quæ cõceſſa ſunt Doctoribus? *l.1.num.327.* Quibus in Academijs debeant ſuſcipere Gradum, vt priuilegijs fruantur? *ibi num 332.* Quibus perſonis competant etiam priuilegia conceſſa Doctoribus? *ibi à num 338.* Doctorum Salmanticenſium toga. *l.1. num.337.*

Debet diſſimilis eſſe Togæ Senatorũ. *l.2.num. 430.*

Doctoribus competunt priuilegia conceſſa Studioſis. *l. 1. num. 336.* Doctorum Inſignia. *l.1.num.337.*

Doctores Bullati an alijs Doctoribus præcedant, aut poſtponantur? *l.1.à n.385.*

Doctores, & Magiſtri in Theologia, aut Iure Canonico, non ſunt ipſo Iure approbati ad audiendas Cõfeſsiones. *l.2.à n. 66.* Nec virtute Bullæ Cruciatæ ad id ſunt eligibiles. *ibi num.67.*

Doctores quomodo obligentur iuramẽto ſeruandi ſtatuta Academiæ? *l.1.à n.110.*

Doctores, & Magiſtri examinari poſſunt ab Ordinario, vt approbentur ad audiendas Confeſsiones. *l. 2.n. 70.* Doctoris Gradum an poſsit ſuſcipere excommunicatus? *l.2.à num.403.*

Doctores quantum temporis intereſſe debeant Actibus publicis Academiç, vt licitè diſtributionem, vulgò *propina*, obtineant? *l.2.à num.278.* Vocati ad Conſeſſum nudo mandato an peccent, ſi non aſſiſtant? *ibi à n. 285..* An vocati ſub pœna præſtiti, vel excommunicationis eam incurrant non aſsiſtendo? *ibi à n. 289.* Quibus Inſignibus ornati debeant ad ſepulchrum efferri? *ibi à num. 430.*

Doctores Religioſi an valeant cum Senatu Academico aſsiſtere ſpectaculo agitationis Taurorum? *l. 2.à n.322.*

Doctores Religioſi, ſi à ſuo Prælato amoueãtur à loco Academiæ, an poſsint detineri, aut reuocari à Magiſtratu, vel à Senatu Academico? *l.2.à num.330.*

Doctores in loco Academiæ an habeãt domicilium, vel quaſi domicilium? *lib. 3. num.457.*

Doctores Eccleſiæ Latinç, & Græcæ ſtant pro Immaculata Conceptione Deiparæ? *l.4.n.355.* Nec vllo modo ei aduerſantur. *ibi à n.115.* Vide *Magiſter. Profeſſor. Studioſus.*

Doctoratus. Vide *Gradus Litterarius.*

Doctorellus.

Doctorelli qui ſint, & an gaudeant priuilegijs Doctorum? *l.1. à num. 379.*

Doctrina. Vide *Profeſſores.*

Domicilium, & quaſi domicilium.

Domicilium quid ſit? *l.3.num. 455.*

Poteſt quis duo ſimul domicilia habere. *ibi.* Decennij habitione præſumitur cõſtitui, niſi cõſtet de animo cõtrario. *ibi num. 469.* In loco Academiæ an habeãt domicilij Doctores, Togati, Cãdidati, & Scholares? *ibi à n.457.* Habentes ſolùm quaſi domicilium nequeunt Ordinibus initiari ab Epiſcopo loci Academiæ. *ibi num.458.*

S. Dominicus.

Sanctus Dominicus defendit Immaculatam Conceptionem Deiparæ, & eam miraculo comprobauit. *A.n.172.*

Domus.

Domorum domini poſſunt compelli, vt eas Studioſis locent? *l.3. num.49.*

Donatio.

Donationes an poſsint fieri ab Academijs, & Collegijs, ac eorum Procuratoribus? *l. 1. num. 591.* Donationes eis factæ ſunt validæ, & qua firmitate? *ibi n. 592.*

Donatio facta Studioſo ſine inſinuatione valet. *l.3.num.45.*

Donationes cauſa mortis ſolùm poteſt facere, qui poteſt teſtari. *l.3.n.438.* Prohibitæ ſunt Clericis erga filios ſpurios. *ibi num. 579.*

Dubium.

Dubia peccata ſunt cõfitenda. *l.3. num. 328.* Exponitur axioma, *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis. ibi à num.323.* Quomodo locum habeat circa dubium homicidij in ordine ad irregularitatem? *ibi à n. 221.* Declaratur axioma, *In dubijs tutior pars eſt eligenda. ibi à num.325.*

In dubio, an cenſura ſit lata, vel ferenda, iudicandum eſt, non eſſe latam. *l.3. n. 393.* In dubio, an ſit reſeruata, cenſenda eſt non reſeruata. *ibi.* Qui habet dubium iuris, aut facti circa excõmunicationem, an debeat iudicare ſe excõmunicatũ? *ibi.*

Duellum.

Ob duellum incidunt in excommunicationem Pontificiã reſeruatam pugnantes, auxiliatores, patrini, ſpectatores, & cõcedentes territorium ad pugnam. *l.3. à n. 306.* Secùs hi, qui fortuitò vident duellum. *ibi num.308.* Prouocati ad illud, ſi non pugnent, non incurrunt excommunicatio nem.

nem.*ibi*. Nec hi, qui ad duellum pergunt, vt amicent prouocatos.*ibi*. Ex homicidio in duello nulla consurgit obligatio restituendi,*ibi num.351*. Quis possit absoluere ab excommunicatione ob duellum? *ibi à num.310*.

E

Ebrietas.

EBrietas ab omnibus fugienda, maximè ab Scholaribus,*l.3.num.532*. Eius damna expenduntur, *ibi*.

Ecclesia.

Ecclesiæ celebritas firmat opinionem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, *A. à n.23*. Non celebrat Ecclesia, nisi quid sanctum, *ibi*. Antiquissima est in Ecclesia celebritas Conceptionis,*ibi à num.26*. Etiam in Ecclesia Græca,*ibi à num.29*. Ecclesiæ authoritas prævalet authoritati cuiusque Doctoris, *n.30*.

Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ Patres, & Doctores nullo modo refragantur Immaculatæ Conceptioni Deiparæ, sed stant pro illa, *A.à n.55. & à num.155*. Ecclesiæ Immunitas. Vide *Immunitas Ecclesiæ*. Ecclesiæ bona. Vide *Clericus*.

Ecclesia definiuit plures veritates, quibus antecedenter opponebantur viri doctissimi. *A.à n.231*.

Ecclesiasticus. Vide *Clericus*.

Elector.

Electores designati à Communitate ad eligẽdum aliquem ad munus, vel officiũ, si eligant inhabilem, an possint alium eligere? *l.1.n.570*. Vide *Suffragium*.

Eleemosyna.

Eleemosynas Scholares quas possint erogare? *l.3.à num.427*. Quas debeant impertire hi, qui habent Beneficia Ecclesiastica? *ibi 428*. An, si sint filij familias, teneantur ipsi, vel eorum parentes, seu curatores erogare illas? *ibi*.

Elisabetha Regina Catholica.

Elisabetha Catholica quomodo Tauros agitari præceperit ad damna vitanda? *l.2.num.306*.

Emeritus, vulgò *Iubilado*.

Emeritus in quouis munere plurimo honore est dignus. *l.2. num.243*.

Emeritos Moderatores Cathedrarum Iuris Ciuilis, & Decretorum in Academia Salmantina, Comites esse, indultum fuerat à Rege Alfonso,*l.1.num.142*. Extenditur hoc priuilegium ad alias Academias, *l.1.n.337*.

Episcopus.

Episcopus habet merum Imperium, sed executionem debet committere Iudici sæculari,*l.1.num.470*. Episcopus Salmantinus, & Magister Scholæ cognoscunt de causis Studiosorum clericorum diœcesis Salmantinæ, dato loco præuentioni,*l.1.n.479*. Ad quemuis ex illis potest à Iudice sæculari remitti Clericus Salmãtinus studiosus deprehensus in delicto.*ibi num.480*. Non gaudent ea iurisdictione Priores Militarium Ordinum Salmãticæ, *ibi n.484*.

Episcopus Salmantinus (& an quilibet alius?) si Actui publico Academico assistat, præcedit Rectorem Academiæ,*l.1.n.660*. Sed, quamuis assistat Actui litterario, debet venia præstari Rectori, seu Magistro Scholæ,*ibi*.

Episcopus nequit obligare subditos, vt diebus non Festis Missam audiant, & ab operibus seruilibus abstineant,*l.3.n.268*. Potest ob publicam necessitatem, aut in pœnã delicti cogere eos ad alia opera pia, *ibi num.270*. Episcopus nequit ad Ordines promouere Scholares, & alios, qui solùm quasi domicilium eius diœcesi habent,*l.3. num.458*. Nec dispensare in eorum irregularitatibus, *ibi num.458*.

Episcopi Hispaniarum stãt pro Immaculata Conceptione Deiparæ. *A.226*. Et pro huius veritatis proxima definibilitate. *ibi*.

Equites Militares.

Equites Militares non tenẽtur reddere in vsus pios, quod eis supereſt ex Cõmendis,*l.3. num.430*.

Eugeniana Bulla.

Eugeniana Bulla in fauorẽ Academiæ Salmantinæ transcribitur, & exponitur, *l.2.à num.226*. Studentes, & legentes faciunt suos fructus Beneficiorum, & excusantur à residentia, virtute illius, *ibi*. Ad quos extendatur hoc priuilegium? *ibi à n.268*. Habentes Curam animarum Vicarios idoneos designare debent, & quomodo? *ibi num 272*. Nequeunt Ecclesiæ absque speciali rescripto impedire hoc priuilegium,*ibi à num.267*. Quantum temporis debeant Academiæ assistere, qui eo priuilegio frui volunt? *ibi n.274*. Non fruũtur eo, qui solùm studio scientiæ, aut artis prohibitæ vacant.*ibi num.275*.

Examen. Examinatores.

Examen rigorosum debet præcedere collationem Gradus Licentiati, aut Doctoris, vel Magistri *l.1.à num.375*. Peccat mortaliter insufficiens, qui conscius insufficientiæ Gradum illum petit, *ibi n.377*. Examinari possunt ab Ordinario Doctores,

ctores,& Magiſtri,vt approbentur ad audiendas Confeſſiones,*l.1.num.70.* Examinatores ad Gradus an, & quomodo poſſint recuſari? *l.n.556.* Quinam habeant ius examinandi? *n.380.*

Excommunicatio. Excommunicatus.

Excommunicatio inflicta ob retentionem,aut lectionem librorum prohibitorũ exponitur, *l.2.à num.148.* Vide *Libri.* Excommunicatio ob duellum, *l.3.à n.306.* Vide *Duellum.*

Excommunicationis cauſa debet eſſe grauis, *l.3.num.380.* Quomodo dignoſcatur,an excommunicatio ſit lata, vel ferenda? *ibi num.381.* An peccet lethaliter tranſgrediens mandatũ, cui annexa eſt excommunicatio ferenda? *ibi.* Ignorantia non affectata excuſat in foro interno ab excommunicatione. *ibi num.382.* An incurrant excommunicationem Scholaſtici afferentes arma, aut veſtes prohibitas ſub pœna excommunicationis? *ibi à n.383.* Et quomodo excuſari queant? *ibi à n.389.* Vide *Scholaris. Abſolutio.*

Excommunicati vitandi qui ſint? *l.3.n.397.* Quid prohibeatur reſpectu illorum? *ibi.* Excommunicatus, etiam non vitandus, peccat mortaliter,ſi ſe ingerat aliorũ commercio,*ibi.* Exponuntur cauſæ excuſantes eum, qui colloquitur cum excommunicato vitando, *ibi* Excommunicatus an poſſit validè,& licitè, Gradũ in Academia ſuſcipere; ad Cathedram, & ad Togã eligi? *l.2 à num.402.*

Excõmunicatio inflicta Religioſis aſſiſtẽtibus ſpectaculo agitationis Taurorũ exponitur,*l.2.à n.320.* Vide *Taurorum agitatio.*

Excommunicatus decedẽs è viuis quomodo valeat donari ſepultura Eccleſiaſtica? *l.3.num.589.*

Exercitatio corporis.

Exercitationes corporis decẽt Scholaſticos ad recreationẽ,& quæ? *lib.3.n.537.*

Exilium. Vide *Relegatio.*

F

Famulus.

FAmuli Studioſorum, adhuc non Studioſi, an priuilegijs dominorum fruãtur?*l.1.num.354.* An gaudeant priuilegio fori? *l.3.num.30.* Qui famulantur Studioſis,etiam ſi ipſi Studioſi ſint,non adeò ſtrictè tenentur ſtudere priuatè,ac alij non famulantes, *l.3.num 537.* Ieiunium famulorum. Vide *Ieiunium.*

Feſtus dies.

Feſtis diebus poſſunt Profeſſores,Iudices, & Senatores negotiã pertractare, ſi nequeunt in alium diem differre, *libr.2. num.79.*

Feſtus dies non violatur docendo, etiã ob lucrum,*l.2.à num.90.* An violetur pingendo,& dilineando? *ibi n.92.*

Feſtis diebus poſſunt tranſcribi codices,adhuc ob lucrum, *l.3.num.167.* De alijs operibus dirimitur, quænam liceant, *ibi à n.174.*

Feſtum obſeruare an teneatur, qui exit à loco,vbi obſeruatur, & accedit ad locũ vbi non obſeruatur? *l.2.n.264.* Feſtos dies inſtituere ad quem pertineat? *l.5.n.264.*

Fideicommiſſum. Vide *Bona.*

Fideiuſſor.

Fideiuſſores Studioſorum quibus priuilegijs fruantur? *l.1.n.355.* An gaudeãt priuilegio fori? Et quomodo ab ſtudioſis præſtari debeant?*l.3 quæſt.4.*

Fidei Tribunalia.

Fidei Sacræ Tribunalia quomodo prohibeant lectionem,& retentionem librorum prauam doctrinam continentium,aut Authorum hæreticorum? *l.2.num.149.*

Fidei Tribunalia ſtant pro Immaculata Conceptione Deiparæ, *A.num.86.*

Filius, & Filius Familias.

Filij, & nepotes Doctorum, & Studioſorum an gaudeant parentum priuilegijs? *l.1.à num.391.*

Filijfamilias de quibus bonis teſtari poſſint?*l.3.à n.433.* Si ſint Equites Militares Commendatarij, poſſunt de bonis Commendarum teſtari,*ibi n.437.* Filij Studioſorum an gaudeant priuilegio fori? *ibi numero 29.*

Filij non legitimi, dum ſint naturales, in ſepulchro Maiorum, etiam extra parochiam,ſunt ſepeliendi,*l.3.num.586.* Si ſint ſpurij,in ſepulchro matris, dum indè non accedat ei honoris detrimentum, *ibi.*

Filijs extra matrimonium habitis tenẽtur patres à triennio alimenta præſtare, *l.3.n.560.* Et ante triennium, ſi mater nequeat eos nutrire, *ibi num.571.* Si illi nõ poſſunt etiam poſt triennium,tenetur mater eos alere,*ibi n.572.* Si ipſa non poſſit, quid ſit præſtandum? *ibi.* Non tenentur patres,vt eos alant, ſubtrahere ex alimentis ſibi neceſſarijs, *ibi num.579.* In defectum parentum tenentur aui, & proaui eis præſtare alimenta;& quo ordine? *ibi n.572.*

Filijs ſpurijs nequeunt Clerici præſtare donationes cauſa mortis,nec relinquere hæreditatem,aut legata,ſic verò alimẽra,*l.3.à num.578.*

Filio illegitimo vt alimenta debeantur, quomodo constare debeat, esse filium proprium? *l. 3. num. 576.* Quid præstandū sit in casu dubij? *ibi.*

Filius familias quam quantitatem possit exponere ludo, amittere, & lucrari? *l. 3. à num. 193.*

Ingrediens Religionem de quibus dispensare queat? *ibi num. 439.*

Fœmina.

Fœminę impudicæ quid teneantur restituere acceptum ab Scholasticis, *lib. 3. à num. 424.*

Fœminarum consortium fugere debēt Scholastici, vt sapientes cuadant, *ibi à numero 578.*

Fœminæ an possint publicè studere, & docere? *l. 3. à num. 595.*

Fori priuilegium; & Forum.

Fori priuilegio in Academijs qui nam gaudeant? *l. 3. à num. 7.*

Qui, adhuc non studiosi, eo fruantur? *ibi à n. 26.* Competit vxori Studiosi, *ibi.* Vidua Studiosi gaudet eius foro, *l. 3. quæst. 4.* An gaudeat fideiiussor Studiosi? *ibi* An, si Studiosus sit Clericus coniugatus, vxor gaudeat priuilegio fori Ecclesiastici? *l. 3. n. 27.*

Fori priuilegium quando amittatur? *l. 3. à n. 38.*

Forum sortitur quis in loco, per quem trāsit, ratione delicti, *l. 3. n. 261.* Sed Scholasticus delinquens ad suum forum est deducendus, *ibi.*

Fori priuilegium non amittit Clericus Beneficiatus, non afferens habitum clericalem, & tonsuram, nisi ter admonitus à Prælato nolit corrigi, *l. 3. n. 358.* Amittit verò, si non habeat Beneficium, *ibi n. 343.* Quo casu Clericus in Minoribus constitutus, vxorem ducens, amittat fori priuilegiū? *ibi n. 358.* Vide *Scholaris*, & *Studiosus.*

S. Franciscus Xauerius.

S. Franciscus Xauierius Gradum Magisterij accepit in Academia Parisiensi, *l. 1. n. 50 & n. 393.*

G

Gabella.

Gabellæ propter contractus celebratos an debeantur solui ab Academijs, & Collegijs? *l. 1. à n. 629.*

Gallia.

Galliæ Academiæ recēsentur, *l. 1. à n. 47.*

Galliæ Reges stāt pijssimè pro immaculata Conceptione Deiparæ, *A. à 147.*

Germania.

Germaniæ Academiæ recensentur, *l. 1. à n. 60.* Germaniæ Imperatores quantùm defenderint Immaculatam Conceptionē Deiparæ? *A. à n. 239.* Plures Germaniæ Academiæ traditæ sunt Societati Iesu, *l. 1. n. 88.*

Gradus Litterarius.

Gradus Bacchalaurei, Licentiati, Doctoris, & Magistri quid sint, & vnde dicti? *l. 1. à num. 294.*

Gradus an possit recipi vnus in quadā Academia, alius in diuersa? *ibi n. 298.*

Gradus à quibus nequeant accipi? *l. 1. n. 313.* Nequeunt ab infamibus, nec ab hæreticis, *ibi.*

Gradus Doctoris, & Magistri non nisi doctis, & optimè meritis sunt concedendi, *ibi à n. 360.*

Gradus quando, & vbi inceperint? *l. 1. à n. 370.* Rigorosè debent examinari, qui accepturi sunt Gradus Magisterij, & Doctoratus, *ibi à n. 375.*

Gradum Licentiati, Magistri, aut Doctoris si insufficiēs accipit, mortaliter peccat, *l. 2. à n. 22.* An idē sit de Gradu in Artibus? *ibi n. 25.* Peccant grauiter, qui approbant insufficientem; & an teneantur restituere? *ibi n. 27. & 31.* Gradus insufficienti concessus pro foro externo est validus, non pro interno, *ibi n. 28.* Nequit ille adquirere emolumenta ex eo prouenienti, *ibi n. 29.* Locus facetus adducitur cōtra insufficiētes ad Gradū promotos, *ibi n. 30.*

Gradū accipiens in Academia externa, si in Hispana incorporetur, an sit habilis ad oppositionē Canonicatuū? *l. 2. à n. 32.* Quid, si acceperit in Academia Cæsarea? *ibi n. 37.*

Gradū qui accepit, postquā subscripsit oppisitioni Canonicatus, aut Cathedræ, an sit habilis ad eius assecutionē? *l. 2. à n. 38.* An sufficiat accipere. Gradū post electionē ad ea munera? *ibi n. 50.* Pro Gradu in qualibet scientia dare, & accipere pretium, non est simonia, *l. 2. à n. 94.*

Gradū Bacchalaureatus, an suscipiat licitè, & validè, qui aliquos Cursus Litterarios falsos affert, aut deficit ei aliquod requisitū in Statutis? *l. 1. à n. 93.*

Gradus Bacchalaureatus in vtroq; Iure quot Cursibus, & lectionibus obtineatur in Academia Salmantina? *l. 3. n. 262.*

Gradū falsum habens, si opponatur ad Cathedrā, aut quid simile, ad quod Gradus est omnino necessarius, nequit illud obtinere, *l. 2. à n. 251.* Etiam si dignior sit cæteris, *ibi.* Si obtineat, tenetur restituere, *ibi.* Cui faciēda sit restitutio? *ibi num. 260.*

Idem est de habente Gradum inualidũ, *ibi num.256.* Nisi illum fide bona acceperit, *ibi n. 257.*

Gradum falsum Bacchalaureatus habens adhuc validè suscipit Gradum Licẽtiati, & Doctoris, *l.2.à n.257.*

Gradum accipere an possit excommunicatus? *l. 2.à n.403.*

Gradus Bacchalaureatus in Artibus, & Theologia, vt obtineatur à Religiosis, quas lectiones debeant audire? *l.3. n.157.*

Gradum Magisterij an possint pro libito accipere Religiosi? *l.2.à n.349.*

Gradus Magisterij in Theologia, aut in Iure Canonico non concedebatur vxoratis in Academijs Germaniæ, *l.1.n.72.*

Gradum Doctoratus in Iure Ciuili, aut in Medicina an possint suscipere Religiosi? *l.2.à n.379.*

Gradus illicitè acceptus à Religioso ob defectum licentiæ Prælati validus est, si non desit essentiale requisitum, *ibi num. 383.* Exponitur Decretum Pontificium circa Gradus respectu Sacri Ordinis Prædicatorum, *ibi n.384.*

Gradus nullo ex capite prohibiti sunt Religiosis Societatis Iesu, sed acceptio eorum est valdè conformis suis Regulis, & Instituto, *l.1.à n.388.*

Gradum Magisterij susceperunt S. Ignatius, & S. Franciscus Xauerius, & primi Societatis Religiosi, *ibi n.393.* S. Ignatius voluit, suos insigniri Gradibus, *ibi.*

Grammatica.

Grammaticæ lectores, qui quatuor lectiones quotidiè legunt, excusantur à ieiuniis præceptis ab Ecclesia, *l.2. n.86.*

S. Gregorius Nazianzenus.

S. Gregorij Nazianzeni desiderium sapientiæ addiscendæ, *l.3.num.579.* Quomodo fuerit expletum? *ibi.*

H

Hæbrea lingua.

HAEbreæ Linguæ Magister, & Cathedræ Moderator, in qua Facultate Gradum suscipiat? *l.1.num. 302.*

Hæreditas. Vide *Bona.*

Hispania.

Hispaniæ Academiæ recensentur, & illustrantur, *l.1.n.92.* Hispaniæ Reges habent ius præsentandi Prælatos, & Scholasticum Salmantinum, *l.1. num.159.*

Hispaniæ Reges semper valdè venerati sunt Immaculatam Conceptionẽ Deiparæ, *A. à num.142. & num. 207.*

Pro definitione eius mysterij plurimũ peregerunt, *ibi.* Hispania tota hoc mysterium summa deuotione prosequitur. *ibi n.117.*

Honorès litterarij. Vide *Gradus Litterarius.*

Horæ Canonicæ.

Horas Canonicas, aut Officium paruũ B. Mariæ quando non teneantur recitare Scholastici, aliundè ad id obligati? *l.1. à n. 271.* Et quando Professores scientiarum? *l.2.à num.72.*

Satisfit præcepto, recitando, dum auditur Missa adhuc ex præcepto, *ibi num. 74.* Officium Ecclesiasticum mutari vnum pro alio, etiam absque causa, non est peccatum mortale, *l.2. num.397.* Dum non mutetur in Officium Resurrectionis, *ibi num.393.* Studij causa, per se loquendo, non est sufficiens, vt mutetur Officium absq; peccato veniali, nisi in aliquibus casibus, *ibi num.399.* Quando possit ab Scholasticis licitè mutari Officij Ecclesiastici recitatio? *ibi num. 401.*

Priuilegium concessum Academicis Salmantinis circa recitationem Officij Diuini, *l.2.n.401.*

Hospes Collegij.

Hospites Togati an, & quando teneãtur soluere alimenta Collegijs? *l.2.à num. 236.* Possunt versari in hospitio, quandiu permiserit Collegium, *ibi num.240.* Aliquo in casu tenentur exire ab hospitio. *ibi.*

Hospites Togati æquiparantur Emeritis in aliquo Munere, & militibus veteranis, *l.2.à num.242.* Quanto honore sint digni? *ibi.*

Hyberniæ Academiæ.

Hyberniæ Academiæ recensentur, *lib. 1. à num.88.*

Hæresi grassante iam collapsæ sunt ferè omnes. *ibi.*

I

Ieiunium.

IEiunij præceptum quando non obliget Professores scientiarum, Candidatos, & Patronos causarum? *l.2.à num.81.* An excusentur à ieiunio, qui vnicam quotidie lectionem legunt? *ibi num. 87.* Excusantur Lectores Grammaticę, qui quatuor legunt lectiones? *ibi num.86.* Non tenetur vllus minuere studium, eo quòd impediat illum ieiunare, *ibi num. 85.*

Ieiunare an teneatur, qui iter facit equitando, *l.1.num.261.*

Ieiunium quomodo quis possit effugere, sine fraude legis? *l.3.num.378.*

A ieiu-

A Ieiunio non excusatur quis ob studiũ non accedente alia circunstantia, *libr. 3. num. 280.* Quid, si nimia lassitudo sit in studio? *ibi.* Quid, si studium sit cõtinuum? *ibi.* Quid, si quis præparetur ad Assertiones litterarias exiguo tempore disponendas? *ibi num. 281.* An à ieiunio præcepto excusetur Scholasticus defendens Assertiones litterarias? *ibi num. 282.* An, si habiturus sit lectionem loco examinis? *ibi.*

Ieiunium non frangunt famuli manducantes aliquid, dum mensę dominorum inseruiunt, statim post dominos mã ducaturi, *lib. 3. num. 283.*

Ieiunij lege quomodo teneantur itinerantes, *ibi num. 261.*

S. Ignatius de Loyola.

S. Ignatius Gradum Magisterij in Academia Parisiensi suscepit, *lib. 1. num. 393. & num. 50.* Voluit, suos Gradibus litterarijs insigniri, *ibi num. 393.* Docuit Immunitatem Deiparæ à peccato originali, *A. à 135.* Obstrinxit se iuramento defendendi illam, *ibi.*

Ignorantia.

Ignorantia excommunicationis non affectata excusat ab illa contrahenda, *l. 3. num. 382.* Ignorantia facti, & iuris quãdo excuset à pœna? *ibi à num. 491.*

Immunitas Ecclesiæ.

Immunitate Ecclesiæ gaudent Studiosi laici, *lib. 1. num. 249.*

Immunitas Ecclesiæ concessa Reis exponitur, *lib. 3. num. 329.* Nomine Ecclesiæ, quoad hoc, non continentur Oratoria priuata, *ibi num. 330.* Ecclesiæ immunitas datur, quamuis ea sit interdicta, violata, aut polluta, *ibi.*

Immunitas extenditur ad Sacristiam, porticum, atrium, Cæmeteria, turrem, superiorem partem tecti, & vectem, aut ansam portæ, si sit clausa. *ibi.*

Immunitas Ecclesiæ, quia fauorabilis, ad hæc extenditur, secùs violatio, quia odiosa, *ibi.* Immunitas extẽditur ad Hospitalia authoritate Episcopi erecta, ad Domos Religiosorum cum suo ambitu, ad Episcoporum Palatia, si sint intra quadraginta passus Ecclesiæ Matricis, *ibi.*

Immunitate gaudet Reus confugiens ad Sacerdotem, qui extra Ecclesiam fert Eucharistiam, *l. 3. n. 330.*

Immunitate Ecclesiæ gaudet Reus ære alieno grauatus, *l. 3. n. 333.*

Imunitate Ecclesiæ non gaudet, qui crimen in Ecclesiam committit, *lib. 3. num. 335.* Nec publici latrones, depopulatores agrorũ nocturni, homicidę qualificati, & proditorij, hęretici, Rei lęsæ Maiestatis, *ibi à n. 336.*

Immunitate Ecclesiæ non gaudent Ecclesiastici, nec Studiosi, si Ecclesiastici sint, *l. 3. num. 338.* Nisi sit crimen, propter quod sint tradendi brachio sæculari, quo casu ea gaudent, *ibi num. 339.* Excipe, si crimen sit ex his, quorum Rei nunquam immunitate gaudent, *ibi.*

Immunitate Ecclesiæ gaudent Scholastici in Minoribus constituti, non obseruantes requisita à Tridentino in ordine ad fõrum, habendique sunt vt laici, *lib. 3. num. 342.* Reus nequit ab Ecclesia extrahi ad pœnam corporalem, *ibi num. 344.* Nec in ea existens potest spoliari bonis, quæ secum attulit, *ibi.* Nec potest impediri, quòd ei necessaria deferantur, *ibi.* Nec immunitatem amittit, licèt manum aut pedem ab Ecclesiæ ianua extrahat. *ibi.* Iudex extrahens Reum gaudentem immunitate Ecclesiæ, sacrilegium committit, *ibi num. 345.* Censuris est compellendus, vt eum restituat Ecclesiæ, *ibi* Processus iudicialis contra eum factus est irritus, *ibi.* Tenetur Iudex extrahens damna ei compensare, *ibi.*

Impedire. Impedimentum.

Impediri lectiones ab Scholasticis. Vide *Lectio. Scholasticus.* Impedire per fraudem, aut medio illicito, ne Scholasticus Religionem ingrediatur, peccatũ mortale est, *l. 3. à n. 441.*

Impediẽs ad quid teneatur? *ibi à n. 450.*

Impedire exercitia operum pietatis, aliquãdo peccatum mortale est, aliquãdo veniale, *l. 3. à n. 452.* Si impediantur in comtemptum, semper est mortale, *ibi n. 453.* Impedire famulos, ne aliquod crimen committant. *Vide Scholasticus.*

Imperator.

Imperatores Germaniæ, & Græciæ piè, & enixè defenderunt Immaculatam Conceptionem Deiparæ. *A. à n. 239.*

Impubes.

Impubes nequit eõdere testamẽtũ, *l. 3. n. 436.* Impuberi filio decedẽti potest pater eligere sepulturã extra parochiã; idẽ potest mater, deficiẽte patre, *l. 3. n. 585.*

Indiarum Academiæ.

Indiarũ Academiæ recẽsẽtur, *l. 1. n. 121.*

Infamis.

Infames publici nequeunt gaudere priuilegijs Studiosorũ, quãuis matriculæ Academię inscribantur, *l. 3. n. 66.*

Informationes.

Informationes ſanguinis qui peragit, quod ſecretum obſeruare debeat? *lib. 2. num. 182.*

Inhibitio.

Inhibere quis poſſit Magiſtratus Academiæ? *l. 1. à n. 685.*

Inſignia Doctorum. Vide *Doctor.*

Interdictum.

Interdicti definitio, diuiſio, & effectus, *l. 3. à n. 546.* Quid liceat Clericis tẽpore interdicti? *ibi.* Quid circa Sacramenta, & ſepulturam liceat? *ibi.* Quid liceat in Eccleſia ſpecialiter interdicta? *ibi.* Quæ priuilegia concedantur tempore interdicti per Bullam Cruciatæ? *ibi n. 549.*

Intedicti tempore tenetur audire Miſſam diebus Feſtis habens Bullam Cruciatæ, *lib. 3. nnm. 550.* An qui non habet Bullam, teneatur tunc audire Miſſam in aliqua Eccleſia, quæ non ſit interdicta? *ibi à num. 545.* Quid tempore interdicti conceſſum ſit Studioſis in Acade mia Salmantina? *l. 3. num. 557.*

Irregularitas.

Irregularitas contrahitur occidendo, ſeu mutilando, dum non fiat in defenſionem inculpatam cum moderamine, *libr. 3. num. 299.* Si plures concurrant ad occiſionem, ſeu mutilationem, omnes fiunt irregulares, licèt vnus phiſicè ictum fecerit, *ibi.* Non fit irregularis, qui occidit, aut mutilat inuaſorem innocentis, *ibi. num. 200.*

Irregulatitatem cõtrahunt iudex, carnifex, & miniſtri pœnam mortis, aut mutilationis infligentes, etiam per iuſtã ſententiam, *lib. 3. nnm. 300.* Et qui poſſunt defendere ſuum honorem fugiẽdo, aut alia via, & tamen occidunt, aut mutilant, *ibi num. 302.* Non peccant, qui, vt defendant ſuum honorem, occidunt, aut mutilant, ſi aliter nequeant defendere, *ibi num. 303.* Sed non facilè eſt credendum, honorem periclitari, ſi quis fugiat, *ibi.*

In irregularitate quis poſſit diſpenſare? *lib. 1. num 165. & lib. 3. n. 304.* Quando contrahatur irregularitas in dubio homicidij? *l. 3. à num. 316.* Exponuntur dubia homicidij diuerſa, *ibi.* Exponuntur circa irregularitatem *caput ad audientiam, & cap. ſignificaſti 2. de homicidio,* ibi *à numero 319.*

Irregularitas contracta ab Studioſo alterius diœceſis nequit per diſpẽſationem tolli ab Epiſcopo loci Academiæ, *lib. 3. num. 468.*

Italiæ Academiæ.

Italiæ Academiæ recenſentur, *lib. 1. à num. 15.*

Iudex; & Iudex Academiæ Salmantinæ.

Iudicis Studij Salmantini iuriſdictio, *lib. 1. à num. 181.* An ea ſit ordinaria, vel delegata? *ibi num. 184.* Iudicis huius obligationes, & qualitates, *ibi num. 185.* Ad quem appelletur ab eius ſententia? *ibi à n. 189, & num. 365.*

Iudices Academiarum. Vide *Magiſtratus Academiæ.*

Iudicum munus quo caſu valeant Religioſi exercere? *l. 1. num. 457.* Nequeunt id munus præſtare Religioſi Societatis Ieſu, *ibi n. 548.*

Iudex ordinarius, & delegatus in quo differant? *l. 1. à num. 501.*

Iudex Studij Salmantini vnum Tribunal conſtituit cum Magiſtro Scholæ, *l. 1. a n. 181, & n. 504.*

Iudex mixtus quid ſit, & quid merus executor? *l. 1. n. 532.* Iudices tenentur ſcire leges Regni, *l. 1. a num. 542.* Necnon Ius Ciuile, & Canonicum, *ibi num. 545.*

Iudices Cruciatæ neqeunt ſequeſtrare fructus Academiæ Salmantinæ, *lib. 1. numero 628.*

Iudices extraordinarij, vulgò *Peſquiſidores,* ab Ordinarijs Iudicibus iuriſdictionem abdicant in cauſis, ad quas deſtinantur, *l. 1. n. 691.*

Iudex extrahens ab Eccleſia gaudentẽ immunitate illius, committit ſacrilegiũ, *l. n. 345.* Compellendus eſt per cenſuras, vt eum reſtituat Eccleſiæ, *ibi.* Si contra eum procedat, actus iudiciales ſunt irriti, & damna compenſare tenetur, *ibi.*

Iudex Academiæ, ſi ſolùm iuriſdictione ſæculari gaudeat, an poſſit trahere ad iudicium Clericos Studioſos? *l. 3. a num. 346.* Vtrùm aliquando poſſit contra illos procedere? *ibi a n. 348.*

Iudex ſæcularis quomodo ſe debeat gerere in captura Clericorum actu delinquentium? *l. 3. a n. 348.* Exponuntur aliqua ad cauſas Clericorum ſpectantia, *ibi.*

Iudex Studij Salmantini, præciſè quà talis, ſolùm habet Salmanticæ quaſi domicilium, *lib. 3. num. 477.* Iudices Regij perpetui habent domicilium in locis, in quibus ſunt Senatus, Cãcellariæ, aut Audientiæ, *l. 3. num. 457.*

Iudex Eccleſiaſticus nequit pœnam ſanguinis infligere, *l. 3. n. 480.* Poteſt tradere Reum Curiæ ſæculari, *ibi.*

Iuramentum.

Iuramentum ſeruandi ſtatuta quomodo obliget Academicos? *l. à n. 110.* Pœna præſtiti iuramenti ad quid eos obliget? *ibi à num. 114.*

Iuramenti promiſſorij duplex veritas exponitur, *l. 2. num. 117.* Si deficiat veritas de futuro, aliquando non eſt peccatum, ſaltem mortale, *ibi.* Poteſt dari iuramentum abſque promiſſione, & poteſt promiſſio eſſe nulla. *ibi num. 120.*

Iuramentum de obediendo Rectori ad quid præſtetur ab Academicis? *l. 3. n. 77.* Neceſſarium eſt ad gaudendum foro, & priuilegijs Academiæ, *ibi num. 35.* An id iuramentum queat relaxari à Rectore? *ibi num. 89.*

Iuramentum de obediendo Rectori obligat reſpectu Rectoris noui poſt iuramentum electi, *l. 3. à n. 92.*

Iuramentum non ludendi quomodo obliget? *l. 3. n. 285.* Inſpiciendus eſt finis, ob quem eſt emiſſus, *ibi.* Non obligat ad non ludendum moderatè, ſi emittitur ob vitandam pecuniæ diſtractionem, & iurgia, *ibi n. 387.* Quis ſit ludus moderatus ratione temporis, & pecuniæ? *ibi à numero 288.*

Iuramentum non ludēdi in aliqua domo, aut cum aliqua perſona ob finē maleuolentiæ non obligat, *l. 3. n. 285.* Emiſſum ob finem perfectum carendi recreatione obligat ad non ludendum omnino, *ibi n. 291.* Sed paruitas materiæ tēporis excuſabit à peccato mortali, & quænam ſit paruitas? *ibi num. 292.* Iuramentum non ludendi non frangitur præbendo pecunias, vt alter nomine præbentis ludat, *ibi n. 293.*

Iuramentum nō mutuandi pecunias, aut veſtes, regulariter non obligat, *l. 3. n. 294.* Niſi in gratiam tertij emittatur, & ab eo acceptetur, *ibi à num. 296.* Obligatorium eſt iuramentum non mutuandi inconſideratè ad vitandam prodigalitatem, *ibi num. 297.*

Iuramentum amphibologicum exponitur. *l. 3. à num. 154.* Eo vti an aliquando poſſint teſtes in probatione Curſus litterarij? *ibi.*

Iuramentum à Togatis prolatum ſoluendi ſuo Collegio aliquod donatiuum, aut relinquendi legatum, in conſcientia obligat, *l. 2. num. 238.* Solùm à Pontifice id relaxari valet, *ibi.* Quomodo, & ad quā quantitatem ex vi illius teneantur? *ibi.*

Iuramentum in Academijs prolatum defendendi Immaculatam Conceptionē Deiparæ eſt iuſtum, pium, & de veritate certiſſima. *A. à n. 1.* Ad quid teneantur id iurantes? *ibi n. 3.* Succeſſores non tenē tur ex vi iuramenti, ſed aliundè poſſunt teneri, *ibi à n. 4.* Quos effectus habeat id iuramentum? *ibi n. 6.*

Iuramentum defendendi Immaculatam Conceptionem Virginis prolatum eſt in Hiſpania ab Eccleſijs, Academijs, Ordinibus Militaribus; Vrbibus, Confraternitatibus, & Congregationibus, *A. à num. 17*

Iuriſdictio.

Iuriſdictio Magiſtratuum Academicorū an ſit Eccleſiaſtica, vel ſæcularis? *l. 1. à n. 219.* Iuriſdictio conceſſa Magiſtratibus Academicis à ſæculari Principe an queat reuocari? *l. 1. n. 281.* Qui actus iuriſdictionis Academiæ ſint ſæculares, & qui Eccleſiaſtici? *ibi à n. 282.*

Iurisdictio ordinaria, & delegata in quo differant? *l. 1. à n. 501.*

Iurisdictio priuatiua, & cumulatiua quid ſint? *l. 1. n. 533.*

Ius Canonicum, Ciuile, & Regium.

Ius Canonicum quas partes cōtineat? *l. 1. à n. 534.* An habeat vim legis obligātis? *ibi à n. 538.*

Ius Ciuile quid ſit, & quibus partibus conſtet? *l. 1. à n. 540.* Quinam eo obligentur? *ibi n. 541.* Vtilitas in eo edocendo, *ibi ibi n. 542.*

Ius Ciuile, Canonicum, & Regiū debent ſciri à Iudicibus, *l. 1. à n. 542.*

Ius Regium in Academijs exponi, oportet, *l. 1. n. 542.*

Iuris Canonici, & Ciuilis Studioſi in Academia Salmantina quas lectiones audire debeant in vnoquoq; Curſu litterario? *l. 3. à num. 158.*

Iuri Canonico nomen dare in matricula, potiùs quàm Iurì Ciuili, quare ſit frequentius? *l. 3. num. 162.* Abſonum eſt, Iuri Canonico non impendere ſtudium, & Gradum Bacchalaureatus in ipſo intendere, *ibi.*

Iura Pontificia, Ciuilia, & Regia referuntur, in quibus ſunt plura, quæ in hoc opere continentur, *l. 3. à n. 596.*

Ius Ciuile nequeunt addiſcere publicè Religioſi, *l. 2. à num. 307.* Poſſunt illud docere, & Cathedras moderari, attēto Iure communi, non verò attentis Cōſtitutionibus Religionum, *ibi à num. 377.* An, & quomodo poſſint in illo accipere Gradum Doctoratus? *ibi n. 372.*

Iuris Ciuilis differentia à Canonico,& finis vtriuſq; *l.2.à n.372*. Quo pacto vtrũque dicatur vna ſcientia? *ibi n. 374*. Quid comprehendat Ius Ciuile? *ibi 376*.

Ius Canonicum edoceri poteſt à Regularibus, *lib.2.à num. 387*. Gradum Doctoratus in illo poſſunt accipere, *ibi*. Poſſunt Cathedras Iuris Canonici moderari, niſi in Religione prohibeatur, *ibi numero 388*.

Ius patronatus.

Ius patronatus præſentandi Prælatos ad Eccleſias Hiſpaniarum datur in Regibus Catholicis, *l. 1. à num. 159*. Et præſentandi Magiſtrum Scholæ Salmantinum, *ibi*.

Ius patronatus Eccleſiaſticum, & laicum ad Beneficia exponitur, *l.1.à.n.641*.

L

Lacticinia. Vide *Ouà.*

Lectio.

LEctionem vnicam quotidie legens an excuſetur à ieiunio? *l.2. num. 87*. Excuſantur, qui quatuor Grammaticæ lectiones docent, *ibi num. 86*.

Lectionem primariã ex debito audiens in Academia Salmantina, tenetur adeſſe ſupra tres quadrantes horç, *l.2.num. 247*. Satisfacit, qui alternatiuè audit lectiones Cathedræ Primariæ, & Veſpertinæ, *ibi*. Quas lectiones ſint audituri Scholaſtici Salmantini in vnaquaque Scientia? *l. 3.à num.156*. Strepitus Scholaſticorum in lectionibus damnatur, *ibi n.137*.

Lectiones impedire octo, aut pluribus diebus ante Natiuitatem Domini, vel ante Bacchanalia, peccatum mortale eſt, *l. 3.à num. 513*. Nequit in hoc conſuetudo præſcribi. *ibi num. 516*. An aliquis ex concurrentibus ad impediendum excuſetur à peccato mortali? *ibi n.517*.

Lectionum additio vtiliſſima, *l.3.num. 519*. Nequit abſque illis perueniri ad ſciẽtias, *ibi*.

Lector Vide *Magiſter. Profeſſor.*

Legatum. Vide *Bona.*

Lex.

Leges ſuæ patriæ an teneãtur obſeruare Studioſi in Academia verſantes? *l.3. à num. 247. & à num. 239*. Idem deciditur de alijs extra ſuum territorium verſantibus, *ibi*. An teneãtur obſeruare leges vbique alibi obligantes, niſi in loco, in quo exiſtunt? *ibi num 244*. An lex reſeruationis caſuũ obliget in alieno territorio quoad abſolutionem? *ibi num 245*. Idem exponitur de caſibus reſeruatis Religioſorum, *ibi num. 246*.

Leges loci Academiæ an teneantur obſeruare Studioſi? *l.3.à num.247*. Idem deciditur de alijs exiſtentibus extra patriam, *ibi*. An exempti teneantur legibus loci, in quo commorantur? *ibi num. 249*. An teneantur, ſi exiguo tempore in loco verſentur? *ibi num.252*.

Leges locorum, per quæ tranſeunt Studioſi, an debeant ab eis obſeruari? *l.3. à n. 253*. Idem deciditur de alijs itinerantibus, *ibi*. Quid, ſi in loco tranſitus obſeruetur lex communis, quæ tamen non viget in proprio territorio? *ibi num. 354*. An ad ieiunia, & obſeruationes Feſtorum, ac ſimilia obſeruata ſpecialiter in loco tranſitus teneantur, ſi ibi exiguo tempore verſentur? *ibi à num.256*. Quid, ſi leges inſtitutæ ſint ad vtilitatem, aut pacem loci? *ibi num.259*.

Legum Studioſi in Salmantina Academia quas lectiones debeant audire, vt Curſus litterarios probent? *l.3.n.162*.

Leges ciuiles, & Regiæ, in quibus diſponuntur plura de Iure Academico, & Scholaſtico, referuntur *l.3.n.597*.

Leges Regias in Academijs exponi oportet, *1.num.542*. Iudex tenetur eas ſcire, *ibi*.

Libri.

Libri Authorum hæreticorum legi, & retineri quomodo prohibeantur in Bulla Cœnæ Domini? *l.2.à n. 148*. Quid circa eos libros, & ſimilia Cõmentaria debeãt obſeruare Academici? *ibi num. 247*. Legere hæreſes inſertas ad verbũ in Authore Catholico eas refellente, non eſt prohibitum, *l2.n.152*. Prohibitum eſt, legere tractatum hæretici manuſcriptum, *ibi*.

Libros hæreticorum legens in Prouincijs, in quibus non eſt recepta Bulla Cœnæ, non incidit in excommunicationem, *l.2.num. 153*. In Prouincijs, in quibus eſt recepta, an incidat, qui legit Scholia, aut notas hæretici ad librum Catholicum? *ibi num.154*.

Libros hæreticorum non tractantes de Religione qui legit, an incidat in excommunicationem? *ibi num. 156*. An, qui legit librum hæretici materialiter, quin intelligat illum? *ibi num. 155*. Vtrùm, qui legit epiſtolam hæretici de Religione tractantem? *ibi num 158*. Quid de his omnibus in Prouincijs Septemtrionalibus? *ibi num.157.& 165*.

Librum hæretici legens non per ſe, ſed per

per alium, an incidat in excommunicationem? *l. 2. n. 159.* An incidat, qui suadet alij, vt legat librum hæretici? *ibi n. 160.*

Librum hæretici legens cum ignorantia crassa an ab excommunicatione excusetur? *l. 2. n. 161.* Sufficit ad contrahendã excommunicationem retinere in alienà domo libros prohibitos, *ibi n. 162.* Quæ quantitas in libro prohibito sit legenda, vt incidatur in excommunicationem? *ibi à n. 163.* Qui libri præter libros hæreticorum prohibeantur? *ibi n. 166.*

Libri Studiosorum per nullam hypothecam censentur obligati, *l. 3. n. 47*

Licentiatus.

Licentiati Gradus. Vide *Gradus.*

Licentiati vox, nomenclatura, potestas, & dignitas, *l. 1. n. 305.* Ad quæ munera, & officia requiratur Gradus Licentiati? *ibi.*

Licentiatis an competant priuilegia Doctorum? *l. 1. à n. 341.* Vide *Doctor. Magister.*

Licentiatus in Theologia, aut in Iure Canonico non est ipso iure approbatus ad audiendas Confessiones, nec eligibilis virtute Bullæ Cruciatæ, *l. 2. à n. 66.*

Licentiati debent assistere Actibus Academicis per maiorem temporis partem, vt licitè distributionem obtineant, *lib. 2. à n. 278.* Aliter restituere tenentur, re secũdùm se inspectâ, *ibi.*

Litteræ humaniores.

Litterarum humaniorum Magistri in Academijs quem Gradum suscipiant? *l. 1 n. 301*

Ludus. Ludi, seu Spectacula.

Ludens, qui agnoscit suam peritiam maiorem in ludendo, an restituere teneatur? *l. 3. à n. 188.* In ludo qui lucratur maiorem quantitatẽ, quàm permissam à Magistratibus, an peccet, & restituere teneatur? *ibi à n. 191.* Vtrùm possit repeti ab eo lucrum? *ibi.*

In ludo quam quantitatem possint amittere, & lucrari Scholastici? *l. 3. à num. 193.* Et à quibus? *ibi.* Quid, si Scholasticus sit diues? *ibi n. 194.* Quid, si sit Dynasta? *ibi num. 196*

Ludo quam quantitatem valeant exponere Scholastici, qui habent bona aduẽtitia? *l. 3. n. 197.* Quid, si eis dentur pecuniæ determinatæ ad alimenta? *ibi n. 198.* Quid, si industria sua adquisierint pecuniam? *ibi n. 202.* Quid, si sint intra domum paternam? *ibi n. 201.* Quid, si sint sub potestate tutoris, aut curatoris? *ibi n. 199.*

In ludo amittens, quæ amittere nequit, si nolit restitutionem admittere, quid sit præstandum? *l. 3. n. 204.*

Ludo exponere qui potest quantitatem determinatam per integrum annum, an possit vnà vice totam? *l. 3. n. 205.* An possit quis ludere cum alio, de quo ignorat, vtrũ valeat exponere ludo pecuniam? *ibi n. 206* Vtrùm quis exponere ludo possit cũ quolibet pecuniam à se ludo etiam adquisitã? *ibi numero 207.*

Ludendo an possit quis amittere redditus obtentos ex Beneficio Ecclesiastico? *l. 3. n. 209.* An redditus ex Commendis Ordinum Militarium? *ibi n. 210*

Ludo exponere quam quãtitatem possint Religiosi Ordinum Militarium? *l. 3. n. 211.*

In ludis prohibitis lucrum obtentum an debeat restitui? *l. 3. n. 213*

In ludo quod amittitur sub fide credita, aut dato pignore, vel chirographo, seu iuramento præstito, an debeat solui? *l. 3. n. 214.*

Non ludendi iuramentum. Vide *Iuramentum.*

Ludis, seu spectaculis Taurorum assiste re, quomodo olim fuerit Clericis prohibitum? *l. 2. n. 318.* Referuntur Authores, qui de ludis, & Spectaculis tractant, *ibi & n. 329.*

Ludis, seu spectaculis Taurorum an intereſſe possint Doctores, & Magistri Religiosi cum Academico Consessu? *l. 2. à n. 305.* An alij Religiosi? *ibi à n. 322.* Vide *Taurorum agitatio.*

Ludi qui deceant Scholasticos? *l. 3. à n. 325.* De ludo pilæ, *ibi n. 528.* Ludus pilę antiquissimus est, permissus, decens, & vtilis, *ibi.* Sphęristeria non sunt frequentanda ab Scholasticis, *ibi.*

Ludus aleę quinam sit? *l. 3. n. 530.* Prohibitus semper fuit, & ludentes habebantur in dedecore, *ibi n. 529*

Ludus chartarum pictarum, seu foliorum an deceat, & quomodo Scholasticos? *l. 3. n. 531.*

Luxuria.

Luxuria ab Scholasticis fugienda, *l. 3. à n. 578.* Qui ei traduntur, sapientes non euadent, *ibi.*

M

Magister. Magisterium.

MAGISTRI nomenclatura, vox, potestas, & dignitas, *l. 1. à num. 307. & à n. 366.*

Magiſterij Gradus. Vide *Gradus*. Ad quæ munera, ac Officia hic Gradus requiratur? *l.1.à n.305*. An excommunicatus poſſit eũ ſuſcipere? *l.2.à n.403*.

Magiſter vt quis ſit, non eſt neceſſum, vt actu doceat, *l.1.n.308*. Quam præcedentiam in ſedendo habeant Magiſtri inter ſe, & cum Doctoribus, ac Licentiatis? *ibi à n.310*. Vide *Profeſſor*, *Doctor*, *Priuilegium*, *Studioſus*.

Magiſter qualis eſſe debeat? *l.1.n.385*. Magiſterij Gradum poſſunt ſuſcipere Religioſi Societatis IESV iuxta eius Inſtituta, & Regulas, *l.1.à n.388*. Eum ſuſceperunt in Academia Pariſiẽſi S. Ignatius de Loyola, & S. Franciſcus Xauerius, *ibi n.393*.

Magiſtri quantum temporis intereſſe debeant in Actibus publicis Academiæ, vt licitè diſtributionem adquirant? *l.2.à n.278*. Si non aſſiſtant tempore debito, reſtituere tenentur, *ibi*.

Magiſtri vocati ad Conſeſſum, an peccent, ſi non aſſiſtant? *l.2.à n.285*. An ſi ſub aliqua pœna pecuniaria, aut præſtiti iuramenti, vel excommunicationis, eam contrahant, ſi non aſſiſtant? *ibi à n.289*.

Magiſtri Religioſi, ſi à ſuo Prælato amoueantur à loco Academiæ, an poſſint detineri, aut reuocari à Magiſtratu, vel à Conſeſſu Academico? *l.2.à n.330*. An teneantur petere licentiam à Prælato, quoties domo exeunt ad Actus Academiæ? *l.2.à numero 410*.

Magiſtri Religioſi an valeant cum Senatu Academico aſſiſtere ſpectaculo agitationis Taurorum? *l.2.à n.305*. Vide *Religioſus*. Magiſtri quibus Inſignibus ornati ſint ſepeliendi? *l.2.à n.430*.

Magiſter Scholæ Salmantinus.

Magiſter Scholæ Salmantinus eſt Cancellarius Academiæ, *l.1.à n.165*. Eius poteſtas, *ibi*. Eſt Iudex Conſeruator, *ibi num.170*. Tenetur præſtare iuramentum de obediendo Rectori, *l.1.n.150*. Eius præſentatio pertinet ad Hiſpaniarum Reges, *ibi num.159*.

Magiſter Scholæ habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & ſæcularem, *l.1.à n.219*. Poteſt in laicos proferre cenſuras, *ibi à n.263*.

Magiſter Scholæ debet eſſe Doctor, ab Academia, non à Principe, inſignitus Gradu, *l.1.n.382*.

Magiſter Scholæ poteſt cognoſcere de cauſis Studioſorum Clericorum diœceſis Salmantinæ, *l.1.n.479*. Sed in his datur locus præuentioni inter ipſum, & Epiſcopũ Salmantinum, *ibi*. Ad quid extẽ datur eius iuriſdictio, quatenus eſt Iudex Conſeruator? *l.1.à n.516*. An ſit alius præter ipſum Conſeruator Academiæ? *ibi*.

Magiſter Scholæ habet iuriſdictionem priuatiuam, *l.1.n.533*. Si recuſetur à litigantibus, ante quem ſit probãda cauſa recuſationis? *ibi n.554*. In quibus irregularitatibus poſſit diſpenſare? *l.1.numer.165*. A quibus cenſuris abſoluere? *ibi*.

Magiſter Scholæ in collatione Graduũ præcedit Rectorem, ſecùs in alijs Actibus, *l.1.à n.657*. Poſt Rectorem primam ſedẽ tenet, *ibi*. Non cõcurrunt ſimul in aliquibus Actibus, *ibi*. Immediatè ſubijcitur Põtifici, *ibi n.266*.

Magiſtrum Scholæ ingredientem ad Actum litterarium ſi non ſalutet Candidatus, puniri poteſt, *l.1.à n.661*.

Magiſter Scholæ poteſt Academicos ob delicta expungere á matricula, *l.1.numer.683*. Nequit approbare ſubditos Sacerdotes ad Confeſſiones audiendas, *lib.2 numer.68*.

Magiſter Scholæ debet eſſe Regnigena, *l.2.n.201*. Vide *Regnigena*.

Magiſtri Scholæ nomenclatura, & dignitas, necnon & Scholaſtici, prout idẽ ſonat, ac Scholæ Magiſter, *l.2.à n.202*.

Magiſter Scholæ Salmantinus, quatenùs Pontificia iuriſdictione gaudet, poteſt ius dicere in toto orbe, *l.1.n.190*. Quatenùs gaudet Regia, poteſt intra fines Hiſpaniarum, *ibi*. Quatenus eſt Iudex Conſeruator, poteſt intra diætas, *ibi n.192*. Nequit mutare ſedem Tribunalis ab Vrbe Salmãtina, *ibi n.191*.

Magiſter Scholę an poſſit reuocare, aut detinere Magiſtrum, aut Profeſſorem Regularem, qui à ſuo Prælato amouetur à loco Academiæ? *l.2.à n.330*.

Magiſtri Scholæ iuriſdictio circa omnes ſubditos, etiam Regulares, exponitur, *l.2.à n.335.* & *l.3.n.25*. Quã iuriſdictionẽ exercere in Religioſos Militarium Ordinum valeat? *l.1.n.173.* & *n.486*. Ad quem ab illo appelletur? *ibi n.266.* & *557*.

Magiſter Scholæ habet Salmanticæ domicilium propriè, *l.3.n.476*. Vide *Magiſtratus Academiæ*. Cauſæ Togatorum an ad illum ſpectent? *l.1.n.172*.

Magiſtratus Academiæ.

Magiſtratus Academiarum an habeant iuriſdictionem Eccleſiaſticam, vel ſecularem? *l.1.n.219*. Quomodo valeant proferre cenſuras in laicos? *ibi à n.263*.

Ma-

Magiſtratus Academiarum habent merum Imperium, *l. 1. à n. 461.* An habeant ex vi Authenticę *Habita. Cod. Neſilius noſo patre, &c.* ibi *n. 463.* Si ſint Eccleſiaſtici, debet executio meri Imperij cõmitti Iudici ſæculari, *ibi n. 470.*

Magiſtratus debent leniter ſe habere cũ Scholaribus delinquentibus, *l. 1. n. 476. & à n. 508.* Poſſunt exercere iuriſdictionem in Studioſos Clericos, etiam ſi adſit Epiſcopus, & in quibus caſibus? *l. 1. à n. 477.* Inter Magiſtratum Salmantinum, & Epiſcopum datur locus præuentioni, *ibi n. 479*

Magiſtratus Academiæ nequit relaxare vota ſubditorum, nec eos à reſeruatis à Iunde abſoluere, niſi ipſe reſeruauerit, *l. 3. n. 475. & n. 498*

Magiſtratus Academiarum ſunt Iudices Ordinarij, iuriſdictione ordinaria gaudentes, *l. 1. à n. 503.* Quibus obligationibus adſtringantur? *ibi à n. 505.* Habent priuatiuam iuriſdictionem, *ibi à n. 530.* Ad quos appelletur ab eorum ſententia? *ibi à n. 557.*

Magiſtratus Academiæ poteſt à litigãtibus recuſari, *l. 1. à n. 550.* Coram quo ſit probanda recuſationis cauſa? *ibi à n. 551.*

Magiſtratus Academicos quis poſſit inhibere? *l. 1. à n. 685.*

Magiſtratus nequeunt approbare ſubditos ad Confeſſiones audiendas, *l. 2. n. 68.*

Magiſtratus Academiarum gaudent priuilegio ſui fori, *l. 3. n. 35.* Nequeunt obligare ſubditos, vt diebus non Feſtis audiant Miſſam, & ab operibus ſeruilibus abſtineant, *ibi n. 268.*

Magiſtratus Academiæ Salmantinæ prohibiti ſunt ferre opem Ciuibus inter ſe diſcordibus, *l. 3. 504.*

Magiſtratus nequeunt mutare ſedem Tribunalis à loco Academiæ, *l. 1. n. 191.* Poſſunt ius dicere in toto Orbe, ſi Pontificia iuriſdictione gaudeant, *ibi n. 190.* Aliter poſſunt intra fines ſuæ iuriſdictionis, *ibi.* Si ſint Iudices Conſeruatores, poſſunt intra diætas, *ibi n. 192.* Nequeunt auocare Studioſos ad alium locum diuerſum à loco Academiæ, vt ius dicant, *l. 1. num. 191.* Excipiuntur aliqui caſus, *ibi.* Eorum aſſiſtentia ad Actus litterarios, *l. 2. à n. 281.*

Magiſtratus Academiæ an poſſit auocare, aut retinere Magiſtrum, vel Profeſſorem Religioſum, quem Prælatus Regularis amouet à loco Academiæ? *l. 2. à n. 330.*

Magiſtratus quam iuriſdictionem exercere valeant in Religioſos matriculæ Academiæ aſcriptos, & in Regulares Ordinum Militarium? *l. 1. n. 173. & n. 486.*

Magiſtratus perpetui Academiæ habent domicilium in loco Academiæ, *l. 3. n. 476.* Si ſint annui, habent quaſi domicilium, *ibi.*

Magiſtratus Academiarum poſſunt omnia ſupplicia proportionata culpis infligere, *l. 3. n. 481.* Nequeunt pœnam ſanguinis, ſi ſint Eccleſiaſtici, *ibi.* Ad quæ loca relegare poſſint ſubditos delinquentes, *ibi à n. 485.*

Magiſtratus non debent vt plurimùm infligere Studioſis pœnam, ex qua eis inuratur dedecus, *l. 3. n. 483.* Eorem aſſiſtentia ad Conſeſſus, *l. 2. n. 262.*

Maria Virgo. Vide *Conceptio.*

Margarita Auſtriaca Hiſpaniarum Regina.

Margaritæ Auſtriacæ encomium parẽ tale, *l. 1. à n. 218.* Fundatrix fuit Collegij Salmantini Societatis IESV, *ibi à n. 214.* Eius beneficia, & amor erga Societatem, *ibi.* Clauſula eius teſtamenti, *ibi n. 216.*

Martinus V. Pontifex.

Martini V. Conſtitutiones circa Academiam Salmantinam quãtum Religioſis faueãt? *b. 1. à n. 206.* Plura circa eas exponuntur, *ibi.* Opinioni piæ de Immaculata Virginis Conceptione maximè fauit, *A. à n. 31.*

Matricula, ſeu albus Academiæ.

Matriculæ dum Studioſi inſcribuntur, exiguam aliquam ſummam ſoluunt, quæ non eſt collecta, ſed ſtipendium Rectoris, aut Officialium, *l. 1. n. 639.*

A matricula poſſunt Academici expungi ob delicta, *l. 1. n. 683.* Quis poſſit hanc pœnam infligere? *ibi.*

Matriculę inſcriptio neceſſaria eſt, vt quis gaudeat foro, & priuilegijs Academiæ, *l. 3. n. 54.* Quoad hoc, niſi in aliquo caſu, nequit ſuppleri defectus matriculæ ab Academia, vt quis eis gaudeat, & non inſcribatur in ea, *ibi.* Vide *Scholaſticus, Studioſus, Curſus Litterarius, Gradus.*

Matrimonium.

Matrimonium vt validè contrahatur, non eſt neceſſarius conſenſus parentum, *l. 3. n. 363.* Moraliter peccant filij, qui parẽtes non conſulunt de matrimonio, niſi in caſibus ſpecialibus, *ibi.* Si negetur à parentibus licentia ad nuptias, an peccent filij, eas incundo? *ibi.*

Matrimonio quis Parochus aſſiſtere debeat? *l. 3. à n. 565.* Vide *Denuntiationes. Parochus.*

Matrimonij vis exponitur in locis, vbi non eſt receptum Tridentinum, *l.3,à numer.392.*

Matrimonium clandeſtinum fuit prohibitum, ſed non irritum ante Tridentinū, *l.3.n.373*, Inualidum eſt, vbi Tridentinum eſt receptum, ſecus alibi, *ibi n.394.* Validè illud contrahit quis in loco, in quo non eſt receptum Tridentinum, quamuis in territorio ipſius ſit receptum, *ibi n.376.* Poteſt pergere à loco, in quo Tridētinum eſt receptum, ad locum, in quo non eſt receptū, vt ibi clandeſtinè contrahat matrimoniū, *ibi n.377*

Medicina, Medicus.

Medicinæ Studioſi quas lectiones audire debeant in Academia Salmantina, & alibi, vt Curſus litterarios probent? *l. 3. n. 163, & 166.* Quid præſtare debeant ante ſuſceptionem Gradus? *ibi.*

Medicinæ ſtudere an poſſit Religioſus? *l.2.à n.355*, An Cathedrā Medicinæ moderari, eamque artem exercere? *ibi.* Poteſt attento iure communi, *ibi n.357.* Et Gradum Doctoris in ea ſuſcipere, *ibi 379.* Nō poteſt, attentis Conſtitutionibus Sacrorū Ordinum, *ibi n.361.* Si, dimiſſo habitu, audiat Medicinam, ipſe, & Magiſtri eum retinentes, in excommunicationem incidūt *ibi n.356.*

Miles.

Militibus veteranis comparantur Hoſpites Togati Collegiorum, *l.2. à n. 242.* Prohibebantur tela in vſum vomeris conuertere, *ibi n.243*

Militares Ordines.

Militarium Ordinum Religioſi quam quantitatem poſſint exponere ludo? *l.3.n. 211.* Idem exponitur de Equitibus Commendatarijs, ſi ſint filijfamilias, circa reditus Commendarum, *ibi n.210.* Hi reditus ſunt bona caſtrēſia, *l.3,n,437*, Poſſunt de illis teſtari etiam filij familias, *ibi*; Militarium Priorum iuriſdictio, *l.1,n.484*,

Militarium Ordinum quatuor ſunt illuſtria Collegia Salmanticæ *l.1, n, 202*

Militarium Ordinum Religioſi, indepē denter à tolerantia, nequeunt aſſiſtere ſpectaculo agitationis Taurorum, *l. 2. à n. 326.*

Militarium Ordinum Regulares quomodo, & in quibus ſubiaceant Magiſtro Scholæ Salmantino, aut alijs Magiſtratibus Academicis? *l.1.n.173. & 486.*

Militares Ordines Diui Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ pijſſimo ſe obſtrinxerunt iuramento defendendi Immaculatā Conceptionem Deiparæ, *à n.121.*

Militaris Ordo Conceptionis Deiparæ fundatus fuit ab Vrbano VIII. *à n.41.*

Miſſa.

Miſſam integram, ſaltem ab Euangelio vſque ad finem, qui nequit audire, non tenetur ad partē, et ſi poſſit audire, *l.2.n.73.*

Miſſam quando non teneantur audire Profeſſores ſcientiarum? *l.2.à n.72.* Quādo Scholaſtici non teneantur? *l.3.à n.271*

Miſſa dum auditur, poteſt recitari Officium diuinum, ſatisfaciendo vtrique præcepto, *l.2.à n.72.* Quæ attentio requiratur, vt ſatisfiat præcepto audiendi Miſſam? *ibi n.75.*

Miſſam audiens, in qua non recitatur Paſſio Domini, in Dominica Palmarum, ſatisfacit præcepto, *ibi n.76.* Item ſatisfacit, qui eam audit idiomate Græco, aut alio, *ibi.* Et qui audit Miſſam, quam *Mozarabe* dicunt, *ibi.*

Miſſæ præcepto an ſatisfaciat, qui eam audit poſt Euangelij finem? *l.2.n.77.* Satisfacit, qui ex prauo fine eam audit, eſto contra aliam virtutem peccet, *ibi n.78.*

Miſſam audire an teneatur, qui exit à loco, vbi obſeruatur Feſtum, & accedit ad locum, in quo non obſeruatur? *l.3.n. 263.*

Miſſam audire non tenentur Studioſi in diebus Feſtis inſtitutis ab Academia, quæ ab Eccleſia non obſeruantur, *l.3.à n.264.* Nec Senatores in diebus, quibus vacant à Tribunali, ſi non colantur ab Eccleſia, *ibi n.266.*

Miſſam an quis audire teneatur tempore interdicti, ſi ſit aliqua Eccleſia non interdicta? *l.3.à n.545.* Idem exponitur de tē pore ceſſationis à diuinis, *ibi n.555.* Eam audire tenetur tempore interdicti, qui habet Bullam Cruciatæ, *ibi n.550.*

Miſſam vt quis audiat tempore ceſſationis à diuinis, non tenetur adire Eccleſiam, in qua ex priuilegio, ianuis clauſis, celebratur, vt admittatur ad miniſtrandum ei, *l.3.n.556.*

Monaſterium.

Monaſteria Salmantina, vt gaudeant priuilegijs, & foro Academię, debent in illa incorporari, & maior pars Communitatis matriculę adſcribi, *l.1.n.193.* Etiam ſi de nouo fundentur Monaſteria, ſeu Collegia, ſi incorporentur, gaudebunt priuilegijs, & foro Academiæ, *ibi n.208.*

Monaſterium Sancti Stephani Salmantinum Ordinis Prędicatorum commendatur, *l.1.n.204.*

Mozarabe Officium.

Mozarabe Officium Ecclesiasticum fuit miraculo approbatum, *A.n.83.* Satisfacit præcepto audiendi Missam, qui Missam *Mozarabe* dictam audit, *l.2.n.76.*

Mullio Studiosorum. Vide *Clitellarius.*

Musica.

Musica commendatur, *l.3.à n.526.* Ea decet Scholasticos ad recreationem, *ibi.*

N

Notarius.

NOTARII Academiarum ad quid teneantur circa stipendia, quæ reportant? *l.1.à n.513.*

Nouitius. Vide *Regulares.*

Nuntius Apostolicus.

Nuntius Apostolicus potest ad se auocare causas Studiosorum Clericorum, *l.1.à 685.* Quid requiratur, vt eas auocet? *ibi.* An possit omnes causas auocare? *ibi n.688*

Nuntij Studiosorum.

Nuntij Studiosorum an gaudeant priuilegio fori Academici? *l.3.n.30.* An alijs priuilegijs? *l.1.n.354*

O

Officiales Academiæ.

OFFICIALES Academici Tribunalis, quibus obligationibus obstringantur? *l.1.à n.505.* Domicilium habent in loco Academiæ, *l.3.n.478.*

Officium Canonicum. Vide *Horæ Canonicæ.*

Oppositores, seu Candidati.

Oppositores extemporaneè legentes, si ingredientem Rectorem, aut Magistrum Scholæ non salutent, possunt puniri, *l.1.à num.661.*

Oppositores ad Cathedram alicuius Doctoris, vt Diui Thomæ, aut Scoti, si in Recitatione extemporanea non legãt eorum doctrinam, incapaces sunt Cathedræ obtinendæ, *l.2.n.21.*

Oppositores an sint habiles ad Cathedram, vel Canonicatum obtinendum, si post subscriptionem susceperunt Gradum litterarium omnino necessarium? *l.2.à n.46.* An, si susceperunt post lectionem extẽporaneam? *ibi.*

Ex Oppositoribus quis sit censendus præ cæteris benemeritus ad Cathedram obtinendam? *l.2.à n.51.* Si vnicus sit Candidatus, quomodo sit censendus dignus? *ibi.* Fiunt variæ comparationes in diuersis qualitatibus, & meritis Candidatorum, *ibi n.55.*

Pro Oppositore minùs digno ferens suffragium, aut informans, peccat mortaliter, *l.2.n.65.* Et restituere tenetur, *ibi.* Idẽ dicito de eo, qui fauorem, aut consilium, vel causalitatem moralem præstat, *ibi numero 66.*

Oppositorem exaggerare merita sua, addendo aliquid, quod non sit causa motiua Cathedræ ei impertiendæ, non est peccatum mortale, *l.2.n.65.*

Oppositores eo die, quo parantur ad lectionem extemporaneam, & eo, in quo legunt, non tenẽtur ieiunare, si sint dies ieiunij, *l.2.n.82.*

Oppositores, qui non expleuerunt horã in lectione extemporanea, aut in Concione, an sint habiles ad Cathedram, aut Canonicatum obtinendum? *l.2.à n.121.* Quid, si ob aliquam causam non legerint, vel nõ fuerint concionati? *ibi.*

Oppositoris, seu Candidati nomenclatura, *l.2.à n.134.* Candidatorum plura genera exponuntur, *ibi.* Conditiones requisitæ explicantur, vt opponantur ad Cathedras, vel ad Collegia, *ibi n.138.* Gradus litterarius, qui est necessarius, *ibi.* Anni, quibus Studia recoluerint, *ibi n.139.* Ætas, quam debent habere, *ibi n.142.* Scientia in eis requisita, *ibi n.143.* Tempus, & modus, *ibi à n.144.*

Oppositores Collegiorum, si supponãt falsò aliquod requisitum necessarium ad ingressum, posteà nihil tenentur restituere, *l.2.n.224.*

Oppositores, qui iniustè obtinẽt Cathedram, aut Beneficium Ecclesiasticum, cui debeant restituere? *l.2.n.260.* An teneatur restituere, vel peccet, qui conficit lectionem, aut Concionem recitandam extemporaneè à Candidato? *ibi n.261.* An, qui designat ei per fraudem pũcta præmeditata? *ibi à n.264.*

Oppositores, qui nati non sunt in loco Academiæ, an habeant in illo domicilium, vel quasi domicilium? *l.3.n.457.* Vide *Cathedra, Salmanticensia Collegia.*

Opus bonum.

Operum pietatis executionem impedire illicitis medijs, aliquando est peccatum mortale, aliquando veniale, *l.3.à n.452.* Si impediatur in contemptum, semper est mortale, *ibi n.453.*

Ordines Militares.

Vide *Militares Ordines.*

Ordines Religiosi. Vide *Religio.*

Origo. Oriundus.

Origo in natalibus, à quo sumatur? *l.2. num.*

num.190. Origo in patria exponitur, *ibi à n.593.* Vide *Regnigena.*

Oſcenſis Academia.

Oſcenſis Academia in Regno Aragoniæ antiquiſſima, *l.1.n.99.* In ea cepit addiſci lingua Latina in Hiſpania, *ibi.* Ex ea lingua Latina, quæ erat Romana, dicta eſt *Romance* lingua Hiſpaniç, *ibi.* In hac Academia, traditur, Pontium Pilatũ ſtuduiſſe, *ibi n.101.*

Otium.

Otium fugiendum ab Scholaſticis, *l.3. n.579.* Eſt hoſtis caſtitatis, *ibi.*

Oua, & Lacticinia.

Oua, & Lacticinia prohibita ſunt diebus Quadrageſimalibus, *l.3.n.558.* Dominicæ Quadrageſimæ non ſunt dies Quadrageſimales in ordine ad hanc prohibitionem, *ibi.*

Ouis, & lacticinijs veſci quinam poſſint virtute Bullæ Cruciatę? *l.3.num.559.* Quinam poſſint abſque priuilegio? *ibi numero 560.*

P

Papyrus ſignata.

PAPIRO ſignata, vulgò *papel ſellado*, an vtendum ſit in Tribunalibus Academiarum? *l.1.à n.488.*

Parochus.

Parochus quis debeat aſſiſtere matrimonio? *l.3.n.365.* Si habeat quis duplicem Parochiam, an ſufficiat ad matrimonium ipſius quilibet ex Parochis? *l.3.n.266.*

Parochus quis poſſit aſſiſtere matrimonijs vagorum? *l.3.n.371.* Et Scholarium? *ibi n.456.*

Parochus non tenetur in pauperes erogare, quæ lucratur ratione alicuius miniſterij, *l.3.n.431.* Eius iuriſdictio erga quaſi domiciliarios, *ibi numer.46.*

Parochis quæ portio tribuenda ſit, cum Scholaſtici moriuntur, *l.3. num.592. & num.465.*

Patres Eccleſiæ.

Patres Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ ſtãt pro Immaculata Conceptione Deiparæ, *A.n.55. & à n.155.*

D. Paulus Apoſtolus.

D. Paulus nullibi contradicit Immaculatæ Conceptioni Virginis, *A.n.209.* Exponuntur eius teſtimonia, *ibi*

Peccatum.

Peccata dubia ſunt confirenda, *l.3. numer.328.* Exponitur axioma; *In dubijs melior eſt conditio poſſidentis*: ibi *à n.323.* Et aliud axioma, *In dubijs tutior pars eſt eligenda*; ibi *à n.325.*

Peculium.

Peculium caſtrenſe, & quaſi caſtrenſe explicantur, *l.3.à n.433.* Commendarum Equeſtrium redditus ſunt peculium caſtrẽ ſe; *ibi & n.437.* De hoc peculio caſtrenſi, & quaſi caſtrenſi poſſunt filij familias puberes teſtari, *ibi à n.433.* An poſſint exponere ludo hæc peculia? *l.3.à n.207*

Pilæ ludus.

Pilæ ludus eſt antiquiſſimus, licitus, decens, & vtilis, *l.3.n.528.* Decens eſt reſpectu Scholaſticorum, niſi in Sphæriſterijs, *ibi.*

Pœna.

Pœna præſtiti iuramenti de obediendo Rectori ad quid obliget Academicos, cum imponitur? *l.2.n.114. & l.3.n.77. & 81.*

Pœnę diuerſæ infligendæ ſunt, etiã pro eodem delicto, diuerſis perſonis, iuxta ſtatum, & ætatem earum, *l.3.n.479.*

Pœnę infliguntur arbitrio Iudicis, ſi nõ ſint deſignatæ, *l.3.n.479.*

Pœnę leuiores communiter infligendæ ſunt Scholaſticis pro delictis, *l.1.n.476. & à n.508.*

Pœnas inflictas an, & quas teneatur Reus ſuſtinere? *l.3.n.493.* Cum infligitur pœna priuationis Officiorum, intelligitur de Officijs, quæ continent Superioritatẽ, *ibi.*

Pœnam non tenetur quis ſubire ante Iudicis ſententiam, *l.3.n.494.* A pœna ſuſtinenda quæ ignorantia excuſet? *ibi à numero 495.*

Pœna relegationis exponitur, *l.3.à numero 487.*

Pœnæ, quæ poſſunt infligi à Magiſtratibus Academiæ, declarantur, *l.3.n.481.*

Poloniæ Academiæ.

Poloniæ Academiæ referuntur, *l.1.à numero 60.*

Pontifex Summus.

Pontifices quanto in honore habuerint Salmantinam Academiam? *l.1.n.127. & 139. & 207.*

Pontificum confirmatio circa Academias conducit ad plurimos fines, etiam ſi à Principe ſæculari erigantur, *l.1.n.248.*

Pontificia Bulla Eugeniana in fauorẽ Academiæ Salmantinæ expenditur, *l.2.à numero 266.*

Pontificum prohibitiones circa aſſiſtẽtiam Clericorum, & Regularium ad ſpectacula agitationis Vaurorũ, *l.2.à n.318.*

Pontificum prohibitiones circa hæreditatem, legata, & donationes cauſa mortis à Clericis relinquendas filijs ſpurijs, *l.3.à n.573.*

Pon-

Pontificũ authoritas, teſtimonia, & approbationes ſpectãtes ad Opinionem piã de Immaculata Conceptione Deiparæ; *A. à n. 31. & à n. 42.* Referuntur Pontifices pro hac Opinione; *ibi.*

Pontifex Vrbanus VIII. inſtituit Religionem Militarem in honorem Conceptionis Deiparæ; *A. n. 41.*

Pontifex nullus contradixit Opinioni piæ; *A. à n. 197.* Põtifex proximè poteſt definire veritatem myſterij Immaculatæ Cõceptionis; *ibi à n. 214.*

Præbendæ. Vide *Canonicatus.*

Prædicatorum Ordo Sacer.

Prædicatorum Sacri Ordinis Cœnobium Salmantinum commendatur, *l. 1. n. 204.* E Sacro hoc Ordine plurimi ſteterunt pro Immaculata Conceptione Virginis; *A. à n. 171.* S. Dominicus Ordinis Fũdator eam defendit; *ibi n. 172.*

Prælatus.

Prælatus Regularis poteſt obligare præcepto ſubditos ad quamlibet actionem honeſtam, dum ſit iuſta cauſa, *l. 3. n. 269.*

Prælatus Academiæ. Vide *Magiſtratus.*

Prælatus Regularis an poſſit Magiſtrũ ſubditũ amouere à loco Academiæ, quin ab ea impediri valeat? *l. 2. à n. 330.* Et an teneatur cauſam amotionis manifeſtare Academiæ, aut Magiſtratui? *ibi à n. 346.* An poſſit prohibere Magiſtrum, ne ſine licentia ſpeciali exeat domo ad Actus Academię? *l. 2. à n. 421.* An eam licẽtiam poſſit negare? *ibi n. 429.*

Præſcriptio.

Præſcribere, & vſucapere poſſunt Academię, & Collegia, ſicut aliæ perſonæ priuatæ, *l. 1. n. 593.* Quantum temporis requiratur ad præſcribenda ab alio bona Academiæ; *ibi à n. 594.*

Præſentatio, & præſentandi ius.

Præſentandi ius ad Eccleſias Hiſpanię pertinet ad Regem, *l. 1. à n. 159.* Præſentãdi etiam Magiſtrum Scholæ Salmantinũ; *ibi.*

Præſentandi ad Beneficia Eccleſiaſtica ius laicum, & Eccleſiaſticum exponitur; *l. 1. à n. 641.*

Poſt primam præſentationem an poſſit Academia, aut Collegium habẽs ius præſentandi variare? *l. 1. à n. 640.* An accumulatiuè, vel priuatiuè? *ibi n. 645.* An toties quoties? *ibi n. 646.*

Primicerius Academiæ.

Primicerij Academiæ Salmantinæ munus, *l. 1. n. 669.* Eius ſedes in Actibus Eccleſiaſticis, & in Conſeſſibus Primicerij; *ibi.*

Princeps.

Princeps habet ius fundandi Academias, *l. 1. à n. 230.* Item ius viſitandi eas; *ibi n. 246.* Item habet ius viſitandi Collegia ſæcularia; *ibi n. 252.*

Principes omnes obſeruãt, venerãtur, & definiri conantur myſterium Immaculatæ Conceptionis Deiparæ; *A. à n. 139.* Vide *Rex.*

Priores Militares.

Prior Sancti Ioannis de Barbalos Salmantinus, nec Prior Sanctæ Mariæ Magdalenæ, nec ſimiles, habent iuriſdictionem in Clericos Studioſos ſui territorij, *l. 1. n. 484.*

Priuilegiatus. Priuilegium.

Priuilegia conceſſa Doctoribus, Magiſtris, Licentiatis, Bacchalaureis, & Scholaſticis exponuntur, *l. 1. à n. 317.* Ad quas perſonas hæc priuilegia extendantur? *ibi à n. 338. & l. 3. à n. 26.*

Priuilegium nobilitatis conceſſum Doctoribus an competat Doctoribus in Medicina? *l. 1. n. 340.*

Priuilegium fori Academiæ latè exponitur, *l. 3. à n. 2.*

Priuilegia conceſſa Studioſis in *Authẽtica Habita, Cod. ne filius pro patre,* declarantur, *l. 3. à n. 2.*

Priuilegiatus litigans cum priuilegiato cuius forum ſequi debeat? *l. 3. n. 24.*

Priuilegio fori Studioſorum gaudent eorum vxores, *l. 3. à n. 26.* Et item viduæ; *l. 3. quæſt. 4.* An fideiuſſor Studioſi? *ibi.* An eius filij, *l. 3. n. 29.* An Nuntij, & familiares Studioſorum; *ibi num. 30.* An Typographi, Clitellarij, Bibliopolæ, & ſimiles? *ibi à n. 34.*

Priuilegia fori Eccleſiaſtici an gaudeat vxor Clerici Studioſi coniugati, qui eo foro gaudet? *l. 3. n. 27.*

Priuilegia conceſſa pijs cauſis, pauperibus, peregrinis, ciuibus, & præſentibus cõpetunt Studioſis, etiam cum ſunt abſentes, *l. 3. à n. 44.*

Priuilegio Canonis gaudent omnes Clerici, qui gaudent priuilegio fori, *lib. 3. num. 358.*

Procurator.

Procurator negotiorũ quid poſſit præſtare, ita vt teneat; *l. 1. à n. 472.* In quo diſtinguatur ab Actore, & Syndico? *ibi num. 576.* Quomodo ſe gerere debeat in libellis iudicialibus? *ibi n. 580.*

Profeſſores Scientiarum.

Profeſſores Iuris Ciuilis debent ſcire Ius Canonicum, & Leges Regni, earum

que notitiam discipulis præstare, *l. 1. num. 542. & 545.*

Professores Thdologiæ debent esse versati in Iure Canonico, *l. 1. n. 547.*

Professorum, qui docent scientias, munus, vtilitas, & obligationes, *l. 2. à num. 1.* Quantum debeant studio incumbere, & virtutem sectari? *ibi à n. 2.* Debēt esse præditi requisitis, quæ in vnaquaque Academia exiguntur; *ibi n. 5.*

Professores sponte edocentes possunt legere qua mlibet doctrinam, dum sana sit, *l. 2. à n. 7.* Qui determinati Doctoris Cathedras moderantur, tenentur in conscientia eius doctrinam legere; *ibi à n. 11.* Nec aliter possunt stipendium ex Cathedris reportare; *ibi n. 12.*

Professores an deobligentur à Recitatione Officij Canonici, vel ab auditione Missæ, quando publicos Actus litterarios exercent? *l. 2. à n. 72.* Quando deobligentur à ieiunio? *ibi à n. 81.* Non tenentur minuere studium ex eo, quod impediat eis ieiunium, *l. 2. n. 85.*

Professores possunt docere scientias verbo, & scripto, publicè, & priuatim, Festis diebus, lucri gratia, *lib. 2. à num. 90.* Mutuare Scholasticis, vt eorum lectiones audiant, non est vsura, *l. 2. n. 93.*

Professores in Academia Salmantina virtute Bullę Eugenianæ exeuntur à residentia in suis Beneficijs, & faciunt fructus suos, *l. 2. à n. 262.* Quantum temporis debeant legere, vt hoc priuilegio gaudeant? *ibi n. 274.* Quos Vicarios debeant designare, qui Beneficijs Curatis gaudēt? *ibi n. 273.* Ecclesiæ nequeūt resistere huic priuilegio, nisi speciale rescriptū habeant, *ibi à n. 267.*

Professores, qui moderātur Cathedras, quantum temporis debeant legere quotannis? *l. 2. à n. 293.* Qui vltro legunt, possunt, pro libito cessare, nisi se ad aliud obstrinxerint; *ibi n. 294.*

Professores moderantes Cathedras, si vno, vel alio die non legant, non tenentur restituere, esto possint mulctari, *l. 2. n. 294.* Tenentur, si pluribus diebus non legant; *ibi.* Quantum temporis sufficiat, si per se, aut per alium non legant, vt Cathedra priuentur? *ibi n. 295.* Vide *Doctor, Lector, Magister.*

Pudor.

Pudor maximè decet Scholasticos, *l. 3. num. 578.*

Pudorem quidquid minuit, ab Suāsiosis est fugiendum; *ibi.*

Q

Quadragesimales dies.

IN Quadragesimalibus diebus prohibētur oua, & lacticinia, *l. 3. num. 558.* Qui possint illis vesci virtute Bullæ Cruciatæ? *ibi n. 559.* Qui possint absque vllo priuilegio? *ibi n. 560.*

Quadragesimales dies, in quibus prohibentur oua, & lacticinia, non sunt Dominicæ Quadragesimæ, *l. 3. n. 558.* Studium ex se non est causa sufficiens ad edendum oua, & lacticinia diebus Quadragesimalibus absque alio priuilegio; *ibi à n. 561.*

R

Recitatio Officij Canonici.

Vide *Horæ Canonicæ.*

Recreatio.

REcreatio Scholarium debet esse moderata, *l. 3. à n. 522.* Qui ludi, ac recreationes eos deceant? Et quis corporis habitus? *ibi à n. 525.*

Rector Academiæ.

Rectoris Academiæ Salmantinæ præcedentia in sedendo in Actibus publicis, *lib. 1. numer. 657.* In collatione Graduum secundam sedem occupat post Magistrum Scholæ; *ibi.* In cæteris Actibus Episcopo Solmantino (& an cuiuis Episcopo?) cedit in Sede; *ibi n. 660.* Vide *Salmanticensis Academia.*

Rectorem ingredientem ad Actum litterarium debet salutare verbis Recitans, aliter puniri valet; *l. 1. à n. 661.*

Rector Academiæ Salmantinæ quam iurisdictionem habeat circa prouisionem Cathedrarum? *lib. 1. à numer. 679.* Potest Candidatos declarare inhabiles, & non admittere ad Oppositionem; *ibi numero 682.*

Rector in suis causis potest punire Academicos, & à matricula expungere, *l. 1. n. 683.* Ad quem sit appellandum ab eius sententia? *ibi n. 684.*

Rector Academiæ Salmantinæ in quibus subiaceat Magistro Scholæ? *l. 3. n. 35.* Gaudet priuilegio fori; *ibi.* Debet esse Regnicola, *l. 2. à n. 100.*

Rector Academiæ an possit relaxare iuramentum præstitum de obediendo ipsi? *lib. 3. à num. 89.* Si sit Scholaris, an possit probare Cursum litterarium, non assistendo lectionibus propter negotia Academiæ? *ibi n. 132.*

Re

Rector designans Oppositori puncta præmeditata an peccet? *l.2.à n.264.* Vide *Magistratus Academiæ.*

Rectores Collegiorum.

Rectores Collegiorum, si sint Iudices, possunt à litigãtibus recusari, *l.1.à n.550.*

Rectores Collegiorum ex se non habẽt iurisdictionem in subditos, *l.2.à n.213.* Habent potestatem œconomicam, & quasi paternam; *ibi.* Possunt eos cogere pœnis, vt seruent statuta, & cæremonias; *ibi n.214.* Si pœnæ non sufficiant, possunt eos priuare Collegio; *ibi.* Nec Rector Collegij Cõchensis Maioris Salmantini iurisdictione gaudet erga extraneos, si litigent contra eius subditos, *ibi à n.216.* Exponuntur priuilegia concessa in eius fauorem, ex quibus argui posset iurisdictio; *ibi.*

Recusatio.

Recusatio Iudicis quid sit, exponitur, *l.1. num.548.* Discrimen inter recusationem Iudicis Ecclesiastici, & sæcularis; *ibi num.549.*

Recusationis quæ causa sit necessaria? *l.1.n.549.* Qui iudices recusari possint, & qui non possint? *ibi à n.550.*

Recusationis causa à quo Iudice sit agnoscenda? *l.1.à n.551.* Quomodo probanda sit? *ibi.* A quo possit tolli? *ibi.* An, & apud quem recusari possint Examinatores ad Gradus in Academijs? *ibi n.556.*

Redditus.

Redditus ex Beneficijs Ecclesiasticis. Vide *Beneficium Ecclesiasticum.*

Redditus ex Commendis Ordinum Militarium. Vide *Commendæ.*

Regnigena.

Regnigena quis dicẽdus sit? *l.2.à n.197*

Regnigenæ sunt filij nati extra Hispaniam ab aliquo Hispano occupato in obsequio Regis; *ibi n.198.* Etiam qui in transitu per alia Regna nascuntur, aut generantur; *ibi.*

Regnigenæ priuilegio obtento à Rege, debet in Regno quis habitare, vt eo gaudeat, nisi extra illud Regis obsequio sit addictus; *ibi n.199.*

Regnigena debet esse Rector Academiæ Salmantinæ, *l.2.à n.200.* Sat est, si ex Regis priuilegio sit Regnigena; *ibi.*

Regularis, seu Religiosus, & Religiones Sacræ.

Religiosi, & eorũ Cœnobia, ac Domus quomodo subiaceant Magistratibus Academiarum, & Magistro Scholæ Salmantinæ? *l.1.n.173. & 486.*

Religiosi Societatis IESV. Vide *Societas IESV.*

Religiosi quando possint esse Iudices? *l.1. num.459.*

Regulares virtute suorum priuilegiorum possunt absoluere toties quoties ab excommunicatione generaliter lata à Magistratu Academiæ, ipsique reseruata, *l.3. num.392.* An possint absoluere à censura particulari ab homine? *ibi n.395.*

Religionem ingredientes, si sint filij familias, quomodo, & de quibus bonis disponere valeant? *l.3.n.439.*

Religiosi an possint assistere spectaculo agitationis Tauorum? *l.2.à num.305.* Quid, si sint Magistri, an cum Senatu Academico interesse queant? *ibi.* Quid de Conuersis? *ibi numer.328.* Quid de Nouitijs? *ibi num.328.*

Regularis Magister, aut Moderator Cathedræ, si à suo Prælato Regulari reuocetur à loco Academiæ, an possit detineri, vel auocari per Magistratum, aut Consessum Academicum? *lib.2.à numer.330.* An egeat licentia sui Prælati, quoties exit domo ad Actus Academiæ? *lib.2.à num.460.* Quid de Magistris Sacri Ordinis Carmelitani? *ibi à n.419.*

Religiosus Magister in Academia plùs subiacet suo Prælato Regulari, quã Magistratui Academico, *l.2.n.343.*

Religiosus an possit publicè incumbere studio Medicinæ, & Chirurgiæ? *lib.2.à numero 355.* An harum Artium Cathedras moderari? *ibi.* An eas Artes exercere? *ibi.*

Regulares Ordinum Militarium. Vide *Militares Ordines.*

Religiosus, attento Iure communi, potest Gradum Doctoris in Medicina suscipere, *l.2.num.379.* Si dimisso habitu, audiat Medicinam, ipse, & Magistri cum retinentes incidunt in excommunicationem; *ibi n.356.* Attento Iure communi, posset docere Medicinam, & Cathedras moderari, non autem, attentis Constitutionibus Religionum; *ibi à n.357.* Expedire potest, aliquando Religiosum docere Medicinam; *ibi n.362.* Exercere eam nequit nisi erga pauperes, & cognatos, non accepto stipendio, & de licentia Prælati; *l.2. numer.366.* Societati IESV concessum est priuilegium, vt eius Religiosi scientes Medicinam possint eam exercere de licentia Superioris, vbi alij Medici nõ sunt; *ibi n.367.*

Religiosi nequeunt addiscere publicè Ius Ciuile, *lib.2.à n.370.* Possunt attento

Iure communi, illud docere, & Cathedras moderari, non verò attentis Constitutionibus Religionum, *l.2.à n.377.*

Religiosi possunt Gradum Doctoris in Iure Ciuili suscipere, & quomodo? *l.2. num.379.*

Religiosos ministerio docendi incumbere, est vtilissimum, & eorum statui consentaneum, *l.2.n.389.*

Religiosi possunt docere Ius Canonicum, & Cathedras moderari, nisi in Religione prohibeatur, *l.2.à numero 387.* Et Gradum Doctorum in eo Iure suscipere; *ibi.*

Regulares Magistri, & Lectores, quomodo, & quando sint à Choro exempti? *l.2. num.390.* An sint exempti à Choro, qui libros parant in lucem publicam, & qui diri mendis casibus conscientiæ sunt deputati? *ibi.*

Regularibus Magistris, & Lectoribus concedi exemptiones non immoderatas, expedit, *l.2.n.392.* Martini V. Constitutio in fauorem Regularium aduenientiũ Salmanticam, *l.1.n.267.*

Religiosi, qui ad Academias Studij causa de licẽtia Prælati eunt, an hoc ipso Gradus suscipere valeant? *l.2.n.393.*

Religionem ingredi volentem impedire medijs illicitis, peccatum mortale est, *l.3.à n.441.* Ad quid teneatur, qui impediuit? *ibi 1 n.450.*

Religionem potest quis ingredi absque consensu parentum, *l.3.n.441.* Sollicitè à Prælato Religionis, vel de eius mandato, examinanda est vocatio desiderantis ingressum, & simul aliæ circunstantiæ inspiciendæ; *ibi.448.* Aliquando par est, vt ante ingressum admoneantur de eo parentes; *ibi n.449.*

Regulares, qui priuantur Officijs per sententiam, solùm Officia continentia Superioritatem nequeunt habere, sic verò cæteta, *l.3.n.403.*

Religiones Sacræ totis animis defendunt Opinionẽ piam de Immaculata Cõceptione Virginis. Nempè;

Religio S. Benedicti, *A.n.122.*
Religio S. Bernardi, *A.n.123.*
Religio Carthusiensium, *A.n.124.*
E Religione Prædicatorum plurimi, *A.à numero 171.*
Religio Cœlestinorum, *A.n.125.*
Religio S. Francisci in primis, *A.n.134.*
Religio Præmonstratensium, *A.n.126.*
Religio S. Augustini, *A.n.127.*
Religio Carmelitarum, *A.n.128.*
Religio Sanctissimæ Trinitatis, *Append. numer.129.*
Religio Beatæ Mariæ de Mercede, *App. numero 130.*
Religio S. Hieronymi, *A.n.131.*
Religio S. Francisci de Paula, *A.n.132.*
Religio Clericorum Minorum, *A.n.133.*
Religio Societatis Iesu, *A.à n.135.*

Religiones Militares D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ iuramento se obstrinxerunt defendendi Immaculatam Conceptionem Virginis, *A.n.121.* Martini V. Constitutio in fauorem Religiosorum Cœnobiorum Salmanticæ, *l.1.n.208.*

Relectio.

Relectionem qui conficit alteri Candidato ad Cathedram, aut quid simile, an peccet? *l.2.à n.261.* An teneatur ad restitutionem, si ille obtineat? *ibi.* Vtrùm peccet, qui ad relectionem extemporaneam puncta præmeditata designat? *ibi à numero 264.*

Relegatio, Relegatus.

Relegatus à Curia Scholaris, aut à patria, vel alio loco, non intelligitur relegatus à loco Academiæ *l.3.à n.473.* Nec relegatus à loco Academiæ censetur relegatus à sua patria; *ibi à n.474.*

Relegatio inflicta à Magistratu Academiæ quo possit extendi, *libr.3. à numero 487.* Relegatus per illum à Curia, non relegatur à Curia Romana; *ibi à numero 490.*

Relegatus à quolibet loco in rigore relegatus est à Curia Regis, & à locis, in quibus est sigillum Regium. *lib. 3. n.409.*

Reseruati casus. Vide *Absolutio.*

& Bulla Cruciatæ.

Residentia.

Residentiam quæ Beneficia requirant? *l.3.n.215.* Causæ à residentia excusantes; *ibi. numer.216.* Quod tempus præstetur à Iure, vt studijs incumbant habentes Beneficia, quin resideant? *ibi numer. 218.* Quid de habentibus Beneficia Curata? *ibi.*

Residere non tenentur, qui in Salmantina Academia student, aut legunt, virtute Bullæ Eugenianæ, *l.3.n.220.* Designandus est substitutus ad Beneficia; & quæ alimenta ex fructibus sint ei concedenda? *ibi n.221.* An à non residente ex iusta causa percipiantur distributiones quotidianæ? *ibi num.222.*

Restitutio.

Restitutionis in integrum beneficio gaudent Academiæ, *l.1.à n.647.*

Restituere an, & quo modo teneantur, qui sunt causa, vt minùs dignus obtineat Cathedram? *l.3.n.103.*

Restitutio ratione ludi. Vide *Ludus.*

Restitui debet damnum consurgens ex homicidio, aut mutilatione; & quantum, ac quomodo? *l.3.à n.312.* An ante sententiam Iudicis? *ibi n.313.* An pro deformitate cicatricis, aut membri deperditi compensatio? *ibi;* Quibus pœnis damnum sit compensandum, si obierit is, cui illatum est? *ibi n.314.*

Restituere non tenetur, qui non cooperatur ad furtum, etiam si potens non impediat, dum ad id ex officio non teneatur, *l.3.n.406.*

Restituere an teneatur, qui videns furtum, accipit pecuniam, vt taceat? *l.3. numero 409.*

Restituere in communi quinam teneantur? *l.3.n.410.*

Restituere non tenetur Scholaris, qui non impedit famulum, vt damnum infligat, *l.3.n.411.*

Restitui non debent donatiua præstita ab Scholasticis titulo tyrocinij, si omnino voluntariè præstentur, & non excedant quantitatem, quæ à filijsfamilias potest tribui, *l.3.n.413.* Restitui debent, si extorqueantur per vim, aut metum iniustum, *ibi n.314.* Quis sit metus iniustus? *ibi.* Metus iniustus etiam leuis annullat hanc donationem, *ibi n.418.* Quæ excusatio possit dari à restituendis his donatiuis iniustè perceptis? *ibi à n.419.*

Restituere quid teneantur ex acceptis fœminę impudicę? *l.3.à n.424.*

Restituere tenetur is, qui impedit alteri bonum, quod ei ex iustitia debetur, *l.2. num.221.*

Restitutio tatione Beneficij, aut Cathedræ iniustè obtentæ cui sit facienda? *l.2.n. 260.*

Restituere an teneatur, qui conficit lectionem, aut Concionem alteri recitaturo extemporaneè? *l.2.à n.281.*

Restituere nihil tenetur, qui illicitè impedit alicuius ingressum in Religionem, esto mortaliter peccet, *l.3.n.441.& 450.*

Restituere nihil tenetur Togatus, cui tempore ingressus in Collegium defuit aliquod requisitum, quod ipse falsò supposuit, *l.2.à n.224.* Vide *Togatus.*

Reuelatio.

Reuelationes fide dignæ stant pro veritate Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, *A.à n.94.*

Reuelationes B. Brigittæ commendãtur. *A.n.103.* Stant pro Immaculata Virginis Conceptione; *ibi n.101.*

Reus.

Reus non *Studiosus* comprehensus in delicto à Iudice Academiæ debet ad proprium Iudicem remitti, *l.3.n.11.* Si vnus Reus sit *Studiosus*, alter non *Studiosus*, & causa sit indiuidua, ad quem Iudicem pertineat cognitio? *ibi.*

Rei, & Actoris munus possunt gerere Academię, & Collegia per Procuratorẽ, *l.1.à n.572.* Et qua alia via? *ibi.*

Reus ciuilis ob debita grauatus, si ad Ecclesiam cõfugiat, gaudet immunitate, *l.3.n.333.*

Reo, qui ducitur ad mortem, obuiàm factus Rex liberat illum à supplicio, *l.3.n. 332.* Cardinalem obuiàm factum, si ei suũ pileum imponat, liberare à supplicio, dicunt aliqui; *ibi.* Vide *Diætæ, Forum, Immunitas.*

Rex.

Rex obuiàm factus Reo, qui ducitur ad mortem, liberat illũ à supplicio, *l.3.n.332.*

Regum Hispaniæ ius ad præsentandum Prælatos Ecclesiarum. Vide *Hispania.*

Rex an possit verbo creare Doctores? Vide *Princeps.*

Regum ius ad fundandas, & visitandas Academias, & Collegia, *l.1.n.230. & numero 246. & n.252.*

Regum Hispaniæ, Galliæ, & aliorum Principum cultus, & affectus erga mysterium Immalatæ Conceptionis Deiparæ; *A.à n.139.* Is cultus maximè viget in nostro Hispaniarum Rege Philippo Quarto; *ibi §.10. & n.207.*

S

Salmanticensis Academia.

SAlmanticensis Academiæ elogium; *l.1.à n.126.* Eius fundatio, & confirmatio; *ibi à n.129.*

Salmanticensium Cathedrarum Professoribus, & Emeritis varia priuilegia à Regibus, & Pontificibus concessa, *l.1.n. 142.*

Salmanticensium Doctorum toga, *l.1. n.337.*

Salmanticensis Academiæ priuilegia, & immunitates, *l.1.à n.134.* Necnon Doctorum, & omnium Academicorum; *ibi.*

Salmanticensis Academiæ Cathedræ in omnibus Facultatibus, *l.1.à n.142.*

Salmanticensis Academia an sit Ecclesiastica, vel sæcularis? *l.1.à n.219.*

Salmanticenſis Academiæ gubernatio, Rector, Magiſter Scholę, Primicerius, Deputati, Conſiliarij, Protectores, *lib.1.à n. 149.*

Salmanticenſis Academia quanto in honore fuerit habita à Summis Pontificibus? *l.1.n.127.& 139.*

Salmanticenſis Academię poteſtas ad diſpenſandum in Statutis, *l.1.n.151.*

Salmanticenſis Academiæ ViceCancellarius. Vide *ViceCancellarius.*

Salmanticenſes Scholares. Vide *Scholaris.*

Salmanticenſis ſtudij Iudex. Vide *Iudex.*

Salmanticenſis Academiæ fructus nequeunt à Iudicibus Cruciatæ ſequeſtrari, *l.1.n.628.*

Salmãticenſi Academiæ applicatæ Tertiæ an ſint bona ſæcularia? *l.1.à n.622.* An ex eis debeatur ſubſidium? *ibi.*

Salmanticenſis Academiæ Rector debet eſſe Regnigena, ſaltem ex priuilegio; *l.2.à n.20.*

Salmanticenſis Academiæ ſtatuta circa lectiones audiendas ab Scholaribus in vnaquaque Facultate, *l.3.à n.156.*

Salmanticenſis Academia fœcũda ſemper fuit Virorum inſignių; *l.1.n.139.* Decoratur illuſtribus Collegijs, & Communitatibus Religioſis, *l.1.à n.194.*

Salmantinæ Academię fauor ex Bulla Eugeniana exponitur, *l.2.à n.266.* Eius priuilegia tempore interdicti, *l.3.n.557.*

Salmanticenſis Academiæ ſtatuta circa aſſiſtentiam Profeſſorum ad ſuas Cathedras, & pœnæ inflictæ his, qui huic aſſiſtentiæ deſunt, *l.2.à n.297.* Quid præſtare debeant, qui in hac Academia lectiones extraordinarias legunt? *ibi n.298.*

Salmanticenſis Academiæ priuilegia circa Magiſtros, & Studioſos Regulares, *l.2.n.332.*

Salmanticenſis Academia obſtricta eſt Iuramento defendendi Immaculatam Cõceptionẽ Virginis; *A.à n.117.* Quid peragatur in Salmantina Academia, cum Magiſter, aut Doctor è viuis decedit, *l.2.à n. 431.*

Salmanticenſia Collegia.

Salmanticenſia Collegia Togatorum recenſentur, *l.1.n.202.* Vt priuilegijs, & foro Academiæ gaudeant, debent ei incorporari, & maior pars Communitatis matriculæ adſcribi; *ibi n.193.*

Salmanticenſia quatuor illuſtria Collegia Maiora commendantur, *l.1.à n.194. & l.2.n.436.* Cur nuncupentur Maiora? *ibi*; Rigoroſæ ſanguinis informationes fiunt, vt quis in ea admittatur; *ibi.* Inter Actus poſit uos ad puritatẽ ſanguinis probandam annumerata eſt Toga Collegij Maioris; *ibi.*

Salmanticenſis Collegij Maioris D. Bartholomæi fundatio, *l.1.à n.196.* Fundatoris geſtum inſigne refertur; *ibi*

Salmanticenſis Collegij Maioris Conchenſis erectio, *l.1.n.198.*

Salmanticenſis Collegij Maioris Ouetenſis fundatio, *l.1.n.199.* Eius Fundator ſtrenuè contra Lutheri hæreſes decertauit; *ibi.*

Salmanticenſis Collegij Maioris Archiepiſcopi erectio, *l.1.n.200.* Fundatoris geſta præclara præſtringuntur; *ibi.*

Salmanticenſia Collegia ſubiacent iuriſdictioni Magiſtri Scholę, *l.1.n.171.* Quo modo hic eam debeat exercere erga Collegia Maiora? *ibi*

Salmanticenſia Collegia an ſint Eccleſiaſtica, vel ſæcularia? *l.1.à n.251.* Et quid de Collegio Maiori Ouetenſi, *l.n.255. & fol.443.à n.1.*

Collegia Salmãticenſia poſſunt ex Regio præſcripto viſitari, *l.1.n.252.* Vide *Collegia. Togatus, Hoſpes.*

Schola.

Scholæ vox vnde ſumpta ſit? *l.3.n.52.* Vide *Academia.*

Scholaris, ſeu Scholaſticus.

Scholaris, & Scholaſtici vox vnde fuerit deſumpta? *l.3.n.53.* Scholaſticorum tytonum nomenclatura; *ibi n.52.*

Scholaſtici debent amari, & iniuſtè ſolent odio haberi, *l.1.n.466.* Pro delictis leuiter cõuenit eos puniri, vt in plurimum; *ibi n.476. & à n.508.*

Scholarium Clericorum diœceſis Salmantinæ cauſæ pertinẽt vel ad Epiſcopũ, vel ad Magiſtrum Scholæ, dato loco præuentioni, *l.1.à n.479.* Et aliquæ cauſę eorum priuatiuè ſpectant ad Epiſcopum; *ibi.* Si hi comprehendantur in delicto à Iudice ſæculari, poterunt ab eo remitti, vel ad Epiſcopum, vel ad Magiſtrum Scholæ; *ibi num.480.*

Scholaſtici incumbentes ſtudio Iuris Ciuilis, debent etiam Iuri Canonico incumbere; & quare? *l.1.546.*

Scholaſtici immunes ſunt ab aliquibus gabellis. *l.1.n.634.*

Scholaſticorum priuilegia, & immunitates. Vide *Priuilegium. & l.3.à n.44.*

Scholaſticos quomodo, & ad quid obliget pœna præſtiti iuramenti de obediendo Rectori? *l.2.n.114. & à n.81.*

Scho-

Scholastici quàm digni sint commenda, tione, honore, & patrocinio, ac quãtis priuilegijs gaudeant? *l. 3. à n. 1.*

Scholastici gaudent priuilegio fori Academiæ, & in eo sunt conueniendi, *l. 3. n. 7.* Si sint Actores, quãdo, & in quibus causis trahant Reum ad suum forum? *lib. 3. à numero 9.*

Scholasticus an possit trahere ad suum forum causas inceptas ante studium? *l. 3. à n. 15.* Quid de Scholaribus in Academia Salmantina? *ibi n. 36.*

Scholasticus an, & quandiù gaudeat foro Academiæ, post finitos Cursus litterarios? *l. 3. à n. 17.* Idẽ quæritur tum de delictis, aut contractibus gestis tẽpore studij, tum postea, *ibi.*

Scholaris successor in bonis an possit trahere ad suum forum causas defuncti cæptas? *l. 3. à n. 19.* An, si succedat in officio, aut negotiatione, possit ad suum forũ causas antecedentes defuncti trahere? *ibi à n. 22.* An, si causa alterius sit indiuidua cum causa Scholastici, gaudeat ille foro Academiæ? *ibi n. 24.*

Scholasticus, si litiget cum alio priuilegiato, coram quo iudice agere debeat? *l. 3. numero 24.*

Scholasticorum obligationes in communi, *l. 3. a n. 69.* Debent eorum cordibus inhærere virtutis amor: modestia in verbis, & ornatu: pacis, & concordiæ affectus: vnio mutua, *ibi;* Ob diuersitatem Nationum locus non est dandus discordiæ, *ibi.* Obseruare tenentur Magistros, & Iudices, *ibi;* Omnino abstineant à donatiuis extorquendis, vulgò *Patentes*, & *Barbas; ibi.*

Scholasticus non peccat mortaliter, si non comitetur Rectorem die S. Martini, aut simili, quãuis imposita sit pœna præsti ti, *l. 3. n. 85.* Peccabit venialiter, si non detur causa excusans, *ibi n. 89.*

Scholasticus afferens Cursus litterarios falsos an licitè, & validè pro foro interno, & externo promoueatur ad Gradum Bachalaureatus? *l. 3, an. 93.* Quid, si ei defecerit schedula examinis, aut aliud requisitum? *ibi;* An, cũ his defectibus, habeat ad Cathedras ius suffragij in Academijs, vbi per suffragia obtineantur? *l. 3. a n. 100.* An, si suffragium ferat, teneatur restituere, & quid? *ibi a n. 103.*

Scholasticus iuridicè interrogatus, si habeat aliquem defectum in requisitis Academiæ, an sit periurus, si veritatem neget? *l. 3. n. 119.*

Scholastici quantum temporis debeant Scholas frequentare, vt Cursum litterarium licitè probent? *l. 3. n. 127.* Quot dies sint opus assistentiæ ad lectiones? *ibi n. 128.* An non assistentes lectionibus propter ægritudinem possint Cursum litterarium probare? *ibi n. 129.* Tempore ipso Cursus in diebus feriatis non tenentur in loco Academiæ assistere, *ibi n. 131.*

Scholasticus non audiens lectiones in Statutis designatas peccat mortaliter, dũ probat Cursum litterarium, quamuis audiat alias, quas sibi iudicat vtiliores: aut domi tunc studeat, *l. 3. à n. 133.* Si illas audiuerit bona fide, potest licitè Cursum probare, *ibi à n. 139.* Quæ sit bona fides? *ibi.* Quomodo testes possint tũc iurare verum? *ibi à n. 152.* Mala fide audiens lectiones nõ designatas in Statutis, animo probandi Cursum, est in statu peccati mortalis, dum animus perseuerat, *ibi n. 140.* Idem est de eo, qui nullas audit lectiones, *ibi;* Bona fides nequit prodesse, si lectiones audiat in Facultate omnino diuersa ab ea, in qua matriculæ est adscriptus, *ibi n. 147.*

Scholasticus quantum debeat assistere in vnaquaque lectione, vt Cursum licitè probet? *l. 3. n. 135.* Non est necesse, lectiones scribere, sic verò ad eas attendere, *ibi numero 137.*

Scholastici, quos contractus celebrare queant? *l. 3. à n. 179.* Siuè sint puberes, siuè impuberes? *ibi;* Quid, si iurent contractũ? *ibi.* An validè alienent, quæ eis ad alimenta præstantur? *ibi n. 181.*

Scholasticis quomodo liceant sponsiones, vulgò *Apuestas*, circa Cathedras, aut alia ad ingenium spectantia? *l. 3. à n. 182.*

Scholastici quam quantitatem possint exponere ludo, amittere, & lucrari? *l. 3. à n. 193.* Plura circa varios ludos, personas, & pecuniarum genera ludo exposita declarantur, *ibi n. 188.* Vide *Ludus.*

Scholasticus iter faciens tempore Paschatis, si præuideat, non posse adimplere præceptũ Cõmunionis tempore illo in patria, an teneatur eã anticipare, aut accipere in itinere in aliquo loco, *l. 3. à n. 273.*

Scholastici nec sub culpa veniali tenentur audire Missam in diebus Festis ab Academia institutis, quæ ab Ecclesia non obseruantur, *l. 3. à numer. 264.* Nec ad id potest Magistratus Academiæ illos obligare, *ibi n. 268.*

Scholastici, qui sunt Ecclesiastici, an teneantur recitare Officiũ, diebus, in quibus defendunt. Actus litterarios? *l. 3. à n. 271.*

An audire Miſſam, ſi ſint dies Feſti? *ibi n. 273.* An tempore octidui, aut tridui, quibus parantur ad eos Actus ſorte oblata defendendos? *ibi à n. 277.*

Scholaſtici qui, & quando excuſentur à ieiunio præcepto? *l. 3. à n. 279.* Vide *Ieiunium;* Qui miniſtrant menſis dominorum, & aliquid intereà edunt, non frangunt ieiunium, ſi ſtatim poſt dominos ſint epulaturi, *ibi n. 283.*

Scholaſtici an, & quomodo obligentur iuramentis non ludendi, non mutuandi, & ſimilibus? *l. 3. à n. 284.* Vide *Iuramentum.*

Scholaſtici quando contrahant irregularitatem ex iurgijs? *l. 3. à n. 299.* Vide *Irregularitas.*

Scholaſtici qui, & quando incidant in excommunicationem ob duellum? *l. 3. à n. 306.* A quo poſſint abſolui, cum incidũt? *ibi;* Vide *Duellum. Excommunicatio.*

Scholaſtici mutilantes, aut occidentes illos, qui inuadunt eorum bona, vi auferenda ab ipſis, incurrunt irregularitatem; *l. 3. n. 301.*

Scholaſticis extra patriam contrahentibus matrimoninm, aut ſponſalia, quid ſit obſeruandum? *l. 3. à n. 360.* Quæ eorũ ſponſalia ſint valida? *ibi;* Vide *Matrimoniũ. Spõſalia.* Validè contrahent matrimonium in loco Academiæ, ſi aſſiſtat Parochus patriæ ipſorum ibi, quamuis ob quaſi domicilium ſub alio Parocho ſint, *l. 3. n. 366.*

Scholaſtico volente contrahere matrimonium extra patriam, vbi ſint faciendæ denuntiationes? *l. 3. n. 367.*

Scholaſtici afferentes arma prohibita ſub excõmunicatione latæ ſententiæ, in eam incidunt ipſo facto, *l. 3. n. 388.* Idem eſt, ſi afferant veſtes prohibitas, & excommunicatio latæ ſententiæ fuerit inflicta, *ibi;* Nec excuſantur ex eo, quòd arma non ſint parata, *ibi;* Nec ex eo, quòd ad defenſionem ſuarum rerum ea habent, *ibi;* Nõ incurrunt eam excommunicationem, ſi per vnum, aut duos dies arma retineant, vt de illis diſponant, *ibi n. 389.*

Scholaſtici, quorum arma de licentia Magiſtratus apud aliquem aſſeruãtur, nequeunt, ea reperere, niſi vt de illis diſponant, *l. 3. n. 387.*

Scholaſtici habentes arma prohibita, ſed fracta, ita vt vſui eſſe nequeant, non incurrunt pœnam impoſitam, *l. 3. n. 388.* Poſſunt illa conſolidare, vt de ipſis diſponant, *ibi.*

Scholaſtici quinam excuſentur ab incurrẽda excommunicatione lata propter veſtes ſericas, aut profanas? *l. 3. num. 389.* A quo poſſint abſolui, ſi in has cenſuras inciderint, & illæ ſint reſeruatæ Magiſtratui Academiæ? *ibi à numer. 390.* Vide *Abſolutio.*

Scholaſtici ob exceſſum ſecundùm ſe ornamenti corporis ſolùm peccãt venialiter, ſi non detur præceptum prohibens, *l. 3. n. 398.* Id tamen ex circunſtantijs poteſt eſſe peccatum mortale. *ibi numer. 399* Eos dedecent ornamenta profana, *ibi numer. 401.*

Scholaſtici, qui contra voluntatem parentum inſumunt in veſtibus maiorem quantitatem, quàm poſſunt abſolutè pro nutu diſpenſare, peccant mortaliter, *l. 3. num. 402.*

Scholaſtici Salmantini quàm modeſto habitu corporis olim inceſſerint? *l. 3. n. 404*

Scholaſtici perſtrepentes, aut confabulantes in lectionibus, delinquunt, & non prodeſt ad Curſum litterarium eiuſmodi aſſiſtentia, *l. 3. n. 137.*

Scholaſtici, qui non impediunt amicos, ne tumultuẽtur, aut ne aliquid vi auferãt, non tenentur ad reſtitutionem, *l. 3. n. 406.* Nec tenentur, etiam ſi famulos non impediant, *ibi n. 411.*

Scholaſtici an teneantur reſtituere, quę à tyronibus expoſcunt, aut extorquent, titulo tyrocinij? *l. 3. à n. 412.* Vide *Reſtitutio.*

Scholaſtici an poſſint pro libito alienare, quæ ſibi ex alimentis ſubtrahunt? *l. 3. à n. 421.* Non tenentur reſtituere, qui ludo obtinent, vel per donationem accipiunt ab alijs ea, quæ ſibi illi ex alimentis ſubtrahunt, *ibi n. 423.*

Scholaſtici, ſi prębeant quantitatem fœminis impudicis, de qua licitè nequeũt diſponere, an ſit facienda eis reſtitutio? *l. 3. num. 424.*

Scholaſtici habentes Beneficia, & non recitantes Officium Eccleſiaſticum, an teneantur reſtituere ex alimentis ſibi præſtitis? *l. 3. n. 432.*

Scholaſtici filij familias de quibus bonis teſtari poſſint? *l. 3. à n. 433.* Si nõ ſint filijfamilias, poſſunt teſtari de omnibus ſuis bonis, *ibi n. 436.* Dum non ſint impuberes, qui nec in pias cauſas poſſunt teſtari, etiã ſi doli capaces ſint, *ibi.*

Scholaſtici ingredientes Religionem, ſi non ſint filijfamilias, poſſunt liberè de ſuis bonis diſponere, *l. 3. n. 439.* Et iuxta ius antiquũ, intuitu ingreſſus, vel Profeſſionis nulla ſolẽnitas in diſpoſitione requiritur, *ibi.* Si ſint filij familias, nequeunt diſpone

re

re de bonis, nisi pro tempore, quo ad eos peruenerint, *ibi*. Tempore Professionis, mortais parētibus, possunt donare sua bona absq; authoritate Curatoris sine beneficio restitutionis, *ibi*. Dispositio Tridentini circa prædicta, *ibi*.

Scholastici in Academia Salmantina quas lectiones teneātur audire in vnaquaque Facultate? *l. 3. à num. 156*. Qui tenentur audire Primariam, aut Vespertinam lectionem, possunt alternare, *l. 2. à n. 247*. Qui ex debito audit lectionem Primariā in Academia Salmantina, tenetur assistere suprà tres quadrantes horæ, *ibi*. Possunt probare Cursum litterarium, etiam si exeant ante finem lectionis, dum maiori parti assistant, *ibi à n. 245*.

Scholastici decedentes è viuis in loco Academiæ, in propria Parochia debent sepeliri, si non elegerint sepulturam, *l. 3. n. 584*. Nisi commodè possint ad sepulchra Maiorū deferri, *ibi*. Possunt puberes eligere sepulturam extra Parochiam, *ibi n. 385*. Etiam in Ecclesijs Regularium, *ibi*. Possunt eligere Ecclesiam, in qua deponātur, *ibi num. 587*. Quomodo fiat depositū defunctorum? *ibi*.

Scholasticis decedentibus è vita in loco Academiæ, quid sit tribuendum Parochis? *l. 3. n. 92*.

Scholastici, qui ex debito recitant Officium Canonicum, an possint aliquando mutare vnum Officium in aliud? *l. 2. n. 401*. Sola studij causa non est sufficiens ad illud mutandum absque peccato veniali, *ibi num. 399*. Nunquam potest mutari in Officium Resurrectionis, *ibi n. 398*.

Scholasticū impedire, illicitis medijs, ne ingrediatur Religionem, peccatum est mortale, *l. 3. à num. 441*. Eum sic impedire, ne adeat, & exerceat opera pietatis, aliquando est peccatum mortale, aliquando veniale, *l. 3. à num. 452*. Impediens ingressum illius in Religionem ad quid teneatur? *ibi à num. 450*.

Scholasticus potest ingredi Religionē absque consensu parentum, *l. 3. num. 441*. Aliquando æquum est, vt parentes priùs moneantur, *ibi n. 449*. Sollicitè debet à Prælatis Regularibus examinari vocatio ad Religionem, *ibi n. 448*. Aliæ etiam circunstantiæ optantium ingredi Religionē examinandæ sunt, *ibi*.

Scholasticus, cui alimenta ad studium relinquuntur, quando teneatur suscipere studium? *l. 3. num. 46*.

Scholastici non habent domicilium in loco Academiæ, si aliundè aduenerint, *l. 3. à n. 457*. Habent quasi domicilium, statim ac accedunt, *ibi, & n. 462*. Nequeunt Ordinibus initiari ab Episcopo loci Academiæ, *ibi n. 458*.

Scholastici possunt absque vllo priuilegio confiteri Parocho quasi domicilij in loco Academię, *l. 3. num. 463*.

Scholasticus relegatus à sua patria, vel Curia, seu ab alio loco non intelligitur relegatus à loco Academiæ, *l. 3. à n. 473*. Relegatus à loco Academiæ, non intelligitur relegatus à sua patria, *ibi à n. 474*.

Scholastici, qui assistunt acclamationibus, quę dicuntur *Victor*, aut *Corro*, peccāt mortaliter, *l. 3. à num. 497*. Expenduntur damna indè proueniētia, *ibi*. Arma ad hos actus quærere, aut suppeditare, vel quodvis auxilium ferre, peccatum est mortale, *ibi à n. 505*. Contra has acclamationes proclamatur, *ibi à n. 509*.

Scholastici impediētes lectiones octo, aut pluribus diebus ante Natiuitatem Domini, aut ante Bacchanalia, peccant mortaliter, *l. 3. à num. 513*. Nequit consuetudo in hoc subsistere, *ibi n. 516*. An aliqui ab hoc peccato excusentur? *ibi n. 517*.

Scholastici non perueniēt ad scientias solo studio priuato, si non audiant lectiones, *lib. 3. n. 519*. Quantum temporis teneantur studio priuato impendere quotidie? *l. 3. à n. 533*. Qui missus ad Academiam, præcipuè vt studeat, omittit studiū per magnam Cursus Litterarij partem, mortaliter peccat, *ibi n. 534*. Non est lethale, per aliquot dies illud omittere, *ibi n. 535*. Quotidie saltem horam, & dimidiam tenentur studere, *ibi num. 535*. Maiori obligatione astringuntur aliqui ad studendum, quàm alii, *ibi n. 437*. Minor obligatio est in his, qui alijs famulantur, *ibi*. Studij priuati necessitas, & vtilitas, *ibi à n. 538*. Modus studendi priuatè, *ibi*.

Scholastici celebraturi sunt cōtractus, & condituri testamenta iuxta cōsuetudinem loci Academię, in quo sunt, *l. 3. num. 470*. Qui debet alimenta Scholastico, suis expensis tenetur ea ferre ad locum Academiæ, *l. 3. n. 46*.

Scholasticos quæ recreationes, & ludi deceant? *l. 3 à num. 522*. Recreatio debet esse moderata, *ibi*. Musicæ exercitium est valdè decens, *ibi à n. 526*. Aliqę etiam exercitationes corporis, *ibi n. 527*. Ludus præterea pilæ; sed non sunt frequentanda sphæristeria, *ibi n. 528*. Aleæ ludus omnino indecens, & prohibitus, *ibi n. 530*. Ludus

dus foliorum, ſeu chartarum pictarū an, & quomodo eos non dedeceat? *ibi n. 531.*

Scholaſticis debet eſſe exoſa ebrietas, *l. 3. num. 532.* Eius damna, *ibi.*

Scholaſtici debent fugere luxuriam, & amare pudorem, ac caſtitatem, *l. 3. à n. 578.* Aliter non euadent ſapientes, *ibi.* Verecundiam, & modeſtiam ſeruare tenentur in verbis, motibus, & inceſſu, *ibi à n. 580.* Fugiant omnino otium, *ibi n. 579.*

Scholaſticus, qui moraliter eſt certus, acceptam eſſe Bullam Cruciatæ pro ipſo in patria ſua, poteſt eius priuilegijs vti, *l. 3. à n. 565.* Non ſufficit probabilitas de eius acceptione, *ibi.* Nec intentio accipiendi illam, *ibi n. 563.*

Scholaſticus, qui habuit filium extra matrimonium, tenetur ei à triennio præſtare alimenta, *l. 3. à n. 563.* Et ante triennium, ſi mater eum alere non poſſit, *ibi n. 571.* Si neuter poſſit, quid ſit præſtādum? *ibi num. 572.* Non tenetur ſubtrahere ex alimentis ſibi neceſſarijs, vt eum alat, *ibi n. 577.* Debet, aut per ſe, aut per alium monere ſuum patrem, vt ei præſtet alimẽta quæ ipſe præſtare nequit, niſi in aliquo caſu. *ibi n. 577.* Quid veniat nomine alimentorum? *ibi n. 570.* Quomodo conſtare debeat, filium eſſe proprium, vt ei alimenta ſuppeditentur? *l. 3. n. 576.* Quid ſit præſtandum, ſi dubitetur, an ſit filius proprius? *ibi.*

Scholaſtici in Academijs iurant defendere veritatem de Immaculata Virginis Conceptione, *A. à num. 119.* Vide *Studioſus.*

Scholaſticus Salmantinus.

Vide *Magiſter Scholæ Salmantinæ.*

Scientia.

Scientiam quamlibet docere, pretio ob id accepto, non eſt ſimonia, *l. 2. à n. 99.*

Sciētiæ prohibitæ quænam ſint? *lib. 2. à num. 368.*

Scientia multo labore eſt comparanda, *l. 3. n. 538. & n. 584.* Poteſt doceri diebus Feſtis, *l. 2. n. 90.*

Scotiæ Academiæ.

Scotiæ Academiæ, licèt iam ferè collapſæ, recenſentur, *l. 1. n. 91.*

Scriptura Sacra.

Scripturam ſacram docere, pretio ob id accepto, non eſt ſimonia, *l. 2. à n. 99.*

Secretum.

Secretum quando, quomodo, & ad quid obliget? *l. 2. à num. 173.* Quid ſit? *ibi.* Cauſæ, quæ dantur ad reuelandum ſecretum, *ibi n. 175.*

Secretum manifeſtare vni, vel alteri, an ſit peccatum mortale? *l. 2. n. 184.* An, qui audit ab alio rem ei cōmiſſam ſecretò, teneatur ad idem ſecretum? *ibi n. 185.* An poſſit ſuper re ſecreta conſilium poſci? *ibi n. 186.*

Senator. Senatus.

Senatus Supremus Caſtellæ poteſt ad ſe auocare cauſas Studioſorum laicorum, *l. 1. à num. 685.*

Senatores, & cæteri Officiales non tenentur audire Miſſam diebus feriatis, qui ab Eccleſia non obſeruantur, *l. 3. n. 226.* Nec ſub culpa veniali, *ibi n. 267.*

Senatores Regij habent propriè domicilium in loco, vbi ſunt Cancellariæ, aut Senatus, *l. 3. num. 417.*

Senatus conſultum Macedonianum.

Senatuſconſultum Macedonianum non habet locum in Studioſis, *l. 3. n. 46.*

Sepelire. Sepultura.

Sepeliri vbi debeant Scholaſtici decedentes è vita in loco Academiæ? *lib. 3. à n. 584.*

Sepulturam poſſunt eligere puberes extra propriam parochiam, *l. 3. à num. 385.* Impuberibus filijs poteſt pater eligere ſepulturam, & patre deficiente, mater, *ibi.*

Sepultura Maiorum eſt donandus quilibet, etiam ſi ſit extra Parochiam, *l. 3. n. 586.* Etiam ſi quis ſit filius illegitimus, dum ſit naturalis, *ibi.* Spurij in ſepulchro matrum ſunt ſepeliendi, ſi his indè nō proueniat honoris detrimentum, *ibi.*

Sepeliendi quo ornatu ſint Magiſtri, Doctores, & Togati? *l. 2. à num. 430.*

Sepultura Eccleſiaſtica an, quando, & quibus ſit deneganda? *l. 3. n. 588.* Quæ pœna ſit indicta his, qui donāt ſepultura eos, quibus de Iure negatur? *ibi n. 591.*

Sepeliendi mos antiquus, & recens, eũ defuncti ſunt Viri Inſignes, *l. 2. à n. 480.*

Siciliæ Academiæ.

Siciliæ Academiæ recenſentur, *lib. 1. à num. 38.*

Simonia.

Simonia non eſt, conferre, & accipere pretium pro Gradibus litterarijs? *lib. 2. à num. 94.*

Simonia non eſt, docere Scientias, etiã Sacras, pretio accepto, *l. 2. à num. 99.*

Simonia an ſit aliquando, accipere pretium pro Concionibus? *l. 2. à num. 104.* An pro docenda doctrina Chriſtiana? *ibi.* An pro Miſſarum celebratione? *ibi.* An pro Adminiſtratione Sacramentorū, & ſimilibus? *ibi.*

Simo-

Simoniæ agnoscendæ traduntur regulæ, *l. 2. num. 108.*

Societas Iesu.

Societatis Iesu Collegij Salmantini extitere Fundatores Reges Hispaniarum Philippus Tertius, & Margarita Austriaca, *l. 1. à n. 214.* Eorum Successores sunt Patroni eiusdem Collegij, *ibi.* Quot Viros insignes hoc Collegium dederit? *ibi à n. 206.* Quot Collegium Complutense? *numero 96.*

Societatis Religiosi nullo ex capite prohibentur accipere Gradus litterarios in qualibet Academia cum licentia Superiorum, *l. 1. à n. 388.* Omnino est conformis ea acceptio Instituto, & Regulis Societatis, *ibi.* Gradu Magisterij insignitus fuit S. Ignatius, Societatis Fundator, & S. Franciscus Xauerius, alijque primi Socij, in Academia Parisiensi, *ibi num. 393.* S. Ignatius voluit, suos insigniri Gradibus litterarijs. *ibi.*

Societatis Iesu Religiosi nequeunt esse Oppositores ad Cathedras, *l. 1. à n. 435.* Possunt eas moderari absque Oppositione; & quibus conditionibus? *ibi n. 439.* Quæ Insignia Gradus sint allaturi in solemnibus Actibus Academiæ? *ibi à num. 440.* Nequeunt nisi præcepto coacti, in Academia Salmantina esse Vice Cancellarij, *ibi n. à 445.* Possunt esse Rectores, & Cancellarij in Academijs Societati traditis ab earum Fundatoribus, aut à Principibus, *ibi n. 453.*

Societatis Religiosi nequeunt esse Iudices, nec Conseruatores, *l. 1. à n. 438.*

Societatis Iesu cõmendatio, *l. 1. num. 47. & n. 64. & n. 71.*

Societati Iesu in Germania plures Academiæ sunt traditæ, *l. 1. à n. 77.*

Societati concessum est priuilegium, vt Religiosi medici possint suam Facultatẽ exercere; & quibus conditionibus? *lib. 2. num. 367.*

Societatis Iesu Institutum, & ministerium docendi laudatur à Pontificibus, *lib. 2. n. 389.*

Societas Iesu iustituta fuit, inter alios fines, ad defendendam Immaculatã Virgis Conceptionem, *A. num. 35.* Eam in Concilio Tridentino, & innumeris in libris defendit. *ibi num. 336.* Nullus omnino fuit in Societate Iesu, qui contrarium assereret, *ibi n. 135.* S. Ignatius Societatis Fũdator illam piam opinionem edocuit, & se obstrinxit iuramento defendendi ipsam, *ibi.* In Collegio Imperiali Madridiẽsi sunt Studia Regia illustria *l. 1. num. 125.*

Spectacula.

Spectaculis, & ludis interesse quomodo olim fuerit Clericis prohibitum? *l. 2. n. 318.* Authores, qui de Spectaculis tractant, referuntur, *ibi & n. 329.*

Spectaculum Taurorum. Vide *Taurorum agitatio.*

Sponsalia.

Sponsalia contrahens tenetur adimplere, dum non sit causa dissoluens illa, *l. 3. n. 360* Si sub spe matrimonij quis virginem defloraut, tenetur damnum compensare, *ibi.* Quando excusetur à compensatione? *ibi.*

Sponsalia non contrahit, qui fictè promisit absque animo se obligandi, sed tenetur contrahere nuptias, *l. 3. n. 361.* Quando excusetur à nuptijs tunc contrahẽdis? *ibi.* Quæ ætas requiratur ad spõsalia ineuda? *ibi n. 362.*

Sponsiones.

Sponsiones, (vulgò *Apuestas*) an liceãt Studiosis circa Cathedras, aut alia ad ingenium spectantia? *l. 3. à n. 182.*

Sponsionum natura, *lib. 3. n. 182.* Solent prohiberi à Magistratibus Academicis, *ibi num. 184.* An teneatur restituere is, qui certò nouit rem, super quã spondet? *ibi n. 187.*

Sponsiones an possint fieri circa patrationem peccati, *l. 3. n. 186.* An sint licitę ei, qui alium excedit in eo, super quo cum illo spondet? *ibi n 188.*

Statuta.

Statuta Collegiorum quęnam obligẽt ad pœnam dumtaxàt, & quænam ad culpam? *l. 2. à n. 206.* Vide *Academia, Collegiũ. Togatus.*

Studiosus.

Studiosi quinam sint, vt foro, & priuilegijs gaudeant? *l. 3 à n. 54.* Debent esse adscripti matriculæ, & præstare iuramẽtum de obediendo Rectori, *ibi.* In hoc nequit Academia dispẽsare communiter, *ibi.* Potest dispensare, si ob errorem, aut negligẽtiam Notarij nomen non fuerit matriculæ adscriptum, *ibi n. 55.*

Studiosus debet frequentare *Scholas*, vt gaudeat foro, & priuilegijs, *l. 3. à n. 57.* Nisi recolat iam *Studia*, peractis Cursibus litterarijs, *ibi.*

Studiosus, vt gaudeat priuilegijs, debet adscriptus esse matriculæ in Academia approbata, *l. 3. n. 59.* Et non incumbere studijs illicitis, vt Necromantiæ, aut similibus, *ibi n. 60.*

Stu-

Studioſi perſtrepentes lectionibus, & turbantes alios, peccant mortaliter, l. 3. à n. 60. Tumultuantes debent ab Academia exterminari, *ibi n. 63.*

Studioſi quinam gaudeant foro Eccleſiaſtico, & quinam foro ſęculari, ſi vtraq; iuriſdictio in Magiſtratu Academico reſideat? *l. 3. num. 68.*

Studioſorum vota nequeunt à Magiſtratu Academico relaxari, *lib. 1. n. 493.* Nec poſſunt per eum *Studioſi* abſolui à reſeruatis, niſi à cenſuris reſeruatis per ipſum, *ibi.*

Studioſus an, & quomodo debeat præſtare fideiiuſſores? *l. 3. quæſt. 4.*

Studioſorum forum quibus alijs competat? *l. 3. à n. 26.* An eorum vxoribus, filijs, viduis ipſorum, nuntijs, familiaribus, fideiiuſoribus, famulis, & alijs eiuſmodi? *ibi.*

Studioſi in Academia *Salmantina* quibus priuilegijs gaudeant tempore interdicti? *l. 3. n. 557.*

Studioſus ſucceſſor in bonis, aut officio, an poſſit cauſas defuncti trahere ad ſuum forum? *l. 3. à num. 19.* Plura circa hoc dubia dirimuntur, *ibi.*

Studioſi in quibus caſibus, & cauſis amittant priuilegium fori? *lib. 3. à num. 38.* An per reſiſtentiam factam Iudicibus extraneis? *ibi à num. 40.* An poſſint ſuum forum renuntiare? *ibi à num. 42.*

Studioſi præter priuilegium fori, quibus alijs priuilegijs gaudeant? *l. 3. à n. 44.*

Studioſus quãdo poſſit compellere patrem, vt ei ad ſtudia præſtet alimenta? *l. 3. num. 46.*

Studioſis, vt domus locentur, poſſunt earum domini compelli, *l. 3. n. 48.*

Studioſi ſunt immunes à cenſu, & exactionibus, niſi aliud per leges municipales caueatur, *l. 3. n. 49.*

Studioſi verſantes in Academijs, ſi habeant Beneficium Eccleſiaſticum, an excuſentur à reſidentia, & faciant fructus ſuos? *l. 3. à n. 215.* Vide *Beneficium Eccleſiaſticum*; & *Eugeniana Bulla.*

Studioſi verſantes in loco Academiæ an teneantur obſeruare leges ſuę patriæ? *l. 3. à num. 239. & à n. 247.* An leges locorum, per quæ tranſeunt? *ibi.* Vide *Lex.*

Studioſi delinquentes an gaudeãt immunitate Eccleſiæ? *l. 3. à n. 329.* Vide *Immunitas Eccleſiæ.* *Studioſi* non clerici nequeunt à Magiſtratu Academico extrahi ab Eccleſia, niſi in caſibus, in quibus laicus poſſet extrahi à Iudice laico, *lib. 1. n. 249. & lib. 3. n. 339.*

Studioſi Clerici coram quo Iudice ſint cõueniendi, ſi Magiſtratus Academiæ ſola iuriſdictione ſæculari gaudeat? *l. 3. à n. 346.*

Studioſi Academiæ Salmantinæ quantum temporis debeant in ea aſſiſtere, vt priuilegio Bullæ Eugenianæ potiantur? *l. 2. n. 274.* Eccleſiæ abſque ſpeciali reſcripto nequeunt reſiſtere ei priuilegio, *ibi à n. 275.* Quo priuilegio gaudeant circa recitationem Officij diuini? *l. 2. n. 401.*

Studioſus quando cõtrahat domiciliũ in loco Academiæ? *l. 3. num. 469.*

Studioſus debet teſtamentum condere iuxta conſuetudinem loci Academiæ, in quo verſatur, *lib. 3. num. 472.* Et iuxta eã celebrare contractus, *ibi num. 470.* An etiã contractum dotis? *ibi n. 471.*

Studioſi in Academijs Hiſpaniæ, & in alijs pluribus obſtringunt ſe iuramẽto defendendi piam opinionem de Immaculata Virginis Conceptione, *A. à n. 117.* Vide *Scholaris. Doctor. Magiſter.*

Studium.

Studiorum cauſa eſt adhuc magis fauorabilis, quàm cauſa dotis, *l. 3. à n. 45.* Libri, & alia, quæ pater dedit filio ad ſtudia, non veniunt in collationem, cenſenturq; donata ex pietate, *l. 3. à n. 46.*

Studiorum fininis eſt promiſcuus, & communis Principibus Eccleſiaſticis, ac ſæcularibus, vt ea promoueant, *l. 1. n. 250.*

Studio priuato quantum temporis debeant impendere Scholaſtici, vt non peccent mortaliter? *l. 3. à n. 533.* Qui miſſi ad Academiam, præcipuè vt ſtudeant, omittunt ſtudium magna parte Curſus litterarij, peccant lethaliter, *ibi n. 534.* Non eſt peccatum lethale, omittere illud per aliquot dies, *ibi n. 535.* Quotidie ſaltem horam, & dimidiam debent ei impendere, *ibi n. 536.* Maior obligatio ſtudendi priuatè eſt in aliquibus, quàm in alijs, *ibi 537.* Studiorum antiquitas, *l. 1. num. 2. & numero 365.*

Studium priuatum commendatur, & eius neceſsitas, *l. 3. à n. 538.* Quomodo debeat id ſtudium exerceri? *ibi.* Studium ex ſe non eſt cauſa ſufficiens ad edendũ oua, & lacticinia diebus Quadrageſimalibus abſque priuilegio, *ibi à n. 561.*

Subſtitutus Cathedræ.

Vide *Cathedræ Academiarum.*

Succeſſor ſtudioſus. Vide *Scholaris.*

Suffragium.

Suffragia ad Cathedras an Põtifex, an Prin-

Princeps conceſſerit Studioſis? *l.1.à num. 284.* Poſſunt ea à Principe reuocari, *ibi.* Suffragia ad Cathedras, vbi per ea obtineã tur, an poſſint ferre, qui habent Curſus litterarios falſos? *l.3.à n.100.* An poſſint, qui nõ habent Curſum integrum? *ibi à n.110.* An, qui non ſunt ordinarij Auditores Facultatis, cuius Cathedra eſt obtinẽda? *ibi.*

Suffragium ferens, cum non poſſit, an, & quid reſtituere teneatur? *l.3.n.103.* Suffragium ferens ad Cathedram, ſi deſit ei aliquod requiſitũ in Statutis Academiæ, an peccet mortaliter? *l.3.à n.104.* Quid, ſi ante ſuffragium interrogatus iuret falſõ? *ibi à num.111.* An poſt periurium poſſit ferre ſuffragium? *ibi n.120.* Pœnæ ſubornantium ſuffragantes ad Cathedras, *ibi num.125.*

Supplicium. Vide *Pœna.*

Syndicus.

Syndicus ad negotia quid ſit? *l.1.num. 576.* In quo diſtinguatur ab Actore, & Procuratore? *ibi.*

T

Tabellio.

TAbelliones ad quid teneãtur circa ſtipendium, quod propter inſtrumenta reportant? *l.1.à n.513.*

Taurorum agitatio.

Taurorũ agitationi quibus, & ſub qua pœna intereſſe, prohibitum fuerit à Pio Quinto? *l.2.n.305.* Quomodo Clemens Octauus pœnam moderatus fuerit? *ibi 308.*

Tauros quomodo agitari præceperit Eliſabetha Catholica Hiſpaniæ Regina? *lib.2.n.306.*

Taurorum agitatio ex ſe non eſt illicita, *l.2.n.310.* Sixti Quinti reſcriptum circa aſſiſtentiam Clericorum ad agitationẽ Taurorum tranſcribitur, *l.2.n.320.*

Taurorum agitationi an poſſint intereſſe Magiſtri, aut Doctores Religioſi ſimul cum Senatu Academico? *l.2.à num. 305.* An poſſit ex tolerantia quilibet Religioſus? *ibi num.322.* An Nouitij, & Conuerſi? *ibi à n.327.* An Canonici Regulares? *ibi n.324.* An Regulares Militiarum Equeſtrium? *ibi n.326.*

Tertiæ.

Tertiæ ex Decimis applicatæ à Pontifice laicis an ſint bona ſæcularia? *l.1.à n.622.* An ex ipſis debeatur ſubſidium? *ibi.*

Teſtamentum.

Teſtamenta condere quinam Scholaſtici, & filij familias poſſint? *l.3.à n.433.* De quibus bonis? *ibi.* An poſſint teſtari de bonis aduentitijs? *ibi n.435.& 438.* An ea donare cauſa mortis? *ibi n.438.*

Teſtamenta nequeunt impuberes condere, *l.3.n.436.*

Teſtamenta condere poſſunt filijfamilias, ſi ſint Equites Commendatarij, de bonis Commendarum, *l.3.num.437.*

Teſtamentum condere nemo ex obligatione tenetur, niſi raro ad vitandas lites, *l.3.n.437.*

Teſtamenta condunt filijfamilias in Regno Valentiæ, deſignata à parentibus quantitate ad teſtandum, *l.3.n.440.*

Teſtamenta ſunt condenda ab Studioſis iuxta conſuetudinem loci Academiæ, in quo verſantur, *l.3.n.432.*

Teſtis.

Teſtes an iurare poſſint in probatione Curſus litterarij, cum quis bona fide audiuit lectiones non deſignatas in ſtatutis? *l.3.à n.139.* Quando poſſint vti iuramento amphibologico? *ibi à n.154.*

Theologia.

Theologiam docere, accepto pretio, non eſt ſimonia, *l.2.à num.99.* Simonia eſſet, eam vendere, ſi foret infuſa. *ibi numero 102.*

Theologiæ Magiſtri. Vide *Profeſſores.*

Theologiæ Studioſi quas lectiones audituri ſint in Academia Salmantina, vt Curſus litterarios probent? *l.3.n.157.*

D. Thomas Aquinas.

D. Thomam non eſſe contrarium Opinioni piæ de Immaculata Deiparæ Conceptione, in eius obſequium cõtenditur, *A.à n.148.*

Toga.

Toga Doctorum. Vide *Doctor.*

Togatus.

Togatorum Collegia Salmanticenſia illuſtria, *l.1.à n.202.* Vide *Salmanticenſia Collegia.*

Togatorum Collegia Maiora inſignia Sanctæ Crucis, Sancti Ildephonſi, & Hiſpalenſe, *l.1.à n.94.* *Vide Collegium.*

Togati Hoſpites, *l.2.à.n.236.* Vide *Hoſpes Collegij.* An in Togatum poſsit eligi excommunicatus? *l.2.à n.407.*

Togati an ſubiaceant ſuis Rectoribus, vt gaudẽtibus iuriſdictione in ipſos? *lib.2. à num.213.* Vide *Rectores Collegiorum.*

Togati quem ordinem, & præcedentiã in Actibus publicis obſeruent? *l.1.n.652. & n.671.* Quam vrbanitatis reuerentiam Rectoribus exhibeant? *ibi n.675.*

Togati quomodo teneantur ſeruare ſecretum

cretum eorum, quæ in Communitatibus peraguntur? *l.2.à num.172.* Quarum rerum? *ibi.* Vide *Secretum.* Togatos quæ Statuta obligent ad culpam, & quæ solùm ad pœnam? *lib. 2.à n.206.* Expenditur iuramentum seruandi illa, *ibi.* Quomodo obligentur ad Missas, & Orationes præscriptas in Statutis? *ibi n.212.* An teneantur ad illas, dum absunt à Collegio? *ibi.*

Togatus, cui ad ingressum in Collegiũ defuit aliquod requisitũ, nihil tenetur restituere, *l.2.à num. 224.* Quamuis falsò supposuerit ætatem, patriam, paupertatẽ, aut simile, *ibi.*

Togatus tenetur ad iuramẽtum adimplendum de soluendo aliquo donatiuo, aut relinquendo legato suo Collegio. *l.2. n.238.* Quantũ, & quomodo? *ibi.* Id iuramentum à solo Pontifice potest relaxari, *ibi.*

Togati defuncti qua pompa funerali sepeliantur? *ibi à num. 433.*

Togati non habent domicilium, sed quasi domicilium in loco Academiæ *l.30. n.457. & 460.* Gaudent illo statim, ac ad locum accedunt, *ibi n.462.* Nequeunt Ordinibus initiari ab Episcopo loci Academiæ, si non sint eiusdem diœcesis, *ibi n. 558.*

Togatorum causæ ad quem Iudicem spectent? *l.1.n.172.*

Traditio.

Traditio temporum, Ecclesiarum, populorum, stat pro opinione pia de Immaculata Virginis Conceptione, *A.n.72.*

Transcribere.

Transcribere lectiones, aut Codices diebus Festis, nõ est peccatum, *l.3.à num. 168.* Quamuis fiat lucri gratia, *ibi.*

Tribunal.

Tribunalis sedem nequeunt mutare Magistratus Academiarũ, *l.1.n.191.* Vide *Iudex. Magistratus.*

Tribunalia Sacræ Fidei stant pro opinione pia de Immaculata Deiparæ Cõceptione, *A. n.86.*

Tridentinum Concilium.

Tridentini Concilij Congregatio declarauit, legentem publicè Scripturam non teneri ad residentiam in Beneficio, *l. 2. n. 270.* Et facere fructus suos, *ibi.* Quamuis legat absque stipendio, *ibi.*

Tridentinum Concilium expenditur pro opinione pia de Immaculata Virginis Conceptione, *A.à n.51.*

Tridẽtini dispositio circa bona ingrediẽtium Religionem, *l.3 n.439.*

Typographus.

Typographi, qui sunt in locis Academiarum, an gaudeãt priuilegio fori Academici? *l.3.n.34.*

Tyro Scholasticus.

Tyronum Scholarium vox vnde fuerit desumpta? *l.3.n.52.* Quæ titulo tyrocinij ab eis extorquentur, an debeant ipsis restitui? *l.3.à n.412.* Vide *Restitutio. Scholaris.*

V

Vagus.

VAgorum matrimonijs quis Parochus assistere debeat? *l.3.n. 371.* Vbi fieri denũtiationes ad ea matrimonia? *ibi.*

Vaticinator. Vide *Astrologia.*

Verecundia.

Verecundia in verbis, motibus, & incessu debet in Scholasticis reperiri, *l.3. à n. 580.* Verecundiæ commendatio, *ibi à n.578.*

Veritas.

Veritas in fundo est, &, nisi multo labore, non eruitur, *l.3. n. 538. & 544.* Vide *Scientia. Professores.*

Vestes.

Vestes profanas afferri ab Scholasticis, materia est capax excommunicationis, *l. 3.num.380.* An eam incurrant, & quomodo, qui eas vestes afferunt? *ibi à n. 383.* Quando excusentur ab incurrenda ea excommunicatione? *ibi n.389.*

Vestium excessus in ornamento ex se solùm est peccatum veniale, *lib.3.n. 399.*

Ex circunstantijs potest esse peccatum graue, *ibi n. 398.* Exponuntur eiusmodi circunstantiæ, *ibi*

ViceCancellarius,

ViceCancellarius Academiæ Salmantinæ quãdo, & à quibus eligatur? *l. 1.à n. 173.* Quis sit capax eius Muneris? *ibi.* Quæ sit eius potestas? *ibi.*

ViceCancellarij Munus in Academia Salmantina nullus Religiosus Societatis Iesu, nisi præcepto coactus, potest habere, *l.1.à n.445.*

Vidua.

Viduæ Doctorum, & Studiosorum gaudent eorum priuilegijs, *l.1.à n. 339. & 344.*

Virgo Maria. Vide *Conceptio.*

Violatio Ecclesiæ.

Violator Ecclæ, qui extrahit Reũ gaudentem eius immunitate, cõmittit sacrilegium *l.3.n.345.* Censuris est compellẽdus, vt eũ restituat, *ibi.* Irritus est processus

ſus contra eum factus, *ibi*. Tenetur iudex extrahens compenſare ei damna, *ibi*.

Violatio Eccleſiæ in odioſis non extenditur ad ſacriſtiam, porticum, atrium, cæmeterium, turrim, partem ſuperiorem ſuprà tectum, vectem, aut anſam portæ, *l. 3. n. 330*. Vide *Immunitas Eccleſiæ*.

Viſitator Academiæ.

Viſitator Academiæ ſolum poteſt mitti à Principe quoad laicos, & à Pontifice quoad cauſas ſpirituales, *l. 1. n. 693*. Si Academia ſit in territorio dominij Pontificis, poteſt ab eo mitti Viſitator, quo ad omnes cauſas, *ibi*. Viſitator poteſt mitti à Principe ad Collegia Togatorum ſæcularia viſitanda, *l. 1. n. 252*.

Vniuerſitas.

Vniuerſitatis vox, & nomenclatura, *l. 1. num. 3*. Vide *Academia*.

Votum.

Votum docendi vnius tantum Authoris doctrinam an poſſit à quolibet emitti? *l. 1. num. 293*.

Vota Academiarum nequeunt relaxari à Magiſtratu Eccleſiaſtico Academiæ, *l. 1. à num. 493*.

Vox.

Vox populi, eſt vox Dei, & ea ſtat pro Immaculata Deiparæ Conceptione. *A. n. 117*.

Vſucapio.

Vſucapere poſſunt Academiæ, Collegia. *l. 1. n. 593*. Ad res Academiæ præſcribendas, vel vſucapiendas ab alio quantũ temporis requiratur? *ibi à n. 594*.

Vſusfructus.

Vſusfructus legatum relictum Academiæ, aut Collegio, percipitur per ſpatiũ centum annorum, *l. 1. n. 607*.

Vſura.

Vſura non committitur à Profeſſoribus, qui mutuam pecuniam dant Scholaſticis, vt eorum lectiones, audiant, *lib. 2. num. 93*.

FINIS.

SALMANTICAE

EX TYPOGRA-

PHIA IOSETHI GOMEZ DE LOS

CVBOS.

ANNO M DC LV.

augere pœnas, vel diminuere; vt docet Balsamon in Canon. 4. Synod. Ancyranæ, sic quoque valebat secundum contritum, & humiliatum pœnitentis cor, aliqua graduũ transcursione remittere, & plenam pœnitentiam pronunciare. Inde singulari quoque beneficio aliquibus laborem extremum passis Eucharistiam decernebat, vt docet eruditus Episcopus in notis ad Concilium Carthaginense 4. Canon. 78. vbi pœnitentes degentes in 3. gradu timoris metu perterriti; atque ideo Eucharistiam accipientes, absolutionem ex eo prætendere non possunt: nisi ad tertium gradum regressi caput publicè pœnitentiæ subdant, ex quà doctrinà facilis aditus ad dictum Canonem, qui, *Pœnitentes* (inquit) *qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si superuixerint*; Neque Episcopalis tantum muneris fuit, hosce pœnitentes supra dicto moderamine in plenam communionem Ecclesiasticam reuocare, sed vel resspuere, aut accipere munera ipsorum, vt cõstat ex Concil. Illiberrit. Can. 28, cum alijs, quę supra adduximus, & intẽpestiua repetitione non inculcamus, etiam hac vita excedentiũ. Oblationibus enim pœnitentes casu aduerso decedẽtes, & morte pręocupati ante felix accipiendæ Eucharistiæ ad impletũ votum in Ecclesiasticam communionem reuocabãtur huius rei testimonium exhibet, Conc. Carthagin. 4. Can. 74. aliàs 79. relatum in capit. Sacerdos 6. 26. quęst. 7. ibi: *Memoria eorum, & oblationibus, & orationibus commendetur.* Ex qua Ecclesiæ consuetudine arbitratur Franciscus Bosquetus in notis ad epistolas Innocentij Tertij, lib. 4. Regest. 16 epist. 49. originem, & primordium sumpsisse morem illũ porrigendi Eucharistiam illis, qui pœnitentię legibus obtẽperantes, huius vitæ fabulã impleuère, inde oti ipsorum post mortẽ infundebatur, vt cõstat ex Conc. Cathagi. 4. Can 76. relato indict. cap. 8. 26. quæst. 6. ibi: *Et infundatur ori eius Eucharistia*, quod àn Ecclesię vsus, & eius disciplina comprobauerint, magnis concertationibus agitatum video, certè aliquibus Canonicis sanctionibus improbatur, vt constat ex Concil. Carthaginensi 3. Canon. 6. Canon. 18. Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ Synodo 6. in Trullo Cano. 84. Concil. Altisiodorensi Cano. 12. illustrant D. Ferdinandus de Mendo-

augere pœnas, vel diminuere: vt docet Balsamon in Canon. 4. Synod. Ancyranæ, sic quoque valebat secundum contritum, & humiliatum pœnitentis cor, aliqua graduũ transeursione remittere, & plenam pœnitentiam pronunciare. Inde singulari quoque beneficio aliquibus laborem extremum passis Eucharistiam decernebat, vt docet eruditus Episcopus in notis ad Concilium Carthaginense 4. Canon. 78. vbi pœnitentes degentes in 3. gradu timoris metu perterriti, atque ideo Eucharistiam accipientes, absolutionem ex eo prætendere non possunt: nisi ad tertium gradum regressi caput publicè pœnitentiæ subdant, ex quâ doctrinâ facilis aditus ad dictum Canonem, qui, *Pœnitentes* (inquit) *qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si superuixerint*; Neque Episcopalis tantum muneris fuit, hosce pœnitentes supra dicto moderamine in plenam communionem Ecclesiasticam reuocare, sed vel resuere, aut accipere munera ipsorum, vt cõstat ex Concil. Illiberrit. Can. 28, cum alijs, quę supra adduximus, & intẽpestiua repetitione non inculcamus, etiam hac vita exce-

den-

caſu

Conc. Car

tum in capit. Sacer

moria eorum, & oblationibus, &

mendetur. Ex qua Ecclesiæ consuetudine arbitratur Franciscus Bosquetus in notis ad epistolas Innocentij Tertij, lib. 4. Regest. 16 epist. 49. originem, & primordium sumpsisse morem illũ porrigendi Eucharistiam illis, qui pœnitentię legibus obtẽperantes, huius vitæ fabulã impleuère, inde ori ipsorum post mortẽ infundebatur, vt cõstat ex Conc. Carthagi. 4. Can 76. relato indict. cap. 8. 26. quæst. 6. ibi: *Et infundatur ori eius Eucharistia*, quod àn Ecclesię vsus, & eius disciplina comprobauerint, magnis concertationibus agitatum video, certè aliquibus Canonicis sanctionibus improbatur, vt constat ex Concil. Carthaginensi 3. Canon 6. Canon. 18. Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ Synodo 6. in Trullo Cano. 84. Concil. Altisiodorensi Cano. 12. illustrant D. Ferdinandus de

Mendo-

augere pœnas, vel diminuere: vt docet Balsamon in Canon. 4. Synod. Ancyranæ, sic quoque valebat secundum contritum, & humiliatum pœnitentis cor, aliqua graduũ transcursione remittere, & plenam pœnitentiam pronunciare. Inde singulari quoque beneficio aliquibus laboreni extremum passis Eucharistiam decernebat, vt docet eruditus Episcopus in notis ad Concilium Carthaginense 4. Canon. 78. vbi pœnitentes degentes in 3. gradu timoris metu perterriti; atque ideo Eucharistiam accipientes, absolutionem ex eo prætendere non possunt: nisi ad tertium gradum regressi caput publicè pœnitentiæ subdant, ex quà doctrinà facilis aditus ad dictum Canonem, qui, *Pœnitentes* (inquit) *qui in infirmitate Viaticum Eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos, sine manus impositione, si supervixerint*; Neque Episcopalis tantum muneris fuit, hosce pœnitentes supradicto moderamine in plenam communionem Ecclesiasticam revocare, sed vel repudiare, aut accipere munera ipsorum, vt cõstat ex Concil. Illiberrit. Can. 21. cum alijs, quę supra adduximus, & intempestiua repetitione non inculcamus, etiam hac vita excedentiũ. Oblationibus enim pœnitentes casu aduerso decedẽtes, & morte pręocupati ante felix accipiendæ Eucharistię ad impletũ votum in Ecclesiasticam communionem revocabãtur huius rei testimonium exhibet, Conc. Carthagin. 4. Can. 74. aliàs 79. relatum in capit. Sacerdos 6. 26. quęst. 7. ibi: *Memoria eorum, & oblationibus, & orationibus commendatur.* Ex qua Ecclesiæ consuetudine arbitratur Franciscus Bosquetus in notis ad epistolas Innocentij Tertij, lib. 4. Regest. 16 epist. 49. originem, & primordium sumpsisse morem illũ porrigendi Eucharistiam illis, qui pœnitentię legibus obtẽperantes, huius vitæ fabulã impleuere, inde ori ipsorum post mortẽ infundebatur, vt cõstat ex Conc. Cathagi. 4. Can. 76. relato indict. cap. 8. 26. quæst. 6. ibi: *Et infundatur ori eius Eucharistia*, quod àn Ecclesię vsus, & eius disciplina comprobauerint, magnis concertationibus agitatum video, certè aliquibus Canonicis sanctionibus improbatur, vt constat ex Concil. Carthaginensi 3. Canon. 6. Canon. 18. Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ Synodo 6. in Trullo Cano. 84. Concil. Altisiodorensi Cano. 12. illustrant D. Ferdinandus de Mendo-

1.502